R. P. VINCENTII

HOUDRY

E SOCIETATE JESU

BIBLIOTHECA

CONCIONATORUM THEOLOGICA,

COMPLECTENS

MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS:

Inſuper & Cæremonias, Conſuetudines, & Eccleſiæ Placita,

e Gallico ſermone in Latinum translata.


TOMUS QUARTUS,

IN QUO CONTINETUR

SUPPLEMENTUM

ad eadem Myſteria.

EDITIO NOVISSIMA.



VENETIIS, MDCCLXXII.

Ex Typographia Balleoniana.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

Digitized by Google

TABULA ARGUMENTORUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

De Myſterio Incarnationis. Pag. 5

De Incarnatione Verbi. 13

De Nativitate Filii Dei. 16

De Circumciſione Flii Dei. 25

De Epiphania. 31

De Infantia, & Vita abſcondita Filii Dei. 37

De Transfiguratione Filii Dei. 41

De Reſurrectione Filii Dei. 47

De Aſcenſione Filii Dei. 55

De Illapſu Spiritus Sancti. 60

De Sacramento, & Sacrificio Altaris. 69

De Inſtitutione Sacramenti Euchariſtici. 75

§. I. Multiplex Sermonum forma hujus argumenti. ibid.

§. II. Fontes unde hauriri copia poteſt ad propoſita argumenta exornanda, & Auctores hoc argumentum tractantes. 77

§. III. Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento. 78

§. IV. Loci, & Sententiæ Scripturæ hujus argumenti. 83

§. V. Quidquid ex Theologiæ fontibus erui poteſt ad Realitatem Corporis Filii Dei in Euchariſtia probandam. 85

§. VI. Delecti ex Aſceticis, Recentibuſque Concionatoribus loci hujus argumenti. 90

De Sanctiſſima Trinitate. 105

De Magnalibus Filii Dei. 111

De Confidentia, & Amore erga JESUM CHRISTUM. 118

De Conceptione Sanctæ Virginis. 126

De Nativitate Sanctæ Virginis. 132

De Præſentatione Sanctæ Virginis. 135

De Purificatione Sanctæ Virginis. 138

De Annuntiatione Sanctæ Virginis. 142

De Viſitatione Sanctæ Virginis. 145

De Doloribus Sanctæ Virginis. 149
De Vita Sanctæ Virginis poſt mortem Filii ſui ad ſuam. 153
De Magnalibus Sanctæ Virginis. 155
De Morte Sanctæ Virginis. 160
De Aſſumptione Sanctæ Virginis. 162
De Devotione erga Sanctam Virginem. 166

BIBLIOTHECÆ
CONCIONATORUM THEOLOGICÆ
TOMUS QUARTUS,

Continens

SUPPLEMENTUM AD MYSTERIA DOMINI NOSTRI, ET B. VIRGINIS.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.
MONITUM.

QUOD *attinet ad Myſterium Incarnationis, quod reliquorum maximum eſt, atque præcipuum eorum, quæ Salvatoris Perſonam reſpiciunt, hoc in Supplemento egregii inveniuntur Auctorum loci, qui inſeri commode poſſunt in hujus Argumenti Sermones. Hoc porro ſcire ſufficiat etiam pro aliis Argumentis; omnia hæc nova monumenta, quæ tam in hoc, quam in reliquis Myſteriis a nobis tradita fuere, licet non longe abſint ab iis ſenſibus, ac veritatibus quas attulimus cum primum de iiſdem Myſteriis verba faceremus; ab aliis tamen Auctoribus petita fuiſſe, & aliis aliiſque modis elata, ut Concionator illis, ſi in rem ſuam cenſuerit, uti valeat.*

DE VERBI INCARNATIONE.

In Verbi Incarnatione quod maximum in Deo eſt, conſociatur cum eo, quod in homine minimum eſt. Joann. 1.

CUM Evangelium nobis oſtendere vult exinanitionem æterni Verbi, re adhuc integra nobis illud exhibet quantumcumque illud eſt in ſe ipſo per hæc verba: *In principio erat Verbum .... & Deus erat Verbum .... Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil.* Sed deinde quouſque detrahit illud? Ab apice gloriæ ad centrum imbecillitatis. *Et Verbum*, ait, *Caro factum eſt*. Cur non dicit potius, & factum eſt Homo? Cur de eodem loquitur; quaſi non animam hominis æque ac corpus induiſſet? Ut videlicet ampliorem nobis obſtrueret humiliationis ſuæ imaginem, Sancti Patres docent. Homo animam, & corpus habet, ſed anima illum quodammodo æquiparat illi, quod in rebus creatis maxime elucet, corpus vero illum brutis ſimillimum facit. Hoc pacto facile aſſequi poſſumus infinitam propemodum Verbi dejectionem: ſimulque infinitam fere menſuram magnalium Virginis, cui illius Matrem eſſe datum fuit. Quippe Caro, quam ab illa Verbum mutuatur, fit cum illo una, eademque perſona, & illa, a qua hanc mutuatur, quodam in ſenſu fit ſuperior eidem Verbo, quod illi ſubjici dignatum eſt. *Ex primo Sermone Academiæ Anno 1683.*

Infirmitas Filii Dei in Incarnatione ipſius tantior eſt omni hominis fortitudine.

Huic infirmitati, qua propter ſalutem noſtram indui placuit Deo, non accidit, quod infirmitatibus hominum. Nihil creaturam magis decet quam imbecillitas, atque infirmitas; quod autem utraque in Creatore inveniantur; hoc procul dubio prodigii loco eſt; & hæc eſt cauſſa, propter quam illius humiliationes, æque ac Magnalia nobis intelligere non licet. Ut illas perſonaliter cum infirma, ac invalida natura conjungeret, nihil minus, quam illius omnipotentia requirebatur; & in hoc ſenſu cum Apoſtolo dicere poſſumus, quod in Deo videtur infirmum, omnium mortalium vim ſuperare. Si ergo magna facere eſt, ſeſe exinanire, ac ſubjicere: ubinam hæc magna fecit, niſi ubi ſe contraxit, & in ſe recepit omnem imbecillitatem, omneſque humanæ naturæ infirmitates? *Idem.*

Omnipotentiæ opus fuiſſe videtur Creatorem creaturis conſociare.

Cum Beatiſſima Virgo in admirabili Cantico ſuo canit: *Fecit mihi magna qui potens eſt*, hoc bonitatis, juſtitiæ, divinæque Sapientiæ opus fuiſſe non negat. Eluxit in eo ipſius miſericordia, & juſtitia, quandoquidem ille pepercit nocentibus, ſimulque per hoſtiæ, quæ immolata fuit, dignitatem, recepit honorem parem contumeliæ, qua fuerat affectus. Aperuit admirabilia ſuæ ſapientiæ ſecreta; quandoquidem artem nactus eſt, qua juſtitiæ ſimul, & amori ſuo ſatiſfaceret, & ſonti, quem incolumem facit, proſpiceret, quin Judicis, quem mulcet, jura tranſiliret. Sed in hac congerie admirabilium, plane potentiæ ipſius ratio coruſcat. Profecto ſuperior tantum univerſæ naturæ potentia, omnes illius leges mutare, univerſamque earum œconomiam potuit invertere; ſubjicere

morti auctorem vitæ, verbum ſubſtantiale ad puerile ſilentium redigere: verbo, Creatorem in creaturarum numerum referre. Hæc Magnalia adeo per ſe admirabilia modo æque admirabili perficiuntur. Non ſolum creatura fit Mater Dei; ſed fit citra jacturam Virginitatis. Verbum in hac humili generatione, per quam cum hominibus commiſcetur, ſervat adhuc quamdam ſimilitudinem cum glorioſa generatione, quæ ipſum Deo parem effecit. In illa enim gignit illum Deus ſine Matre; in hac gignit illum Virgo ſine Patre, & ſinu ſuo concipit imaginem illius, quod in ſinu Divinitatis peragitur. *Ibidem.*

Dei Filius hominis formam ſuſcepturus multis figuris indigitatus eſt, ea qua naſciturus erat.

Deus ſatis non eſſe arbitratus eſt hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam effinxiſſe, niſi per bonitatis exceſſum ipſe de Cælo in terram deſcenderet eumdem a lapſu excitaturus, ac induturus carnem mortalem, ſimilemque noſtræ, ut nobis ſuam in nos teſtatam faceret caritatem. Sed unde nam mutuabitur ille materiæ ita pretioſæ partem, ut ſit cum Divinitate conjungenda? Quot erant in Iſrael puellæ, in quas glorioſa hæc Dei electio incidere poterat? Oculos ille conjecit in Virginem: hanc ille jam præſignaverat tunc cum mortali veneno a Serpente primis parentibus noſtris offuſo, iratus futurum edixit, ut Mulier caput ejus contereret. Mox ut Abrahæ fidem, atque obedientiam remuneraretur, aſſeruit omnes gentes in illius progenie benedictionibus eſſe cumulandas. Denique per Prophetam pollicitus eſt ex ſemine David germen proditurum, & ex hoc germine florem, ſuper quem Domini ſpiritus conquieſceret. Ita manifeſtis ſubinde argumentis indigitabat Nativitatem hujus Virginis, quæ Meſſiam erat paritura, qui poſtquam plures vixiſſet annos, & inter homines converſatus fuiſſet, non ſine eximiæ caritatis prodigio Crucem aſcenderet, ut illos attraheret ad ſe. *Ex ſecundo Sermone Accademiæ Anno 1683.*

De humilitate Filii Dei in Incarnatione.

ad Philipp. 2.

Incarnationis Myſterium humanarum mentium captum excedit, unuſque Dei ſpiritus nobis æquum illius conceptum adſtruere, eumque ſatis exprimere poterat; quod unico præſtitit verbo. *Semetipſum exinanivit.* Hoc eſt magnum illud arcanum in Deo abſconditum ab æterno, ac revelatum in tempore. Quid eſt Verbi Incarnatio? eſt Dei exinanitio. Hoc omnia complectitur. Se ipſum exinanivit Deus hic Majeſtatis. Quo pacto? quia cum Deus eſſet, factus eſt homo, & quia ab homine ad Deum, qui ſupremum eſt ens, vel a Deo ad hominem, qui non niſi nihilum eſt, infinitum intercedit diſcrimen. Poſt hoc nihil mihi mirum videtur in reliquis Myſteriis vitæ Filii Dei. Deus enim homo factus amplectitur paupertatem, contemptum, paſſiones, Crucem, quæ omnia conſecuta ſunt humilitatem, quam ſuſcepit. Quod autem Deus, quamvis Deus eſſet, hominem ſe facere voluerit; ad id agi minime potuit niſi per exceſſum amoris, & nullis circumſcriptam finibus caritatem. Si homo ſeſe ad abjecti vermiculi, vel formicæ ſtatum demitteret, ille ſemet ipſum deſtruere diceretur, ac ſemet in quamdam exinanitionis ſpeciem redigere; quid tamen hoc eſt, ubi cum Incarnati Dei ſtatu confertur? Tandem enim aliqua intereſt ratio inter hominem, & abjectiſſimum vermem; ſed Deum inter & hominem, nulla. *Pater Bourdalove in Aſceticis receſſibus.*

J. C. non ſolum factus eſt homo, & humanis obnoxius infirmitatibus, ſed ſervi formam induit.

Scripturæ ſatis non eſt docere, Unigenitum Dei hominem factum fuiſſe, ſed utitur verbo, quod innuit ipſum in homine elegiſſe id, quod in eo craſſius eſt, magiſque terram ſapit: *Verbum caro factum eſt.* Caro hæc adeo contemptibilis, ac tot obnoxia miſeriis; Caro hæc, quæ nobis cum brutis communis eſt, ab eodem ſibi aſſociata fuit, eaque illi cum nobis communis facta. Non ne hominem ſe faciens debebat ſaltem ſe facere perfectum hominem? videlicet ſemet eximere a pueritiæ infirmitatibus, & uno ictu repente in lucem prodire, qualis primus hominum parens effictus fuit? Non ita; placuit illi in Virginis alvo gigni, ut reliquos pueros; voluit, ut ceteros, ſe infantem naſci, omnibuſque ætatis illius infirmitatibus ſubjici. *Idem.*

J. C. noluit in Mundum prodire, tamquam Monarcha quod Univerſorum Domino erat facillimum.

Quamvis JESUS CHRISTUS ſe Infantem præſtiterit, poterat tamen Monarchæ ſpeciem induere, a nullo pendentis, ſupremique: poterat quidem, ſed noluit; voluit ſubdi; & quod amplius eſt, *ſervi* formam ſuſcipere. Verum quidem eſt juxta verbum, ac teſtimonium Apoſtoli, ipſum ſervi ſpeciem dumtaxat accepiſſe; & ſub hac forma Regem re vera fuiſſe, & Dominum Univerſorum; ſed hoc ipſum ſtuporem nobis injicere debet, quod qui totius terrarum orbis Rex, & Dominus erat, ſeſe ad ſervi uſque formam abjecerit, ut ſemet magis, magiſque exinaniret. O exinanitiones, & humiliationes Dei mei, quam incomprehenſibiles eſtis! At non ne mihi erubeſcendum eſt, atque addendum, hoc me vix, & ne vix quidem intelligere, & credere poſſe; cum videns has Dei mei dejectiones, foveam animo ſuperbiam, quam ubi acceſſerit occaſio, & ipſe ſentiam, & alii palam intelligant? Pati ne poſſum non ægre, ſi quid mihi accidit adverſi? Æquo ne animo ſuſtinere poſſum, ſi quopiam verbo laceſſor? Excipere ne poſſum hilari mente, & ſine acrimonia monita eorum, quos mihi præpoſuit Deus? Quam mollis ſum, & quam facili negotio ſuccenſeo corripientibus; & ſi ſtudiis meis minus indulgeatur ſubiraſcor! Tantum abeſt me velle ſubjici, ac Salvatorem imitari, ut ſemper per gradus altius avehi concupiſcam. *Cur ſuperbis terra, & cinis?* Hæc Spiritus Sancti exprobratio ad omnes, & ſingulos ſpectat; quia homo quilibet ex ſe contemptibilis eſt. Spectat etiam ad omnes Fideles; quoniam fideles omnes per fidei ſuæ characterem adorant Deum exinanitum. Sed quo potiori jure nobis aſſumendi ſunt omnes JESU CHRISTI ſenſus? Heu! ſub humilitatis integumento majori tenemur creſcendi cupiditate, quam alius quilibet. Non ne hoc eſt noſtram mentiri profeſſionem? & noſmet mendacii redarguere? *Idem ibidem.*

Eccl. c. 10.

Incarnatio Verbi maximum eſt fidei & Religionis noſtræ Myſterium.

Incarnationis Myſterium, quod eo ipſo adimpletum eſt temporis articulo, quo Angelus illud SS. Virgini nuntiavit, & ab eadem conſenſus habitus fuit, reſpiciendum erat tamquam omnium Myſteriorum principium, Religionis noſtræ fundamentum, fidei noſtræ baſis, abſolutiſſimum opus Omnipotentis, prima noſtræ felicitatis cauſſa, antonomaſtice Myſterium, ut loquitur Sanctus Paulus, bonitatis, & caritatis Dei erga homines, comprobatum a Spiritu, ab Angelis viſum, Gentibus prædicatum, a Mundo creditum, & elevatum in gloria. *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtum eſt in carne, creditum eſt in Mundo, aſſumptum eſt in gloria. Pater Croiſet in Aſceticis.*

1. Timoth. 3.

Modus quo Incarnationis Myſterium adimpletum eſt.

Dum Angelus loqueretur, Maria ſupernaturali afflata lumine ineffabilis hujus Myſterii œconomiam, omniaque admirabilia intellexit, & ſe coram Deo exinaniens, ecce, exclamavit, ancilla Domini; quandoquidem dedignatus non eſt in me, quamvis indignam, oculos conjicere; fiat mihi ſecundum verbum tuum; tunc felici illo temporis momento evanuit Angelus, & Spiritus Sanctus ex puriſſimo Beatæ Virginis Sanguine, abſolutiſſimum corpus effinxit, creatamque pulcherrimam animam Deus utrumque ſubſtantialiter in Verbi perſona conjunxit, quod hoc pacto factum eſt caro: *& Verbum caro factum eſt.* Eodem momento Angeli hominem Deum venerati ſunt; eodem alvus puriſſimæ Virginis Incarnati Verbi Sanctuarium factum eſt: eodemque adimpleta fuerunt omnia Prophetarum Meſſiam promittentium oracula. *Hodie Davidicum eſt impletum Oraculum:* Sanctus Gregorius Neocæſareæ inquit: *Gaudebunt campi, & omnia ligna ſylvarum a conſpectu Domini, quoniam venit.* Natura univerſa præ gaudio exultavit eo momento, quo Deus homo in terris apparuit. *Hodie, qui eſt, gignitur;* Sanctus Chryſoſtomus inquit; *Qui eſt, fit id quod non erat; nec tum Deitatis jactura factus eſt homo. Hodie*, Gerſon ait, *completa ſunt omnia deſideria.* Quot in uno tantum Myſteria! Quot in hoc Myſterio miracula! In JESU CHRISTO homo Deus; in Maria Virgo Deipara; & in nobis, in quorum gratiam hæc omnia miracula facta ſunt, legitimi Filii Dei. *Idem.*

Homil. 1.

Pſalm. 95.

De divina generatione.

Ita, Fratres, ajebat Sanctus Auguſtinus: *Talis fuit ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Hujus Incarnationis talis extitit effectus ut homo ſe ipſum viderit elevatum uſque ad Deum, in JESU CHRISTO, & Deus in hoc eodem JESU CHRISTO ſe ad hominis formam redactum conſpexerit. Deus verus homo, & homo hic verus Deus. Naturæ duæ Divina, & humana in una, eademque perſona conſociata. Nulla inter utramque naturam in hac perſonæ unitate confuſio. Verbum caro factum eſt, & per realem hanc, ſubſtantialemque Verbi cum humanitate conjunctionem, Verbum Incarnatum ſibi proprias aſſumpſit omnes naturales hominis miſerias; & homo factus eſt particeps omnium magnalium Dei. Ineffabile Myſterium; neceſſaria Spiritus ſubmiſſio; nam, ut Sanctus Chryſoſtomus ait, non quærimus hoc in loco qua virtute, vel quo modo Verbum æternum naturam humanam ad hoc præſtantiſſimum fœdus evexerit. *Neque hic quæritur, quomodo hoc factum ſit, aut fieri potuit. Ubi enim Deus vult, ibi naturæ ordo cedit. Voluit, potuit, deſcendit, ſalvavit.* Quam uber fons piarum cogitationum, ſenſuumque amoris, grati animi, & admirationis in hoc Myſterio ineffabili. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Serm. de Ann. Mariæ.

De divina generatione.

Morales animadverſiones.

Fieri nequit, ut ſuam erga homines Deus caritatem magis teſtaretur, quam humanam carnem aſſumens. Et ſane ſi optionem nobis feciſſet Deus, ut manifeſtum aliquod ſui erga nos amoris peteremus argumentum; *Pete tibi ſignum:* numquid nobis in mentem aliquid tale petendum occurriſſet? Numquid hæc nobis incidiſſet cogitatio expetendi, ut Deus homo fieret, & ille nobis in omnibus ſimilis factus præter culpam, omnes ærumnas noſtras ſubiret, ut melius omnibus infirmitatibus noſtris compateretur?

Iſaiæ 7.

Tamen

Tamen hoc prodigium, quod ne petere quidem fuiſſemus auſi, miraculum hoc, quod humana ratio ſtultitiam putaſſet; illud miraculum eſt, quod Divina Sapientia operata eſt, ut nobis oſtenderet, quouſque nos dilexerit Deus: Nunquid nobis probatus eſt hic caritatis exceſſus? Quis autem noſter eſt animi grati ſenſus? *Idem*.

Non pro ſe erat Verbo æterno de ingratis benemereri.

Quid Domino erat profutura noſtra redemptio? quid illi collatura erat hæc cum nobis ſimilitudo, niſi ut nos gloriæ ſuæ participes faceret? Num ignorabat ſe de ingratis tantum benemereri; quoſcumque ſumptus erogaret, quacumque flagraret caritate, quodcumque nobis præberet exemplum, mundum illius ſemper fore inimicum, neque defuturos unquam in mundo procaces, & impios homines; nihil tamen illud deterrere potuit, quominus populum ſuis indignum beneficiis proſequeretur? *Videte qualem caritatem dedit nobis Deus*. Videte, ingrati, quam vobis in adorabili hoc Myſterio dilectionem Pater cæleſtis impenderit, & nos re ipſa eſſe Dei Filios, dilectum hujus hominis Dei populum, ejus cohæredes, & fratres? Divinum Verbum potuit hominis carnem aſſumere, quin arctiſſimam cum hominibus contraheret affinitatem. Deus, qui ſe humiliat, uſque ad exinanitionem ſui, ut ita dicam, factus puer, omnibus puerorum naturalibus infirmitatibus obnoxius, idque propter amorem hominum! Credimus ne iſtud miraculum? Num ſatis ineffabile miraculum iſtud cognoſcimus? Heu Domine! Humiliationis tuæ, omniaque miracula, quæ in hoc admirabili Myſterio operaris, mihi ſtuporem injiciunt. Quantumvis humana mens ea nequeat aſſequi, ratio mea mihi dicit, conſilia tua luminibus meis eſſe majora; ſed illud non aſſequor, quod homines hoc Myſterium credant, te vero non diligant. Et poſt has animadverſiones, numquid ego quoque ex eorum numero futurus ſum? *Pater Croiſet*.

Dei Verbum venit ut palam hominibus Dei gloriam patefaceret.

Æternum Verbum carnem factum hominibus Dei gloriam aperuiſſe explicite docet Sanctus Joannes Evangeliſta: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre*. Quænam illatio! non ne longe aliter Evangeliſtæ concludendum fuiſſe videtur, atque dicendum: Verbum caro factum eſt, & ſub hac mortali carne, qua circumdatus eſt, nos Divinitatis ſuæ gloriam celavit? Si enim Dei gloria palam erat hominibus aperienda, hæc omnino patefacienda erat per humiliationes Verbi; & Verbum humiliatum duntaxat efficere poterat, ut Dei glorificati excellentiam intelligeremus. Itique, Sanctus Auguſtinus arguit, niſi Sanctus Joannes dixiſſet, Verbum carnem factum fuiſſe, nequaquam dicere nobis licuiſſet, nos Dei gloriam vidiſſe. Quid eſt enim Dei gloria, de qua agitur, & in quo ſita eſt? qualia a nobis eſt hic intelligenda? Gloria hæc quæ in Deo eſt, & quam cognoſcere cupimus, non aliud eſt, quam Dei perfectiones. Ideoque oſtendere hominibus perfectiones Dei idem eſt, ac illis Dei gloriam aperire. Has autem non ne mirum in modum aperit nobis in adorabili Incarnatione ſua Filius Dei? *Chriſtiana adhortationes Patris Bourdaloue tomo* 2.

Cur Dei Filius factus fuerit creatura per hoc Myſterium.

Fatendum eſt Fideles, alioquin eſſe admodum mirum amorem, quo Deus adactus fuit, ut ſe in rerum creatarum claſſem infereret ad hoc, ut hominibus ſe conſpiciendum præberet, ac ſibi eorum tot ſumptibus caritatem redimeret. Cum enim longe ſupra nos eſſet conſtitutus, ut amorem noſtrum ad ipſum uſque non liceret nobis attollere; illi deſcendendum fuit, ut nos infirmitati noſtræ accommodaret, & per infinita ſpatia ſupremam hanc ſubmitteret Majeſtatem, propter quam nemo ad illum accedere poterat, & cui propria magnitudo quoddam veluti velum obtendebatur. *Lucem inhabitat inacceſſibilem*. Sed quot gradibus! quanto ſpatio, bone Deus! quibus intervallis deſcendendum fuit illi, ut a ſummo entium cacumine uſque ad nihili noſtri abyſſum ſe ſe demitteret? Fecit tamen, idque tribus, ut ita dicam, ſaltibus, qui in cordibus quidem noſtris amorem, in mentibus vero ciere debent admirationem. Horum primus fuit, ſe ſe nobis conſpiciendum præbere, ſe in corporearum creatarum rerum claſſem inferendo: quod omnino neceſſe videbatur, ut ſibi hominis cor conciliaret. Cum enim cognoſcas oporteat, ut diligas, omneſque cognitiones noſtræ a ſenſibus proficiſcantur; ut ab aliis amaretur, ſe ſe aliorum ſenſibus debebat ſubjicere, ut melius ab aliis cognoſci poſſet. *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, inquit Evangelium. Videbitur, ut poſſit amari. Lumen hoc in ſinu Patris fulgebat: opus fuit, ut nitor ejus imminueretur. Thronus illius elatus erat, nec ſatis ſuſpici poterat, ejuſque majeſtas nimium ſuſpicientibus terrorem afferebat. Quid ergo? Se nobis videndum præbuit: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*. Sed cum Sancto Paulo dicere poſſumus, illum ad id ita ſe ſe demiſiſſe, ut quodammodo ſemet exinaniret, accipiens ſervi ſpeciem, qui ſolus eſt Univerſorum Monarcha. *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens*. *Auctor ſermonum in omnia argumenta. In adventu*.

1. ad Tim. 6.

Luc. 3. 6.

ad Philipp. 2.

Quomodo Deus ſe videndum præbuit.

Si voluiſſet ſe hominibus in terra cognoſcendum tradere, quemadmodum beatis Spiritibus in cælo ſe tradiderat, ſatis illi fuiſſet ad id noſtram intelligendi facultatem attollere, lumine gloriæ, ut illam objecti ſui dignitati accommodaret. Sed maluit ſe ſe accommodare nobis, ac ſe ſe ſubmittere non ſolum vi noſtri intellectus, verum etiam oculis, ſenſibuſque noſtris: ſe videndum, audiendum, contrectandumque præbere, ut quidam ex Apoſtolis loquitur: *Quod vidimus, quod audivimus, & manus noſtra contrectaverunt*. Quamvis nihil tam abhorreret a Deo, quam ſub noſtris ſenſibus cadere, illum, quem naturæ ſuæ excellentia toto cælo ſuper noſtras cogitationes attollit; illum, qui propter immenſitatem ſuam mundi hujus ambitu contineri non poteſt, neque poſſet decem millibus, ſi tot eſſent, orbibus; illum, qui per eſſentiæ ſuæ ſimplicitatem magis abeſt a compoſitione, accidentibus, forma, figura, aliiſque id genus, quam lumen diſtet a tenebris! Heu! Fideles; poſt hæc cum Apoſtolo affirmare non vereor, hoc vere eſſe exinanire ſe ipſum. *Exinanivit ſemetipſum*. Non quod reipſa Deum eſſe ceſſet; ſed quia cum Deus ſit, facit ſe ſimul corporeum, ut ſe ſe nobis, ſenſibuſque noſtris accommodet. Ita ut creaturæ imbecillitas in Deum ipſum reſiliat; infirmitas quæ a quovis ente creato ſejungi non poteſt, Deo tribuatur accepta; nihilum eſſentiæ noſtræ arctatum, ac exiguis finibus circumſpectum Deo referatur. Humiliatio, dicam iterum, quæ melius ſignificari nequit, quam exinanitionis nomine, quo illam vocat Apoſtolus. *Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens*. *Idem ibidem*.

1. Joann. 1.

Dei miſericordia nobis adſtruere voluit ſublimem conceptum Myſterii Incarnationis.

Poterat ne Dei miſericordia ſe ipſam majori in luce proferre, quam in Incarnationis Myſterio? Poterat ne nobis adſtruere ſui conceptum hoc nitidiorem? Numquid aliquid uſpiam huic comparandum operata eſt? O prodigium! Sanctus Zeno Veronenſis exclamat: Deus ad pueri vilitatem redactus: cur autem? propter amorem imaginis ſuæ, propter creaturas ſuis manibus factas. Agnoſcamus Religionis noſtræ præſtantiam in eximiis documentis, quæ nobis tribuit Domini, quem colimus, & immenſæ bonitatis ejuſdem. Ethnicæ quævis Religiones in fabularum ſuarum vanitate quidquam ſimile unquam commentæ ſunt? Deos habemus ajebat quidam ex Ethnicis Sapientibus: ſed id genus Dii monſtra haberentur, ſi nobiſcum viverent, adeo vitiis diffluunt. Nos autem, Sanctus Auguſtinus inquit, Deum colimus, in quo omnia ſunt admirabilia; ſed inter hæc maxime nitet amor illius. Unicum Incarnationis Myſterium ſufficit ad omnem idololatriam, omnemque Ethnicorum ſuperſtitionem confundendam. Nam ut ſcite Sanctus Gregorius Nyſſenus animadvertit, vera religio eſt de Deo ſentire juxta Dei naturam, ac dignitatem. Hoc autem Myſterium efficit, ut ita de miſericordia Dei ſentiamus, ut humanæ menti ſublimiorem fovere conceptum non liceat. *Adhortationes Chriſtianæ Patris Bourdaloue tomo ſecundo*.

Per affinitatem quam cum J. C. in Incarnatione contraximus, fratres ejus evadimus.

In hoc Dei incarnati Myſterio peculiarem cum ipſo contraximus affinitatem, per quam evadimus Fratres Filii Dei, & ipſe Frater noſter. Neque ſolum per hoc fœdus fratres illius ſumus, ſed membra, & cum hoc Deo homine unum tantummodo Corpus efficimus. Vinculum, per quod inter ipſum, & nos adeo perfecta coaleſcit unio, ſtatua eſt humiliationis, & exinanitionis, ad quem pro nobis in Incarnatione ſua deſcendere dignatus eſt. Si e gloria ſua non fuiſſet egreſſus, noſtræque ſimilem carnem induere detrectaſſet, ſemper ille noſter eſſet Deus, & nos illius creaturæ: ſed nunquam tantam hanc aſſecuti fuiſſemus dignitatem, ut illi tamquam fratres, vel membra hæreremus. Illi ergo adeo prope conjuncti ſumus, quia ille venit ad nos, & uti nos, factus eſt parvulus. Quam pretioſæ nobis eſſe debent hæ Incarnati Dei exinanitiones, quia iti nos extulit, & tantam nobis ſalutem attulere? Tamen cum ille nobis exhibeat illas imitandi, & in earum partem accedendi occaſionem, quomodo ipſi affecti ſumus? Levis quilibet contemptus, levis injuria, licet ut ſæpe accidit commentitia, nos conficit, ac replet amaritudine. In iras exardeſcimus, vel ſi dolorem quo conficimur, diſſimulamus, hic ſemper animo nobis obverſatur, eumque ubique geſtimus. Num hæc nos docuit Dei Filius? hæccine remuneratio eſt, quam Deo pro nobis exinanito debemus? *Pater Bourdaloue in Aſceticis receſſibus*.

Quare Dei Filius factus ſit homo.

Quare Verbum Dei, quod in Patris ſui ſinu permanebat, ubi infinita perfruebatur felicitate, inde egredi voluit, & in mortali corpore inhabitare, ubi Divinitas ſua tamquam in Templo, ſuoque reſidet domicilio? Ut cum hominibus converſaretur, ut cum illis de ipſorum ageret ſalute, ut illos in beatitudinis ſuæ partem arceſſeret, cum antea inacceſſibile lumen habitaret; hac de cauſſa in carnem mortalem deſcen-

Digitized by Google

deſcendit, ut noſtræ indulgeret infirmitati, nobiſque ad ſe facilem præberet acceſſum. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Hactenus, ut Sanctus Joannes inquit, nemo Deum viderat; ſed Unigenitus illius, qui in ſinu ejus latebat, inde prodiit, ut nobiſcum familiariter verſaretur. Factus eſt homo ſimilis nobis; ſuam nobis Divinitatem præbuit conſpiciendam, atque contrectandam: ſe nobis viſibilem præbuit, atque palpabilem, nobiſque divina aperuit ſacramenta. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit nobis.* O admirabile inventum Sapientiæ Dei! Incomprehenſibile bonitatis ejuſdem munus! Verbum incarnatum, quis ſatis amare te poteſt, tibi benedicere, te laudare eo, quod inveneris artem adeo admirabilem temet noſtris ægritudinibus onerandi, & in divitiarum tuarum partem nos evocandi. Si permanſiſſes in cælo, quis mortalium ad ſolium tuum potuiſſet aſcendere? Si deſcendiſſes, ut olim, nubibus, fulgoribus, fulminibuſque ſeptus, quiſnam auſus fuiſſet accedere? Sed cum temet adeo facilem, humilem, et manſuetum præbueris, numquid excuſari poſſum, ſi neglexero gratiam patiendi non ſolum ut pedibus tuis obvolutum me ſiſtam, verum etiam, ut tecum arctiſſima affinitate conjunctus adhæream. *Pater Novet in Meditationibus.*

Dei verbi æqualitas cum Patre.

Sicut Dei Filius ab Æterno Patre divinam naturam recipiens, omnes etiam Dei recepit perfectiones; ita jus eſt illi ex ipſo Incarnationis momento recipiendi cultum, & honorem, qui Deo tantum debeatur; & illi hunc adhibere tenemur: *Et adorent eum Angeli ejus.* Hunc illi præſtare omnes Angelici ſpiritus jubentur: *Ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem.* Hoc ipſum hominibus præcipitur, qua in re ſi defecerimus, nos aliquando illi obſequium noſtrum impendere coget. Nam, ut ſanctus Paulus ait. *Omnes enim ſtabimus ante Tribunal CHRISTI. Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu; & omnis lingua confitebitur Deo.* Hinc conjicite quanti momenti ſit opus redemptionis noſtræ: ad hoc enim, ut bene verteret, opus erat ut tota ſapientia, potentia, auctoritas, & imperium Dei ipſius impenderetur. *Idem.*

Hebr. 1.

Joann. 5.

Rom. 14.

Fecit Deus ut ſupremæ ejus potentiæ in Myſterio Incarnationis eluceret.

Quam virtutem, & poteſtatem requirebat in Deo magni hujus Operis, Incarnationis videlicet, complementum? Quem conatum, & quod dexteræ Altiſſimi portentum? Homo Deus a Virgine Matre conceptus; videlicet in eadem perſona, in eodem JESU CHRISTO Divinitas cum noſtra humanitate conjuncta; celſitudo cum humilitate; finitum cum infinito; eſſe cum nihilo; & in Matre eadem Maternitate cum Virginitate; Hoc vere opus eſt Dei. Quidquid fecerat in univerſo terrarum orbe, juxta Scripturarum verba, ludus erat: hic autem tota ſeſe effundit, quantacumque eſt illius omnipotentia, & efficit, ut in Dei pueri infirmitate tota illius fortitudo colluceat. *Adhortationes Chriſtianæ Patris Bourdaloue tomo primo.*

Dei Filius ſe ipſum humiliavit, & exinanivit ſervi formam aſſumens.

Servi forma, quam Dei Filius aſſumpſit, eſt humana natura, per quam factus eſt inferior, & ſubditus Patri. Exinanivit ſe hanc formam accipiens, quoniam homo factus, factus eſt creatura, & creatura quæ per ſe nihil eſt per originem, nunc quoque nihil eſt, dum comparatur Creatori, in quo fons eſt, & plenitudo cujuslibet eſſentiæ. Exinanitionis nomine altiſſimam ſignificat Apoſtolus humiliationem, neque major concipi poteſt illa Dei hominis facti. Hic enim ſe hominibus ſimilem fecit, quia vere illius naturam aſſumpſit, & habitus fuit ut homo, ex iis omnibus, quæ extrinſecus in illo viſa ſunt; nam præter crimen, omnes ſubire dignatus eſt hominis infirmitates, cujuſmodi ſunt fames, ſitis, laſſitudo, mors. Nec hoc in ſpeciem duntaxat: erat ille, quod videbatur; cumque id eſſet propter hominis ſalutem, opus erat, ut oculis eorum videretur, quod reapſe erat per aſſumptam naturam. Tamen ſervi forma, quæ illum Patri inferiorem conſtituit, non delevit, aut imminuit in illo formam Dei, per quam æqualis eſt Patri. Nihil immutatus fuit per naturam, quam induit, ſed ipſe hanc naturam mutavit, illam attollens mirum in modum per naturæ divinæ ſocietatem. Societas iſta peracta eſt ſine perturbatione, & commixtione, neque enim ex duabus naturis una tantum effecta eſt, quod hæretici nonnulli effutire auſi ſunt; ſed humana natura ſimul cum Divina conjuncta fuit, in eadem JESU CHRISTI perſona, qui Deus ſimul, & homo eſt, Deus ab æterno per divinam Nativitatem; homo autem in tempore per Incarnationem. *Terneaux in anno Chriſtiano, tomo 3.*

Dei Filius factus eſt homo, ſeque immolavit propter homines, ut illos redimeret, & de peccati eximeret ſervitute.

JESUS CHRISTUS non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium Sanguinem introivit in ſancta æterna redemptione inventa. Satin' intelligemus quid hæc ſignificent Verba? & ſi intelligimus, num quid credimus? Deum hominem factum propter homines; & hunc Deum hominem, ut homines eximeret de ſervitute dæmonis, ut eos Patri ſuo reconciliaret, & participes faceret æternæ hæreditatis ſemet pro illis in Cruce immolaſſe; cum nulla præter hanc victima eorum expiare poſſet peccata, iiſque vitam æternam promereri. Hoc unum illud erat ſacrificium, quod iram Dei mulcere, ejuſque juſtitiæ ſatisfacere poſſet; unum quod nobis poſſet auferre ſervorum ſquallorem, & in filiorum Dei libertatem vindicare. Sacrificium hoc oblatum fuit, cujus cruenta victima ipſe fuit JESUS CHRISTUS. Sancivit ille Sanguine ſuo fœdus inter Deum, hominesque percuſſum, cumque per Teſtamentum ſuum ſcripſiſſet nos cæleſtium bonorum hæredes, voluit, ut per mortem ſuam nos ad illa jus conſequeremur. Hoc eſt fidei noſtræ compendium in ſublimi hoc Myſterio; quod incomprehenſibile eſſe fatemur. *Pater Croiſet in Aſceticis tomo 3.*

Salvator per Incarnationis ſuæ humiliationem Dei nomen promeritus eſt.

Prædixerat Iſaias fore ut CHRISTUS Deus vocaretur, & Angelus Sanctæ Virgini nunciaverat, fructum ex eadem naſciturum, vocandum eſſe Dei Filium. Hoc eſt nomen illud alio quovis nomine ſublimius quod per humilitatem, atque obedientiam ſuam meritus eſt JESUS CHRISTUS. Neque ideo dixeris, illum non fuiſſe Deum ante mortem ſuam; quoniam Deus eſt ab æterno. Natura humana, quam aſſumpſit ex ipſo primo Conceptionis articulo naturæ divinæ adhæſit. Ex hoc igitur temporis momento, homo hic, quem ille pro noſtra ſalute induit, Dei nomen accepit; & Filius Mariæ factus eſt Altiſſimi Filius, eodem articulo, quo Filius Altiſſimi fieri dignatus eſt Filius Mariæ. *Idem.*

JESUS ex primo vitæ ſuæ momento Æternum patrem ſuum adorat.

JESUS beato eo temporis articulo ſupremam intuitus excellentiam, infinitamque Dei Majeſtatem haud cunctanter illum adorat, & humiliter ſe illi ſubdit quatenus Creatori, & glorificatori ſuæ humanitatis. Tunc viſum eſt quod non antea neque in cælo, neque in terra viſum fuerat. Deus adorans, & Deus adoratus; Deus obſequens Deo, eique dignum Dei magnitudine adhibens cultum. Factum hoc admiramini, quod ſtuporem incutit Angelis, & ſatis abunde ſarcit injuriam, quam Lucifer per ſuperbiam ſuam intulerat Deo. Socios vos addite aulæ cæleſti, neque fatigemini centies canendo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Deus exercituum, Benedictio, gloria, ſapientia, gratiarum actio, honor, potentia, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum.* Profundum hoc obſequium, quo JESUS Patrem Æternum colit, oritur ex perſpicua cognitione, quæ illi eſt magnalium Dei: Supremi hujus Entis ſanctitas, dignitas, præſtantia animam ipſius in inexplicabilem exinanitionem projiciunt, atque, abſit invidia verbo, in reverentiæ abyſſum detrudunt. Omnes Sancti ſimili ratione affecti ſunt, quo propius accedunt ad Deum, eo magis illum cognoſcunt; & quo magis cognoſcunt, eo magis reverentur, & altius ſe coram eodem proſternunt. *Pater Novet tom. 7. Meditationum.*

J. C. nequit nobis ſublimiorem gloriæ patris ſui conceptum adſtruere quam ſe hominem faciens.

Mundi Salvator humanum, & viſibile corpus aſſumens, ac ita altiſſimas nobis Dei perfectiones aperiens, maximum in nobis ciet divinæ gloriæ conceptum. Ita ut nulla habita ratione paſſionis, mortiſque ſuæ dicere poſſit ex ipſo Sanctiſſimæ Incarnationis ſuæ momento Patri ſuo: Pater, inchoavi jam illud officium, pro quo a te miſſus ſum, ut te videlicet mundo traderem cognoſcendum. Ad id unum ingredior, neque egrediar, niſi maximi hoc momenti officium explevero. Omnino enim neceſſe eſt, ut ab hominibus agnoſcaris; quippe ignorantia Creatoris ſui, & primæ cauſſarum omnium, in qua verſantur, eſſentiale eſt in natura malum, & malorum omnium principium. Idcirco hodie venio, ut homines me intuiti, in me gloriam tuam intueantur; & lumen, quod affero, ſeſe in terram univerſam effundat, ac tenebras, quibus obruta eſt, omnino diſcutiat. *Adhortationes Chriſtianæ Patris Bourdaloue Tomo ſecundo.*

Comparatio Corporis Verbi in Incarnatione cum corpore primi hominis.

Corpus Adæ opus Dei eſt, qui per ſemet, ſuiſque manibus illud effingit; & corpus incarnati Verbi opus eſt Spiritus ſancti, illius materiam præparantis, & organa omnia diſponentis. Primum illud ex argilla virgine effingitur, nulla mortalium corporum corruptione coinquinata. Alterum hoc effingitur ex puriſſimo Sanguine Virginis, quæ terra alia ſancta eſt, quæ non alium fertilitatis ſuæ fructum habuit, quam Deum. Adam homo eſt ex prima die; & corpus ejus illico perfectum eſt. Filii corpus in ictu oculi compactum fuit, & licet apiculam magnitudine non excedat; tamen homo perfectus appellari poteſt, non quidem ætate, nec magnitudine corporis, ſed magnitudine Spiritus, & Sapientiæ. *Pater Novet in meditationibus. Tomo ſeptimo.*

JESUS videns miſerum humani generis ſtatum miſertus eſt noſtri.

JESUS in ipſo Incarnationis articulo conjiciens oculos in præteritum, præſens, & futurum videt miſerum humani generis ſtatum, ac intuitus hinc quidem cælum obſtructum, inde vero infernum peccatoribus catervatim illuc per terribilem cæcitatem in præceps ruentibus apertum, eorum calamitatem ita miſeratus eſt, ut ex eo momento de illo dici poſſit: *Videns turbas miſertus eſt eis: quia erant vexati, & jacentes ſicut oves non habentes Paſtorem.* Sed ex omnibus hominum ærumnis peccatum maxime eum mœro-

Matth. 9.

re

re conficit. Conſiderat illud tamquam malum, quod
eſt quodammodo infinitum, ſed quod infinitam lædit
Majeſtatem, ſeu quod hominem infinito bono privat;
eaque conſideratio in corde ejus ſuccendit zelum ho-
noris Dei, quo conficitur, incredibilem humanorum
criminum dolorem, urgens eorum delendorum deſi-
derium, ardentiſſimam cupiditatem tradendi omnibus
hominibus parentis ſui cognitionem, eoſque ad illius
amorem impellendi. *Idem ibidem.*

JESUS in Incarnatione ſua ſibi provinciam vindicat ſatisfaciendi Juſtitiæ Patris ſui.

JESUS ſubit onus peccatorum noſtrorum, ſibique
vindicat provinciam ſatisfaciendi Juſtitiæ Dei, videns
hanc eſſe Patris ſui voluntatem dandi ipſum mundo
Redemptorem, ad gloriam ſuam reparandam, ac ju-
ſtitiæ ſuæ ſatisfaciendum, peramanter hoc ſibi depo-
ſcit munus ex tunc in ſe ſarcinam criminum noſtro-
rum ſuſcipiens. Integrum erat illi vitam gloria, &
felicitate plenam deligere, quæ ſuam deceret majeſta-
tem; unicum enim cordis ejus ſuſpirium ſatis erat ad
veniam peccatorum omnium obtinendam; ſed ultro
hanc abdicat, ut ſeſe adducat in pœnitentiæ ſtatum,
& pro nobis ſatisfaciat Juſtitiæ Dei, omnes rejicit
voluptates, honores, & mundi divitias. *Idem.*

Libenter ad id accipit omnes labores omneſque mundi miſerias.

Neque illi ſatis eſt hæc omnia propter amorem no-
ſtri rejicere, verum etiam ultro omnes amplectitur
labores, paſſiones, ignominias, omneſque mundi mi-
ſerias, mortem etiam turpiſſimam atque truculentiſſi-
mam. Ex vita ſua ſibi jugem efficit crucem, cujus
omnia momenta totidem ſunt Sacrificia, per quæ ſe
pro nobis immolat, ac ſuppliciis, ac doloribus con-
ficit. Crucem quidem amplectitur, non tamen eligit,
accipit illam de manu Parentis ſui, eamque accipit
obſequentiſſime, ut per obedientiam vivat, atque mo-
riatur. Omnibus ſe ſubdit nutibus ejus, omnia ejus
adorat judicia, & quaſi nulla ſibi voluntas eſſet, du-
ci ſinit voluntate Patris in ſingula vitæ momenta in-
ſtaurans eidem placendi deſiderium. *Quæ placita ſunt
ei, facio ſemper. Idem.*

Venerari debemus Salvatorem in hoc humiliationis ſtatu, ad quem ſe propter amorem noſtrum redegit.

Dei Filius eo magis meretur obſequia noſtra in hoc
humiliationis ſtatu, ad quem redegit ſe per Incarna-
tionem, quo magis propter amorem noſtrum ſemet-
ipſum exinanivit. Illum igitur in hoc ſtatu majori,
qua fieri poteſt reverentia, colamus; noſtra cum An-
gelorum obſequiis conſociemus, qui, ſancto Paulo
reſte, illum in ipſo Incarnationis ejuſdem exordio ve-
nerati ſunt: licet propter illos nequaquam caro fa-
ctus fuiſſet: *Et cum iterum introduxit primogenitum in* (Ad Hebr. 1.)
orbem terræ dixit: & adorent eum omnes Angeli ejus.
Ad id autem longe potiori jure tenemur nos, ad
quos hoc beneficium unice pertinet, & propter amo-
rem quorum ille ſeſe ad hanc exinanitionem redegit,
quam Angeli admirantur, licet minime intelligant.
Te igitur adoro, Salvator, in hoc ſtatu humiliationis
ea majori, quæ per creaturam adhiberi poſſit, reve-
rentia, confitens ſupremum Eſſentiæ tuæ imperium,
Majeſtatis tuæ celſitudinem, omnimodam quam tibi
debeo in hoc ipſo altiſſimæ tuæ humiliationis ſtatu
obedientiam. Obſequia mea cum illis conjungo, quæ
Sancti omnes tibi in hoc ſtatu præſtiterunt, profi-
teorque, quandoquidem infra nihilum me dimittere
mihi non licet, me cupere ad nihilum reverti, ſi
hinc aliqua fieri poſſit gloriæ tuæ acceſſio. *Societas
ad amorem Domini poſtulandum.*

Salvator ab ipſo Incarnationis ſuæ exordio incipit mereri.

Dei Filius in ipſo ſuæ Incarnationis exordio mereri
poterat; & ex eo temporis articulo pro nobis meri-
tus eſt inexhauſtum gratiarum, ac ſpiritualium divi-
tiarum theſaurum. Mens illius cæleſtibus erat lumi-
nibus illuſtrata: voluntas, licet impeccabilis, perfe-
cte in bonum erat libera. Sanctus erat ſecundum
ſuam humanitatem non ſolum per gratiam ſanctifican-
tem, ſed longe nobiliori modo per increatam ſancti-
tatem, quæ eſt omnium gratiarum origo. Viator erat
æque ac comprehenſor; & cum glorioſa illius anima
in corpore paſſibili, ac mortali pati eſſet ferendo, ne-
ceſſaria illatione par etiam erat merendo. Habebat
ille promiſſionem Patris, qui ex tunc illi ſuas vo-
luntates aperuit, hæc dicens: *Filius meus es tu &c.* (Hebr. 10.)
quibus amabilis hic Filius, Deus hic Incarnatus reſ-
pondit, *Hoſtiam, & oblationem noluiſti. Tunc dixi:
Ecce venio.* Admiremur quæſo hunc Hominem Deum
in ipſo ſuæ Incarnationis momento de omni dæmo-
num poteſtate triumphantem, Inferorum oſtia clau-
dentem, & cæli valvas reſerantem. Univerſa lucra-
tur, nobiſque plura momento hoc adipiſcitur bona,
quam omnia pendi valeant terrarum imperia. *Pater
Novet in Meditat. tom. 7.*

Quid ſit nobis intelligendum per hæc verba: Verbum caro factum eſt. Joann. 1.

Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, ait
ſanctus Joannes Evangeliſta. Sed quid mihi per hæc
verba intelligendum eſt? Intelligere debeo illum, qui
omni caret principio, incipere eſſe; illum, qui æter-
num permanſit in Patris ſui ſinu, novem menſium
ſpatio clauſum delituiſſe in Virginis ſinu; qui Deus
eſt, factum fuiſſe hominem, nobiſque ſimilem; &
eum, per quem facta ſunt omnia, factum fuiſſe in
tempore. Si hoc Myſterium tranſilit terminos intelle-
ctus noſtri; ſaltem adorantes illud conemur intellige-
re quid coegit Deum, ut tot hæc, tantaque miracu-
la operaretur. Totum hoc miraculum ad nos perti-
net, & propter nos unice factum eſt. Sanctus Paulus
Apoſtolus docet Dei Filium ſe pro nobis tradidiſſe:
Dedit ſe pro nobis redemptionem, ut expiaret nos ab (Ad Tit. 2.)
omni iniquitate, & faceret ex nobis ſibi populum ac-
ceptabilem. Hæc nobis ſemper obverſari debet animo
cogitatio meditantibus Myſterium hoc incomprehenſi-
bile. In iis omnibus, quæ accidunt, non alia Dei
mens eſt, quam ad hominum ſalutem cooperandi, te-
ſtandique illi amoris ſui Magnitudinem. In hoc My-
ſterio cogitare poſſumus quidnam Deus nobis fuerit
largitus; & ibi intueri, quid pro nobis fecerit Filius
Dei, & quæ ſui erga nos amoris argumenta contule-
rit. *Lambert tomo 5. Anno Evangelici.*

Quam parum in mundo cognoſcatur Deus, quidquid ille fecerit, ut cognoſceretur.

Nonne mirum eſt JESUM CHRISTUM adeo pa-
rum in mundo cognoſci? Quod enim mundus voca-
tur, ſectatores mundi, mundi mancipia, mares, &
feminæ mundi ſpiritu repleti, cognoſcunt ne Deum?
Nonne illum ſe ignorare, vel oblviſci illius profiten-
tur? Nonne vivunt, quaſi non eſſet Deus; & præci-
puum illorum principium nonne eſt pro viribus illius
memoriam delere, & de eo nunquam fere cogitare?
De hoc conquerebatur dilectus diſcipulus ſanctus Joan-
nes, ubi explicat æternam, ac temporalem Filii Dei
generationem; *In mundo erat, & mundus per ipſum* (Joann. c. 1.)
factus eſt, & mundus eum non cognovit. Hoc ipſum
JESUS CHRISTUS conquerebatur apud Patrem: *Pa-* (Joann. c. 17.)
ter juſte, mundus te non cognovit. Quidquid egi, ut
illis annuntiarem magnalia tua, prævaluit cæcitas eo-
rum, & mundus ſemper manet involutus in tenebris
ſuis. Deplorabilis cæcitas, Salvianus exclamat, cæci-
tas quæ eo procedit, ut nihil Deo deterius exiſtime-
tur. Amittitur Deus ſine lacrymis; haud ægre procul
arcetur; illi minimum quodvis lucellum præfertur,
minima voluptas, minima oblectatio. Gratia ejus &
odium nullo ſunt nobis in diſcrimine. Quorſum iſtud?
Semper eamdem ob cauſſam; quia mundus nunquam
illum cognovit; ſi enim cognoſceret Deum hunc adeo
miſericordem, ſapientem, potentem, juſtum, & ſan-
ctum, nequaquam vita duceretur exlex, non ita paſ-
ſim ruerent mortales in tantam morum corruptelam;
non accederent ad aras ad illi contumelias inferen-
das; in honore haberetur cultus ejus, ac Templum,
lex ſervaretur, & ultiones illius metuerentur. Sed
quia mundus illum adſectat ignorare, nihil eſt adeo
abnorme facinus, a quo mortales abſtineant. *Pater
Bourdalove tom. 5. Adhortationum Chriſtianarum.*

J. C. anima adhæret perſonæ divinæ.

Anima JESU CHRISTI cum Verbo Divino pri-
mum conjungitur in ipſo Incarnationis momento; ſeu
quod hæc præcipua pars eſt illius humanitatem con-
ſtituens; ſeu quod anima primum corrupta fuit pec-
cato, quod Verbum deleturum erat; ſeu tandem,
quod cum libera ſit in operationibus ſuis, capax eſt
etiam merendi, cum corpus non mereatur, niſi qua-
tenus organum eſt ad pie, ſancteque agendum. Qua-
mobrem ſi Verbum corpori tantum adhæſiſſet, non ani-
mæ; anima quidem par fuiſſet promerendo aliquid re-
munerationis; ſed capax minime extitiſſet meriti infi-
niti; quandoquidem ideo ſancta eſt infinita ſanctitate,
quia adhæſit perſonæ Verbi. *Pater Novet.*

Sacrum Corpus JESUS cum divina illius perſona conjunctum.

Verbum animæ adhærens, per hanc ſimul adhæret
& corpori; ſeu ut inde fiat victima pretii infiniti,
quam ſemel offerat Patri in Calvario, & quotidie in
Ara uſque ad mundi finem, ſeu ut præparet divinam
Eſcam, Panem vivificantem, ad alendas animas no-
ſtras ad immortalitatem. Ubi animadvertendum eſt,
Corpus Filii Dei recipere in hoc temporis articulo
triplex vitæ genus. Primum eſt vita naturalis, quam
obtinet ab anima ſibi inhærente. Alterum eſt vita
moralis, quæ non aliud eſt, quam communio merito-
rum animæ, cum qua init ſocietatem. Tertia eſt vi-
ta divina, & vivificans, quam obtinet a Verbo, quod
eſt vita per eſſentiam, & efficit ut cum Sacrum hoc
Corpus nobis tribuatur in alimoniam, vim habeat
animas noſtras vivificandi, & corpora reſuſcitandi.
Ex triplici hoc vitæ genere, primum duntaxat ami-
ſit; duo reliqua in ſepulcro conſervata ſunt, & ma-
nent etiam in Euchariſtia, ubi Panis hic vivus nobis
communicat merita, & vitam JESU CHRISTI, cum
accedimus ad illam cum iis diſpoſitionibus, quæ re-
quiruntur. *Idem.*

Intentio Filii Dei in ſua Incarnatione.

Conſideremus paulisper, Fideles, quid intenderit
Dei Filius per hanc humiliationem; atque intellige-
mus ſaltem magnitudinem amoris ejus, qui illum ad
tantam humilitatem perduxit: Non venit Deus in ter-
ra, ut majeſtatis ſuæ fulgorem oſtenderet; hæc non
erat mens illius: ſed, ut amor ſuus hic triumpharet;
neque nobis ſeſe obvium dare poterat in ſtatu, qui
aptius hoc nobis oſtenderet, quam in Incarnatione,
& in conjunctione ipſius cum humana natura. Cum
oſtendere voluit potentiam ſuam, creavit Cælos, So-
lem, & hanc Aſtrorum multitudinem, quæ nobis il-
lius reſtantur magnitudinem: *Cæli enarrant gloriam Dei*: (Pſalm 18.)
Sed bonitas ejus præſtat oppoſitum, ut ſibi corda no-
ſtra concibet: Se ſe demittit; Deus hic fit homo, ut
illiciat corda noſtra; ita ut ſeſe communibus cetero-
rum hominum infirmitatibus ſubjiciat; & bonitas hæc
tantam vim facit in illa, quantam Dei potentia in
no-

noſtras efficit mentes. Ita Deus, cui compertum, atque exploratum erat cor humanum, voluit ſeſe nobis offerre ſub hominis forma, quia ſe a nobis voluit amari. O Dei humiliatio; quam mirifice oſtendis, quidquid in ipſo ineſt amabile! Quam palam amorem illius prædicas, & quam fortiter illi noſtrum conciliasi *Idem in Adventu ſuo.*

Quomodo exſerint J.C. conſilia, quæ cœpit ſe hominem faciens.

JESUS CHRISTUS deſcendit inter nos, & vivere voluit in medio noſtri, ut prædicaret in Mundo gloriam Patris ſui; ſed numquid labentibus ſæculis illum ſua expectatio feſellit? Haud ita ſane. Sed præter perverſum Mundum hunc, qui obſtruit oculos tuos, ne videat lumen, quod attulit nobis Mundi Salvator; alius eſt Mundus, Mundus fidelis, Mundus prædeſtinatus, parvulus Juſtorum, & Electorum Mundus. Hos ſibi reſervavit JESUS CHRISTUS, hodieque ſibi reſervat. His datum eſt Dei Myſteria cognoſcere, illud vero potiſſimum Dei hominis facti. Ita eſt, Sanctus Bernardus ait, hoc ſpectat ad vos, qui humiles eſtis, ad vos, qui ſubjecti eſtis, & verbo ejus audientes, ad vos, qui modum ſervatis in conditione veſtra, & qui voſmet non quæritis attollere ſuper vos per ambitionem, ad vos, qui vobiſmet invigilatis, omnibuſque operibus veſtris, ad vos denique, qui meditamini perfectiones Dei veſtri, & legem illius adimpletis: *Pater Bourdalove in Chriſtianis Adhortationibus Tomo 2.*

Bonitas Sapientia, & potentia Dei in Incarnationis Myſterio collucent.

Verbum Caro factum eſt. En tribus verbis totum Incarnationis Myſterium, in quo Sapientia, bonitas, & Dei potentia æque collucent. Bonitas quidem, quæ illum cogit, ut ſeſe totum homini impendat ſine exceptione, ita ut per ineffabilem hanc communicationem homo ſit re ipſa Deus, ac Deus vere ſit homo. Omnes igitur homines, præſertim vero Chriſticolæ agnoſcant dignitatem, amplitudinem, quæ cedit illis ex arcta hac affinitate, quam eorum natura cum divinitate contraxit. Sapientia ejus elucet ex qualitatibus, quas in Salvatoris perſona conjunxit. Ipſe Deus, & homo ſimul eſt. Niſi Deus fuiſſet, non potuiſſet ille nobis promereri tot gratias, quibus indigebamus. Niſi fuiſſet homo, non potuiſſet ille pro nobis divinæ Juſtitiæ ſatisfacere. Quatenus Deus, nobis tribuit ſuppetias, quibus carere non poſſemus. Quatenus homo nobis tribuit exemplum, quod nobis eſt neceſſarium. Elucet ejus potentia in conjunctione rerum earum, quæ ſimul eſſe non poſſe videntur; Divinitatis cum humanitate, Virginitatis cum Maternitate. Bonitatem hanc admiremur, & diligamus. Quantum fieri per nos poterit, imitemur Sapientiam. Potentiæ vero noſmet ſubjiciamus; ſinamus illam in corda noſtra agere, neque reſiſtamus illi. *Moralis novi Teſtamenti Patris la Nauville.*

Quale ſit Verbum Incarnatū in ordine naturæ, in ordine gratiæ, & unionis hypoſtaticæ.

Contemplemur, quæſo, adorabilem Salvatorem noſtrum in primo ſuæ Conceptionis inſtanti. Quid tunc erat divinum hoc objectum? In ordine naturæ infans erat, non ſecus ac alii filii Adæ: ſed infans, qui ex tunc rationis particeps erat in corpore perfectiſſimo. In ordine autem gratiæ, anima ejus immunis erat a peccato, virtutibus omnibus naturalibus, & ſupernaturalibus repleta, iiſque in gradu præſtantiſſimo. Denique in ordine unionis hypoſtaticæ erat Homo Deus; videlicet homo ita perfecte Deo adhærens, ut ejus humanitas in omnia Divinitatis jura ingrederetur. O Myſterium admirabile! O abyſſum Sanctitatis, gratiæ, bonitatis, clementiæ, & amoris! Væ animæ Chriſtianæ, quæ vel unum vitæ ſuæ diem præterire fuerit paſſa, quin adoret cum gratiarum actione divinam hanc humanitatem, quæ fundamentum eſt adoptionis noſtræ, & fons inexhauſtus omnium benedictionum, quas accepimus, & Cælitus excepturi ſumus! *Ibidem.*

Dei miſericordia in Incarnationis Myſterio collucet.

In Incarnatione Filii Dei miſericordiam ejus admirati ſumus, quia noſtram induit naturam, ac in ſe noſtras recepit ærumnas. Juſtitiam quoque venerati ſumus; eſt enim homo pro hominibus ſatis faciens, eoſque liberans a dæmonum ſervitute. Verum ſi duplex illa perfectio coaluit unquam in aliquo opere, eæ in pœnitentia eluxiſſe dicendæ ſunt. Hæc enim virtus admirabilis eſt miſericordiæ, & juſtitiæ commixtio; & qui intus ejuſdem naturam perſpexerat, affirmare non poterit, utra earum ibi præ altera niteat. Hoc fuit miſericordiæ adinventum; Deus enim lacrymis noſtris ſe flecti patitur, criminum noſtrorum obliviſcitur, ut nos meminerimus; elicit ea noſtra mobilitate ſalutem, ex naufragio noſtro tabulam, & nos invitat, ut ad hanc medicinam confugiamus

Tertull. lib. de pœnit.

pollicitationibus Sacramento roboratis: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat.* Quod Tertullianum impulit, ut exclamaret: *O nos beatos, quorum cauſſa Deus jurat! o miſerrimos, ſi nec Deo juranti credimus!* Itaque Pœnitentia eſt merus effectus miſericordiæ, & Tertullianus idem eos damnans, qui in illius ſeveritatem evomebant blaſphemias, jure docuit hanc pro gratia potius eſſe habendam, quam loco ſupplicii. *Quod ſævitiam exiſtimas, gratia eſt. Panegiricæ Orationes Patris Senault ex Oratorii Tomo 2.*

Dei Filius ſe faciens Filium hominis attollit nos ad dignitatem filiorū Dei. Joann. 1.

Quinam fieri poteſt, ut homo extollatur uſque ad dignitatem filiorum Dei? Vin' ſcire, quid procuraverit homini tantum honorem, quo erat indignus? Audi quomodo id fieri potuerit: *Et Verbum caro factum eſt.* Ex quo Dei Filius dignatus eſt fieri Filius hominis, mirum non eſt Filium hominis factum fuiſſe Filium Dei. *Verbum caro factum eſt.* Hæc cauſſa eſt liberationis noſtræ, ac felicitatis. Carnis vocabulum ſæpe totum ſignificat hominem in Scripturis. Cum

Luc. 2.

dicit Evangelium: *Videbit omnis caro ſalutare Dei*, ſignificat hoc viſum iri ab omnibus hominibus. Evangelium non loquitur niſi de eo, quod abjectiſſimum eſt in homine, ut hinc intelligamus, quouſque Dei Filius ſeſe propter nos humiliaverit noſtram naturam aſſumens. Quæ enim fingi comparatio poteſt inter Verbum Divinum, & carnem mortalem, ac perituram; Deum inter & hominem; inter Creatorem, & creaturam? Et quid non debemus ipſi Filio Dei, qui dignatus eſt ſubire pondus infirmitatum noſtrarum indutus carne corruptibili; quin ulla in nobis extarent merita, in quorum gratiam nobis adeo ineffabile munus elargiretur? *Lambert, Tomo 5.*

Præcipuæ qualitates, quæ conveniunt Verbo Incarnato privative quoad aliud quemlibet. Iſai. 33.

JESUS CHRISTUS ex ipſo ſuæ Conceptionis primordio factus eſt Rex noſter, Dominus, & Judex. Scriptura ſtatim his illum titulis colit. *Dominus Legifer noſter; Dominus Rex noſter. Ipſe ſalvabit nos.* Illum ſub his titulis veneremur; ſed ſciamus, Regnum illius de hoc Mundo non eſſe; neque hic operum noſtrorum mercedem præſtolemur. Natura, & dæmon jam inſurgunt adverſus Regem hunc, pro quo nos ſtare profitebimur. Utram partem ſequemur? pro qua ſumus dimicaturi? Hic infans Deus noſter eſt Pontifex. Pater ipſius ſacrum hunc illi contulit characterem, ſuper Sanctam illius humanitatem totam Divinitatis unctionem effundens. In ipſo intemeratæ Virginis ſinu, ac primo ſuæ Conceptionis articulo primum obtulit Sacrificium: in quo ipſe unus ſimul fuit Sacerdos, Victima, & Altare. Ex illo ipſo noſter quoque Mediator eſt. Tunc munere hoc fungi cœpit, neque deinceps illud unquam interpellavit, neque interpellabit. *Semper vivens*, Apoſtolus ait, *ad*

Ad Hebr. 7.

interpellandum pro nobis. Ex illo JESUS CHRISTUS eſt Sponſus noſter. Vetus, ac novum Teſtamentum æque illum nobis exhibent hac ornatum ſuaviſſima qualitate cujus vi contrahit cum animabus noſtris arctiſſimam affinitatem, ſeſe illis conjungens ſacris vinculis caritatis arctiſſimæ. Propter Sanctam Incarnationem ſuam eſt etiam frater noſter, ſicuti noſtrum caput, & prototypus eſt, quatenus Verbum Incarnatum. Neque enim in Calvario tantum noſtrum eſt exemplar, ſed fuit ab ipſo Conceptionis ſuæ momento in ſinu Deiparæ. *Moralis novi Teſtamenti Patris Neuville Tomo 1.*

Mens Filii Dei in mundum venientis.

Cum Filius Dei carnem aſſumpſiſſet, vivere voluit, non ſolum ut nos per ſuam Incarnationem, mortemque redimeret, verum etiam ut nobis eſſet exemplo Sanctæ vitæ, ut nos mores noſtros componentes ſecundum hoc eximium exemplum, poſſemus vitæ ratione immutata mereri gloriam, quam ille nobis Sanguine ſuo comparavit. In terris viſus eſt non ſolum quatenus Salvator, ſed quatenus legislator; non ſolum ad naturam noſtram, quæ perierat, reparandam; verum etiam reformandam, atque ſanctificandam. Cum Salvator venit in Mundum, omnia ibi inculta nactus eſt. Flagitia omnia univerſum terrarum orbem inundaverant. Omnia ibi erant ſus, deque permixta; corruptio ubique graſſabatur. Nihil minus quærebatur, quam Deus ad afferendam tot tantiſque malis congruam medicinam. Nos Mundi gloriam ſuſpicimus tamquam magnum aliquid; Salvator autem per humilitatem ſuam nobis oſtendit fatalis hujus lucis mendacium. Nos inhærebamus bonis Mundi hujus, dæmoni voluptatum devoti; & ille voluit naſci, & vivere pauper; fuitque toto vitæ ſuæ ſpatio vir dolorum, voluitque tandem in turpiſſimo Crucis ligno animam efflare. *Dictionarium Morale Tomo 3.*

J.C. de ſolio ſuæ majeſtatis deſcendit, ut Dei gloriam repararet.

Cum mentem appellimus ad Incarnationem divinæ Myſterium conſiderandum, & videntes JESUM CHRISTUM eo in ſtatu, in quo fides nobis illum proponit, cogitemus, ad Dei gloriam reparandam deſcendiſſe Deum de ſolio Majeſtatis ſuæ, neque cenſuiſſe hanc nimis oneroſam eſſe conditionem, ita ſeſe humiliare, atque exinanire; nec cognoviſſe conſilium hoc aptius, neque pretium ullum, quod æquare poſſet bonum a ſe reparandum: quocumque pretio hoc ſibi ſtaturum fuiſſet, maluit ſeſe graviſſimis humanæ infirmitatis miſeriis ſubjicere, quam non deferre Patri ſuo gloriam eidem præreptam, & non pati, ut ne minimus quidem gradus illi deperiret. Quantumvis parum ratiocinemur, & hæc principia intelligamus, en quænam ultro occurrant illationes, a nobis hauriendæ. Igitur gloria Dei bonum eſt quod omnia excellit bona; quandoquidem extra Deum non eſt bonum, cui Dei Filius non abrenuntiaverit propter hujus gloriæ reparationem. Nihil igitur eſt, quod ſacrificare non teneamur gloriæ Dei; quandoquidem Filius Dei ſeipſum pro eadem devovit. Nihil

Igitur

igitur majus eſſe; ac dignius viro rationabili, multoque magis homine Chriſtiano, quam Dei gloriam procurare; quandoquidem hoc dignum fuit homine Deo. E contra vero Dei gloriam lædere ſummum eſſe malum, quia hoc tanta eſt Dei contumelia, ut expiari non potuerit niſi meritis Dei, & ſingillatim omnibus doloribus, & opprobriis, quæ ſuſtinuit, & quibus ſe ipſum objecit. Ideo nihil nobis pretioſius, ſanctius, & antiquius eſſe debere niſi Dei gloriam, & nos non poſſe melius zelum noſtrum impendere, quam illum, quantum in nobis ſitum eſt ad ejuſdem incrementum effundere. *Pater Bourdaloue in Chriſtianis Adhortationibus.*

…Sanctus …atur So…onis My…

Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. His verbis utitur Scriptura ad innuendum modum, quo Spiritus Sanctus ſe geſſit in Verbi Incarnatione in Virginis alvo. Primum quidem operis faciendi conſilium iniit cum aliis perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Illud mox communicavit Prophetis, antequam illud perficeret, perfectumque revelavit Apoſtolis, univerſæ Eccleſiæ, nobiſque ſingillatim, quibus illius adeo perſpicuam cognitionem, & fidem adeo vivam tribuit. Agnoſcamus hanc gratiam ceterarum principium. Hanc aliis nationibus non impertiit: *Non fecit taliter omni nationi.* Sentiamus ergo glorioſum hoc, tantique momenti beneficium; illius ſationem habeamus; & diligentiſſime caveamus, ne vel nobis præripiatur, vel nobis inutile fiat. Acrem in corde noſtro dolorem excitemus eo quod hactenus huic nos ingratos præbuerimus; & conſtanti, firmoque conſilio ad SS. Virginis exemplum proponamus in lucro ponere gratias, quas Dei Filius quotidie per ſanctificantem Spiritum nobis communicat. *Moralis novi Teſtamenti Tomo 5.*

…modo no…olendum …rbum In…tum in ſi…rationis. …hilipp. 2. …10.

Incarnatum Verbum in S. Virginis alvo clauſum triplici in ſtatu reſpicere poſſemus; videlicet in ſtatu annihilationis, conſecrationis, mortificationis. Primum enim ſe humiliat, & exinanit, ut inquit Apoſtolus: *Exinanivit ſemetipſum.* Deinde ſe offert, ac devovet Patri propter gloriæ ipſius reparationem, & hominum univerſorum ſalutem: *Sacrificium, & oblationem noluiſti: tunc dixi: ecce venio.* Tertio eſt in ſtatu majoris, & jugis mortificationis: habens enim rationis uſum perfectiſſimum, continet ſe novem menſes in Virginis utero clauſum; quin per omne hoc temporis ſpatium ullo ſenſuum ſuorum uſu fruatur. *Propter te* …n. 43. *mortificamur tota die. Societas ad petendum Domini noſtri amorem.*

…adoratio… …d e lendi …um Incar… …m in ſtatu …nnihilatio…

Salvator adorabilis, qui cum ſis Deus omnipotens, æternus, æqualis rebus in omnibus Patri, atque hoc in ſtatu omnis expers humiliationis; ut hujus compos fieres, voluiſti humanam naturam aſſumere, ac deinde ſervi formam, immo etiam peccati ſimilitudinem induere, ut per exinanitionem tuam Patris tui gloriam reparares, naturam noſtram in honore collocares, noſtramque obtunderes ſuperbiam, ac aperires inexhauſtas opes, quæ in humiliatione continentur; adoro te in hoc ſtatu annihilationis maximo cum obſequio, cujus capax eſſe poteſt creatura agnoſcens ſupremum Eſſentiæ tuæ imperium, majeſtatis tuæ magnitudinem, & omnimodam, quam tibi debeo ſervitutem in ipſo etiam ſtatu maximæ tuæ humilitatis. Cultum vero meum cum illo conjungo, quem tibi Sancta Virgo, Angelique omnes tibi hoc in ſtatu detulerunt; quoniam mihi met humiliare non licet infra nihilum naturæ, & gratiæ, quod eſt mihi eſſentiale. Ad honorandam autem hanc exinanitionem tuam, teſtandumque deſiderium meum imitandi illam pro viribus, cupere me profiteor procurare gloriam tuam per omnimodam mei ipſius annihilationem, & eorum omnium, quæ poſſideo, ſi hæc aliquid gloriæ tuæ poſſent conferre. Verum cum hæc nihilum proſint, cupio ſaltem memet infra creata omnia ſubjicere propter amorem tui, me glorioſiorem exiſtimans, ſi coram te, & pro te humiliatus fuero, quam ſi univerſo terrarum orbi imperitarem. *Ex eodem Tractatu de Societate &c.*

…magis In…rnationis My…um confide… …, illud …is admira… …, & manus …guimur.

Quis cogitaſſet unquam futurum, ut Divinum Verbum humanam ſuſciperet carnem, de ſinu Patris in Creaturæ ſinum dilapſurum eſſe, cum ſit immenſum; in tempore accepturum naturam noſtram cum ſit æternum; atque cum ſit omnipotens, ſubiturum eſſe noſtras infirmitates? Quis credidiſſet unquam Deum infinite divitem, Sanctum, a nullo pendentem, exhaurire voluiſſe omnia noſtræ paupertatis mala, ut nos in bonorum ſuorum partem arceſſeret? aſſumere carnis ſubditæ peccatis ſimilitudinem, ut ſuam nobis Sanctitatem communicaret? trahere graves, & turpes noſtræ ſervitutis catenas, ut nos in libertatem vindicaret? Agantur tibi quidem, æterne Pater, immortales gratiæ, qui hodierna die dediſti nobis Unigenitum tuum, & in perſona illius, quidquid tibi erat cariſſimum; tibi autem Verbum Divinum, quod factum id, quod non erat, quin ceſſares id eſſe, quod eras; noſtra ſuſcepiſti mala naturam noſtram ſuſcipiens; tibi demum Sancte Spiritus, qui hoc operatus es ineffabile Myſterium in caſtis viſceribus Virginis, quæ ſine Virginitatis detrimento futura eſt Dei Mater. *Ex hiſtoricis Sanctorum elogiis Tomo 1.*

Satis viſum non fuit JESU CHRISTO idolorum cultum evertere, ac dæmoniis ſilentium indicere; humanam quoque ſapientiam fregit, Philoſophis loquendi abſtulit facultatem; Sectæ illorum locum ſecerunt Eccleſiæ, eorumque dogmata mandata ejus; eique tota ceſſit Athenarum ratio, & eloquentia. Hic porticus ſuperbiam contudit, hic Lycei auctoritatem, aliaſque Græcorum ſcholas evertit. Hic ubique calumnias deprehendit, in Philoſophia mendacia nactus eſt, & probavit Philoſophos non inſanire minus, quam Poetas; immo inſaniam eorum multiplicem eſſe, atque graviorem. Ex iis, qui ſpeculationibus addicti erant, hanc extorſit confeſſionem, illos ſomniaſſe, cum meditari voluerant; & oſtendit magno in opinionum numero ne unam quidem ad veritatem attingendam acceſſiſſe. Hoc pacto cum Mundi Sapientibus geſſit JESUS CHRISTUS, & ita jurgiis, ac eorum contentionibus finem injecit. Eos omnes refellens, univerſos ſimul conciliavit. *Socrates Chriſtianus Balutii.*

Miracula quæ ſubſecuta ſunt Incarnationem Filii Dei.

Ante quam JESUS CHRISTUS naſceretur aliqua percrebuerat dubitatio. Leviter veritas ipſa perſtringebatur; neque deerant ſuſpiciones, & conjecturæ veritatis. Qui omnium maxime intelligentes hi omnium maxime verecundi erant, neque audebant loqui. Trepide, atque hæſitanter de vitæ alterius negotiis verba faciebant, ſemper invicem conſulebant, ac deliberabant, quin unquam ſenſus ſuos proderent, & in vulgus proferrent. Non ideo tamen obſtupeo quomodo enim potuiſſent invenire veritatem, quam quærebant, quandoquidem nondum nata erat? Opus erat, ut veritas, quæ JESUS CHRISTUS eſt, caro fieret, ut ſenſibus noſtris ſeſe ſubjiceret, & familiariter cum hominibus converſaretur, ut ſeſe videndam, atque attrectandam præberet. *Idem.*

Antiqui Nativitatem J. C. aliquid præſenſerant, ſed non audebant, vel nequibant illa tuto explicare.

Statim ac Virgo aſſenſa eſt, Spiritus Sanctus ex puriſſimi Sanguinis ejuſdem parte exiguum Corpus efformavit; & mox animam creavit, quæ corpori eidem conjuncta fuit. Mox Dei Filius perſonaliter, & ſubſtantialiter adhæſit utrique, & ex hac divina conjunctione cum humana natura, totum quid, & adorabilis exititit perſona, quæ vocatur JESUS CHRISTUS, qui verus eſt Deus, & verus homo; & hoc Incarnationem vocamus. Myſterium hoc adeo ſuave eſt, ac tot refertum illecebris, ut S. Auguſtinus illud conſiderans nunquam fatigaretur. Ibi omnes Dei perfectiones mirum in modum collucent. Quarum iis prætermiſſis, quarum meditatio ad mentem occupandam, quam ad inflammandum cor eſſet aptior, duabus tantum immoror, Sapientiæ videlicet, & bonitatis. *Pater Craſſet in Adventu.*

Quid ſit Incarnationis Myſterium.

Dei Sapientia in Adorabili hoc Myſterio in tribus potiſſimum elucet. Primo, in eo, quod nacta eſt medium, quo divinæ ſimul juſtitiæ, ac miſericordiæ ſatisfieret; juſtitiæ quidem poſcenti, ut homo dignis plecteretur ſuppliciis, ſatisfactum eſt per paſſionem, & exinanitionem Dei; Miſericordiæ vero per hominis ſalutem, & redemptionem. Homo ſolus gratiam mereri non poterat; Deus ſolus non poterat pati. Quamobrem Deus factus eſt homo, ut quatenus homo poſſet mori, & quatenus Deus ſalvos facere. Hic ſermo eſt Sancti Leonis. Secundo, Dei eluxit ſapientia in eo, quod iniit, conſilio innocue ſatisfaciendi ambitioſæ hominis cupiditati. Voluerat quippe Deo ſimilis fieri: hac eſca Dæmon illum in ſuas plagas irretiverat; ſed ambitio, & lapſus illum Dæmoni ſimilem fecerant. Modo vero licite, & non ſine meritis hanc ſibi comparare poteſt ſimilitudinem, quam ardentiſſime optabat. Tertio, nitet in medio quod excogitavit, ut Deus cognoſceretur, & diligeretur. Cum enim merus eſſet Spiritus toto Cælo ſuper nos elatus, nobis arduum erat illum amare. Nobis ille quidem propoſuerat quamdam adumbrationem omnium adorabilium perfectionum ejus in creatione, ac regimine Univerſorum, itaut nos inexcuſabiles ſimus, ſi minus illum diligamus, poſtquam nobis aperuit theſauros Sapientiæ, potentiæ, & bonitatis, qui magno hoc in orbe coruſcant. Sed homines creatis rebus inhærentes ad eas debitam Creatori gloriam tranſtulerant; & quin iis tamquam mediis uterentur, in illis poſtremum finem ſuum collocabant. Videns igitur Deus hominem acquiri poſſe per ſenſus, & ſimilitudinem; ſe nobis ſubjecit ſenſibus noſtris, & homo nobis ſimilis factus eſt. In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus, Tertullianus ait, ut homines cum Deo agere, & converſari perciperent. *Idem.*

Quomodo Sapientia Dei in hoc Myſterio enituit.

Ad examen revocandum eſt, Primo, quomodo per conjunctionem Verbi cum Sancta humanitate homo factus ſit Deus, *& plenitudo Divinitatis*, ut loquitur Sanctus Paulus: *habitet in illo corporaliter*: hoc eſt realiter, atque ſubſtantialiter; ita ut fieret inde plenitudo Sapientiæ, veritatis, pulcritudinis, potentiæ, bonitatis, & miſericordiæ, & generatim plenitudo Eſſentiæ divinæ, omniumque adorabilium perfectionum

In Incarnatione Salvatoris humanitas repleta fuit divinitate. Coloſſ. 2.

illius,

illius ; ita ut ſanctam hanc humanitatem propterea debeam adorare latriæ cultu ſicut Deum. Fatendum mihi eſt, me ab illa pendere in ordine naturæ, & gratiæ, me ab illa ferri, ſuſtineri, animari, me per illam tamquam inſtrumentum illi ſubſtantialiter inhærens, regi, & ſanctificari. *Pater Craſſet.*

* Hoc eodem momento humanitas exuta fuit propria ſubſiſtentia, & inductam illam Verbi Divini.

Humanitas ſancta ut Divinitati aſſociaretur, neceſſario exuenda fuit propria ſubſiſtentia, ut deinceps in Deo tantum ſubliſteret : Si enim per ſe ſubſiſteret, efficeret perſonam a Verbi perſona diſtinctam ; ideoque in JESU CHRISTO duæ fuiſſent perſonæ, quod fidei oppoſitum eſt. Ut hoc argumentum ad morum diſciplinam redigatur, conſiderandum eſt, quod Sanctus Thomas ait, ubi duæ ſimul coaleſcunt Eſſentiæ, fortiorem ad ſe trahere infirmiorem, eamque quoad poteſt in ſuam transformare naturam. Ita ignis ligno adhærens, hoc in ignem convertit, quia ignis magis actuoſus eſt, lignum autem non ita. Ita in ordine civili ; cum Princeps ubi ex plebe uxorem ducit, hanc Reginam facit, & in ordine gratiæ, cum Deus beatis ſe conjungit, hos ut ita dicam Deos efficit ſimiles ſibi. Ideoque in ordine morum Chriſtianæ vitæ, ut unum eum Deo fias, Dei ſubſiſtentia tibi aſſumenda eſt, ut nonniſi in illo & per illum ſubſiſtas. Si nobis adſit duplex ſubſiſtentiæ genus, quorum altera phyſica ſit, moralis altera ; prima complectitur omnia naturæ ſubſidia, per quæ in Mundo ſubſiſtimus, honorem, bona, conſanguineos, amicos, robur, valetudinem, exiſtimationem, celebritatem, ingenium, prudentiam, fortitudinem, & induſtriam. Altera vero continet omnia ſubſidia ſpiritualia, quæ alunt ſpem noſtram : lumina, cognitiones, virtutes, opera bona, merita, bonos habitus, & alia his ſimilia. Quæcumque autem habeas naturæ, vel gratiæ talenta, nunquam perfectus eris, & transformatus in Deum, quin has omnes ſubſiſtentias evertas. Non dico tamen tibi negligenda eſſe opera bona, hæc enim eſſet illuſio, & impietas : ſed aſſero nequaquam tibi confidendum eſſe in iis, quæ bona facis, ſed in uno Deo, qui, ut David ait, eſſe debet tota ſubſiſtentia tua, atque præſidium. Ita ut ſicuti unus ille tibi amandus eſt, eo modo, quo vult, in unum illum ſperes, & per unum illum ſubſiſtas oportet, quin tamen quidpiam negligas, quod ſit officii tui. & quod pertinet ad perfectionem tuam, cujuſmodi ſunt mortificationes, & opera bona. Hæc eſt imago JESU CHRISTI ſuper terram : Sancta quippe illius humanitas non ſubſiſtebat per ſe, ſed per Verbi perſonam, quæ ſuſtinebat illam in eſſentia naturali, & morali, & quæ fundamentum, fons, & principium erat Sanctitatis illius. *Idem.*

Præſtantia Animæ Salvatoris in primo Incarnationis momento.

Conſiderandum eſt, JESUM CHRISTUM cum verus eſſet homo, & verus Deus, non ſolum habuiſſe corpus, uti nos, ſed etiam rationalem animam tribus facultatibus præditam, uti nos, memoria, intellectu, & voluntate ; animam hanc corpori ſuo, ac divinitati fuiſſe conjunctam ; hanc pulcherrimam fuiſſe creaturam, quæ uſpiam in Mundo viſa fuerit, & videri poſſit, cum Deus in ordine Providentiæ, quem ſibimet præſcripſit, nequeat quidquam perfectius facere ; Angelos, ſi cum hac conferantur, non niſi ſtellas exiguas eſſe coram Sole ; illam a primo etiam momento omnes excogitabiles pulcritudines poſſediſſe, & ſibi conciliaſſe amorem omnium beatorum Spirituum, qui a Deo juſſi ſunt illam adorare, ut nos docet Apoſtolus. Hanc, ut illi, animæ piæ, veneramini, eique de omnibus hiſce naturalibus perfectionibus gratulamini. Amate hunc pulcritudinum omnium theſaurum, & orate, ut illa ſeſe imprimat animabus veſtris ; ut illis Dei, quam amiſere, imaginem imprimat. O quæ nobis erit conſolatio recipientibus non ſolum hoc corpus, ſed etiam formoſam animam hac in ſacra Synaxi ! Corpus illius emundat corpus noſtrum, noſtramque ſanctificat animam. O admirabile Dei cum ſua Creatura commercium ! o inæſtimabilis Chriſtiani felicitas, qui poteſt, ubi vult, illum in ſuo corde recipere, quem Angeli ſaturari nequeunt videndo in Cælis, & qui in æternum erit noſtræ felicitatis objectum ! *Idem Pater Craſſet.*

Miracula quæ operatus eſt Deus in B. Virgine gratiarum.

Cum completa eſſent tempora, quibus Meſſias venturus erat in Mundum, domus Juda in alius manibus Judææ Sceptrum conſpiciebat. Regum ſuorum diadema in tyranni capite refulgens innuebat finem dierum myſticorum, quem Daniel portenderat. Æterna Sapientia gratiarum ſuarum prodiga illas large, effuſeque contulerat in Mariam, ut ſibi præpararet Templum, quo digne reciperetur. Incomparabilis hæc Virgo ſumma cum fidelitate reſponderat gratiæ, *quæ omni carebat exemplo, ac tandem ad hunc præſtantiæ gradum pervenerat, qui futurus erat noviſſima præparatio Incarnationi Verbi in ſinu ipſius peragendæ. Cur diutius torqueo veſtras mentes ! Cæli ſeſe inclinant, Domini Majeſtas in terras deſcendit, æternus naſcitur in tempore, & Verbum fit caro. Mente concipite Sanctam hanc Virginem, dum miſerata gemitus humanæ naturæ, quam S. Auguſtinus exhibet ad illius pedes provolutam, ei vulnera ſua detegentem, & expectantem decretorium illum conſenſum, a quo noſtra pendebat redemptio, protulit, Pater hic ait, magnum illud *fiat* admirabilius illo, quod ſubſecuta eſt Cæli, terræque Creatio, & facta eſt Auguſtum Divinitatis Templum, cujus Salomonicum illud non aliud fuit, quam figura. Heu ! quiſnam oculis fidei detegere poſſet ineffabiles Spiritus Sancti operationes ? Videre Cælos, qui aperiunt, atque diſtillant Salvatorem in Virginis ſinum ; qua reverentia recipit illa pretioſum hoc depoſitum ſibi cælitus creditum ? Quoties humiliata coram hoc exinanito Deo conata eſt reſpondere inſigni huic humilitatis exemplo ſuæ humilitatis actus ingeminans ? Quam ſancta impatientia complexa in ardore caritatis ſuæ omnia Sanctarum Patriarcharum vota felix illud momentum concupivit ! Anguſta nimis noſtrarum mentium lumina, infirmæ humani ſpiritus locutiones, quam impares eſtis tuendæ dignitati, ac perſcrutandæ horum adorabilium Myſteriorum magnitudini ? Optandum eſſet, ut Angeli hominum locum ſumerent, ut magna hæc noſtræ Religionis argumenta ita pertractarent, ut fidelium expectationi facerent ſatis. *Abbas du Jarry.*

Quos ſenſus foveret J. C. de hominibus in utero Matris.

Dei Filius ex primo vitæ ſuæ momento plane cognovit ſtatum omnium mortalium, qui a Mundi principio fuerant, eorum, qui tunc vivebant, & eorum, qui ad ſæculorum uſque finem erant futuri. Videbat primum eorum peccata numero carentia ; nequitiam intelligebat, eamque perſequebatur horrore, qui par erat amori, quo Deum Patrem ſuum proſequebatur ; cumque illum infinita caritate diligeret, hoc tot ſcelerum ſpectaculum infinito dolore afficiebat cor illius, ut ex omnibus venis illius Sanguinem elicuiſſet, quod poſtmodum in horto Gethſemani accidit, niſi illum in Paſſionis ſuæ tempus reſervaſſet. Non videbat ſolum hominum omnium peccata, ſed pœnam, quam ſuſtinebant, & quam in tempore, atque in æternitate erant paſſuri. Videbat cæcitatem mentis eorum, voluntatis corruptelam, ægritudinum animi perturbationem, furorem, atque impetum concupiſcentiæ. Illos conſiderabat tamquam ægros ſine medico, oves ſine paſtore, reos vinculis ferreis adſtrictos a dæmone, ſepultos in tenebris, & umbra mortis, in carceribus tabeſcentes, quin ullum vel in terris hominem, vel in Cælo Angelum haberent, a quo illinc eruerentur. Denique videbat illos catervatim ruentes in inferos, quo trahebantur a dæmoniis, quorum erant mancipia. Cum autem cor ei molliſſimum eſſet, & haberet homines fratrum loco, eoſque multo majori caritate complecteretur, quam olim Joſeph fratres ſuos ; ſatis neque concipi, neque exprimi poteſt, quomodo afficeretur eorum calamitate, & quo dolore conficeretur. *Idem Pater Craſſet.*

JESUS CHRISTUS ex primo ſuæ Conceptionis articulo intellexit Dei Patris ſui voluntatem eſſe, ut ipſe per Sanguinis ſui effuſionem redimeret homines, & pro illis in Cruce animam efflaret. Vidit magnum illud paſſionum ſtadium, quod erat ingreſſurus, infinitam vim peccatorum, quæ ſibi erant expianda, crudelem, ac turpiſſimam mortem ſibi ſubeundam, ut juſtitiæ Dei Patris ſui faceret ſatis. Sancta ejus humanitas, quæ tunc omnes infantiæ ſuæ infirmitates experiebatur, expavit, & exhorruit in utero Matris ſuæ ; non ſecus ac deinceps in horto olivarum ad conſpectum tot dolorum, atque pœnarum, quas erat ſubiturus : præſertim vero ubi intuitus eſt inevitabilem neceſſitatem, quam ſibimet infixit vitam trahendi in omnium voluptatum carentia, & in omni genere ærumnarum, ut hominibus præberet exemplum, traderet cognitionem verorum bonorum, omnia eorum diſſolveret debita, atque ut illis amoris ſui traderet monumenta. Nihilominus ſciens, Deum Patrem ſuum hanc a ſe ſatisfactionem depoſcere, & Dei vitam in terris eſſe debere prorſus oppoſitam vitæ Mundi, & carnis ; huic paruit imperio, ultro ſeſe legi huic ſubdidit, noſtræ ſalutis negotium ſuſcepit, & ſe ipſum obtulit, ut fieret victima hominum ſe vadem, & fidejuſſorem conſtituit ſumptibus vitæ ſuæ. Ex illo tempore jam dicebat, quod mox dixit : memet pro illis devoveo, atque ſacrifico, ut Sancti ſint, ſicut ego Sanctus ſum. *Idem.*

Præſtantia muneris, quod Deus Mundi largitus eſt in Filii ſui Incarnatione.

Conſideranda eſt Dei bonitas, quæ in hoc eluxit Myſterio. 1. In eo, quod ille dedit unigenitum Filium ſuum, qui ſuam gloriam, ac felicitatem conſtituit, deditque illum hominibus, qui ſui erant inimici, ingrati, perfidi, impii, atque ſceleſti. Ponderate verba, quæ Dei Filius dixit Nicodemo : Deus ita dilexit Mundum, ut dederit illi Filium ſuum unigenitum, ut quicumque credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Neque enim Deus miſit Filium ſuum in Mundum, ut judicet Mundum, ſed ut Mundus per illum ſalvetur. Cogitate illum, qui dat, illud, quod dat, quomodo dat, & finem propter quem dat. 2. Bonitas ejus elucet in eo, quod cum nobis dederit Filium ſuum, omnia nobis dedit cum illo, ut inquit Apoſtolus : qui enim dat quod majus eſt, id nequaquam negabit, quod minus eſt. Ita qui vobis Filium ſuum dedit, non negabit Paradiſum, mul-

toque

toque minus ea, quæ vitæ ſunt neceſſaria. 3. In eo, quod noſtram extulit naturam uſque ad ſuam, & nos intime divinitati ſuæ conſociavit. Bonitas vult communicari. Dederat nobis bona ſua Deus per creationem: ſed nondum ſuam nobis eſſentiam communicaverat, quod præſtitit per Incarnationem: & licet unus tantum ſit homo, qui ſimul ſit Deus; tamen omnes homines ſunt illius fratres, & membra; in partem accedunt hujus gratiæ, & per communionem, quæ quædam eſt Incarnationis extenſio, in divina hæc fœdera ingrediuntur. Ita ſicut Adam per generationem ſuam nobis naturam, & peccatum communicat, & cum utroque genus omne miſeriarum corporalium atque ſpiritualium: ita JESUS per baptiſmum, quæ Chriſtiani regeneratio eſt, & per Euchariſtiam, quæ eſt illius eſca, nobis ſuam naturam, & gratiam communicat, ac deinceps bona omnia, & fluxa, & æterna. *Pater Craſſet.*

De Sacro Domini noſtri Corpore in ſinu B. Virginis.

Conſiderandum eſt opus fuiſſe; ut Dei Filius duplici ex cauſa Corpus haberet impaſſibile, & immortale; quarum prior eſt, quia cum anima ejus eſſet beata, æquum erat, ut Corpori ſuo gloriæ dona communicaret; altera vero, quia cum eſſet conjuncta cum perſona Verbi, & concepta a puriſſima Virginum per Spiritus ſancti opus, immunis erat ab originali peccato, quod ipſe contrahere nequaquam potuerat; ideoque obnoxius non eſſe debebat omnibus calamitatibus noſtris, & morti, quæ ſunt peccati ſupplicia. Tamen ſumere voluit Corpus paſſibile, & mortale noſtris ſimile: 1. Ut per paſſiones ſuas ſatisfaceret Juſtitiæ Patris ſui. 2. Ut nobis ſuum teſtaretur amorem, ultro ſemet miſeriis noſtris ſubjiciens. 3. Ut in omni vitæ ſuæ curriculo nobis humilitatis, & patientiæ præberet exempla. *Idem.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

DE INCARNATIONE VERBI.

Myſterium Incarnationis Filii Dei ab Eccleſiæ Patribus vocatur Myſterium humiliationis, & annihilationis.

LICET non aliud mihi ſuppeteret argumentum vobis ob oculos exhibituro extremas Dei Hominis facti humiliationes, ſatis eſſe cenſerem vobis dicere Primos Eccleſiæ Patres non aliud hujus Myſterii habuiſſe conceptum, illudque etiam humiliationis, atque indulgentiæ vocabulo indigitaſſe. Quo verbo innuere voluerunt, humiliationes Verbi Incarnati fuiſſe regulam, ac menſuram elevationis hominum, & de hoc Myſterio idem dicendum eſſe, quod de libra, in qua quo magis lanx *altera deorſum fertur impoſito pondere*, eo magis altera in Cælum attollitur; ideoque exinanitiones, humiliationes, & annihilationes Dei, his quippe nominibus Apoſtolus utitur, totidem ſunt gradus noſtræ elationis. Suprema celſitudo deſcendit, ut abjectiſſima infirmitas noſtra aſcendat. Qui eſt ſplendor gloriæ Patris ſui, & lumen æternum, eclypſim patitur in tempore, ut hunc ſplendorem communicet naturæ humanæ ex terræ limo effictæ: qui ex ſemet neceſſario felix eſt, ultro ſe ſubjicit ærumnis humanæ conditioni inhærentibus, ut illi ſuam communicet felicitatem. Ille demum, qui eadem Sanctitas eſt, peccatoris ſimilitudinem induit, ac ſubit noſtrum criminum pondus, ut priſtinam, quam amiſeramus, nobis integritatem reddat, noſque in priori jure reſtituat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cur Deus diſtulit tandiu exequi Myſterium Incarnationis.

Fuit proculdubio divinæ effectus juſtitiæ, differre tandiu Myſterium Incarnationis; cum enim homo ſe tanto indignum præbuiſſet beneficio, efficere volebat Deus, ut & ſua pateret indignatio, & malum, in quod ille ſeſe præcipitem dederat, divina perfringens imperia. Quatuor enim annorum millia elapſa fuerunt, antequam mitteret Filium ſuum in Mundum; & nihilominus pereunt homines, dæmon univerſa ferme terra potitur, Deus vix in Judææ angulo adoratur; ubi morum corruptio tanta demum eſt, ut vix aliquod pietatis veſtigium ſupererit. En ſtatus miſerabilis, ad quem nos peccatum redegerat, antequam Dei Filius in terras deſcenderet. Attamen diſtricta hæc juſtitia tanta non erat, ut miſericordiæ, & bonitatis nonnihil illi eſſet admixtum. Paſſio Filii Dei ex eo tempore operabatur. Deus propter illius merita jam effundebat gratias ſuas in omnes homines; & quamvis hæ non adeo affluenter concederentur, ut deinceps; tamen dicere poſſumus ægros illos medicina minime caruiſſe: ſalutis adminicula illis non negabantur, niſi ab iiſdem reſpuerentur. Sed quod magis elucet in Incarnationis dilatione, eſt divina Sapientia, quæ per admirabile conſilium præcepit, ut Meſſias in temporum dimidio deſcenderet, ut adventus illius glorioſior eſſet, hominibuſque ſalubrior. Intererat enim cognoſcere hinc quidem peccati nequitiam, inde vero neceſſitatem remedii, & opus, quod erat Redemptoris; & ad Redemptoris gloriam pertinebat diutius expectari, & optari, ut majori in pretio haberetur. Si ſtatim deſcendiſſet poſt primi hominis lapſum, non ſatis in pretio habitum fuiſſet tanti viri beneficium; ſi uſque ad Mundi finem dilatus fuiſſet ejus adventus, non ſatis guſtata fuiſſet dulcedo ejus, & fructus: decebat ergo magnitudinem illius eligere medium ſæculorum, ut ſolis inſtar gratiæ ſuæ radios in omnes Mundi ætates diffunderet. *Pater Nevet Tomo 7.*

Licet Incarnationis Myſterium nonniſi in medio ſæculorum adimpletum fuerit, voluit nihilominus Deus, ut in illius honorem tempora omnia impenderentur; ut prima quidem deſtinata eſſent cupiendo, expectando, & figuris prænotando Verbum Incarnatum; media illud excipiendo; noviſſima immortales ei gratiarum actiones agendo, illud agnoſcendo, colendo, ac benedictionibus cumulando: ita ut dici queat tempora omnia ad ipſum Incarnationis momentum referri; hoc eſſe velati centrum omnium ſæculorum, & Verbum, quod illius Auctor eſt, ut S. Paulus ait, omnia ita diſpoſuiſſe, ut ſingula Incarnationem ejus tamquam finem, præſidiumque ſuum venerarentur. *Idem.*

JESUS ex primo vitæ ſuæ momento aliquid contulit gloriæ Patris ſui, & noſtræ ſaluti.

Mundi Salvator initium dat operibus ſuis divinitus humanis, & noſtræ quidem ſaluti, Patris vero gloriæ ex primo vitæ ſuæ articulo. Nunquam vel uno momento ceſſavit ab opere, & ne in Matris utero otietur, incipit opus ſalutis noſtræ in medio terræ ab ipſo ſuæ Incarnationis exordio. Incipit alacriter, incipit ferventer ſemper omnibus viribus ſuis agens, & ſingulis actionibus omnem perfectionem, & curam impendens. Tale fuit initium vitæ Filii Dei, talis erit progreſſus, & finis. Tempus voluntatem illius non mutabit, & omnes perſecutiones, ingratitudines, & contradictiones peccatorum non poterunt unquam extinguere ignem ſui amoris. Admiremur conſtantiam, qua JESUS ſalutem noſtram operatur, & meditemur nobilitatem, ac levitatem, qua nos ab illius ſervitute recedimus. *Pater Nevet in Meditationibus ſuis Tomo 2.*

Dei Filius [illegible] ex primo [illegible] articulo.

JESUS ex primo ipſo vitæ ſuæ momento mereri poterat, atque ex illo jam nobis meritus eſt inexhauſtum gratiarum, & ſpiritualium divitiarum theſaurum. Spiritus ejus cæleſtibus luminibus illuſtratus, Sol erat in ortu ſuo: voluntas ejus, licet nulli obnoxia peccato, in bonum perfecte libera erat: Sanctus erat ſecundum humanitatem, non ſolum per ſanctificantem gratiam, quæ omnium meritorum principium eſt, verum etiam modo longe præſtantiori per increatam ſanctitatem, quæ fons eſt omnium gratiarum. Viator erat æque ac comprehenſor, & glorioſa illius anima cum pati poſſet in corpore paſſibili, atque mortali, conſequenter poterat mereri. Denique habebat promiſſionem Patris ſui, qui ex eo momento ſuas illi voluntates aperuit, dicens illi hæc amoris pleniſſima verba; Filius meus dilectus es tu, ego hodie genui te; poſtula me, & tibi dabo omnes gentes in hæreditatem, omnemque terræ latitudinem in imperium; & ille viciſſim in Mundum ingrediens æterno Patri dixit: Ecce me paratum, ut omnes tuas voluntates perficiam. *Idem.*

J. C. in Incarnatione [illegible] humilitatis præbuit. Serm. 18.

Sanctus Auguſtinus de Bethlehemitica Schola verba faciens ait, illam humilitatis eſſe officinam. *Omnis ergo hujus nativitatis Schola, humilitatis eſt officina.* Philoſophi humilitatem nequaquam inter Virtutes recenſuerant. Prophetæ nihil, aut certe parum de hac locuti fuerant. Doctrina hæc hominem ſuperbum fefellerat, & lex ad hunc perfectionis apicem non evaſerat, ut doceret hominem ſeſe infra alios homines, ac ſemet ipſum ſubjicere. Opus erat, ut Dei Filius in Mundum deſcenderet novum hoc præcepti genus traditurus, ac illud primum ſuo docturus exemplo: etenim antequam hominibus diceret, humiliamini, non ſolum ſe humiliavit, ſed ſemet ipſum homo factus exinanivit. *Exinanivit ſemetipſum.* Et ſane explicari ne aliter poteſt Incarnatio Filii Dei, per quam factus eſt homo, & homo peccati ſimilitudinem gerens, quam nomine exinanitionis; quia homo nonniſi nihilum eſt? *Homilia Godeau.*

Philipp. c. 2.

Dei

Salvatoris ſu ſinu Matris obſcuritas.

Dei Filius, qui in ſinu Patris a nullo pendebat, hic in utero Matris pendet mirum in modum ab eadem. Pendet ab illa, quoad vitam; nam qui in æterna nativitate a Patre recipit eſſentiam vitamque divinam, quin pendeat ab illo: Eſſentiam, vitamque naturalem, & humanam recipit pendens a Deipara. Quænam eſt hujus S. Virginis gloria? quænam Salvatoris humiliatio? Quod prodigium, quod Deus vitam ſuæ debeat creaturæ! Salvator pendet a Matre quoad eſcam ſuam: antequam ex uberibus ejus lac exprimat, ex corde illius Sanguinem ſugit. Cor infantuli in hoc ſtatu nimis infirmum eſt, ut per ſe ſolum agat; eget auxilio cordis Parentis ſuæ, quæ illi præparet eſcam. Quoad conſervationem ſuam pendet a Matre. Nihil fragilius eſt vita pueri nondum nati, ad eam jugulandam exiguus ſufficit vapor. Quænam igitur eſt Filii Dei obſequentia, qui hujuſmodi infirmitatibus ſubjici dignatus eſt? Eo in ſtatu, in quo ſe in Matris ſuæ ſinu ſe collocat, infirmus eſt adeo, ut ſeipſum tueri minime valeat, ſi conſiderentur ſolum naturales hujus corpuſculi vires adeo teneri, ac mollis, ut vel minimum quid illi mortem valeat inferre. Ejus igitur conſervatio unice ab hac pendet Matre adorabili. Hæc illi domus eſt; hæc illum geſtat, hæc illum tegit, hæc illum propriis viſceribus protegit. Hæc illi tandem perfugium eſt, præſidium, omnia. Diſcamus hinc pendere & ab hac ſuaviſſima Matre, & a Filio ejus. Huic debemus vitam naturæ & gratiæ; & ab illo ſperamus nos aliquando gloriæ vitam impetraturos. *Pater Nevet in Meditationibus Tomo 7.*

Conſideratio hujus argumenti.

Quem conatum magnus iſte gloriæ Deus exeruit, ut nobix amorem ſuum teſtaretur, & noſtrum mereretur? Angeli, homines, beatæ Cælituum mentes hunccine aſſequimini? Quod æternum hoc Verbum, quod per omnipotentiam ſuam eduxit ex nihilo in ipſo ſæculorum principio hunc immanem terrarum orbem; in temporum plenitudine ſeſe exinaniat, & increatum hoc lumen patiatur Ecclypſim; quod hic Deus, cujus tanta majeſtas eſt fulgidum gloriæ ſuæ ſolium relinquat, ut ſe amabiliorem præbeat, ac ipſum amare nos doceat, & per amorem ſuum in noſtris cordibus regnet? Heu Fideles! antequam in terris videretur, arduum non eſt intelligere, quænam eſſet nobis illius amandi difficultas. Profecto Cælorum Magnitudo, ordo, qui in magno hoc orbe nitet, & admirabilis partium illium componentium conſenſus, ſatis oſtendebat hominibus, opus hoc mirificum non niſi Deum auctorem habere. Sed cum Deus per ſemet ſe cognoſcendum minime traderet, craſſa tantum, & confuſa effingebatur imago, quæ prohibere non poterat, quominus homines unice creatis rebus inhærerent. Hinc illa deplorabilis cæcitas profecta eſt omnium fere gentium per tot ſæcula, ac denſæ Ethnicæ pravitatis tenebræ, quæ cum omnem fere Dei cognitionem aboleviſſent, omnem etiam amorem ejus extinxerant. Cæcitas, quæ ita proceſſit, ut viſi ſint populi terrarum doctiſſimi brutis contemptibilibus thura adolere, eiſque deferre honorem, & gloriam, quæ uni debetur Deo. *Mutaverunt gloriam Dei in ſimilitudinem animantium.* Quoad vero populum Judæorum, qui ſervaverat pleniorem Dei cognitionem, illum etiam paulo majori caritate complexus eſt; ſed quemadmodum Deus rudi, indocilique huic populo ſe cognoſcendum præbuerat tamquam Deum terribilem, excelſum, ac Majeſtate plenum, non amor tantum, ſed terror potius in officio continebat illum. Sed ubi miſericors Deus de Majeſtatis ſolio deſcendere dignatus eſt, ut ſe nobis communicaret; ubi per infiniti amoris exemplum, ut ſeſe cordis noſtri infirmitati accommodaret, ægre ſupra ſenſus ſe attollentis, ſemet ſenſibus ejus ſubjecit; ubi in terris videndum ſe præbuit illecebris ſuavitatis ſuæ ornatum, & familiariter cum nobis verſatus eſt, ut nos ad amorem ſuum alliceret; nonne verum eſt, Fideles, non ſolum omnia nobis ſuadere, ut ipſum ex toto corde diligamus, ſed ingratum eſſe, omnique carentem ſenſu, qui eidem cor ſuum præbere detrectaverit? Hoc tamen quotidie facimus. Fruſtra Deus prævenit nos exceſſu admirabili ſuæ caritatis; fruſtra ut ſibi amorem conciliaret, oblitus juxta SS. Patrum ſententiam, oblitus, inquam, quodammodo locum, & gloriam ſuam, ſeſe demiſit eo uſque, ut ſemet in creaturarum ordinem redigeret. Hoc nos minime afficit; nihil noſtri cordis duritiem frangere poteſt, & quo propius accedit ad nos, eo magis videmur obfirmato animo ab eodem recedere præferentes illi inanem oblectationem, levem quæſtum, & ſexcentas alias abjectas creaturas amore noſtro indigniſſimas. *Idem ibidem.*

Roman. 1.

Verbo ſatis non fuit ſe nobis videndum præbere, voluit ſe nobis ſimilē præbere.

Infinita hæc divinæ Majeſtatis dejectio, quantumvis admirabilis videatur, non tamen illud eſt, quod præ ceterix operatus eſt, ut ſibi amorem noſtrum compararet. Ad id enim ſe non videndum tantummodo præbuit, ſed ſecundo loco, cum ſciret nihil aptius eſſe ad corda concilianda ſimilitudine, ſeſe nobis ſimilem præbere voluit, ſe hominem faciens: *In ſimilitudinem homo factus.* Neque ſatis duxit nobis ſimilem fieri per ea, quæ in nobis ſunt ſpectabiliora, videlicet per animam intelligentem, ac rationis compotem, quæ nos ſupra brutorum genus attollit; ſed ut plenam, perfectamque cum nobis haberet ſimilitudinem, voluit ſe conjungere cum eo, quod in nobis abjectiſſimum eſt, corpus aſſumens naturæ ejuſdem, cujus eſt noſtrum: *Et verbum caro factum eſt.* Quamobrem Tertullianus ait, Deum primi hominis corpus effingentem cogitaſſe de illo, quod aliquando aſſumpturus erat. *Jam tunc cogitabatur Deus homo futurus.* Ita ut hic idem Deus, qui in Mundi primordiis hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam effinxerat, viciſſim imaginem, & ſimilitudinem hominis indueret, juſque lineamenta geſtaret.

Philipp. 2.

Joann. 1.

Magnum diſcrimē inter hominis creationē & divini Verbi Incarnationem.

Sed heu! Fideles quantum diſcriminis inter opus utrumque intercedit! nam in hominis creatione illum attollit eo uſque, ut ipſum ad ſui imaginem fingat; hic vero ſe dejicit, ut ipſe hominis ipſius formam, & imaginem induat. Illic manibus ſuis colloeet membra corporis humani, attrectans limum, ex quo illud fingit, ac ſpiritu ſuo idem animans: hic autem limo huic ſe conjungit, ſe applicat, ſe commiſcet, in illo ſe infigit, ut Prophetæ verbis utar: *Infixus ſum in limo profundi.* Illic efficit, ut homo gerat nobilitatix ſuæ characteres; hic autem aſſumit notas abjectionis, & nihili ipſius, & per amoris exceſſum, ſe vere hominem facit ſimilem illi, ut ſibi ejuſdem amorem devinciat. *Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri. Idem ibidem.*

Pſalm. 68.

ad Tit. 3.

Hæc ſimilitudo Filii Dei cum homine non eſt ſimpliciter in ſpecie ſed realis, & effectiva.

Ne credatis Fideles, hanc Divini Verbi cum homine ſimilitudinem in ſpeciem tantum eſſe, atque extrinſecam duntaxat habere figuram, illi ſimilem, ſub qua Angeli nonnunquam hominibus apparuerunt. Hæc hæreſis eſt, in quam dirum anathematis fulmen contorſum fuit primis Eccleſiæ ſæculis: igitur realis eſt ſimilitudo, & effectiva, ſimilitudo naturæ omnia gerens lineamenta humanæ imbecillitatis, miſeriæ, & infirmitatis; verbo, quidquid non repugnat cum natura Dei. Videlicet ille factus eſt paſſibilis, & mortalis, quales nos ſumus, & omnibus infirmitatibus noſtris obnoxius. Itaque Fideles, qui ab æterno eſt in Patris ſui ſinu, tamquam in fonte vitæ ſuæ, & & habitaculo gloriæ, & beatitudinis ſuæ, hic mortale corpus induit obnoxium communibus ærumnis, quin perſonæ dignites ullum ei privilegium largiatur. Rex eſt nulla in re diſſimilis a ſubditis ſuis, & in hac abdicatione Inſignium omnium dignitatis ſuæ, ſi ex eo quæritis quinam ſit, per Sapientis os reddet vobis: *Sum & ego mortalis homo, ex genere terreni illius.* Sum homo, ſicut reliqui homines, qui duxerunt originem ex primo illo, quem Deus effinxit ex limo. Ecce, lectiſſimi Auditores, quouſque voluerit Deus ſe humiliare, ut ſibi ſaltem deliniret per hanc ſimilitudinem cor, & amorem mortalium, quod illa ſignificant verba, quæ ſæcula omnia admirata ſunt: *Verbum caro factum eſt*, & Deus factus eſt homo. Ecce amoris ſui prodigium; inſignis ſuæ omnipotentiæ conatus, qua tota uſus eſt, ut nobis immenſæ caritatis ſuæ latitudinem aperiret. Affinitas admirabilis, quæ ne in mentem quidem noſtram cadere poterat! Mira congeries rerum duarum adeo inter ſe diſſitarum, ac remotarum! Nihil, niſi Dei amor te efficere potuit. *Auctor idem in Adventu.*

Sapient. 7.

Infinitum diſcrimen inter fabuloſos profani amoris effectus, & Incarnationis Verbi prodigia.

Sileant admirabiles illæ mutationes, quas in mundo profanus amor peperit; Amor tuus Domine, rupto Cælo eas ſuperavit; & verba hæc, ubi rite perpendantur, *Verbum caro factum eſt*, continet amoris exceſſum, cujus Deus unus eſt capax. Divinum hoc Verbum ſplendor eſt gloriæ Patris ſui, inquit Apoſtolus, vivens ſubſtantiæ ejuſdem imago: terminus ſubſiſtens infiniti intellectus; in ſplendoribus Sanctorum genitus, increatus, immenſus, æternus, in omnibus æqualis Patri: *Splendor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus . . . . . . Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Et quid eſt caro iſta, quam propter noſtri amorem aſſumpſit, & cui ſeſe arcte adeo devinxit? Jam noſtis, hæc illud eſt quod nobis commune eſt cum brutis, & quod naturaliter redit in pulverem, ex quo ſuam habet originem, & ad quem proprio pondere fertur. Aſſerere igitur Verbum hoc factum eſſe carnem, idem eſt ac dicere ſupremam celſitudinem extremæ humilitati adhæſiſſe; æternitatem temporum vicibus obnoxiam factam fuiſſe, ac demum Deum Majeſtatem arctiſſimo vinculo ſeſe conjunxiſſe cum eo, quod in natura abjectiſſimum eſt; atque miſerrimum. Sed quem in finem Dei Filius ſemetipſum ita abjecit, & exinanivit? Heu! Sanctus Bernardus exclamat; *Quanto pro me vilior, tanto mihi carior.* Quo magis exinanivit ſe, ut ſe mihi ſimilem redderet, tanto mihi eſſe debet amabilior. Similitudine opus erat, ut illum amare poſſem: ille autem cum me Deum efficere non poſſet, quia Divinitas ipſius communicari non poteſt; ipſe ſe hominem fecit, ut ſe mihi ſimilem faceret. Heu! Chriſtiani poſthac erimus ne corde adeo duro, ut negemus illi amorem noſtrum,

quo

quo digniſſimus eſt, & quem pretio tanto ſibi comparavit? *Idem ibidem.*

Quomodo mutuum illi amorem rependere valeamus.

Quinam, Fideles, putatis poſſe nos amorem noſtrum Verbo Incarnato teſtari? Optima quidem hoc faciendi ratio eſſet amorem illius imitari, nobis adnitentibus pro virili parte, ut noſmet eidem ſimiles præbeamus in humiliatione ſua, quemadmodum ſe nobis ſimilem præbuit in natura. Alioquin hæc ſimilitudo nobis in noſtræ damnationis argumentum converteretur, amor ipſius in juſtam iram cederet; noſque æternis opprobriis objiceret, fœdantes vitiis noſtris carnem, quam ille arctiſſimo fœdere ſanctificavit, & vitæ ſordibus dedecore afficientes naturam, quam ille tantum evexit, ut cum ſua divinitate conjungeret. Heu peccator! Sanctus Chryſoſtomus exclamat, qui hoc pacto polluis Sanctuarium Divinitatis: ſi nondum jacturam feciſti omnem obſequii, gratique animi ſenſum erga Salvatorem tuum: *Parce in te CHRISTO*, parce in temetipſo huic homini Deo, cujus ſimilitudinem geris, & cui arcte adeo per naturæ ejuſdem vincula inhæres. Heu! quid? opus eſt, ut quia illi conſecres omnes affectus tuos, hic Fratris titulus, quem tibi largitur, in cauſſa ſit, ut illum majori dedecore afficias, & contumelioſius laceſſas! *Idem ibidem.*

Ejus humiliatio in Incarnatione abyſſus eſt, quæ intelligi non poteſt ſine discrimine.

Nunquid mihi dicere nefas eſt, Fideles, extremam dejectionem Majeſtatis Dei hoc eſſe Myſterium Incarnationis Filii Dei? Hanc adeo profundam humiliationem, quæ omnium creaturarum rationabilium cogitationem excedit? Et profecto ubi cogito Deum voluiſſe ad hunc redigi ſtatum, ac eo uſque ſe demiſiſſe, ut fieret hominibus ſimilis eorum captaturus amorem, fateor equidem me ſumma admiratione perculſum. Hæc humiliationis abyſſus eſt, quam humana mens inveſtigare citra periculum nequit, & audeo dicere, hoc Verbum æternum magis incomprehenſibile in Matris eſſe ſinu, quam Patris. Nam in Cælo quidem, & in Patris ſinu aliquid ſaltem magnitudinis tuæ agnoſco, eo quod mihi omnis aufertur ſpes illam intelligendi. Hæc incomprehenſibilitas illa eſt ex omnibus perfectionibus tuis, quam facilius intelligo, efficitque quodammodo, ut intelligam ceteras: ita enim homines Dei Majeſtatem intellexere, ait quidam ex primis Chriſtianis Auctoribus: *Majeſtatem Dei intelligendi deſperatione ſenſerunt.* Sed in ſinu Matris tuæ, magne Deus, licet ſis incomprehenſibilis, audeo dicere, hoc ejus incomprehenſibilitatis non eſt, quæ Dei character exiſtat; neque enim is es, niſi per humiliationem, & Deus talis eſſe debet per magnitudinem. *Idem ibidem.*

Minutius Felix.

Modicus amor, quem teſtamur Deo, qui nos eruit de ſervitute peccati, & affectuum noſtrorum.

JESUS CHRISTUS venit ad nos in Sacramentis, ut finem faciat exilii noſtri, & nos de horrenti hac peccati ſervitute educat. Quænam eſt ſollicitudo, quæ cura, ut noſmet illum recepturi præparemus? Bone Deus, hæc incuria ſatis oſtendit votorum noſtrorum infirmitatem, & hæc votorum infirmitas fidei languorem. Sentio, Domine, hujus facti iniquitatem. Sed tandem non ideo mihi hæc lumina impertis, ut diutius in alto, ac indigno hoc ſopore permaneam. Veni, Domine, & ex toto corde hunc adventum tuum concupiſco, & cura, qua memet præparaturus ſum ad te recipiendum, erit Sanctitatis, & ardoris hujus deſiderii argumentum. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 2.*

Nihil ſe prodit magis, quam magnum deſiderium. Cor nunquam obmuteſcit. Multis ſeſe rationibus explicat; Omnes animi ægritudines ſunt eloquentes, ſed nulla eloquentior hac, quæ efficit ut velimus bonum, quod nobis congruere arbitramur. Quod majus bonum, quam ſalus? Quod dignum noſtris deſideriis objectum, quam Salvatoris adventus? Quonam ardore Patriarchæ, & Prophetæ illum optabant, quærebant, urgebant? Num ipſi minus Salvatore indigemus, quam priſci illi Juſti? Cur nobis non erit par ardor, deſiderium, ac ſollicitudo ad eum recipiendum? Teſtemur hæc vota precibus: *Excita, Domine, potentiam tuam, & veni, ut ſalvos nos facias. Ecce Deus noſter veniet, & ſalvabit nos.* Satis admirari non poſſemus quænam omni tempore in veteri Teſtamento fuerint ardentia omnium Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Judæorumque vota Redemptoris adventum prætolantium. Nonniſi ferventibus illum adpetunt ſtudiis, precibus, ac votis, quæ omnes cogitationes noſtras excedunt: *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es. Sicut locutus es, veni. Veni Domine & noli tardare. Rorate Cæli deſuper; & nubes pluant juſtum. Aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Feſtina ne tardaveris Domine. Utinam diſrumperes Cælos, & deſcenderes.* Ita S. Patres veteris Teſtamenti ardens deſiderium ſuum teſtabantur adventus Salvatoris Mundi. Neque minori cura loquitur Eccleſia, quæ illorum mutuatur verba, & cujus vota ſunt adhuc ardentiora. Quænam vero noſtra eſſe decet! Omnis felicitas noſtra eſt in JESU CHRISTO, æterna ſalus noſtra pendet ab ejus adventu. Quam anxie captivus ſuum Liberatorem expectat? quo graviores ſunt compedes ejus, eo deſiderium libertatis augetur. Quærere non

Pſalm. 79.
Iſaiæ 35.

Exodi 4.
Iſaiæ 45.
Ibidem
Pſalm. 39.
Iſaiæ 64.

ceſſat quandonam liberator ſuus perventurus ſit? Tempus ne adventus ejuſdem illi ſignificatur; inceſſanter horas numerat, momenta, ſed quo exultat gaudio, cum audit ſuum Salvatorem accedere! cum ſollicitudines augentur & vota, & nonniſi liberationis ſuæ cura diſtinetur. Dicis illi tridui tantum, vel dimidiatæ tantum diei itinere abeſſe? bone Deus, quis ardor, quæ ſancta impatientia! Cur autem non eamdem ipſi alacritatem, non eadem deſideria, eamdemque Sanctam impatientiam experimur? Intra ſex, treſve dies, vel horas aliquot redit anniverſaria ſolemnitas Nativitatis Domini, cur paria vota non fovemus? cur ſimilibus votis Dominum non fatigamus? Mater Eccleſia nos ſuo docet exemplo: cur illam non imitamur? quia noſtra deficit fides, & verum ſalutis noſtræ deſiderium. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo primo.*

Si Salvatorem vere diligeremus, cuperemus ſuæ Nativitatis diem quam primum adventre.

Deſideria noſtra fere conceptus noſtros ſequuntur; non admodum impenſe cupimus, quod facimus nauci. Numquid ſatis intelligimus ea quæ veritatem hanc experientia probatam conſequuntur? Parum ſolliciti ſumus de adventu Nativitatis Dominicæ, quia illum parum cognoſcimus; quia parum afficimur magnitudine amoris illius; quia non ſatis cognoſcimus bona, quæ nobis illius gignit adventus; quia ſtatus erroris, ſervitutis, peccati nobis non diſplicet: quia diligimus Mundum, ad cujus ſpiritum evertendum, & placita damnanda Salvator accedit: quia tandem ſalus noſtra nobis cordi non eſt. Hæc eſt funeſta incuriæ noſtræ, frigoris, teporiſque noſtri cauſſa. Parum cognoſcimus Salvatorem, quid ſit, quid poſſit, quid mereatur. *Idem.*

J. C. in Mundum veniens ſeſe ſubjecit omnibus hominum miſeriis; ſed noluit ſe ſubjicere omnium miſeriarum teterrimæ, quæ peccatum eſt.

Inter ceteras hominis miſerias omnium miſerrima illa eſt, quam non potuit JESUS CHRISTUS aſſumere, cujus tamen figuram, & ſimilitudinem ſuſcepit, ut ad extremum uſque abjectionis genus deſcenderet, ad quod amor ſuus illum redigere potuit. Hæc autem peccatum eſt, in quo omnes concepti ſumus, & quod hæreditario jure ſubimus, antequam prodeamus in lucem; *In ſimilitudinem carnis peccati*, Sanctus Paulus ait de Verbo æterno locutus. Hæc autem noviſſima humiliatio aliarum duarum effectus eſt; cum enim ſuapte natura, & ab origine homo peccator ſit, & ex ſe nihil habeat proprium, niſi peccatum: æternum Verbum homo fieri non potuit, quin peccatoris qualitatem aſſumeret. Ad hæc ſubire etiam voluit onus peccatorum noſtrorum, ut Deo læſo juſtam redderet ſatisfactionem, & ſe naturæ noſtræ conjungeret: ut infinitum perſonæ ſuæ meritum illa poſſet expiare, & divinæ Juſtitiæ ſatisfacere; ita ut ſecundum Sanctum Auguſtinum, cujus ſententiam Doctores plerique ſecuti ſunt: *ſi homo non periiſſet, filius hominis non veniſſet. Auctor ſermonum in omnia argumenta.*

Serm. 18.

Dei Filius ſemetipſum exinaniens in Incarnatione.

Dei Filius ſeipſum exinanivit ſervi, & mancipii formam ſuſcipiens. Et profecto quænam altior ſubjectio? Nonne quædam eſt annihilationis ſpecies, ſtatus, in quo Deus homo factus ſeſe conſtituit haberi volens tamquam noviſſimus hominum? Figuræ nomen, quo hic in re utitur Sanctus Paulus, non ſignificat ſimplicem exteriorem ſpeciem ſine re; eodem pacto quo vocabulum imaginis Dei, quod paullo ſuperius uſurpat, non ſignificat ſimplicem ſimilitudinem, & repræſentationem inanem. Per duo hæc vocabula intelligit Apoſtolus divinam, humanamque naturam, hypoſtatice conjunctam ſub una tantum JESU CHRISTI perſona. Per nomen illud imaginis Dei Sanctus Paulus intelligit JESUM CHRISTUM eſſe verum Deum, in omnibus æqualem Patri; & per ſervi figuram innuit, illum verum eſſe hominem ſimilem nobis præter peccatum. Quod ipſe Apoſtolus explicat, cum ait, Salvatorem cum eſſet imago Dei, non credidiſſe rapinam dici poſſe, eſſe æqualem Deo, ac ſe talem vocare; quandoquidem æqualis erat Deo Patri ſuo per Divinam naturam, quemadmodum per naturam humanam erat nobis æqualis. *Pater Croiſet in Aſceticis, Tomo 3.*

Deus in Sapientiæ Schola nos docet Incarnationis Myſterium.

Unus ex primis, præcipuiſque articulis, quos in hac ſchola Sapientiæ, & Salutis docemur, inſtitutæ, & apertæ in Mundo Sacrum eſt Incarnationis Myſterium. Myſterium adeo ſublime, ut excedat magnitudinem cogitationum omnium, ſive mortalium, ſive Angelorum: Myſterium adeo excellens, ut in ſe ipſo contineat, & complectatur Deum ſimul, & Mundum: Myſterium adeo profundum, ut ab æterno ſit abſconditum in ſinu Patris æterni modo adeo ſublimi, atque ineffabili, ut jure Apoſtolus variis in locis eum nuncupet *Sacramentum abſconditum a ſæculis in Deo, qui omnia creavit.* Attamen Myſterium hoc adeo ſublime, & ineffabile adimpletum eſt in plenitudine temporum in medio terræ, ut pateret oculis terræ, Cælique, adeo publicum eſt; atque adimpletum eſt, ut eſſet objectum fidei populorum, anchora ſpei, ſalutis eorum cauſſa, & complementum gloriæ Dei in univerſa. Etenim per hoc Myſterium Cælum reſeratum eſt, terra ſanctificata eſt, Deus adoratus eſt cultu novo, & ineffabili, cultu terræ Cælique

antea

Digitized by Google

antea ignoto: quoniam Cælum quidem habebat ſpiritus cultores, & Deum cultum; nondum autem habebat colentem Deum. Per hoc Myſterium Deus eſt in terra humilians magnitudinem ſuam, atque noſtris apertus infirmitatibus, atque indutus mortalitate operans in medio noſtri tanquam unus ex nobis Salutem Mundi. Per hoc Myſterium terra Cælum eſt, & Cælum novum, in quo habitat Deus glorioſius, auguſtius, ſanctius, atque divinius, quam olim in altiſſimo Cælorum vertice habitaret. In fide, amore, & obſequio ſacri hujus Myſterii Deus per ſe ipſum non autem per Angelos, famuloſque ſuos inſtituit in terra Religionem nunquam mutandam, neque a terra auferendam, ac noviſſimis temporibus reſervatam. Hoc etiam Myſterium ſecum defert extrema ſuæ potentiæ, amoris; æternæque Sapientiæ veſtigia. In hoc Myſterio ſancte, ac divinitus occupari debet Eccleſia, & pietas ſublimiorum animarum admiratione, ac ſtupore debet repleri contemplata objectum hoc, in quo detegitur, & ineffabili modo percipitur divinæ Eſſentiæ Majeſtas, Perſonarum diſtinctio, Conſiliorum altitudo, & eminentia, raritas, & ſingularitas, quam Deus eſſe voluit in hoc opere, videlicet quidquid magnum eſt, quidquid Sanctum, quidquid admirabile, & tanquam breviarium, atque compendium eorum omnium, quæ fidei Oracula nobis revelant, ac docent de Deo, & operibus ejus. Divinum Myſterium, quod eſt veluti centrum Eſſentiæ creatæ, & increatæ, & unicum ſubjectum ad quod voluit Deus, & in æternum voluit Mundum, & ſemetipſum redigere, videlicet infirmitatem ſuam, ſimulque univerſorum Magnitudinem. *Cardinalis de Berulle in tractatu de Statu, & Magnalibus JESU.*

Divinum hoc Incarnationis Myſterium ſupremum Divinitatis eſt opus; opus præcipuum potentiæ, bonitatis, & Sapientiæ ipſius, quemadmodum Propheta illud appellat: *Domine opus tuum*. Opus incomprehenſibile, & quod Deum ipſum complectitur: opus atque increati amoris triumphus; in quo amor feliciter de ipſo Deo triumphat: opus, & Myſterium unicum, & ſingulare in Mundo, quod Sapientia æterna complevit tanquam opus operum ſuorum: & Myſterium Myſteriorum, quod præſentia ſua benedicit, replet Magnitudine, regit potentia, ſuiſque influxibus ſanctificat Cælum, & terram. Videmus Dei unitatem tanquam in hujus Myſterii unitate expreſſam, & inſculptam in hoc opere, veluti pretioſo adamante. Videmus Deum in hoc Mundo, ubi plures naturæ ſunt ſuæ magnitudinis capaces, unam tantum eligere, & relicta natura Angelica humanam optare, quam ſibi conſociet. Videmus in humani generis extenſione, in qua plurima ſunt ſubjecta, unum tantum deligere, ac inter filios hominum, unum tantum eſſe Filium hominis, qui ſit Filius Dei. Videmus Deum eumdem in quo eſt unitas eſſentiæ, & pluritas perſonarum, unam tantummodo perſonam carnem accepiſſe, quamvis Pater, & Spiritus Sanctus æque completè valeant ſimilem Divinæ ſubſiſtentiæ ſuæ communicationem. Hinc non amplius unitas tantum Mundi, ut olim in creatione, ſed etiam unitas ipſa Divinæ, Increatæque Perſonæ colit in eximio hoc opere Incarnationis, unitatem Dei. *Cardinalis de Berulle, ubi ſupra.*

Incarnationis Myſterium eſt maximum opus Divinitatis. Habac. 3.

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE NATIVITATE FILII DEI.

Tota Myſteria D. N. J. C. [illegible] paucis [illegible] comprehenſa.

ANGELUS, Paſtores, Puer, Pater, Mater, præſepe: en paucis, quidquid hodiernum complectitur Myſterium. Angelus Salvatoris Nativitatem annuntians. Paſtores ibi collecti, ubi hoc Myſterium adimpletum eſt. Puer adhuc rubens ab utero præ frigore in ſtabulo contremiſcens. Pater, & Mater illum admirantes, ac flentes. Præſepe, in quo inter duo animantia illum ſuo flatu foventia jacet. Hæc totidem ſunt Myſteria, quæ propter novitatem, atque circumſtantias merentur, ut tranſeamus uſque in Bethlehem ſingulas per otium meditaturi. Sed quæ ſigna his magis æquivoca, & magis ſuſpicionibus plena ad nobis Dei Salvatoris Nativitatem indigitandam? Niſi doceret nos fides nihil inveniri contradictionis inter Dei verba, in veteri Teſtamento deſcripta, & Novi Oracula, nonne ipſi omnium primi exclamaremus, ex hujuſmodi ſignis dignoſci non poſſe Meſſiam, tot ſæculis expectatum! Hoc tamen illud eſt, quod nobis datur: *Hoc erit vobis ſignum*. Angeli autem verba in ipſo litterali ſenſu vera inveniuntur. Hoc loco nos adorare decet incomprehenſibile Dei de Filio ſuo conſilium; & quin nobis ſcandalum afferat ſtatus doloris, paupertatis, humiliationum, qui in illius Nativitate deprehenditur, hoc hodierna die eſſe debet noſtrarum meditationum, noſtrique cultus argumentum. *Hoc erit vobis ſignum*. Signum doloris in Infantulo omnibus vitæ miſeriis obnoxio, & in delicatulo corpore omnes moleſtiſſimæ hyemis injurias perferente: *Invenietis Infantem*. Signum paupertatis in puero, cui nihil proprium eſt, cui deſunt omnia, & faſciarum loco fœno involutus eſt. *Pannis involutum*. Signum humiliationis in Infante, qui in brutorum locum rejicitur, & cum illis jacet in præſeplo; & *poſitum in præſepio. Ex moralibus Sermonibus Tomo 6. parte 1.*

Luc. 2.

Dei Filius Incarnatus oritur en præſepio, inter duo animalia; ſed ille nihil faſtidit non frigoris ſævitiam, non nuditatis opprobrium, non noctis obſcuritatem, non brutorum ſocietatem, non tempeſtatis ſeveritatem, non ſtabuli fœtorem, non lapidum, paleæque duritiem, in qua cubat, non attritos pannos, quibus involvitur: pejus habitus, quamvis innocens, quam nocentiſſimus Adam, pro quo omnes ſubiit noſtras calamitates. Adam poſt patratum facinus pelles habuit, quibus ſuam tegeret nuditatem; & divinus hic Infans, qui illius crimen expiat, vix habet lacera lintea, quibus exiles artus operiat. Tribuitur Adæ unde ſeſe protegat adverſus inclementiam elementorum, & rationi congruum eſt, ipſum verno tempore a Deo creatum fuiſſe; & Dei Filius hyeme acerbiſſima naſcens ſibi negat, non tantum ignis vel loci optime concluſi locum, ſed minimum etiam ſubſidium, quod poſſit paſſioni ſuæ aliquid lenimen afferre. Si de terreſtri Paradiſo Adam extruditur, reliquum terrarum orbis ſpatium illi permittitur. JESU CHRISTO vero totius Mundi Domino, non invenitur locus in diverſorio: & Sancta illius Genitrix ejicitur tamquam calamitoſa mulier, cujus tanta erat paupertas, ut vix illi aliquot ſuppeterent ſcruta pannoſa ad puerum involvendum; quod innuere voluit Angelus Paſtoribus dicens: *invenietis Infantem pannis involutum. Ex Sermonibus Moralibus Tomo 6. Partis 1.*

Quamvis naſcatur [illegible] primus hominum Parens poſt lapſum.

Luc. 2.

Ab ipſa Nativitate incepit JESUS CHRISTUS exequi conſilium vivendi, & moriendi pauperem. Deus hic Majeſtatis, ſupremus hic rerum omnium Auctor, cujus adeo ſunt omnia, oriri poterat inter divitias, & rerum omnium affluentiam. Videbatur enim luxus hic maxime illum decere, non ſolum ad Perſonæ dignitatem, verum etiam ad fidem Miſſionis ſuæ; nam deſcendens in terram, ut ad ſe traheret omnes homines, eoſque ſuæ legi ſubjiceret: poterat ne illos ad ſui ſequelam perducere facilius, quam opulentæ conditionis nitore, ac pompa? Saltem Judæi, hanc ſibi Meſſiæ, quam præſtolabantur, imaginem propoſuerant, & arbitrabantur illum venturum in ſplendoribus Sanctorum, eoſque bonis temporalibus cumulaturum. Sed quam procul a noſtris abſunt Dei conſilia! Meſſias hic, deſideratus Gentibus, tandem naſcitur, ſed in paupertate: quare? Quia re adhuc integra volebat exemplo ſuo hanc veritatem mortalibus perſuadere, quam mox in Evangelio ſuo prædicaturus erat: pauperes eſſe beatos: *Beati pauperes*. Hac de cauſa in ipſa Nativitate ſe pauperem prodidit; & quoniam primum illius documentum futurum erat de Pauperum beatitate, hic primus extitit ſtatus, in quo ſe noſtris obtulit oculis, & in quo nobis adorabilem ſuam Humanitatem oſtendit. Exemplum ſane Sermonibus omnibus eloquentius: Exemplum quod aperit nobis palam meritum, & pretium paupertatis, quia illam delegit Deus, & omnibus ſæculi divitiis prætulit: Exemplum aptius ad illius in nobis ciendum, non dico exiſtimationem, ſed amorem, & guſtum; quandoquidem videmus illam in perſona Dei Salvatoris conſecratam, quæ illam pro nobis amplexua eſt: *P. Bourdaloue in Spiritualibus receſſibus ſuis.*

De extrema Salvatoris paupertate in Nativitate ſua: Hanc propter nos tantum ſubire dignatus eſt.

Fingi ne major poteſt paupertas præ illa, quam Nativitatis ſuæ tempore pertulit Salvator in Bethlehemitico ſtabulo? Caretis omnibus ad vitam neceſſariis naſcitur,

Dei Filius in extrema naſcens paupertate nos ad opum contemptum invitat.

tur, abrenuntiat non ſolum ſæculi pompis, verum etiam, ut videtur, recto ſenſui requirenti ſemper id, quod neceſſarium eſt ad excutiendam miſeriam, quæ ſemper ſubſequitur neceſſitatem. Tamen ad hanc paupertatem videtur omnes homines invitare: quandoquidem alioquin patet, nos melius illi placere non poſſe, niſi eum perfectius illum imitamur in iis etiam virtutibus, quæ nobis, abſit invidia verbo, abjectiores videntur, atque contemptibiliores. Vehementer fallimur, ſi credimus paupertatem Religioſorum propriam tantum eſſe, atque inter Clauſtra amandandam: ad omnes enim dictum eſt illud: *Beati pauperes*. Ut igitur quis Beatus ſit, hunc pauperem eſſe oportet. Quo igitur pacto ad Beatitudinem tendere licent nobis, ſi perhorreſcimus paupertatem, cujus Salvator ipſe hodierna die præbet adeo eximium exemplum? Non deſunt pauperes in Mundo; ſed alii quidem re tantum ſunt pauperes, & propter conditionis ſuæ neceſſitatem, quin ſunt pauperes corde, & affectu: alii vero ſunt corde, & affectu pauperes, non re. Priorum illorum paupertas coacta eſt, de qua conqueruntur, & quam ægerrime ferunt: quapropter non eſt JESU CHRISTI naſcentis paupertas, quæ fuit voluntaria. Poſteriorum vero paupertas Chriſtiana eſt, & accepta Deo, ſi eorum cor avulſum eſt a bonis, quæ præ manibus habent, ut ſuppono (quod tamen infrequens eſt) & juxta effatum Apoſtoli, tunc poſſident illa, quaſi non poſſiderent. Sed hæc nondum eſt perfecta illa paupertas, quam JESUS CHRISTUS amplecti voluit in Nativitate ſua, quoniam re ipſa ſeſe rebus omnibus exuit, & omnem proprietatem, ac poſſeſſionem abjecit. *P. Bourdalouë ibidem.*

Quamcumque neceſſitatem patiamur, plurimum diſtat ab illa, quam Dei Filius oriens paſſus eſt. Si qua ex parte paupertas ſtatus noſtri, in quo ſiti ſumus in præſentiarum, conformis eſt paupertati JESU CHRISTI naſcentis, procul abeſt, ut inter utramque integra adſit ſimilitudo, & æqualitas perfecta. Ut id palam fiat, ſatis eſt oculos aperire, & contemplari divinum hunc Infantulum in præſepi, ubi natus eſt. Stabulum ejus domus eſt: præſepe, incunabula; paleæ, ubi cubat, lectulus, in quo requieſcit; craſſa lintea quibus involutus eſt, omnia ipſius indumenta. Sin autem attentius inſpicimus, quænam ſit ejus ſocietas; heu! Egena Mater omnibus ad vitam neceſſariis deſtituta; S. Joſeph æque pauper, & indigens, ideoque impar ferendo opem in graviſſima rerum omnium carentia; bruta duo, quorum halitus ad fovendum puerum vix ſatis eſt. Nunquid non alio opus erat ſubſidio ad arcendum noctis frigus, ad prohibendam temporis inclementiam, omneſque tempeſtatis injurias? Nunquid non erat infantiæ infirmitatibus obnoxius, an nullo earum ſenſu afficiebatur? Homo erat ſicut nos, paſſibilis ſicut nos, & magis etiam, quam nos propter delicatuli corporis mollitiem; ejuſque vagitus, & lacrymæ ſatis ſignificabant, quantum patiebatur. Ceterum nihil eſt adeo miſerum in miſerrima paupertate, quod ille noluerit pati, & venit in terram ut ferret omne illius pondus, omnemque miſeriam. *Idem ibid.*

Dei Filius oriens invitat divites ſimul, & pauperes ad attendendum hominem contemptum. S. Bernardus conſiderans admirabilem hanc rerum ad vitam neceſſariarum carentiam, & inſignem hanc paupertatem Filii Dei in Bethlehemitico ſtabulo, nec non teterrimam hanc egeſtatem in qua naſci voluit, orationem ſuam convertit ad Mundi hujus divites, quos ad eorum vel doctrinam, vel damnationem, invitat ad audiendam vocem hujus ſtabuli naſcentis Dei, hujus præſepii, & horum linteorum, quibus eſt involutus. Quamvis ea in conditione, quam profitemur nequeamus recenſeri in numero divitum ſæculi, nihilo ſecius debemus attentas aures præbere mutæ huic voci, verumtamen eloquenti, & ea, quæ nobis annuntiat, non minorem nobis verecundiam debent inferre. Hæc nobis exhibet pauperem Salvatoris ſtatum, exigitque ut noſmet cum eo conferamus, & noſtræ infirmitatis non pudeat. Verum eſt, fateor, pauperem vitam ducimus; pluribus naturæ bonis deſtituti ſumus, fortunæ munera in noſtras non incidunt manus; ſed re ipſa ad quid noſtra hæc paupertas redigitur? Licetne ullo pacto nobis conferre hanc cum ſtabulo, cum præſepio, cum attritis, ſciſſiſque linteaminibus? Nunquid eadem nobis perferenda ſunt incommoda? unquamne eaſdem calamitates nobis ingruere ſumus intuiti? Ullane in occaſione ad victum neceſſaria nobis deficere conſpeximus? Etſi pauperes ſumus, unquam ne nobis defuit, quod ſufficeret nobis? Divina Providentia hanc ſibi depopoſcit provinciam nobis rebus in omnibus conſulendi; aliquandone promiſſionibus ſuis defuit? Si quærimus, ſi concupiſcimus ea quæ ſupervacanea ſunt, & ad delicias pertinent, non ſumus amplius membra Capitis noſtri, quod per paſſiones ingreſſum eſt in Mundum. Vel nuntium mittamus Evangelio, vel ceſſemus conqueri de humili, ac paupere ſtatu, in quo nos Providentia conſtituit; in hoc enim omnibus Sæculi divitibus præſtamus, quia magis ſimiles ſumus Filio Dei in tanta paupertate naſcenti. *Pater Bourdalouë ibidem.*

Cur J. C. in Mundum venerit. JESUS CHRISTUS ideo in Mundum venit, ut ego Deum cognoſcerem, & docerer quo pacto mihi colendus eſſet Deus, ut meretur. Ideo dicebat ille: Pater mi; feci ut homines tuum nomen agnoſcerent: Tradiderat Moyſes Judæis modum, quo per ſacrificia, & victimas Deum colerent; ſed hæc Sacrificia in quibus bruta duntaxat mactabantur, non erant niſi umbra, & figura veri cultus quem Deus a nobis optabat, & toto Cælo erant iis, quæ Deus merebatur, deteriora. Venit igitur JESUS CHRISTUS, ut doceret nos Deum in Spiritu adorare, videlicet per Sacrificium noſtrummetipſorum, & per noſtram abnegationem; Divinum præceptum, quod hic Homo Deus tamquam Legislator, & Dominus nobis in ſua perſona propoſuit. Mundum ingreſſus, dixit Deo: Sacrificium, & oblationem noluiſti, Domine; Corpus autem aptaſti mihi. Antiquæ legis holocauſta placere tibi deſierunt; quapropter dixi; ecce me, nunc venio; memet tibi offero, & trado. Ut omnia verbo complectar, ſeipſum immolavit, ſemet exinanivit, ſed id ut Deum coleret; ſimulque jure ſuo mihi dicere poſſet: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Idem.* Math. c. 16.

Quo tempore univerſus terrarum orbis profunda pace perfruebatur, naſci voluit Rex Pacificus. Univerſalis illa tranquillitas minus effectus fuit potentiæ Principis, qui tunc rerum potiebatur, quam nativitatis hujus. Deus odit diſſidium, atque tumultum; & magna præparatio ad opera gratiæ ſemper pax eſt, ac tranquillitas. In Bethlehem patrio Davidicæ familiæ ſolo, Meſſias erat naſciturus. Providentia, quæ nihil prætermittit, ut fines ſuos conſequatur, uſa eſt Imperatoris vanitate, ut S. Joſeph, Sanctamque Virginem in Bethlehem adduceret. Sed non ita diuturnum temporis interceſſit ſpatium, antequam divinus Infans mortalium coleretur obſequiis. Juſſi ſunt Angeli Nativitatem illius Paſtoribus annuntiare; Beati Salvatoris pueri cultores! quam invidenda nobis eſt felicitas veſtra! Sed quid vetat, ne & ipſi eadem felicitate perfruamur? Naſcitur, ut ita dicam, quotidie in Altaribus noſtris JESUS CHRISTUS; in noſtra ſitum eſt poteſtate illic eum eadem fide, qua Paſtores, venerari. Status in quo eſt in præſepio non majorem habet humilitatem ea, quam habet in Euchariſtia. Utrobique verus eſt Salvator, & idem Deus: reverentia noſtra, amor noſter, obſequia noſtra nunquid illis ſimilia ſunt, quæ Paſtores illi obtulerunt? *P. Croiſet.* Quædam circumſtantiæ Nativitatis Domini.

Quærum eſſet admiratio noſtra, ſi Paſtores, quibus datum fuit JESUM CHRISTUM venerari in præſepio, nequaquam facti fuiſſent meliores, & videntes eum, non tamen dilexiſſent? Sed minus ne mirum eſſe debet, ſi hoc Myſterium meditati JESUM CHRISTUM non dilexerimus? Nos quidem nonniſi per fidem videmus illum: at cogitamus Paſtores illos minori fide indiguiſſe, ut crederent, infantem in miſero ſtatu illo, Deum ſuum eſſe, atque Meſſiam? Fides noſtra tot fulſulta miraculis, ac adeo validis argumentis cor noſtrum non mutabit? O admirabile Providentiæ conſilium! Ex omnibus advenis Bethlehem proficiſcentibus ne unus quidem eſt, qui non optimum habeat locum in diverſorio: uni Mariæ locus non eſt. Ullane in terris erit creatura dignior obſequio? ſed nulla erat illa Sanctior; & adverſitates, atque Mundi contemptus ſunt virtutis hæreditas. Salvator venit in Mundum, & Mundus eum non cognovit, venit in propria, & ſui eum non receperunt. Quam diluculo exagitatus fuiſti, Salvator amabilis! Mundus te reſpuit, te ante ipſam nativitatem tuam repellit; ego vero æternum Mundo placere velim? Ego toto vitæ meæ ſpatio illa ſerviam? Æternum illius placita ſequar; ſemper cenſuras illius extimeſcam? Quouſque illius clientelam, vel gratiam acquiram? Quis conqueri audebit, quod Deus in Mundi hujus bonis diſtribuendis potiorem creatorum bonorum partem ſibi non dederit, quam filio ſuo? Angeli miſſi ſunt ad Paſtores gregibus ſuis invigilantes. Quænam fuiſſet horum Paſtorum calamitas, ſi Angeli eos in utramque aurem ſtertentes inveniſſent; ſi in conſilio capiendo hæſiſſent, ſi diem voluiſſent expectare? Neque enim deerant illis, quas prætexerant, cauſſæ. Proh Deus! Quantum refert, ſeſe gratiæ dociles præbere, & afflatibus tuis ſequendis alacres. Natus es, Divine Redemptor, ut me ſalvum faceres; fac, ut hodie converſio mea ſit fructus nativitatis tuæ: & ingens amor, quo me proſequens, cor meum igne tuæ caritatis accendit. *Pater Croiſet in Aſceticis.* Cogitatio Nativitatis J. C. in nobis cor[illegible] debet devotum.

Virgo concipiet, & pariet Filium. Miraculum adeo incredibile, & ſupra humanam mentem poſitum longe ante portendendum erat, ut homines ad tantum hoc prodigium diſponerentur. In hoc Myſterio quidquid erat miraculum. Virgo Filium incolumi Virginitate parit. Filius hic vocatur Emmanuel, hoc eſt Deus; quin Deus eſſe deſinat, homo eſt; & hic Homo Deus inter homines delicias ſuas invenire dignatur per infinitam clementiam. Humana mens in hoc miraculorum Oceano ſui compos non eſt; ſed nunquid minus prodigium eſt, quod cor humanum adeo parum afficitur omnibus hiſce miraculis in ipſius gratiam peractis? Prodigia, quæ in hujus Filii nativitate acciderunt, nimis humanas Miracula, quæ in Salvatoris Nativitate contigerunt, illum vere eſſe Meſſiam palam oſtendunt.

mentes percellunt, ut in hoc infantulo non videant Meſſiæ characteres. Ubi nam Dei omnipotentia, exceſſus infiniti amoris ſui erga homines, eximiæ, & admirabiles Deiparæ prærogativæ melius connotatæ refulgent? Profecto maudita verbi Divini humiliationes ſunt magnum admirationis argumentum. Virgo in tempore concipit eumdem Filium, quem Deus Pater genuit ab æterno. Deus fit homo, ut fiat hominum redemptio. *O rapidiſſimum caritatis torrentem! o pelagus amoris intranſnatabile! Pater Croiſet ibidem.*

Quid exultare non debeat ad celebrandam Filii Dei Nativitatem.

Ut Eccleſiæ mentem in hujus diei ſollemnitate aſſequamur, nil aptius efficere poteſt, quam verba conſolationis pleniſſima, quibus illa in feſtivitatis hujus pervigilio utitur. In his Religionis actibus collegiſſe videtur, quidquid in Scripturis extat magis patheticum ſuper adventu Meſſiæ. Sanctorum Patriarcharum vota, ardentia, & enigmanea Prophetarum deſideria, figuræ ſacræ; myſtici eventus, prophetica ſymbola, omnia hodie in compendium coeunt ad excitandam confidentiam ſpem ac fidem in corde Fidelium, & omnia conſpirant ut purum hoc percipiatur gaudium, quod oblivioni tradit amaritudines exibi vitæ hujus. Salvator enim verus Dei Filius, & verus Meſſias hodie naſciturus eſt, quo ſenſu religionis, gaudii, amoris, obſequii noſmet ad illum excipiendum præparare debemus? Ulius numquid in totius anni curriculo dies eſt dignior Fidelium pietate? *Levate capita veſtra*, exclamat Eccleſia, *ecce appropinquat redempsio veſtra*. Bone Deus! quot apparatus cum naſciturus eſt Princeps! Tantumdem factum non fuit pro JESU CHRISTI Nativitate. Fidelium intereſt hodierna die reparare oblivionem, & contemptum in quo habitus fuit etiam antequam naſceretur: Nam SS. Virgo illius Mater, & S. Joſeph, qui ſub veſperam pervenerunt in Bethlehem, ne angulum quidem invenerunt, ubi recumberent in omnibus urbis illius domibus, & diverſoriis. Vetus maceries extra urbem, quæ loco erat ſtabuli, unicum fuit domicilium, quod eligi potuit a Supremo rerum omnium Domino. Facilis eſt conjectura, quinam fuerint intimi ſenſus Matris ejuſdem toto eo temporis ſpatio quo horam partus ſui præſtolata eſt. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Luc. 2.

Dei Filius ſuam Magnitudinem, & Magnificentiam oſtenrat in ſua temporali Nativitate. 3. Reg. 1.

Rex pacificus magnificatus eſt, cujus vultum deſiderat univerſa terra. Rex Pacificus, videlicet Supremus Univerſorum Dominus, qui accedit ad pacem Deum interhomineſque conſtituendam, cujus adventum veri Filii Dei præſtolabantur impatienter, ut de peccati jugo liberarentur: Deus hic Salvator, cujus Nativitas nobis adeo obſcura videtur, magis glorificatur in hoc humili, abjectoque loco, ubi naſci dignatus eſt, quam omnes terrarum Principes in ſuperbis ædibus ſuis; quoniam univerſa Ædium Regalium magnificentia non prohibet quo minus illi ſint homines meri; & præſepis paupertas, ubi natus eſt Dominus, non vetat, quominus ſolus ſit Deus verus, *Completi ſunt dies Mariæ*, pergit Eccleſia, *ut pareret Filium ſuum primogenitum*. Tandem aliquando vaticinia Jacob, & Daniel de Meſſia completa fuerunt. *Idem ibidem.*

Præparatio ad Nativitatem Filii Dei.

Si quæ feſtivitas in anni curriculo eſt, in qua Deus uberius ſuos favores, & gratias effundat, ea ſane eſt glorioſa Salvatoris Mundi Nativitas. Viget apud nationes, & populos omnes conſuetudo, ut uberiora liberalitatis argumenta Principum virorum tribuantur, cum eorum dies natalis recolitur. Vulgatiſſimum hunc morem imitari videtur Eccleſia, natalitium Sanctorum diem illum nuncupans, quo eorum feſtivitas celebratur, & quo eorum apud Dominum patrocinium implorat. Sed conſtat hanc largitatem Domini in hodierna feſtivitate pendere a ſingulorum diſpoſitionibus. In aula mortales Principes gratiam captaturi in die illorum natali, pretioſiſſimis induuntur veſtibus, & nullis ſumptibus parcunt. Ratio colendi Dominum, eique in Nativitatis ipſius celebritate placendi eſt, illum in hoc tam humili, abjectoque ſtatu imitandi. Paſtores, & Magi, qui ad ſtabulum hoc Deum adoraturi acceſſerunt, nobis eſſe poſſunt exemplo. Qua fide qua feſtinatione acceſſerunt, ut nato regi ſua teſtarentur obſequia, qua conſcientiæ puritate illum coluerunt, hæ cultorum Domini primitiæ! Plurimi quidem in finitimis locis paſtores erant, ſed illis tantum, qui vigilabant, contigit, invenire, & oculis uſurpare Meſſiam. Fulgida ſtella a pluribus conſpecta fuit; ſed Magi tantum ſeſe præbuerunt attentos voci Cælorum, & dociles gratiæ, quæ illam ſubſequitur. Volumus ne participes fieri omnium gratiarum inſignis hujus ſollemnitatis? habeamus eaſdem diſpoſitiones. Vigilantia neceſſaria eſt ad detegendum, quidquid eſſe poteſt impedimento largitatibus Domini. Dies hæc tranſigenda eſt in mentis collectione, ac requie interiori ad gratiæ vocem expectandam; generoſitate opus eſt, ut ad Magorum exemplum temporalia fugiamus negotia, ſaltem ad aliquot dies, & noſmet præparemus omni cura, ac ſollicitudine ad Salvatoris viſitationem in Præſepio. Denique opus eſt, ut ardens deſiderium noſtra obſequia teſtandi orienti Domino, diſponat animas noſtras ad eas gratias recipiendas, quas ille die natali effundit in corda pura, & divini ignis amore ſuccenſa. Hæc hodie adeo ſollemnis eſt in Mundo dies, qua celebratur CHRISTI Domini ſecundum carnem Nativitas, dies adeo exoptata, tandiu concupita, & ab omnibus Patriarchis, Prophetis, & generatim ab omnibus expetita, qui expectabant redemptionem Iſrael. *Idem.*

Imperator Auguſtus regnans in pace jubet cenſum haberi omnium mortalium. S. Virgo cum S. Joſeph e Nazareth veniunt Bethlehem, ut cenſeantur. Hic nullum in diverſorio locum inveniunt.

Nunquam viſa fuerat pax magis univerſalis ea, quæ tunc florebat. Auguſtus Imperator hac uſus opportunitate ſcire optavit, quantæ eſſent Imperii vires per diligentiſſimam ſubditorum ſuorum recenſionem. Ubi evulgatum fuit Imperatoris edictum, Joſeph illico egreſſus eſt cum Maria conjuge ſua ventrem ferente de Nazareth, & venit Bethlehem Civitatem David, ut ſua cenſentibus darent nomina. Non minus labor fuit S. Virgini, ſanctoque Joſeph quatridui iter ſuſcipere, ut de inferiori Galilæa ſeſe conferrent in Bethlehem primum Davidicæ familiæ domicilium, ex qua uterque ortum duxerant. Tectum cum uterque palam Myſterium callerent, & ſcirent Meſſiam in Bethlebem naſciturum, haud ægre itineris incommoda ſuſtinuerunt. Quo cum perveniſſent, male fuerunt excepti, quin ulla ratio haberetur vel eorum nobilitatis, vel graviditatis Virginis; paupertas enim quæ in omni eorum ſupellectili videbatur, illis contemptum conciliaverat. Omnia diverſoria plena erat ob confluentiam eorum, qui undique illuc acceſſerant, & nocte ingruente Maria, & Joſeph, qui duo propter Sanctitatem mortalium omnium merebantur obſequia, ſeſe recipere debuerunt in ſtabulum, vel ſpecum, qui extra oppidum erat, abjectiſſimorum jumentorum perfugium. *Pater Croiſet.*

S. Virginis ſenſus in ſua graviditate.

Manſio adeo humilis Deiparam, ac S. Joſeph affecit mœrore; ſed non dedecebat illum, qui naſcebatur, ut hominibus humilitatis traderet documenta; cujus Magnitudo, & Majeſtas ab exteriori ſpecie non pendet. S. Virgo, quæ non ignorabat horam, qua Salvator naſciturus erat, una cum S. Joſeph omnia momenta, quæ Nativitatem hanc præceſſerunt, traduxit in ſuaviſſima meditatione Myſterii, quod erat adimplendum. Sed media nocte incumbente ſentiens adveniſſe terminum ſuum, ſine ullis doloribus, & ſine ulla puritatis Virginalis labe in lucem effudit divinum Filium ſuum primogenitum, qui ſimul & Unigenitus fuit. Humi procumbens, eo amore, admiratione, & obſequio, cujus ardorem, pretium, & menſuram Deus unus cognoſcere poteſt, adoravit, quem genuit; mox inter ulnas recipiens involvit eum linteis, quæ ſecum adduxerat, eumque poſuit in præſepio, in quo jumentis ad comedendum fœnum proponebatur. Hæc fuerunt incunabula quæ ſibi elegit JESUS CHRISTUS, ut noſtram confunderet ſuperbiam, noſque doceret contemptum, in quo nobis habenda ſunt pompa, commoda, & omnia fallacia terræ hujus bona. Facile intellectu eſt quam impreſſionem in S. Joſeph pepererit divini hujus Salvatoris adſpectus, qui ſingulari prædilectione ſibi illum ad ſubeundas Patris vices, & officia delegerat. Quinam fuerunt illius adorationis, amoris, humiliationis actus ad pedes Dei, qui puer factus fuerat; ad pedes Verbi, quod factum fuerat caro, ad pedes Unigeniti Filii Dei viventis, per omnia æqualis Patri! Abjectum illud ſordidumque ſtabulum, tetrum illud antrum tunc factum eſt locus omnium locorum Mundi totius ſacerrimus, & ſimillima Cæleſtis Jeruſalem imago. Nullus Angelorum ad eum adorandum illuc non acceſſit; nullus, qui ex quo divinus hic Infans lucem adſpexit, ad illum colendum non feſtinavit. Illi ſua jam obſequia præſtiterant ex ipſo Conceptionis ejus articulo; ſecundo inſtaurarunt illa, ubi lucem adſpexit. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ*, inquit S. Paulus; *dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Idem.*

Hebr. 1.

Meditationes circumſtantiarũ Nativitatis Salvatoris.

Bone Deus, Quot meditationum argumenta non ſuppeditant nobis omnes miraculoſæ hujus Nativitatis circumſtantiæ! Sancta Virgo diverſorium quærit in oppido Bethlehem, ſed fruſtra; in magna illa in ſingulas horas confluentium turba locupletioribus reſervantur diverſoria. Heu! licet non defuiſſet Deiparæ, Sanctoque Joſeph, quod pro receſſu ſui pretio perſolverent, quandoquidem requirebant, ubi quieſcerent: tamen proculdubio non erat in Bethlehem perfugium ſatis abjectum pro JESU CHRISTO. Huic opus erat maceriei undequaque fatiſcentis, ac patulæ; opus erat ſpecu, & ſtabulo, huc duo omnium hominum Deo accepriſſimi, ab omnibus contempti, rejectique tenentur confugere. O Salvator, quam diluculo incipia Mundi ſuperbiam oppugnare, ac pudore ſuffundere? Quod ſpectaculum hoc majus, & admirabilius? Deus infans; & Infans, qui Deus eſt, pro quo nihil in Cælo ſatis eſt magnificum, & qui thronum ſuum habet ſuper ſydera, in Præſepio jacet duorum Jumentorum flatu calefactus, omnibus inclementiis aeris injuriis expoſitus, cum interea tot Principes, qui ejuſdem imperio ſunt ſubditi, in magnificis ædibus, & in rerum omnium affluentia naſcantur. *Ubi aula regia* Sanctus Bernardus exclamat, *ubi cura regalis frequentia?* Ubi igitur Regis recens nati Palatium eſt? ubi thronus, ubi frequentis Aulæ Miniſtri? *Nunquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, & totius Curiæ frequentia Joſeph.*

Digitized by Google

Joſeph, & Maria? Scire ne vultis quinam ſit ille, qui hoc pacto natus eſt. Ecce, S. Auguſtinus ait; eſt verbum Patris æterni; Artifex univerſorum, lux Mundi, pacia, æternæque felicitatis origo, humani generis ſalus; qui deerrantes revocat in viam; ille tandem qui juſtorum omnium gaudium, atque ſpem conſtituit: *Vis noſſe qualis eſt, qui ſic natus eſt; audi, quis, & quantus eſt: verbum Patris, artifex Mundi, lumen Cæli, pax terræ, hominum ſalus, errantium via, bonorum jucunditas. Pater Segneri.*

De Filius prodi ſuam Nativitatem Judæis, atque Gentilibus. Angeli paſtoribus J. C. Nativitatem annuntiant.

Quamvis Dei Filius naſci voluit in ſtabuli caligine, tamen non defuit, quo minus notam faceret Judæis, & Gentibus ſuam nativitatem. Angeli hunc annuntiant Paſtoribus, & aſtrum admirabile Regibus Magis. In finitimis agris Paſtores vigilabant, ut gregis ſui curam gererent: cum enim in Judæa hyems parum violenta, ac ſerotina eſſe conſueverit, armenta adhuc in agris, noctu, hac anni tempeſtate poterant detineri. Angelus Sole nitidior illis apparuit. Re quidem adhuc integra oculi eorum perſtricti fuerunt, atque cor eorum expavit: Sed Angelus idem, qui eos perterruerat, confirmavit, eiſque addidit animos. Nolite, ait expaveſcere: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Natus eſt Salvator in Bethlehem, quam nuncupatis Civitatem David. Hic Meſſias eſt, & Salvator animarum; hic Dominus veſter eſt, & Deus veſter. Invenietis eum pannis involutum, & jacentem in præſepio. Hæc ſigna ſunt, ex quibus illum poteſtis cognoſcere, ac eorum, quæ dixi vobis, veritatem intelligere. Vix loquendi finem fecit Angelus, cum Cælitium Spirituum turba audita eſt Domini, Deique ſui laudibus perſonare. Gloria in excelſis Deo, canebant illi, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Salvator recens natus probat utrumque. *Idem.*

Luc. 2.

Pauperes magis quam divites percipere poſſunt Cæli dona.

Attendite, S. Patres inquiunt, non ſapientibus, neque locupletibus Bethlehem annuntiatam fuiſſe, jubente Deo, Filii ſui Nativitatem. Superbia, avaritia, mollities magni ſunt obices adoraturis Deum pauperem, patientem, humiliatum. Paſtoribus, egenis, humilibus, laborem patientibus primum annuntiatur CHRISTUS JESUS: hi aptiores ſunt ad aſſequenda per ſimplicem fidem Religionis Myſteria. Sed quænam ſigna pauperibus iſtis traduntur divinitatis hujus pueri, & veritatis Meſſiæ? Panni, quibus involutus eſt, præſepe, in quo jacet, ſtabulum. Ex hujuſmodi ſignis ergo cognoſcenda eſt Dei ſuprema Majeſtas? Non ita profecto, ſed ex ſignis paupertatis, atque exinanitionis agnoſcendus eſt Deus Salvator, qui venit ad liberandos homines de ſervitute peccati, & affectuum tyrannide. Sed quænam Deo cedit gloria ex hac nativitate? Utique Incarnatio eſt, ut ita dicam, præcipuum Dei opus. Omnes divinæ perfectiones, potentia, ſapientia, bonitas, juſtitia, miſericordia ibi maxime elucent. JESUS CHRISTUS Patri ſuo Mundum conciliat, delet peccatum, ſubigit dæmonem, ſubjicit carnem ſpiritui, hominum voluntates inter ſe, & cum Dei voluntate conjungit. Jure igitur hodierna die pax illis nuntiatur, qui ſe dociles doctrinæ, & gratiæ Salvatoris præbuerint. *P. Segneri.*

Paſtores ſtatim Salvatorem veniunt in præſepio.

Interea Paſtores demiſſum cælitus nuntium non negligunt, ac ſeſe ultro citroque cohortati, ut ad hæc admirabilia ſpectanda ſeſe conferant, ſtatim diſcedunt, paullo poſt dimidiatam noctem perveniunt in Bethlehem, cumque ſtabulum inveniſſent, illuc inferunt pedem non vulgaris gratiæ unctione præventi, quam in eorum animas intrinſecus divinus hic Salvator effundebat. Ad illius pedes proſtrati illum tamquam Salvatorem, Deumque ſuum venerantur, cumque Deiparam Virginem; Sanctumque Joſeph in omne obſequium compoſiti conſalutaſſent, inde reverſi ſunt ineffabili exultantes gaudio, non ceſſantes collaudare, & benedicere Domino propterea omnia, quæ viderant, atque audierant. Omnes, qui hac de re verba fieri audiverunt admiratione capti ſunt, multoque magis propter ea, quæ ex ipſorum paſtorum ore intellexerunt. *Idem.*

Dei amor omnibus ſpectandus noſtros ſpectari in hoc Myſterio.

O ineſtimabilis ardor Caritatis! S. Auguſtinus exclamat. *Quis unquam ſperare poſſet; ut ex Deo ante tempora natus, pro hominibus naſceretur ex femina homo factus?* Quantus honor, & gloria tibi cedit, Homo, idem Pater addit, quod Deus fieri dignatus fuerit frater tuus? *Deus tuus factus eſt frater tuus. Sic naſci voluit,* S. Chryſologus inquit; *quia ſic amari voluit.* In JESU CHRISTI Nativitate, S. Bernardus ait, *ſtabulum clamat pœnitentiam, clamat præſepe, clamant lacrymæ, clamant panni.* Omnia in Nativitate JESU CHRISTI prædicant, omnia monent, omnia docent quacumque in occaſione nati ſimus, quocumque in ſtatu vivamus, quantumcumque humilis, aut nitens ſit locus, quem in Mundo occupamus, opus eſſe, ut cor noſtrum ſit a vitæ hujus voluptatibus, & bonis avulſum; opus eſſe, ut humiles ſimus, pœnitentes, & mortificati, ſi volumus Salvatoris nativitatem prodeſſe nobis, noſque Redemptionis ipſius fieri participes. *Idem.*

Gratia Dei apparuit omnibus hominibus ad eorum eruditionem.

Apparuit gratia Salvatoris noſtri omnibus hominibus: in quo? & quomodo? per contumeliam Deiparæ illatam, quæ ne angulum quidem invenit, quo ſeſe reciperet in diverſorio; per neceſſitatem propter quam Dominus univerſorum oriri debuit in præſepi; per extremam paupertatem, in qua Deus homo factus natus eſt. Hominum gloria ſemper eget luce, nitore, plauſu; Deus autem externis hiſce non eget ſubſidiis; ipſe ſua ſibi gloria eſt; hæc ab eſſentia illius inſeparabilis eſt, ab hominum judicio, & æſtimatione non pendet; atque Deus tantum habet gloriæ inter abjectiſſima jumenta, & in humilitate præſepii, quantum in Mundi creatione, vel in celeberrimo Templo Salomonis. Omnia in Salvatoris Nativitate ſunt Myſterium, omnia portentum; ipſa etiam paupertas, ad quam redactus eſt, non caret miraculo. Cælum prodit gaudia ſua, Angeli ejus nativitatem annuntiant, ſydus novum Regnum ejus evulgat. Sed Deus Homo non ex hujuſmodi ſignis cognoſcitur. Sed ex craſſioribus pannis, quibus eſt involutus, ex caligine loci, ex præſepi in quo jacet. Non indiget Deus externa gloria; Deus ſuam nanciſcitur gloriam, ſuam gratiam manifeſtat, ſuam oſtentat potentiam in iis, quæ ſunt humillima, & abjectiſſima. Stabulum, præſepe, crux: hæc Dei Filius Regiis ædibus, & locupletiſſimis Mundi ſoliis cenſet præferenda. Hinc ſcandalizatur Judæus; Ethnicus hæc Myſteria ſtultitiam putat; ſed Fidelis, ſed quicumque æquum de Deo fovet conceptum per denſa hæc velamina detegit Sapientiam, Majeſtatem, & Entia Supremi Omnipotentiam. Nihil melius humanæ mentis imbecillitatem oſtendit quam inſanus conatus infinitam Dei Majeſtatem metiendi juxta arctos, finitoſque ingenii ſui terminos. Divini hominis humiliatio mentem illius debet percellere, ſed hinc ille debet admirari; tunc vero præſertim, cum cogitat, propter hominum amorem huc uſque Deum hominem ſeſe humiliaſſe. Et ſane fingi ne poteſt major, & admirabilior humilitas, quam Salvatoris? Plurimi quidem ingreſſi ſunt in ſtabulum, plurimis contigit videre JESUM CHRISTUM Nativitatis die. Alii quidem miſerati ſunt, alii admirati tantam paupertatem. Sed illis ſatis fuit contemplari Filii ſortem, atque Matris patientiam: Nonnulli etiam quædam illi præſtiterunt obſequia, ſed poſt aliquot officioſa verba, unuſque receſſit. Nonne hæc imago eſt eorum, quæ hodierna hac accidunt die erga natum Dominum! Nocte hac confluxerunt plurimi JESUM CHRISTUM in præſepi adoraturi; Sed quonam fructu in pleriſque? Officia quidem multa, preces multæ. Meditantur, admirantur, prætereaque nihil. *Pater Segneri in Meditationibus.*

In præſepi apparuit amor Filii Dei erga homines. Ad Tit. 2.

Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus. Gratia, de qua hic ſermo, eſt amor JESU CHRISTI erga nos; amor mere gratuitus, quia nunquam meriti ſumus illum, amor, qui ſemper fuit idem in illo, ſed qui nondum apparuerat oculis noſtris. Hic igitur Dei noſtri amor, illum hodie nobis videndum præbuit ſub hominis forma, ſub forma infantis infirmi, pauperis, vagitus emittentis, & effundentis lacrymas pro ſalute noſtra: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri.* Salvator hic nobis promiſſus fuerat, annuntiatus, exhibitus ſub variis figuris; ac tandem nobis *apparuit.* Liceret ne tibi hodierna die teſtem eſſe amoris quem præſetulit erga te, quin tu illi amorem tuum teſtareris? Sed quoniam ille tibi per effectus oſtendit amorem ſuum, oſtende tu quoque tuum illi. Inde cognoſcimus Dei caritatem in nos, quia pro nobis ſuam vitam impendit. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Apparuit gratia Dei omnibus hominibus ad quos ſalvos faciendos venit.

Quomodonam dicit Apoſtolus: Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri *omnibus hominibus?* Quot animarum millia illum non cognoverunt, & nondum cognoſcunt? Quia Salvator quantum in ipſo erat, nihil prætermiſit, ut ſe traderet cognoſcendum. Sol ubique nitet; & ſi quis oculos clauderet luci, non ideo diceretur Sol huic non illuxiſſe. Verum igitur eſt, JESUM CHRISTUM in terras veniſſe ad illuſtrandos omnes homines, quamvis non omnes illuſtrati fuerint. Quamobrem S. Paulus ait, illum apparuiſſe omnibus hominibus *erudiens nos,* non ait erudiens illos generatim; quia pleriqua recipere noluerunt, quod ad illos illuſtrandos erat deſtinatum. Damnationis cauſa hæc eſt, quia lux venit in Mundum, & homines maluerunt tenebras amare, quam lucem. Divinus hic Infans, quem in præſepi veneramur, venit, ut nos erudiret: non igitur illi ferendum eſt acceptum, ſi ipſi permanemus in tenebris. Quæ lux non undequaque refulget? Omnium Chriſtianarum virtutum exempla, quæ nobis offert, totidem ſunt radii, quos nobis effundit. Si minime illuſtramur, inde fit, quia oculos claudimus. *P. Segneri ibidem.*

J. C. oritur in præſepi ad nos reformandos erudiens nos quid Deo, nobis, & proximo debeamus.

Exempla, quæ nobis præbet Salvator, & ad mortem uſque præbebit, omnia rediguntur ad nos reformandos erga noſmet, erga proximum, erga Deum. Erga nos quidem edocens ne pro lege ſequamur noſtra deſideria, ſed vitam ſecundum temperantiæ legem inſtituamus. *Sobrie vivamus.* Erga proximum edocens ut ſequamur leges juſtitiæ dictantis nobiſmet erga alios agendum eſſe, quomodo alios in nos agere cuperemus: *Juſte vivamus.* Erga Deum tandem nos erudiens, ut ea illi præſtemus officia, quæ filius obediens Patri. *Pie vivamus. Idem.*

Naſcentis Salvatoris exemplum tria nos docet.

Oculos cõjiciamus in Salvatorem noſtrum qui accuratiſſime tribus hiſce officiis perfunctus eſt: quibus ſi defecimus hactenus, noſmet coram ipſo humiliemus, & erubeſcamus.

Quam enim prætexemus cauſſam niſi illius exempla fuerimus imitati? Numquid perverſo vivimus ſæculo? Sed hoc Salvator nobis præcipit, ut vivamus ſecundum temperantiæ leges inter homines parum frugi; ſecundum leges juſtitiæ inter injuſtos; ſecundum leges pietatis inter impios: *Sobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo.* Prodigium amoris & bonitatis! Infans hic pauper, & patiens; Deus eſt, qui ſeſe ad nos uſque demittit, ut ſe nobis præbeat amabiliorem; Salvator eſt omnium mortalium, qui jam in præſepi peccata eorum incipit expiare. Præſepe glorioſum, pretioſi panni, ſi certa eſtis indicia amoris Dei mei, totidem eſtis eloquentiſſima documenta virtutum, quas ediſcere jubet; in quibus ut proficiam, vis, Domine, ut colam te in hoc ſtatu cum fide, & ſimplicitate Paſtorum, quarum virtutum ſchola eſt locus, in quo naſceris Domine? Huc accedite ambitioſi ad humilitatem diſcendam; libidinoſi ad percipiendam mortificationem; omnes accedamus ad intelligendum temperantiam, juſtitiam, pietatem. Ibi Salvator hodierna die æque nos docet exemplis, ac deinceps docebit ſermonibus. Immunde ſeductor, ne ulterius tua mihi proponas exempla, leges, placita; hæc damnat Deus pauper, & humilis. Hic nec falli poteſt, nec fallere; ab uno illo diſcere cupio, quod a me in pretio habendum, & requirendum eſt. Sed ſimul, Domine, cum me tuis exemplis erudis, fer opem, ut mea corrigam errata, & incondita cordis mei deſideria cohibeam. Si placita tua naturæ duriuſcula videntur; ſuave mihi erit illa exercuiſſe. *Pater Segneri.*

Tit. 2.

Joſeph, & S. Virgo contemnuntur in Bethlehem, & J. C. in eorum perſona.

Joſeph, & S. Virgo Cæſaris imperata facientes Bethlehem ſe conferunt. Dei Filius, qui hanc illis inſpirabat obedientiam erga Principes terræ, ſemetipſum illis ſubjecit, ita ut dici poſſit, illum hodierna die natum eſſe, quemadmodum mox mortuus eſt per actualem obedientiam non ſolum erga Deum, ſed etiam erga Cæſarem. Duo iſti eximii divinorum Myſteriorum ſequeſtrea cum perveniſſent in Bethlehem, ab omnibus contempti fuerunt; & neminem invenerunt a quo exciperentur. Quænam tunc fuit ſollicitudo, cura, dolor Joſeph, Virginis patientia, & Salvatoris ipſius humiliatio! Hic licet omnipotens, nihil tamen agit, ut ſibi ſubſidium perquirat. Omnia permittit Patris ſui Providentiæ. Abſolutiſſimus cordium Dominus poterat ad arbitrium flectere cor eorum, qui incolebant Bethlehem, eorumque ſævitiam in amorem convertere; ſed mavult ab hominibus omnibus pati, quam vel uni leviſſimam inferre vim. Nonne poterat ſaltem differre tempus Nativitatis ſuæ, & expectare, donec SS. Virgo Nazareth fuiſſet reverſa? Poterat hoc proculdubio. Sed ille non ita ſua amat commoda, ut ea miraculo ſibi velit comparare. Præſtat illi ſeſe aptare legibus, quas ipſe naturæ impoſuit, quam perturbare, vel in minima re, ordinem a ſe conſtitutum. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 1.*

Documenta quæ de præſepi ſuo nobis tribuit Salvator.

Documentum, quod nobis hodierna die tradit de præſepi, tamquam de ſublimi Cathedra, in quam Dei Filius aſcendit Mundi placita impugnaturus, hoc eſt, ut Mundum non diligamus, ſed contemnamus. Opponit ergo virtutes moribus ejus oppoſitas, idque non verbis tantum, ſed exemplis. Exercens primus omnium humilitatem, obedientiam, cæteraſque Chriſtianas virtutes, nos ad earum amorem, & praxim ſtudet impellere. Meditemur attentius divinum hunc puerum, ad examen vocemus, quidquid illum circumſtat; nihil in hoc Myſterio videbimus, S. Bernardus inquit, quod non ſapiat, atque commendet mortificationem, & paupertatem. Quid accommodatius eſt ad ciendum in nobis contemptum, immo etiam horrorem voluptatum, oblectationum, & nugarum Mundi hujus, quam exemplum Dei pueri, qui oritur inter vagitus, lacrymis ſuis ſuffuſus, expoſitus in tenello, & delicatulo corpore omnibus contumeliis tempeſtatis teterrimæ, omnibuſque incommodis loci miſerrimi? Numquid nobis erubeſcendum non eſt tale intuitis exemplum? Rubore ſuffundamur molles diſcipuli divini hujus Infantis, voluntatis Præceptoris noſtri paſſiones meditati. *Ibidem; & recens Auctor.*

J. C. in præſepi egregium nobis præbet paupertatis, & perfectæ abnegationis exemplum.

JESUS CHRISTUS in ortu ſuo eximium nobis præbet paupertatis exemplum, ſed extremæ paupertatis. Et ſane viſus ne fuit unquam puer naſci in adeo perfecta eorum omnium quæ ad hunc ſtatum neceſſaria ſunt, privatione, in tanta bonorum terræ carentia, in tanta anguſtia, ac neceſſitate? Heu! Parens illius tenetur illum ſuper ſuppoſitas in præſepi paleas deponere. Nihil ne nos moveat hoc exemplum? Quid detrectabimus ſequi veſtigia Salvatoris, ut exemplum ſequamur invitantis! Heu! ſi minus nos movet tanti contemptus opprobrium, ſaltem nos utilitatis ratio moveat. Meminerimus illum beatitudinem noſtram Evangelicæ paupertati ſubnectere. Igitur pauperes beati ſunt! beati fideles JESU CHRISTI imitatores! beatæ animæ Sanctæ, & Religioſæ, quæ ita vivunt, ut Deus earum natus eſt! hoc eſt in omnimoda bonorum hujus Mundi privatione. Ad parem beatitudinem contendamus; & ſi aſſequi volumus ſtatus hujus perfectionem, abdicemus quidquid ſupereſt nobis; illud nobis neceſſarium putemus, quod minus pretioſum eſt, minus delicatum, & minus commodum. Utamur eo, quod mere, & ſimpliciter eſt neceſſarium; ſed quin illud amemus, eique adhæreamus. Aliquid etiam inde, ſi fieri poteſt, abradamus, ut inde offeramus Sacrificium Deo, & hoc in uſum pauperum convertamus. Hæc via eſt illum perfecte imitandi. *Ex Morali Evangelii Tomo 5.*

Salvator in præſepi ſuperbiam in nobis dominantem condemnat.

Dei Filius infans jacens in præſepi opponit ſuæ humilitatis exemplum ſuperbiæ, quæ imperioſe dominatur in nobis. Rex ſæculorum immortalis, qui ſedet ſuper alas Cherubim, qui Cæli columnas quatit, & qui digito vaſtam Univerſorum molem ſuſtinet, hic Deus gloriæ repente ſe ipſum annihilat, ac naſci inter homines vult in ſtabulo inter duo animalia contemptus a ſuis, & ab omnibus neglectus. O homo, S. Bernardus exclamat, o inſolens mancipium! o turpe, abjectumque inſectum! quanta eſt indignitas ſuperbiæ tuæ, ſi flecti nequis intuitus Dei tui exinanitionem! Haud ægre Sancti hujus Patris ſenſum aſſequi debemus; ſed caveamus, ne nil tale cogitantes, ſiamus objecta indignationis ejus, & zeli. Num exinaniti Dei exemplum vere noſtram retudit ſuperbiam? Num fregit inania conſilia dignitatis, ac fortunæ, quibus proprius amor noſter fovetur? Nunquid incepimus aliquid imminuere de ſublimi conceptu meritorum noſtrorum, quo inflabamur? Nunquid omnem objecimus ſenſum, ſi quando hominibus afficimur contumelia? Nunquid tanti facimus humiliationem, quanti facere videmur humilitatem? Nunquid illam tanto amore proſequimur, quanto ardore Mundi ſectatores quidquid vanitatem eorum palpare poteſt, perſequuntur? Si non fovemus hujuſmodi ſenſus coram Deo taliter exinanito, ambulamus in tenebris. Væ nobis! *Moralis novi Teſtamenti Tomo* 5.

Videre Deum puerum in tanta paupertate indicium eſt magnitudinis hujus Dei Salvatoris.

Hoc vobis ſignum, dicit Angelus ad Paſtores: *invenietis Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Requirebatur in his Paſtoribus fides ſatis pura, ac illuſtrata ut ex ſignis hujuſmodi cognoſcerent Salvatorem, Davidici Regni reparatorem. Quid? Domine, Regni tui ornamenta ſunt panni? Infantia ſola eſt auctoritatis tuæ nota? Præſepe thronus tuus eſt: & ex hujuſmodi ſignis vis agnoſci? vis in hoc paſſionum tuarum ſtatu adorari? in hoc ſubjectionis ſtatu tibi obſequium adhiberi: & omnes imitari auſteriſſimas virtutes tuas, quæ naturæ ipſi magis arduæ, difficileſque videntur? Hoc tamen pretio vis eſſe Salvator noſter, & applicare nobis fructum Redemptionis tuæ! Ne igitur pudeat nos apparentium infirmitatum divini hujus Infantis, quæ veram infirmitatem noſtram conſtituunt. Judæus carnalis, ambitioſi Mundi hujus aſſeclæ, ſenſibus ſuis inhærentes, ſcandalizentur, quoad illis placuerit; nos autem vivis fidei luminibus illuſtrati harum nubium caliginem penetremus, & non ægre omnem detegemus virtutem, ac poteſtatem abſconditæ Divinitatis. Quamvis magis adhuc abſconditus eſſes Salvator mi, ſemper ex his indiciis agnoſcemus te. Semper ubique eris, ibi erit paupertas, mortificatio humiliatio. Tres hæ virtutes conſtituunt eſſentialem characterem Filii Dei facti Salvatoris, & illum omnium, qui veri fuerunt Chriſtiani. *Ex Morali novi Teſtamenti Tomo 2.*

Dei Filius naſcens offert ſe Patri æterno, ut omnes vitæ hujus miſerias ſuſtineat & ſuſ voluntatem perficiat.

Ad Hebr. 10.

Hoſtias, & oblationes noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: non placuerunt tibi Holocauſta pro peccato: Tunc dixi: ecce me; venio, juxta id quod ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus. Per hanc voluntatem, & per hoc mutuum fœdus ſanctificati ſumus per oblationem Corporis JESU CHRISTI, quæ ſemel facta fuit: *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis JESU CHRISTI ſemel.* Admiremur hunc puerum, qui Damaſci vires confringit, & aufert ſpolia Samariæ, antequam valeat ex nomine Patrem, matremque vocare, videlicet qui jam agit triumphum de poteſtate dæmonum; qui inferni portas claudit, & Cæli aperit januas, qui totum terrarum orbem debellat, & nobis plus comparat bona, quam valeant Mundi hujus imperia. *Pater Nevet in Meditionibus ſuis Tomo 7.*

Senſus, quos fovere debet peccatores in Nativitate Filii Dei.

Luc. 2.

Natus eſt vobis hodie Salvator. Accedite, Fideles, accedite in partem lætitiæ ob illius Nativitatem. Lætamini juſti in Domino; natus eſt enim Sanctus Sanctorum, ut in Mundo innocentiæ, virtutiſque amorem inſtauret; Conſolamini peccatores, ac certam fovete ſpem vos criminum veſtrorum veniam conſecuturos; quoniam vobis natus eſt Salvator, qui populum ſuum de omni peccatorum genere liberabit. Et vos qui inter Mundi miſerias, quæ undique vos premunt ingemiſcitis lacrymis, ac ſuſpiriis veſtris inducias date: vobis enim natus eſt Conſolator, qui omnibus mœroribus veſtris afferet lenimentum; Medicus, qui omnibus vulneribus animæ veſtræ afferet medicinam; fidelis ſponſor, qui omne æs alienum diſſolvet: amicus caritate plenus, qui in ſe omnes calamitates veſtras recipiet. O beata nox! clarior ſereniſſimis Mundi diebus, quæ primis illuſtrata fuiſti radiis Solis juſtitiæ! Amabilis, & deliciis affluens nox, quæ illum orientem vidiſti in cordibus diligentium illum. Benedictus ſit in æternum Pater, qui nobis Filium ſuum dedit. Benedictus ſit Filius qui de Cælo deſcendit, ut nobiſcum viveret in terris. Benedictus ſit Spiritus Sanctus, qui tanto amore, & caritate cooperatus eſt noſtræ Redemptioni.

Glo-

Gloria, laus, & honor SS. Trinitati, quæ nacta eſt modum adeo admirabilem, ut homines quidem ſalvaret, dæmonum vero ſuperbiam infringeret. *Pater Novet in Meditationibus Tomo 3.*

Obedientia J.C. Patris ſui voluntati.

Videns JESUS Patris ſui voluntatem eſſe, ipſum Mundo Redemptorem dandi, ejuſque opera utendi, ut gloriam quidem ſuam repararet, divinæ autem juſtitiæ ſatisfaceret; hanc ſibi provinciam peramanter ſuſcepit ex eo temporis articulo ſubiens immane pondus peccatorum noſtrorum. Integrum erat illi vitam eligere gloriæ, ac beatitudinis plenam, quæ celſitudinem ejus deceret: unicum enim cordis ejus ſuſpirium ſatis erat ad promerendam veniam omnium Mundi peccatorum: ſed ultro huic abrenunciat, atque ut eum ſe redigat in ſtatum, ubi agere poſſit pœnitentiam, & pro nobis juſtitiæ Dei ſatisfacere, ſibi omnes interdicit voluptates, honores, & Mundi delicias. Neque illi ſatis eſt rebus omnibus abrenunciare, verum etiam libenter amplectitur labores omnes, omnes paſſiones, omnes contumelias, ac miſerias Mundi hujus, & mortem ipſam omnium teterrimam, turpiſſimamque. Ex vita ſua perpetuam ſibi vult Crucem ſtatuere, cujus ſingula momenta totidem ſunt ſacrificia, per quæ ſeſe immolat pro nobis, ut per obedientiam vivat, & moriatur. Omnibus Patris ſui ſe ſubmittit imperiis, omnia illius veneratur judicia; & perinde ac omni voluntate careret, ſe Patris ſui voluntate duci patitur in ſingula vitæ ſuæ momenta inſtaurans deſiderium eidem placendi. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Pater Novet in Meditationibus Tomo 7.*

JESUS novam in ſtabulo Bethlehem aſſumit nativitate.

Ille, quem videtis jacentem in præſepio, plorantem, frigore contremiſcentem, ex Matris uberibus lac ſugentem, & rebus in omnibus reliquis infantibus ſimillimum; nihilominus eſt Dei viventis Filius, univerſalis hæres omnium Paternorum bonorum, viva imago ſubſtantiæ ejus, admirabilis, fortis, omnipotens, Mundi reparator, omniumque mortalium Salvator. Quiſnam prodigium hoc potuit patrare, ſupremamque Magnitudinem ad hanc exinanitionem redigere? Amor, quo vos complectitur; pro vobis de Cælo dilapſus eſt; pro vobis homo factus; pro vobis natus in præſepio. Quid tu propter illum feciſti? Quid pro te? Quod incommodum, quem contemptum, quem laborem pro illius gloria, pro tua ſalute ſuſtinuiſti? Putas ne te in Cælum pervenire poſſe per luxum, faſtum, vanitatem, & Mundi delicias? Hoc ſane te non docet ſuis exemplis hic puer. Quomodo venit in Mundum? Venit pauper, infirmus, humilis, tamquam advena cognitus nemini, & cui nemo fert opem. Quam longe Dei ſpiritus abhorret a ſpiritu Mundi! Dei Filius eligit paupertatem; Mundus non niſi opes, & vitæ commoda conſectatur. *P. Novet Tomo 7. Meditationum.*

In rerum delectu quem Deus habuit in nativitate ſua oppoſitum facit ab eo, quod Mundi ſectatores gloriam, & nitorem quærentes.

Uter melius, tutius, felicius eligit? Utrum ſequi vis; certum an incertum? id quod te ad beatitudinem adducit, an quod ad interitum? Dei Filius inter humiles ſibi complacet; ſeſe ad minimos uſque demittit; his familiariter utitur, ſtatum eorum eligit, ſeſe illis ſimilem præbet; Mundus e contra nihil niſi magnitudinem, magnificentiam, faſtum redolet. Quid ipſe ſentis? cupiſne cum Deo inire neceſſitudinem? humilitatem ama, pauperum conſuetudinem divitum converſationi præfer. Qui in terra ſunt locupletiores, hi ferme longius abſunt a Cælo. Dei Filius humillimum nativitati ſuæ, eumque incommodiſſimum eligit locum: Mundus eos ſolum habet in pretio, qui naſcuntur in purpura, & ſub aureis laquearibus. Utri fidem habes? Dei judicium ſecutus falli non potes, ſed ſecutus hominum judicium ſæpe in mala graviſſima corrues. Denique Dei Filius in Mundum venit per obedientiam, ſeſe ſubjicit Edicto Cæſaris, ſe in numero ſubditorum ejus recenſeri patitur, ut nuum in libro vitæ inter prædeſtinatos recenſeat. Ad unguem obſervat præſtitutam ſibi horam, & momentum a Patre; non prævertit tempus, ut citius prodeat e carcere, ubi omnia experitur incommoda, quæ infantes in parentum ſuorum alvo patiuntur; neque illa profert diutius ne ingrediatur in ſtabulum, ubi prænoſcit ſibi cum brutis permanendum eſſe, vel ne ſatisfaciat caritati Matris ſuæ, & propius cordi illius adhæreſcat. Expectat novem menſium finem, ut appareat hominibus, quamvis pro eorum ſalute operari feſtinet. Nonne hoc eſt oppoſitam prorſus rationem ſequi, adhærere conſuetudini Mundi, qui ſemper imperare vult, & non niſi ægerrime paret? *Idem.*

Dæmonis imperium deſtructum fuit ante Meſſiæ adventum.

Dæmon nequaquam expectat diem quo Meſſias naſciturus eſt, ut huic locum faciat: Si credimus Auctoribus Ethnicis, quibus omnis abeſt ſuſpicio, ubi noſtræ Religioni perhibent teſtimonium. Paulo antequam naſceretur JESUS CHRISTUS viſa ſunt inanium Deorum ſimulacra corruere, in quibus mendacii ſpiritus fuerat adoratus. Omnia conticuerunt oracula præter ea, quæ Meſſiæ nuntiabant adventum, & non ſemel infernales poteſtates conſiteri debuerunt, regnum ſuum finem habuiſſe, & adventare Dominum Dominorum omnium, qui Mundum regeret, eumque veri Dei legi ſubjiceret. Qua in re in anteceſſum adimpletum fuit Evangelicum illud verbum, nunc Mundus judicandus eſt, & princeps hujus Mundi ejicietur foras, *Pater Bourdalove in Chriſtianis cohortationibus. Tomo 2.*

Diſpoſitiones cum quibus orientem Salvatorem debemus recipere, in circumſtantiis nativitatis ejus inveniuntur.

Conſideremus diſpoſitiones illas quibuſcum orientem Salvatorem recipere debemus, in nativitatis ipſius circumſtantiis inveniri. Humilitas nunquam ita ſeſe ſubmittit, mortificatio nunquam longius procedit, lenitas nunquam perfectior fuit. Cum omnia eſſent pacata, dum altum concubiæ noctis ſilentium tenerent omnia, Salvator natus eſt. Quæ collectio? qui ſpiritus orationis? ſed quis amor, quæ fides, & pietas in Paſtoribus? Hæ virtutes acquirendæ ſunt, cum hoc nobis exhibetur Myſterium. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 2.*

Quid nobis conſiderandum ſit in hoc ſpecu, ubi natus eſt Filius Dei.

Ingrediamur pauperem ſpecum, ubi Rex Cæli ſedem ſuam poſiturus eſt familiariter nobiſcum converſaturus. Conſideremus præſepe hoc quod Cæli theſaurum conſervat, redemptionem Mundi, gaudium hominum, & Angelorum. Videamus quomodo Deus, qui pro nobis factus eſt homo, jacet in paleis, craſſioribus pannis vinctus, & involutus. Deoſculemur peramanter hæc incunabula, quæ omne bonum continent, eaque corde præ amore æſtuante amplectamur. Humiliter noſmet proſternamus ad pedes amabilis hujus pueri, eos lacrymis noſtris irrigemus; ponamus illi aram, eum tamquam Deum noſtrum adoraturi, eique cordium noſtrorum ſacrificium oblaturi. Noſmet illi mancipemus, & exoremus eum, ut ibi indelebilibus characteribus ſuaviſſimum nomen ſuum imprimat. Offeramus illi omnes cordium, animarumque noſtrarum facultates, ut ſerviamus illi. Noſmet perfecte tradamus illi, ut toti ſimus illius, in æternum, nunquam ab eo receſſuri; & agat ille in nos ad arbitrium quidquid, & quomodocumque ipſi placuerit, quin aliquid excipiamus, & quin reluctemur. Hoc pacto naſcentem Salvatorem venerati facilius invenire poterimus artem placendi illi, in tenerum cor illius viam nobis faciendi, & aditum illi in cor noſtrum ultro citroque aperiendi. Hæc acceptiſſima eſt oblatio, quam illi facere valeamus obtenturi ab ipſa ejus nativitate gratiam divinæ ipſius ſervituti fideliter inhærendi. *Pater Novet in Meditationibus Tomo 7.*

De præſepi Filii Dei.

Ubi meditati fueritis ſtabulum, quod eſt Palatium, in quo Rex Regum inhabitat, cogitate præſepium, ubi tamquam in throno inter duo animalia quieſcit. Verbum æternum erat in ſinu Patris ſui, quo homines humi repentes nequibant aſcendere: Amor effecit, ut in abjectiſſimum Mundi locum deſcenderet illis ad ſe aditum præbiturus. Non ſatis eſſe putat in ſtabulo habitare mollem peccatorem perquiſiturus, ſed per ſummæ bonitatis exceſſum jacere vult in loco, quod brutis paſcendis deſtinatus eſt. Sed in hoc throno Magi verum Salomonem venerantur, & quamvis non niſi puerum inter duo animalia jacentem intueantur, illum tamen tamquam Deum ſuum colunt: *In medio duorum animalium cognoſceris.* O Salvator, quam vera ſunt hæc verba! vere in præſepi omnes divinæ tuæ perfectiones magnifice collucent: potentia tua, ſapientia, miſericordia ibi admirabile ſolium collocarunt. At ibine ſubſiſtet caritas tua? Poſtquam te inter duo collocavit animalia, exaltabit te inter duos latrones in ligno Crucis, & tibi conſtituet ſolium adhuc ſplendidius illo præſepi. O quam ingratus eſt homo, pro quo hæc omnia miracula operaris, & omnes has pateris humiliationes, niſi te ex toto ſuo corde dilexerit, & vitam mollem, ac animalem in ſpiritalem, atque divinam converterit! *Pater Novet.*

Deus infans omnes adhibet ſuæ gratiæ illecebras, ut ſibi cor noſtrum conciliet.

Dei Filius oriens oculos noſtros non perſtringit ea Majeſtate, qua amictus coruſcare potuiſſet, immo neque terrere nos vult ſignis magnæ potentiæ, & dicere poſſumus illum non aliam vim ſibi retinere præter eam, quæ ſubigit corda. Etſi fulminibus præcinctus eſſet, hic nobis ſemper eſſet amandus, quoniam eadem ſemper illius pulchritudo eſt, bonitas eadem. Erga creata mutari poſſumus: creata enim ipſa obnoxia ſunt mutationi. Deus unus qui ſemper eſt idem, eumdem ſemper meretur amorem. Timor tamen benevolentiam noſtram perturbat, cum illum exhibemus nobiſmet cum ſuprema illa poteſtate, quæ ſumere poteſt pœnas de infidelitate noſtra, vix, & ne vix quidem concipimus erga terribilem hunc dominum motus ſuaves cordis tranquilli. Sed quomodo nam terreat nos parvulus Infans? Corpuſculum ejus faſciis involutum, innocentes lacrymæ ex ejus oculis fluentes, lenes riſus, ſuavis feſtivitas ſola ſunt arma, quibus ei placet uti. Deus infans! quid adhuc operire potes, ut illum diligas? Deus, quid potentius? Infans, quid infirmius? JESUS vinctos habet lacertos, patitur, plorat; quomodo terrorem nobis incutiat: illius nos decet miſereri. Deus qui ſubvertit, qui ad nihilum redigit. Deus qui ſubmergit Pharaones, qui confundit Nabuchodonoſores, qui reprobat Antiochos. Deus qui manu ſua univerſum terrarum orbem continet, ecce indiget auxilio matris ut vivat: *Vagientis vox magis miſeranda eſt, quam tremenda.* Iram ejus vereamini, Chriſtiani; vobis metuendi locus eſt, ſed vereamini iram, quæ puniet contemptum, quo illecebras Dei Infantis neglexeritis. *Pater la Peſſe in Sermonibus Tomo 6.*

a Bern. ſerm. 5. in die Nativit. CHRISTI.

Miracula quæ in ipſa nativitate Dei Filius operatus eſt.

Hic Infans oraculis ſilentium indixit, antequam loqui inciperet. Obſtruxit os dæmoni, cum adhuc verſaretur inter ulnas Deiparæ. Ejus incunabula Templis, & aris funeſta fuerunt: concuſſit idololatriæ fundamenta, Principis Mundi ſolium evertit. Homo hic naturæ promiſſus, a Prophetis expetitus, a gentibus concupitus; Homo hic tandem de Cælis dilapſus de terra Deos exterminavit. *Socrates Chriſtianus Domini Balzac.*

Electio facta a Filio Dei paſſionum, atque humiliationum Fideles debet perterrefacere, ſi quid inde conſequatur, intellexerint. Nihil tamen eſt quod objiciant, ut earum conceptui caliginem offundant, & ut virtutem earum imminuant. Deus id fortuito non præſtitit; neque infidelitas nequiſſima illum cæcitatis poſſet redarguere in hoc facto. Jam ſuum inierat conſilium, ac nos erudire volebat, quid ſentiendum, & judicandum eſſet, ut nos diſponeret ad exercendas virtutes ſuo Evangelio conformes: Naſcitur tamquam mortalium miſerrimus, quoniam ita ab æterno decreverat. Conſilium ejus conceptum fuit ſecundum regulas Sapientiæ infinite adorabilis, & ſecundum regulas eaſdem conſtituit viam, quæ illum ad finem ſuum eſt deductura. Illud autem ſuſcepit ut nos erudiret. Lectio eſt præmeditata, ac tuta. Deus non ad elegit invitus. Quæ enim ſtultitia eſſet aſſerere eum, qui omnia eduxit ex nihilo, coactum fuiſſe pauperem, & contemptibilem naſci! Unicum ſignum voluntatis ipſius illi paraviſſet regias ædes, thronum, purpuram, & coronam. Neque incomparabilem hanc electionem fecit Deus citra neceſſitatem. Finis, quem ſibi propoſuerat, hoc ab illo expectabat: Curandi erant homines a fallacibus præventionibus ſuis. *Pater la Peſſe Tomo 6. Sermonum.*

Dominus oritur in ſtabulo omnibus rebus deſtitutus, loco ac tempore incommodo, & quare?

Invidemus felicitati hominis, qui in commoda domo, & rebus omnibus affluenti per otium frui poteſt omnibus vitæ deliciis. Videte ſtabulum Bethlehem, maceriam dirutam, omnibus temporum contumeliis patentem: hic locus eſt, ubi Deus noſter naſci vult, deſtitutus omnibus ſubſidiis, quæ pauperrimo cuique in lucem prodeunti non deſunt. Salvator noſter videt ſe in ſtabulo incumbentibus tenebris noctis ſemoto in loco, eo autem tempore, quod terrebat viatores, hora algenti, incommoda, ſomno deſtinata; S. Virgo, & S. Joſeph omnia, quæ poſſunt, illi præſtant obſequia: ſed nullus erat affinis, nullus alienus, nullus proximus, nullus amicus: bos unus, ſecundum Prophetiam, cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, ut illud cederet Domino ſuo. Mundani ſi adeo parum intereſt veſtra audire Deum naſcentem, & credere doctrinam, quam tradit, ſuadeo, ut ex eo quæratis, quod ex S. Joanne Judæi: *Tu es, qui venturus es; an alium expectamus?* Verum quid? alium ne Salvatorem cuperetis, eo quod Deus vos cogit, ut aliter de rebus judicetis? Poterat ne vos ad ſanctitatem perducere, quin ſenſus veſtros caſtigaret, & expiaret fidem veſtram? Num optaſſetis, ut ille peccato faveret, veniens, ut illud everteret; ut rediret in gratiam cum hoc ipſo Mundo, ad quem impugnandum acceſſerat; ut probaret Sapientiam carnis, quam in vobis erat jugulaturus? Vobis adfert novum Evangelium præjudiciis veſtris, ac ſenſuum argumentationibus oppoſitum; ſed hoc ſuum eſt Evangelium: & quamvis ſit Deus, dignatur ad vos uſque deſcendere, ut vos erudiat. *An alium expectamus?* Optaretis fortaſſe Dominum, qui præceptis ſuis errores corruptæ naturæ probaret? Quidam Eccleſiæ Pater docet, ingreſſum Salvatoris in Mundum exemplar eſſe ingreſſus noſtri in Chriſtianam Religionem; innuit abnegationem ſui, & virtutes, quas exercuit in nativitate ſua eſſe eamdem abnegationem, & virtutes, quas nos exercere tenemur, ex quo fidelium characterem induimus. *Idem.*

Matth. 11.

S. Cyprian. de Nativ. Dom.

Meditationes quas nos facere jubet Salvator de circumſtantiis ſuæ nativitatis.

Dei Filius in Nativitate ſua nos docuit cogitare de rebus omnibus, quæ poſſunt diſtinere, vel fovere inconditas affectiones noſtras. Generatim loquendo, homines nunquam cogitaſſent, ſe videre poſſe naſci in ſtabulo, poſtquam ſibi pauperem delegerat Matrem, poſtquam a concivibus ſuis ſe contemptum viderat, poſtquam edictis Imperatoris ſibi ſubditi paruerat. Hebræi quoque qui erant populus fidelis, ſperabant futurum ut illis naſceretur Meſſias, qui cum pompa veniret in Mundum, & qui magna in luce, ac nitore contereret jugum, quod ipſis Gentilium dominatio impoſuerat. Quiſnam de rebus Judicium ferens ſecundum principia Sapientiæ carnis prædixiſſet fore ut Cæli, terræque Dominus vellet rebus omnibus deſtitui in ipſo vitæ ſuæ primordio, ſe non noſtris tantum infirmitatibus, verum etiam miſeriis ſubjicere, præferre genus obſcurum, abjectum, indigens opibus, & honoribus, quos ſibi procurare potuiſſet; ſemet ſubdere alienæ Poteſtati, quæ coram ipſo nihilum erat: labi in fœnum, & paleas inter duo animalia, cum verbo univerſa creaſſet? Vulgo libenter ratiocinamur ſecundum ea, quæ concupiſcimus. Politicus e contra credidiſſet venturum eſſe ſupremum Dominum ad rebelles ſubditos ſuo ſubjiciendos imperio; hunc majeſtate, & armis uſurum, ut ſeſe traderet cognoſcendum; de altitudine ſolii coruſcantis Regibus terræ imperaturum; tandem enim paupertas, ſilentium, tenebræ humiliatio media ſunt aptiora ad inſpirandam hominibus docilitatem, & obedientiam. Quemadmodum non metuitur, quod contemnitur; humiliationis ſtatus parum idoneus videbatur ad efficiendum, ut metueretur recens Dominus, qui veniebat, ut ſuum confirmaret imperium. Homo æquo liberior damnaſſet in Deo hanc generalem omnis gloriæ, omniumque bonorum deſtitutionem; deprehendiſſet probri cauſſas in pannis, & præſepi illius, potius quam probaret humiliationes humanitatis, & admirabilem paupertatem, quæ adeo parum majeſtatem illius decebat. Naturale eſt animæ abnormi nihil magni deprehendere, ubi nihil videt, quod ſibi placeat. Mundi ſectator ægre intellexiſſet cauſſam, quæ cogere poſſet Salvatorem, ut in adeo miſero ſtatu naſceretur: coegiſſet quidem rationem ſuam ad Myſterii veritatem amplectendam; ſed illius ſpiritum ignorare ſimulaſſet. Coluiſſet omnes humiliantes circumſtantias Nativitatis Dominicæ, quin tamen aſſequeretur ſenſum, qui illum impulerat; ut ita naſceretur. Memet ſubjicio iis, quæ ſunt mihi credenda, dixiſſet: ſed cur lumina mea captivare debeo ad ſecernendas intentiones actionis, quam credo. *Pater la Peſſe Tomo 6. Sermonum ſuorum.*

Quid his politicorum mundanorum ac improborum argumentis reſpondendum ſit.

Polinco, æquo liberiori Mundi aſſeclæ dicamus hæc S. Auguſtini verba; *Uſque in adventum veſter error duraverit: quid ergo ultra graves corde eſtis?* Voſmet ſillere potuiſtis hæc argumentati, antequam JESUS CHRISTUS veniens in Mundum ſenſus ſuos aperiret: ſed poſtquam illum adoraſtis in præſepi, ſermonem hunc habere vobis non licet, quin dedecus inferatis Sapientiæ illius, & quin ſanctitatem ejus blaſphemetis. Hactenus erraſtis: non negatur venia errori veſtro, infirmitati, ignorantiæ, improbitati: ſed vobis illuxit ratio, & cæcitas veſtra jam non eſt venia digna. Deus ſe vobis oſtendit, ut vos illuminaret. Nota, qua ſecerni vult quatenus Salvator, eſt paupertas extrema: eſt horror earum rerum omnium, quæ ambitio, & cupiditas hominum in pretio habere, & perquirere conſueverunt. Sinite rationem veſtram, quoad voluerit aberrare: fatendum eſt Deum noſtrum, qui falli non poteſt, contemnere quidquid conſtituit Principes viros, & beatos ſæculi. Ut eos ſalvos faceret, illos debebat ſanctificare, & hac mente primum docet illos, nullo in pretio habere quidquid illos in aliorum oculis commendat. Omnes ſcire vult, ſe horrere, & flocci facere opes, honores, delicias. *Idem.*

Paupertas Filii Dei naſcentis.

Quænam fuit JESU CHRISTI paupertas abſoluti creaturarum omnium Domini? Inutile eſt de illa verba facere: omnia in Bethlehemitico ſtabulo de ea palam loquuntur. Diſtinguamus hic etiam legitimam poſſeſſionem, quæ vobis bonorum veſtrorum uſum permittit, ab affectu, quo inhærere videmini his iiſdem bonis, quæ ille condemnat. *In propria venit; & ſui eum non receperunt.* Venit ille in poſſeſſionem ſuam, in propriam hæreditatem, inter cognatos, amicos, ſubditos ſuos; & concives, atque creaturæ ſuæ illum non receperunt. Valeant dignitates, & prædia veſtra; verum quonam pacto excuſabitis coram illo furentem hanc aviditatem deglutiendi quidquid vobis placuerit; vorax hoc ſtudium omnia in lucro ponendi contra Leges Evangelicas, & ſtimulos conſcientiæ veſtræ? *Pater la Peſſe Tomo 6. Sermonum ſuorum.*

Vult ſuæ paupertatis exemplo nos avellere ab amore bonorum terræ.

Nitet nobilitas veſtra, dignitas veſtra viget; res familiaris ruit; rumor veſter perdurat, exceſſus veſtri perſiſtunt; augentur fundi veſtri, fortaſſe quia tranquille ea retinetis, quæ veſtra non ſunt. Non ſufficit vobis palam facere affectum veſtrum erga divitias, curis, anxietatibus, ſollicitudinibus, tumultibus quibus inceſſanter fatigamini; velletis etiam Mundum univerſum exinanire. Ulla ne cum vobis pertractanda, ubi de veſtra agatur utilitate? cavendum eſt diligentiſſime, induſtria opus eſt, ut contra callidam, & crudelem avaritiam veſtram noſmet præmuniamus. O divine Magiſter, quem hodierna die veneramur; quid ulterius facere poteras, ut a terrenis rebus cor diſcipulorum tuorum abduceres? Quo tandem evaſerunt omnia hæc documenta, & amaritudines? Ita ne qui tuum profitentur Evangelium, & qui ſe tuos eſſe, ac ſequi te gloriantur, doctrinam, & exempla tua ſibi vertunt in ludibrium? O præſepe JESU! ſerius ocyus eris formidabile tribunal; de quo Judex noſter in nos feret ſententiam. *Idem.*

J. C. præfert paupertatis contemptum gloriæ quam obtinuiſſet naſcens in magnificentia.

Præfert JESUS CHRISTUS contemptum, quem ſeparare nequit ab extrema paupertate, gloriæ, quam recepiſſet prodiens in Mundum tamquam Dei Filius, tamquam Rex Angelorum, & hominum & ſupremus rerum omnium dominus. Cum ejus adventus nuntiatur Paſtoribus, Angeli non dicunt illis invenietis Regis Cæleſtis filium Angelorum corona ſeptum in Palatio, in aureis incunabulis pretioſis involutum linteis, exercitu ſtipatum: ſed invenietis puerum; num quidquam infirmius fingi poteſt? pannis involutum; num quidnam deterius? in præſepio, num quidquam calamitoſius? *Godeau in Homiliis.*

Deus qui olim locutus fuerat per Prophetas ut timeretur, nunc loquitur

Deus, qui tot ſæculis locutus fuerat per Prophetas, noviſſimis hiſce temporibus locutus eſt per Filium, S. Paulus ait, ſed hodie longe alio utitur ſermone, quam olim. Prophetæ audiverunt illum inter fulgura, & tempeſta-

per Filium in præſepio, ut timetur.

peſtates, audiverunt vocem illius minitabundam, ac terribilem tamquam fulgur tonitrui; hodie vero locutus eſt per os pueri. Loco procellarum, ac fulminum vagitus adhibet, & lacrymas: loco throni flammivomi, ſtabulo utitur, & pro terribili majeſtatis, ac potentiæ apparatu paleis, ac duobus animalibus. *Olim loquens in Prophetis, locutus eſt nobis in Filio.* Unde nam hæc mutatio, Fideles! Quia hodierna die miſericordia ſubit in locum juſtitiæ. Deus olim locutus erat, ut ſui timorem injiceret; nunc loquitur, ut ſibi conciliet amorem. Etenim, Chriſtiani, quomodo reſiſtere poſſumus illecebris naſcentis Dei? *Invenietis infantem.* Sed nunquid vobis abſcondo recens erroris argumentum? *Infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Infans hic pauper eſt, jacet in præſepio. Ad verbum hoc vos fortaſſe animum deſpondetis, ac metuitis, ut cogamini eas exercere virtutes, quæ vos deterrent. Nihil metuite, non licebit vobis repugnare illecebris earum rerum omnium, quas ipſe diligit. Verum eſt, illum ea vobis dicturum, quæ a vobis erunt facienda; ſed hæc dicens ipſe mulcet, ac lenit labores veſtros. Salvator ſeſe amabilem reddit, ut virtutes ſuas vobis amabiles reddat: neceſſe eſt illum amare, & imitari, ut ſalvemur. Seſe adducit in ſtatum, quo nullus aptior eſt ad nos permovendos, & animandos; licebit ne amorem noſtrum eidem negare? licebit illum non imitari? Naſcitur puer, ut nobis placeat; naſcitur pauper, humiliatus, patiens, ne terrenarum opum, gloriæ, & voluptatum abnegatio nos terreat. Vult ſibi amorem noſtrum conciliare; vult etiam, ut nobiſmet amorem ſuum conciliemus. Ejus infantia vim facere debet duritiæ noſtræ, ejus autem exemplum confirmare noſtram infirmitatem: omnia noſtrum amorem requirunt erga Salvatorem in Deo infante; Invenietis *Infantem. Pater la Peſſe Tomo 6. Sermonum ſuorum.*

Salvator, S. Petrus Chryſologus inquit, *ſic naſci voluit, quia voluit amari.* Sub infantiæ infirmitatibus naſcens amovit a ſe quidquid mollitiem noſtram avertere poterat, & effudit quidquid illam poterat excitare. Quis noſtrum illum poſſet non amare, ſi duplicem hanc ſententiam probarem? Injuſtæ affectiones, indignæ cupiditates, noxia ſtudia per vos mihi liceat ſaltem meditari ſuaviſſimum Infantem hunc, cui omnem amorem noſtrum debemus. Summa Majeſtas, & ingens poteſtas ſuapte natura noſtrum præpediunt amorem. Non libenter diligimus eum, quem a nobis ſemovet gloria: fulgor, quo ſeptus eſt, non ſatis nos in eos confidere ſinit. Domini ſpecies, & obtutus nobis timorem ingerunt: inæqualitas noſtram ciet vanitatem; vanitas non patitur, ut cor noſtrum in diſcrimen afferamus; conditionis humilitas, fortunæ obſcuritas non imminuit pretium, in quo illum habemus; atque haud ægre cordi noſtro amorem interdicimus, ex quo impune repulſam pati poteſt. O Chriſtiani! Auſimne vobis exhibere ſtatum, ad quem ſe redegit Salvator, ut nos ad ipſum amandum impelleret? De ſinu Patris in Virginis ſinum lapſus eſt, & de Virginis alvo in præſepe cum omni Infantis pompa. Quam amabilis eſt in hoc præſepi! ſed noſtris perſtringendis oculis, quam impar? Si cor vobis eſt, Fideles, nonne illud effundere debetis ante pedes hujus amabilis pueri? A me diſceditis, infirmæ creaturæ, dicit ille vobis, ubi me in ſplendoribus gloriæ meæ cogitatis: quam prætexetis cauſſam, ne accedatis ad me eo in ſtatu, in quo me videtis? ſuavitas pueri vulgo duritiem veſtram infringit, Infantis Dei illecebræ vos flectere non poterunt? blandas illecebras veſtras expecto, brachia tendo, ut blandiar vobis; licet vobis guſtare voluptates præſentiæ meæ, vos meis nutibus invito. Quid Chriſtiani, nihil ut vobis proficiet Deus ſuam abjiciens Majeſtatem, ut ſibi veſtrum amorem conciliet? Admiratio, extaſis, benevolentia nonne promereri, & allicere deberet cordi omni ſenſu carentia, eaque amoris igne conſumere? Niſi te diligimus divine Salvator, in pauperi hoc, abjectoque apparatu, ne nobis te unquam oſtendas nobis, niſi ea in luce, quæ nos humiliet, nobiſque noſtram ſubmiſſionem, & nihilum objiciat. Videtur JESUS per præſepi paupertatem nobis immittere velle miſeriæ noſtræ oblivionem ut nos trahat ad ſe. Si illecebris ejus reluctamur, nonne æquum eſt, ut in noſtram duritiem animadvertat ſignis magnitudinis ſuæ? *Idem.*

Quomodo J. C. qui ſupremus eſt rerum omnium Dominus indiget omniũ in ſua nativitate.

JESUS CHRISTUS Deus eſt infinite magnus, atque ſeſe ſubjicit, obedit, abſcondit tamquam ignotus. Deus eſt omnipotens, & ſuſtinet pueritiæ infirmitates, tempeſtatum incommoda, rerum omnium defectum, ac ſubjicit ſe his omnibus pœnis perferendis. Deus eſt ſupremus univerſorum Dominus, & pauper eſt. Pauper vero eo uſque, ut non ſit illi domus, non incunabulum, non cubile, non ſubſidium, quod miſeri obtinere poſſunt a caritate, & pietate. Niſi infinita magnitudo fuiſſet humilianda, & profecto ille non humiliaſſet magnitudinem ſuam, Mundi aſſeclæ dicere potuiſſent illum Regio more imperitare, quin ipſe legis ſuæ difficultatem experiretur; ac ſemet diſpenſantem a pœnis, quas imponebat, videri nobis optionem relinquere abnegationis, quam ipſe non exercebat. Si defuiſſet illi divinum robur, vel illud non ſuſpendiſſet, ubi omnia illi ſubeunda fuerunt incommoda infirmitatis, mundi ſectatores exiſtimare potuiſſent, illum miſeros tradere miſeriæ ipſorum, & permittere, ut beati ſæculi peramantes, & ardenter omnibus ſuæ felicitatis effectibus perfruerentur. Niſi fuiſſet illi abſolutum, atque independens dominium, & illud aliquo pacto non abjeciſſet, ut omnes repulſas ſuſtineret, omnemque indigentis obſcuritatem: libenter mundani rati fuiſſent, ab illo nequaquam damnari nimias opes, atque ambitioſa conſilia. Creare potuiſſet magnificas ædes, temporum ordinem invertere, circum incunabula ſua voluptates omnes congerere. Sed non niſi infirmitatem habet in ſolatium: ſimul etiam colligit circumſtantias omnes duras, atque moleſtas, quæ ab illo omne amovere poſſunt ſolatium; frigidum, incommodumque tempus, magnum convenarum numerum diverſoria occupantium, proximos ab ope ferenda remotos, neceſſarium SS. Genitricis ſuæ partum in hujuſmodi circumſtantiis; tantumque abeſt, quod ſua abutatur potentia, ſibi vitæ commoda procuraturus, ut providentiæ ſuæ lumine utatur, iiſdem privandus. Nobis injicere cupiebat horrorem noxiarum voluptatum, timorem earum, quæ ſunt periculo proximæ, & contemptum earum etiam, quæ culpa vacant: volebat nobis re adhuc integra proponere ſyſtema Evangelii, nequaquam cum Mundi deliciis conciliandi. *Pater la Peſſe Tomo 6. ſermonum.*

J. C. naſci volens in ſumma paupertate, ſignificat nobis, ſe Mundi opes contemnere.

JESUS CHRISTUS naſcena in extrema pauperte palam oſtendit ſe Mundi opulentiam nihili facere. Longius quam fieri poteſt, abeſſe vult, ut reſtetur, quam longe cor ſuum ab illius abſit amore. Naſci non vult vel in materna domo, vel in patria, vel in aliquo hominum habitaculo, ſed ut naſcatur alienam optat urbem, ac ſtabulum, quo bruta ſeſe ſolent recipere. Carere vult ignis ſubſidio, quod commune eſt elementum; immo neque habet incunabulum: & jacet in præſepio: Quæ paupertas! quæ rerum omnium carentia! Sequamur ergo exemplum illius, & Mundum non diligamus. Neque ſatis ſit dicere illum a nobis non diligi, ſed neque foveamus in cordibus noſtris ſecretos affectus. Sanctus enim Puer per lacrymas, quas ſuper præſepe ſuum effundit, cognoſcet quidquid latebit in cordibus noſtris, & nos tamquam malos diſcipulos rejiciet, qui tantum abeſt, quod illius veſtigia ſequantur, ut opera faciant ab operibus ejus longe alia. Non jubet quidem a nobis exerceri adeo arctam paupertatem qualis ſua eſt; ſed ſaltem vetat a nobis opes amari, & hoc præſertim tempore, quo noſmet ad illius præparamus adventum, exigit, ut nobiſmet aliquid interdictum velimus propter amorem illius. Si commode, vel magnifice habitas, ne his commodis, ne huic inhæreas magnificentiæ; te pudeat; & ſi illic habitas corpore, ſpiritu ſaltem, in Bethlehemitico ſtatu permane; abſcinde parum aliquid ex communi ſumptu, quod eroges in eleemoſyna puero Sancto, qui propter amorem tui vult rebus omnibus deſtitui. *Godeau in Homiliis.*

Humilitas Filii Dei in Nativitate ſua nos ad illam imitandã invitat.

Quis ita cæcus eſſet, qui non videret, infirmitatem hanc, in qua Salvator apparet, hanc humilitatem animas ſuperbas infringere, & confundere vanitatem cogitationum ſuarum, eaſque docere contemnenda eſſe ea, quæ cient in ipſis acres, ardenteſque cupiditates, quæ illis omnem cordis ſenſum auferunt. *Ne dedignaretur homo*, S. Auguſtinus ait, *imitari hominem humilem, Deus factus eſt humilis, ut vel ſic ſuperbia generis humani non dedignaretur ſequi veſtigia Dei. Auctor recens, & Anonymus.*

S. Auguſt.

De itinere Sanctæ Virginis & S. Joſeph in Bethlehem.

Cum Auguſtus Cæſar edictum feciſſet, quo omnes illius ſubditi nomen ſuum darent quilibet in patria ſua; S. Joſeph, qui erat ex familia David viam corripuit cum Sponſa ſua ventrem ferente iturus in Bethlehem civitatem David. Satis admirari non poſſumus obedientiam, quam Filius Dei præſtare dignatus eſt huic Principi, edictum illud evulganti, ut Imperii ſui vires cognoſceret, & ſubditis ſuis recens tributum imponeret. Maria, & Joſeph qui nihil aggrediebantur, niſi ſecuti motum hujus Infantis, de hoc Edicto non ratiocinantur, neque contendunt ſe immunes eſſe ab obedientia terræ Principibus debita, ſecum habentes terræ, cælique Dominum. Non cauſſantur tempeſtatis rigorem, non itineris longitudinem, non Mariæ, quæ partui proxima erat, graviditatem. Sed cæce obediunt Deo in perſona Miniſtrorum ejus, alacriter obediunt in re difficillima, & abjectiſſima, obediunt hilariter ſine murmure, & querela, obediunt celeriter, quin ne unam quidem diem cunctentur. *Pater Craſſet.*

Dei Filius naſcens oſtendit miſericordiam ſuam erga homines.

In Verbi Incarnatione miſericordia Dei hactenus ſolis Judæis perſpecta, omnibus hominibus apparuit; ille enim, quem miſit in terras, & cujus nocte hac Nativitatem colimus, Salvator eſt, non Judæorum tantum, ſed etiam Gentilium, & in eo videmus adimpleri illud Iſaiæ vaticinium: *Videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.* Ignorabamus, qualis eſſet in nos Dei bonitas; hanc autem hodie nobis oſtendit per Redemptorem, quem nobis largitur; & inſignis hæc gratia nos docet, ut inde proficiamus, nobis non verbis tantum, ſed corde abrenuntiandum eſſe *impietati*, hoc eſt peccatis omnibus, quæ committere poſſumus in Deum, cujus generis ſunt idololatria, ſuperſtitio, blaſphemiæ, & *mundi cupiditati-*

Iſaiæ 52.

bus, hoc eſt ineondiris deſideriis, quæ pleroſque trahunt mortales, & propter quæ creata magis, quam Creatorem diligimus. Nam ex quo venit JESUS CHRISTUS, ac nos ſibi conſecravit, non licuit nobis amplius vivere nobis, & ſecundum animi noſtri cupiditates: ſed opus fuit, ut in temperancia, juſtitia, & pietate viveremus. Triplex hæc virtus omnia complectitur hominis officia ſive erga ſe, ſive erga proximum, ſive erga Deum. *Tomo 2. anni Chriſtiani Domini Tourneaux.*

S. Joſeph, & S. Virgo, quia pauperes erant, locum non invenerunt.

Cogitate quæſo Fideles, quomodo divini viatores iſti, ubi pervenerunt Bethlehem, urbem ingrediuntur, per vias, & compita de domo in domum quærunt ſibi habitaculum; neque ab ullo recipiuntur, quia pauperes ſunt: præter quam quod diverſoria repleta erant magna confluentium frequentia; quæ in re tria oportet admirari; quorum primum eſt Dei Providentia, quæ permittit, ut hoc edictum hoc tempore evulgetur, ad omnia diſponenda ſecundum conſilium illud, quod conſtitutum erat, ut Filius naſceretur in ſtabulo, & daret Mundo hoc inſigne humilitatis, & paupertatis exemplum. Si enim Maria adhuc dies aliquot permanſiſſet in Nazareth, peperiſſet domi ſuæ, ubi quaſdam parvas commoditates nanciſci potuiſſet. Sed voluit Deus edictum tunc temporis evulgari, & Pater, ac Genitrix Filii ſolum verterent, ut illi obſequerentur. 2. Poterat Deus naturæ ordinem invertere, tempeſtatis rigorem mulcere, incolarum animos flectere, Virginis partum differre. Sed nil horum fecit: Omnia permiſit Providentiæ, ut doceret, noſmet omnibus naturæ caſibus, omnibuſque nutibus ſubjicere Superiorum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium bonorum, vel malorum, quin immunitatem, vel diſpenſationem quæramus. Hau! quam longe abſum ab hac virtute! vellem a Deo univerſum naturæ ordinem immutari, ut meis ſeſe aptaret deſideriis, & me hac pœna liberaret. 3. Voluit Deus, ut Filius ſuus nullum inveniret habitaculum, ubi reciperetur, ut intelligeremus odium, quo Mundus illum perſecuturus erat, quandoquidem illum contempſit, eique obſtitit etiam antequam naſceretur. *Pater Craſſet.*

Maria, & Joſeph non invenientes, a quo exciperentur, ex urbe pedem efferre conati ſunt, & ſeſe recipere in ſpecum ad collis radices, qui erat loco ſtabuli, & quo animalia ſeſe recipere conſueverant. Cæli Regina hanc paupertatis ædem admirabili cum verecundia ingreditur, quin de incolis conqueratur, ſed ſeſe tradens Dei Providentiæ ita præcipienti. Illuc ingreſſa una cum viro ſuo procumbit in genua, Deoque gratias agit, eo quod ipſam in hunc paupertatis, humilitatis, & patientiæ ſtatum redegerat. Poſt hæc præparat ſe partui, quem proximum eſſe noverat, ac in pace beatum illud præſtolatur momentum, quo in lucem erat Mundi lumen editura. *P. Craſſet.*

Duæ rationes, quæ impulerūt Dei Filium ut in paupertatis ſtatu naſceretur.

Duo contigiſſe oportet in Nativitate Filii Dei, ut hoc pacto naſci deberet. 1. Viderit opus eſt in paupertate pretium aliquod, & aliquam dignitatem, quam non videbant homines, & quam per naturale lumen videre non poterant: quandoquidem eum infinita polleret Sapientia hunc ſtatum elegit. Ad videndum autem in re id quod ratio non videt, & ad id proprio lumine inſpiciendum, opus eſt pluſquam hominem eſſe. 2. Ademerit opus eſt divitiis nitorem illum, qui adeo illis ingenitus eſt, & vim quam obtinent illæ in cor humanum; ideoque ad nihilum redegerit ſtatum divitiarum. Sed unus eſt Deus qui hanc efficere valeat annihilationem; ſed JESU CHRISTO ſatis non eſt paupertatis præſtantiam cognoſcere: vult præterea, ut paupertatis ſtatus aptum ſit medium ad illum cognoſcendum, & ut hæc tanti momenti cognitio ad hunc ſtatum pertineat. *Ex Homilia Godeau.*

Noluit J. C. naſci cum inſignibus ſuæ Magnitudinis.

Quam ſpecioſum oculis noſtris theſaurum objeciſſet JESUS CHRISTUS, inquit Tertullianus, ſi veniſſet in terras cum omnibus inſignibus Magnitudinis, auctoritatis, magnificentiæ & Regiæ Majeſtatis! Quis non obſtupuiſſet illum videns in ſuperbis ædibus, aulicis, & ſatellitibus circumſeptum? Quam nituiſſet purpura in parvulis humeris ejus? Quem fulgorem circa illum aurum, & lapilli diadematis ſui emiſiſſent! Judæi illum in hoc magnifico apparatu præſtolabamini; ſed nos admonet, ut illum in ſtatu prorſus oppoſito agnoſcamus ipſum; cumque humiliatio ſuapte natura individua ſit paupertatis, & doloris ſocia; hanc Angelus paſtoribus dedit tamquam ſignum præcipuum. *Hoc erit vobis ſignum*, admonens illos infantem, quem *pannis involutum, & poſitum in præſepio* invenerint hunc eſſe Meſſiam. Cur in præſepio? ad illis oſtendendam maximam earum, quæ fingi poſſunt, humiliationem. Ecce autem quo pacto.

Luc. 2.

Magnum hominis privilegium in ordine naturæ, quo a brutis ſecernitur, eſt eſſe rationis compotem. Et ſane, cum hominis natura eſſentialiter pendeat a Deo, ex quo ab hoc pendere noluit, deſiit eſſe in ordine, in quo eſſe debebat. Ubi non fuit amplius hoc in ordine, jacturam fecit rationis, quæ naturæ ipſius privilegium conſtituebat; & rationis expers factus eſt brutis ſimilis. Oportuit ergo, ut ratio ſuprema repararet, & reſtitueret hanc corruptam rationem; ſed quomodonam; contraria contrariis applicans pharmaca, miram humiliationem opponens miræ ſuperbiæ, ſeſe conſtituens, abſit invidia verbo, eodem in ſtatu, in quo erat homo peccator, quærens animalium ſocietatem, & cum illis primos vitæ ſuæ dies traducens in ſtabulo. Hic, Auditores, errat mea mens, atque confunditur. Deus caro factus, quod commercium! Deus pauper, & patiens, quæ miſeria! Sed Deus ita humiliatus, ut venire velit in Mundum inter animalia, quam admirabilis exinanitio! *Ex Sermonibus Moralibus, Tomo 6. parte 2.*

Venit Deus ad dæmonis doctrinam deſtruendam.

Dæmon nobis ſuaſerat, beatitudinem noſtram ſitam eſſe in voluptatibus, & JESUS CHRISTUS, ut oppoſitum nobis perſuaderet, ſe omnibus vitæ noſtræ ærumnis, & miſeriis objecit. Dæmon nobis opes propoſuerat, tamquam verum medium ſatisfaciendi cupiditatibus noſtris, ac nos efficiendi beatos, & JESUS CHRISTUS, ut a ſpiritibus noſtris arceret hanc mentem, ſibi in hæreditatem elegit pauperiem. Dæmon effecerat, ut humiliationes, & contemptum horreremus; & JESUS CHRISTUS, ut earum nobis amorem injiceret, eas a primis Infantiæ momentis amplexus eſt. Poſt hoc exemplum, Deus, nullum eſt infirmitatis, miſeriæ, paupertatis, perſecutionis genus, quod æquo non feram animo. Poſt hoc exemplum non ſolum dicam cum Uria: *Arca Dei habitat in papilionibus, & Dominus meus Joab, & ſervi domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar in domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea... non faciam rem hanc.* Vivens Arca Dei, adorabilis humanitas JESU CHRISTI jacet in paleis, præ frigore contremiſcit in præſepio: ego vero molliter corpus meum curabo, & conabor inde minima incommoda prohibere? *non faciam rem hanc.* Poſt hoc exemplum non ſolum dicam cum David: Quoniam *irruperunt tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem*, ut ego bibam; *propitius ſit mihi Deus, ne faciam hoc:* ego dicam, quoniam bona, voluptates, & honores, quæ hactenus deperii, ſunt pretium lacrymarum, nuditatis, annihilationis Dei in Bethlehemitico ſpecu jacentis, æquum eſt, ut eorum mihi uſum interdicam, eaque illi ſacrificem. *Ibidem.*

2. Reg. 11.

1. Reg. 23.

Idem ſequitur argumentum.

Hic liberator, hic Medicus eſt JESUS CHRISTUS cujus Nativitatem celebramus. JESUS CHRISTUS ille optatus Gentibus, de quo Balaam, licet Pſeudo propheta, dixerat futurum ut non vulgaris vir de Iſrael conſurgeret, deleret inimicos, & populo ſuo pacem, & felicitatem afferret. JESUS CHRISTUS illud vitæ Verbum, quod cum eſſet inviſibile in ſinu Patris, apparuit hominibus qui illum oculis ſuis uſurparunt, ſuiſque manibus contrectaverunt, ut dilectus teſtatur Diſcipulus in prima Epiſtolarum ſuarum: JESUS CHRISTUS divinus ille Reparator, qui in veritate naturæ ipſorum hominibus apparuit, Sanctus inquit Auguſtinus, quia naturam eorum reparaturus erat, ideoque illam aſſumpturus: JESUS CHRISTUS, addit ille, noſtram accipiens naturam, eam ſanctificavit, & magnificavit, hominibus ipſis carnalibus oſtendens ad quem uſque gloriæ gradum illam evexerit per unionem ſuam ſuper alia creata. *Ibidem.*

Paſtores ad Angeli nuntium turbati ſunt.

Paſtores id, quod ſibi nuntiatum fuerat ab Angelo, audientes, turbati ſunt: quod enim æquius turbæ, ac admirationis argumentum, quam audire, Deum ad Infantiæ ſtatum redactum pati, Deum pauperem fieri, & centonibus, ſcrutiſque indui, Deum ſeſe exinanire venientem in Mundum inter animalia in præſepio? Tamen Angelus dixit illis, nuntium, quod illis afferebat, ingentis lætitiæ cauſſam futurum populo univerſo: quod enim majus lætitiæ argumentum fingi poteſt, quam videre humanam naturam ſanctificatam, ac nobilitatam in perſona Dei; regnum peccati dirutum; gloriam infinitam Domino procuratam, ſolidamque pacem hominibus bonæ voluntatis conceſſam? Sed illi reverſi ſunt laudantes & benedicentes Deum, ac in animo amorem, gratiarumque ſenſum ferentes: quemadmodum illos in ſtabulum ingredientes ſanctus horror pervaſerat, ubi Incarnato Verbo ſua præſtiterunt obſequia, inde egreſſi ſunt motibus caritatis, ac miſerationis repleti, de Domini miſericordiis colloquentes per breve illud loci, temporiſque intervallum, quod inter Bethlehemiticum ſpecum, & locum, ubi armentis ſuis invigilabant, intererat. *Ex Moralibus Sermonibus Tom. 6. parte 2.*

Admirari debemus Infantis JESU ſtatum, qui non eſt id, quod videtur eſſe, & non videtur eſſe quod eſt.

Solus Infantis JESU ſtatus nobis integrum non eſſe patitur eidem admirationes noſtras vel detrectare, vel differre. Non eſt id, quod videtur eſſe, & non videtur eſſe, quod eſt. Vagit ſicut infans, & eſt Verbum increatum; pannis involutus eſt, & eſt Patris ſui brachium. Arma non habet, neque vires, & terret Herodem, & Aulam illius. Jacet in ſtabulo, & a Regibus adoratur; dives, & pauper; potens, & infirmus; immortalis, & patiens; verum ſemper adorabilis ſeu per affluentiam, gaudium, magnitudinem, ſanctitatem, quam habet ex ſe, ſeu per egeſtatem, mœrorem, humiliationem, peccati imaginem, quam a

nobis

nobis accepit: Tamen crederetis ne ullo me ex tot his mirabilibus affici, aliud mihi occurrit admirationis, turbæque argumentum, quo magis, quam iis quæ ſuperius dicta ſunt, afficior: ibi enim JESUM CHRISTUM intueor non tantum quoad ipſum, ſed quoad ſpectat ad me: non tantum ratione illius, quod eſt, quam ratione illius, quod operatur, cum ſecundum Simeonis prophetiam natus ſit in ruinam, & reſurrectionem multorum, atque ut ſit veluti ſignum contradictionibus eorum. *Ecce hic poſitus eſt &c.* Quo autem modo qualitates adeo oppoſitæ, quales ſunt Redemptoris, inimici, & victimæ hominum poſſunt conciliari? Si enim venit ad eos ſalvos faciendos, cur natus dicitur in ruinam eorum? Si poſitus eſt tamquam ſcopus eorum crudelitati, quomodo eſſe poteſt reſurrectionis eorum principium? Si eos reprobat, quomodo amat? Spiritus Sancti opus eſt nobis præſcribere, quid ſit in impenetrabili hoc Myſterio credendum. *Sermones Moral. Tomo 1.*

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatus, ac Titulos

DE CIRCUMCISIONE FILII DEI, ET SANCTO NOMINE JESU.

Quid ſteti J. C. qualitas Salvatoris.

Cogitata quanti ſtet JESU CHRISTO qualitas Salvatoris hominum. Miſera nativitas, vita laborioſa, & humiliata, lacrymæ infiniti pretii, non ſunt titulus ſufficiens, ut ille ſit hominum Salvator. Noſtra ſalus illi longe majori pretio ſtetit: neque eſſe debuit niſi fructus mortis ejuſdem; itaque non vocatur JESUS, niſi cum effundit primitias Sanguinis ſui, qui non niſi uberioris redemptionis arrha eſt. Quid tibi ſtetit, Salvator mi, tantum amaſſe me? Sed quam inde recipis mercedem ex adeo oneroſa qualitate! Optio tibi facta fuit mortis non ſubeundæ, quin aliquid de tua beatitudine deperiret: Neque ignorabas te de ingratis benemereri: ſed tuus erga nos amor prævaluit, & ego non afficiar adeo benefica caritate? Quam caro tibi ſtat pretio qualitas Redemptoris, & jus, ut ita dicam, in me tua beneficia conferendi? Quem eſſe decet amorem meum erga talem Salvatorem, & quam ad hanc uſque diem tibi retuli gratiam? *Pater Croiſet in Aſceticis.*

In eodem ſermone ſimul conjungi poteſt feſtum S. N. JESU, & Circumciſionis Myſterium.

Licet ſollemnitas Myſterii Circumciſionis Domini Noſtri illam complectatur Sanctiſſimi Nominis JESU, & utramque ſecernere permittat Eccleſia, nos tamen illas non ſejungemus, quandoquidem arctis inter ſe vinculis cohærent. Honor in quo habendum eſt a Fidelibus omnibus Sanctum hoc Nomen, quod ſatis debita cum reverentia vix proferre poſſumus, Apoſtolo teſte, hunc exigit cultum, & Fideles in omnes terras effuſi ſummo cum obſequio, & inſigni ſollemnitate feſtum Sanctiſſimi Nominis JESU concelebrant. *Idem.*

Elogia, & Virtus hujus Nominis.

Nomen divinum! quod Deus unus imponere poterat Salvatori hujus Mundi! Nomen venerabile, quo audito, omne flectitur genu, & celſitudo quævis humiliatur! Nomen ſacrum, quod reformidat infernus, & dæmones fugat! Nomen virtute plenum, vi cujus maxima, maximeque authentica peracta fuerunt miracula! Salutare Nomen, unde omnia novæ legis Sacramenta efficientiam mutuantur! Nomen omnipotens apud Deum; quoniam propter illud preces noſtræ exaudiuntur. Nomen glorioſum, quod zelus ad gentes, & Reges terræ pertulit. Auguſtum Nomen per cujus confeſſionem Sancti gloriæ ſibi verterunt graviſſimas ſubire contumelias, ac teterrima pati ſupplicia; Nomen denique incomparabile: *Nec enim aliud Nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſalvos fieri.* Sanctiſſimum JESU Nomen, S. Bernardus inquit, merito vocatur Oleum ſalutare. *Oleum enim lucet, paſcit, & ungit; Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina... Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur: Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale condiatur... Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor ejus JESUS, & inde ſaliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nonne ſi invocet Nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam?* Ubi ſolum JESUS Nomen inſonuit, Infernus abjicit arma; hoc tot ſuaves elicit lacrymas; hoc in graviſſimis periculis orantis animos addit. Quis hoc adorabile Nomen invocavit, & non continuo ſubſidium nactus eſt? quis violentiſſimis animi perturbationibus agitatus, & ſalutis ſuæ infeſtiſſimis hoſtibus laceſſitus ad Sanctum hoc Nomen confugit, quin victoriam reportaret? Nomen fortitudinis in certaminibus; Nomen lucis in periculis; Nomen conſolationis in adverſis; Nomen ſalutis in hora mortis iis omnibus, qui illud gerunt impreſſum in corde. Quem Sancti viri cultum auguſto huic Nomini non adhibuerunt? S. Ignatius Martyr illud in corde ſuo inſculptum gerere profitebatur. S. Bernardinus inde petebat omnium ſermonum, & elogiorum ſuorum argumentum; & S. Ignatius Societatis JESU Inſtitutor credit ſe Filiis ſuis non poſſe aliud nomen facere, quod ſublimiorem perfectionis ſtatus ſui, & officiorum Miniſterii ſui conceptum poſſet adſtruere, quam illos Societatem JESU nuncupans. Hac die Patres hi juxta conſuetudinem complurium Eccleſiarum in Gallia peculiare feſtum recolunt adorabilis hujus Nominis, quod fideles omnes ſæpe habere deberent in ore, S. Bernardus ait, ſemperque geſtare deberent altius inſculptum in corde. *Idem.*

Actor. 4.

Serm. 15. in Cant.

S. Bernardi ſententia.

Spiritalis Circumciſio nobis per legalem circumciſionem fuit præfigurata. Deus primum Circumciſionem præcepit Abrahæ, ut æternum eſſet ſignum fœderis, quod percutiebat cum illo, voluitque illud ab omnibus poſteris ejus deferri, tamquam indalebilem notam, quæ Judæos ab aliis populis diſtingueret, ac indeſinenter ſpiritui eorum objiceret memoriam peculiaris cultus, quem Deo debebant. Umbræ, & figuræ præterierunt; character inviſibilis, quem Baptiſmus imprimit in animarum noſtrarum ſubſtantia, ſucceſſit in locum Circumciſionis palam in Judæorum corde impreſſæ: & interior abnegatio rerum Mundanarum Chriſtifidelibus omnibus imperata, ſucceſſit exteriori ſeparationi ab idolorum cultoribus, quibus veri Moſaycæ legis ſectatores erant permixti. *Abbas du Jarry.*

Mortificatio eſt illa ſpiritualis circumciſio, quæ in nobis ſucceſſit circumciſioni legali.

Senſibus tuis permiſiſti quidquid illi quæſiverunt; nullum eſt voluptatis genus, quod a te prægustatum non fuerit; Spiritus tuus factus mancipium turpium cupiditatum tuarum, quarum infamia tibi erat cognoſcenda, turpes tibi oſtendit in vitiis verſutias, & rationes lædendi Deum, tibi, ut ita dicam, ſoli perſpectas. Quomodonam hæc reparare vis mala, ſi pœnitentiæ tuæ ſcelerum tuorum improbitatem minime exæquent; ſi non æque mortificatus es, ut impudicus fuiſti? Si ita callidus non es in expiandis criminibus, ut in illis perpetrandis fuiſti? Quomodo reparaturus es impia colloquia, atroces detractiones, venenatos teterrimæ calumniæ morſus? Hos obtutus in ſingula momenta effuſos, qui ſecum pertraxerunt cor tuum ad noxia objecta; *Oculos plenos adulterii, & inceſſabilis delicti:* Quomodo inquam reparaturus es hæc omnia mala: niſi pœnitentiam tuis ſceleribus parem effeceris? *Quantum glorificavit ſe in deliciis: tantum date illi tormentum.* In hoc enim proprie, S. Thomas ait, ſita pœnitentia eſt: opponere impudicitiæ mortificationem; mœrorem lætitiæ, collectionem evagationi, humilitatem ſuperbiæ: *Tantum ſtudeat ad bene agendum, quantum ſtuduit ad peccandum. Idem.*

Auſteritates noſtræ magnitudini pares eſſe decet.

2. Petri 2.

Apocal. 18

Dei Filius homines ſalvos fecit, ac ſibi Salvatoris Nomen comparavit Sanguinem effundens, ac perferens acerbiſſimum Circumciſionis opus; ſimili pacto homines ſalvi fieri non poſſunt ſine Circumciſione earum rerum, quæ ſenſum palpant, & ſine Corporis mortificatione; ita ut ſi Scriptura loquens de populo Dei aſſerit, illum, cujus caro circumciſa non fuerit, in nullam reditus ſpem, eſſe periturum; dicere poſſumus inter Fideles, ſine cordis Circumciſione (ita enim in lege nova appellatur, quo nomine intelligunt voluptatum abſtinentiam, & ſenſuum mortificationem) ſine hac inquam circumciſione nullam eſſe poſſe ſpem in partem accedendi ſalutis illius, quam nobis glorioſum JESU Nomen annuntiat, & quam Salvator hic amabilis nobis promeruit. Hoc nobis S. Paulus Domini ſui Nomine his apertis, ac decretoriis verbis edicit. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Homines ſalvari non poſſunt ſine cordis circumciſione.

Liceret profecto nobis conqueri, ut olim Propheta Jeremias: *Omnis domus Iſrael incircumciſi ſunt corde.* Inter tot Chriſti fideles, qui domum Iſrael conſtituunt, vix cor vere circumciſum invenies. Inexplebilis cupiditas emicat in hujus ambitione, & ſecreto agit ſub modeſtiæ ſpecie; Fovet abſconditam horum invidiam;

Chriſtiana circumciſio & mortificatio inter fideles admodum rara.

atram

Jerem. 9.

æmulationem ... aliorum nutrit obtrectationem; principum virorum alit ſuperbiam, & pauperum querimoniam. *Omnis domus Iſrael incircumciſi ſunt corde.* O Deus, tuum eſt, auxilio gratiæ tuæ exhaurire corda noſtra hoc miſero creatarum rerum amore, qui in cordibus noſtris tenet locum illius, quem tibi debemus. Exterior Circumciſio non valet amplius: lex, qua imperabatur, antiquata eſt; ideoque inre hac nobis non licet Mundi Salvatorem imitari: Sed eumdem longe meliori pacto poſſumus imitari ſequuti Spiritum exempli inſignia, quod propoſuit nobis terreſtrium affectuum caſtigatione; citra quam, modo ſincera, & vera ſit, non ſumus niſi Chriſtianorum phantaſmata. *Abbas du Jarry.*

Gratia, quæ nobis datur fortior eſt illa, quæ erat in ſtatu innocentiæ ubi omnes cupiditates pacatæ erant.

Gratia, quæ nobis hodie tribuitur ad ſuperandas affectiones noſtras, & ad perſeverandum in cultu Dei non eſt ſimilis gratiæ, quæ data fuit Adæ, quæ gratia erat in Paradiſo voluptatis conceſſa, ubi nullam affectuum ſuorum patiebatur rebellionem; ſed e contra omnia corporis membra, omneſque animæ facultates rationi obſequebantur. Sed gratia quam habemus in Chriſtianiſmo, prorſus generoſa eſt; retinet ſuæ nativitatis principia, cumque genita fuerit in paſſionibus, & Sanguine Filii Dei; nobis data eſt ad vincendas, ſuperandaſque difficultates, quas objicit diabolus conſilio perfectionis noſtræ, atque ſalutis, ad evellendas ex animo noſtro cupiditates, eaſque enecandas, & perferendam hanc mortis exercitationem uſque ad extremum vitæ ſpiritum, quod plenum ſane laboris opus eſt, & pro quo non modicum chriſtianæ generoſitatis opus requiritur. *Pater Gibieu.*

In nova lege Dominus duplicem requirit circumciſionem mentis, & cordis.
Geneſ. 17.

Joſue 5.

In veteri lege novimus duplici in occaſione factam fuiſſe ſollemnem, & generalem circumciſionem; primum cum Abraham egreſſus de patria, & de domo Patris ſui audiit a Deo: *ambula coram me, & eſto perfectus;* ſecundo cum Joſue jamjam introducturo in terram promiſſionis populum Iſrael, qui poſt exitum de terra Ægypti annos quadraginta in deſerto permanſerat, dixit illi Deus: *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti a nobis*, videlicet præputium, quod de Ægypto attuleratis, & modo eſtis digni, qui ingrediamini in terram, quam promiſi populo meo. In nova etiam lege Dominus duplicem præcipit circumciſionem, non carnis quidem, ſed mentis, & cordis; per quam nos amputare jubet quidquid in nobis eſt peccatorum, vitiorum, cupiditatum, & affectionum inconditarum. Prior quidem ſit noſtræ converſionis initio cum obedientes voci Dei nos ad ſui ſequelam vocantis, Mundum, patriamque domum relinquimus, liberius enim illo ambulaturi, & facilius viam perfectionis currendo abſoluturi. Sed præter hanc generalem circumciſionem quæ in omne vitæ noſtræ ſpatium eſt perduratura; alteram a nobis requirit Deus ſub exitum noſtræ peregrinationis in Mundi hujus deſerto, cum propius accedit momentum illud, quo in veram promiſſionis terram ſumus ingreſſuri. *P. a Ponte in operibus Aſceticis.*

Quid faciendū, ut imitemur Salvatorem in Circumciſione

Vobis dico Auditores, nobis imitandum eſſe Salvatorem in Circumciſione ſua, quia vobis in exemplum propoſitus eſt: hæc enim ſententia eſt divinitus lata, Prædeſtinatos eſſe debere ſimiles illi. Sed ad id heu! quantum amputandum eſt in menſa, quantum in luxu, quantum in alea, ludo, ſolatiis, & converſationibus veſtris! Antequam ſolum hæc imago adumbrata ſit, & hæc ſimilitudo incipiat deprehendi: tantum abeſt, quod ſit perfectum exemplar, ut vix prima duntaxat videantur lineamenta. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

In lege veteri Deus inſtituerat circumciſionis Sacramentum ad delendā originalis peccati labem.
Geneſ. 17.

Circumciſio ſecundum Dei inſtitutum erat nota, & monumentum quoddam fœderis, quod perenſerat cum populo ſuo Deus & neceſſaria erat ad ſalutem ſecundum explicationem, quam multi Patres his tribuunt verbis. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Etenim per hæc verba intelligunt mortem æternam, qua filii non circumciſi damnabantur, quia non receperant Sacramentum a Deo inſtitutum ad originalis peccati labem delendam. *Tourneaux, anno Chriſtiano, Tomo 1.*

J. C. inſtituit Sacramentum Baptiſmi, & illud Circumciſionis abſtulit.

Huic Sacramento ſucceſſit illud Baptiſmi ab eodem CHRISTO JESU inſtituti facilius, ſimulque efficientius circumciſione, & ad ſalutem neceſſarium; nam juxta verbum Filii Dei, niſi qui regeneratus eſt per aquam, & Spiritum Sanctum, nemo poteſt introire in regnum Dei. Verum animadvertendum eſt, quemadmodum ſatis non erat circumciſum eſſe, niſi fideliter Dei mandata ſervata fuiſſent: hoc enim promittebatur per fœdus, cujus ſignum erat Circumciſio: ita per Baptiſmum neminem ſalvatum iri, niſi ſervatum fuerit fœdus cum JESU CHRISTO percuſſum, quod eſt illi adhærere, & Dæmoni, ejuſque operibus, & pompis abrenuntiare. Corporum circumciſio non erat, niſi figura ſpiritualis circumciſionis cordis, quæ adeo in Scripturis commendatur; & hæc noviſſima verum conſtituebat Judæum ſecundum Apoſtolum. Simili pacto in noſtris Sacramentis, non ſignum viſibile verum Chriſtianum conſtituit, ſed gratia, & ſanctitas, per ſignum viſibile ſignificata. Puritas, quæ confertur, & exhibetur per baptiſmum, accurate ſervanda eſt: qui illius jacturam facit per peccatum, baptiſmi effectum amittit, ſcilicet gratiam, & amittit fructum baptiſmi, videlicet vitam æternam. *Idem.*

J. C. circumcidi voluit, ut legi pareret.

Igitur JESUS CHRISTUS circumciſus fuit ut legi pareret; ut enim didicimus a S. Paulo, ipſe ſe legis jugo ſubjicit, ut nos inde liberaret: Se ipſum ultro ſubjecit; quoniam quatenus Unigenitus Dei Legis dominus eſt, & immunis a peccato; ille, qui in Circumciſione ſua Nomen Salvatoris recepit, quoniam liberaturus erat homines a peccatis eorum. Voluit tamen plures ob cauſas a Patribus allatas hoc jugum ſubire. Etenim hoc facto docuit, Deum eſſe Auctorem Legis antiquæ: oſtendit ſe carne vera indutum fuiſſe, & prorſus ſimili noſtræ. Omnem auferebat Judæis anſam repellendi ipſum; quoniam non ſecus ac illi circumciſus erat. Per voluntariæ obedientiæ, quam præſtabat legi, exemplum, quin teneretur, docebat legibus a Deo inſtitutis obſequi, a quibus paſſim noſmet diſpenſamus per mollitiem, vel ſuperbiam. Legem ſervans, quam ipſe propediem abrogaturus eſt, nos docet, ſervandas eas eſſe leges, quæ ævo noſtro vigent: denique incipit magnum ſalutis noſtræ opus, eo modo, quo illud conſummaturus erat, hoc eſt luendo pœnas peccati, ut nos a peccato ſimul, & pœnis liberaret. Hodierna quippe die circumciditur tamquam peccator, & mox cum ſceleſtis crucifigetur, & expians voluntaria hac ſatisfactione ſcelera, quæ non commiſit, confundit nocentium impœnitentiam, qui nullas ſuſtinere volunt pœnas ad propria crimina expianda. *Idem.*

Quid ſignificat honor, qui audito Nomine JESU, adhibetur.

Honor, quem Fideles adhibent Nomini JESU, ubi illud audiunt a quopiam proferri; eſt confeſſio Nominis Dei, quod recepit a Patre; & omnis lingua aliquando hoc ipſum confitebitur, & evulgabit, JESUM CHRISTUM eſſe Dominum noſtrum, eumque in gloria Patris eſſe, ibique quatenus hominem perfrui gloria, qua Pater æternus labores, & paſſiones illius remuneratus eſt; poſſidentem quatenus Deum eamdem gloriam Patris ſui, cum quo unus eſt, & idem Deus ab æterno. Eccleſia ipſa nos docet in genua procumbere, cum hæc Apoſtoli verba proferuntur; quo ritu nos invitat, ut ad examen revocemus, utrum cordis noſtri ſenſus corporis noſtri habitibus ſpondeant. Lingua quidem noſtra confitetur JESUM CHRISTUM eſſe in gloria Patris ſui; verum idne vita etiam noſtra profitetur? *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo 6.*

Magnum diſcrimen inter Filium Dei, & eos qui in lege veteri hoc Nomine fuerunt appellati.

Plures in Lege veteri hoc Nomine JESU appellati fuerunt; nomine hoc vocati; quia miſſi erant a Deo ad Judæorum populum liberandum. Sed Virginis Filio potiſſimo jure glorioſum hoc Nomen imponitur; qui non ſolum ad populos Judæorum liberandum, ſed ad omnes generatim homines ſalvos faciendos, deſcendit. Non enim adverſus terræ Principes illi tantum dimicandum eſt. Mens ejus non eſt ſeſe objiciendi injuſtis conatibus tyrannidis eorum: illi impoſitum eſt opus toto Cælo ipſi quidem glorioſius, nobis autem utilius. Venit in terras tenebrarum Principem debellaturus, portas Inferi perfracturus, & nos de poteſtate dæmonis erepturus. Ecce quam ob cauſſam glorioſum hoc illi Nomen inditum fuit: ecce quam ob cauſſam poteſtate, ac dignitate ſuperat eos omnes, qui ante ipſum hujus Nominis honorem nacti ſunt. Quidquid nobis de maximis quibuſcumque expeditionibus narratum fuit, non eſt niſi umbra, & figura Salvatoris Mundi. Nemo enim fuit umquam præter Filium Dei de quo dici potuerit; vocabis eum JESUM; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. *Lambert in anno Evangelico Tomo 5.*

Nomen JESU impoſitum Filio Dei ad indicandum ... tenebris ... *Matth. 1.*

Liberabit populum ſuum a peccatis eorum, dicit Angelus ad Joſeph. Igitur JESUS CHRISTUS ſalvos nos fecit. Huic debemus ſalutem noſtram, illi eamdem etiam debent, qui ante Nativitatis ejuſdem tempus juſtificati fuerunt. Omnes nos reconciliavit Patri. Non licet nobis deinceps ad æternum Patrem accedere, niſi nos Dei Filius illi præſentet. Ideo hoc glorioſum Nomen JESU illi impoſitum fuit tamquam titulus, ne repulſam ferat a Patre, ubi pro nobis interceſſor exiſtat. Preces noſtræ vim habere nequeunt, niſi hoc Nomine confirmantur. Hujus ſubſidium omnino eſt neceſſarium ad bona opera facienda: cum Deus illa coronat, coronat dona Filii ſui, qui ideo JESUS vocatur, ut nos de dominatione Dæmonis redimat. *Idem.*

De Nomine JESU cum Circumciſione conjunctio.

Hoc illud Nomen eſt, quod ſignificavit Deus ſuper cetera, ut in Nomine JESU omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & inferorum. Hoc Nomen illud eſt, quod ex Apoſtolo proferri non poteſt, uti oportet, niſi Spiritus Sancti acceſſerit gratia. Ad colendum, ac digne invocandum Salvatoris Nomen, opus eſt velle ſalvos fieri, & expiari a peccato; quoniam Salvator nuncupari voluit, ut nos a peccatis eximeret. Peccatum odiſſe oportet, ſincere ſalutem cupere, & amare Redemptorem, ut bene, ac rite JESU Nomen invocetur. E contra vero eſt illud dedecore afficere, vel adhuc voluntarie peccato inhærere, vel nihil facere ad illud expiandum, vel non parere iis, quæ nobis præſcribuntur ab eo, a quo recipere debemus regulas ſalutis, quam petimus. Hoc eſt ſibi in ludibrium vertere Salvatorem, velle ſalvari ab illo, quin faciamus quidquam eorum, quæ a nobis vult fieri, ut ſalvemur. *Tourneaux Tomo 2. anni Chriſtiani.*

Noſ-

Noſmet expendere debemus utrum ſimus ſimiles J. C. in Circumciſione.

Noſmet excutere debemus, ac videre utrum JESU circumciſi geramus ſimilitudinem, quæ certiſſima eſt noſtræ ſalutis nota, utpote illa, per quam Dei Filius oſtendit ſe eſſe Salvatorem. Quid! noſtrarum cupiditatum mancipia, voluptatibus tantum inquirendis intenti, Crucis inimici, viventes in deliciis, præ nobis ferentes tantum horroris in ea omnia, quæ naturæ noſtræ vim poſſunt inferre, & amoris tantum in ea, quæ ſenſibus noſtris blandiuntur, num dicere poſſumus, quin erubeſcemus, nos huic homini Deo ſimiles eſſe! Quem conceptum animo noſtro imbuimus Chriſtiani illius; qui jure hoc nomine appellari non poteſt, niſi ſimilis ſit exemplari ſuo, videlicet niſi Crucem amet, niſi fugiat voluptates. Tunc incipiemus eſſe viri Chriſtiani circumciſi, cum excuſſis Mundi illuſionibus, qui nos fefellit placitis ſuis e veſtigio oppoſitis æternæ Sapientiæ conſiliis, meminerimus nos amplexatos fuiſſe Religionem; cui ſatis non eſt Crucem adorare, ſed quæ jubet nos illam geſtare, & pati; nos pugnare ſub capite ſpinis redimito; Chriſtiani viri negotium eſſe cupiditates ſuas ſubigere, incompoſitos affectus cohibere, ac tandem emori ſibi per jugem mortificationem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Oremus Dominum ut ſanguine ſuo deleat in nobis præteritorum annorum noxas, & ſequentem ſanctificet.

Hoc pretioſo Sanguine, quem effundis, dele Domine maculas annorum præteritorum, & ſanctifice actiones omnes anni, quem hac die incipimus. Tota vita noſtra eſſe debet tua; eam quippe redemiſti pretio vitæ, atque mortis tuæ. Fac ut eo, quod nobis ſupereſt, vitæ ſpatio reparemus totum illud, cujus jacturam fecimus non viventes pro te. Labuntur anni, & accedit æternitas; tamen per deplorabilem cæcitatem vivimus, perinde ac vita hæc nullum eſſet finem habitura, neque ſolliciti ſumus de illa, quæ in æternum eſt duratura. Aperi oculos noſtros, Domine, & fac, ut annum hunc ſpectemus, tamquam illum, qui vitæ noſtræ eſſe poteſt noviſſimus; ut ſanctius, quam præteritos, traducamus. *Idem.*

JESUS Nominis dignitas, quam Salvator replet ad unguem. Luc. 2.

Poſtquam conſummati ſunt dies octo; ut circumcideretur puer, vocatum eſt Nomen ejus JESUS. JESUS Nomen eſt, quod ab æterno deſtinaverat Deus Filio ſuo, & quod hodierna tandem die imponit ei. Quam ſanctum, & quam adorabile hoc Nomen eſt in ſe ipſo? Sed quam pietatem, quem amorem nobis inſpirare debet erga illum, cui hodie impoſitum eſt! quandoquidem adeo belle replet Nominis ſignificationem. JESUS Salvatorem ſignificat, & quatenus Salvator hodie offert Patri ſuo primitias Sanguinis ſui tamquam arrham ſinceræ voluntatis, quam habet illum totum aliquando ad omnes homines ſalvandos effundendi. Quæ Caritas! Qui amor! Quid igitur volumus ab ipſo præterea fieri, ut amorem noſtrum promereatur? Nondum ne ſatis ſibi cor noſtrum, quod adeo charum eſt, comparavit? Num cor iſtud pluris eſt, quam Sanguis Dei? Verum ſi illud facimus pluris, cur tandem adeo facile creatis rebus prodigimus illud? Cur proſtituimus illud Mundo? An neſcimus hunc nebulonem eſſe, in nobis fallendis intentum? Omnia illius bona eſſe fallacia, honores inanes, voluptateſque omnes turpes, indignas nobis, & impares teplendæ amplitudini cordis noſtri, quod non niſi propter Deum factum eſt? illud ergo tradamus Deo huic ab ipſis incunabulis pro nobis patienti. Cor hoc infidele non eſt amplius noſtrum; omni jure ad hunc Puerum pertinet; ne igitur hoc illi denegemus. Iterum dico nimis magno pretio emptum eſt, nec tanti illud ſibi Mundus vellet comparare: *Non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno. Idem.*

ad Cor. 6.

Nomen Chriſtiani a nobis ſuſtinendum ad imitationem Filii Dei.

Ex hoc JESU Nomine, quod hodie Filio Dei impoſitum eſt, Nomen Chriſtiani proficiſcitur. Hoc gerimus quidem, verum ſuſtinemus ne illius dignitatem? Quomodonam illius munera explemus? Credimus ne ſacrum hoc Nomen eſſe titulum inanem, quem ſine diſcrimine geſtare valemus? Non ſemper quidem exigit, ut pro JESU CHRISTO moriamur, ſed exigit ſaltem, ut vitæ illius non abnormem vitam ducamus. Verum eſt ipſum non hodie perficere opus noſtræ Redemptionis; hoc immo tantum inchoat. Sed non ideo minus illum ſequi debemus hodie per viam mortificationis, paupertatis, humiliationum, & ſi illum modo ſequi incipimus in hac via difficili, quam ingreditur, ſperare poſſumus futurum, ut nobis gratiam largiatur conſummandi cum ipſo opus ſalutis noſtræ aſcendentes cum ipſo in Calvarium. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 1.*

Quantum debemus Salvatori, qui JESU Nomen ſuſcepit, ne periremus.

Quocumque jure Dei Filius gerit Nomen JESU; illud tamen non niſi per humiliantem, ac doloribus plenam Circumciſionis cæremoniam aſſecutus eſt. Opus eſt, ut Nomen hoc aliquid in ſe magnum, atque admirabile complectatur; quandoquidem Salvator non abnuit illud ſibi tanta erubeſcentia, atque tot paſſionibus comparare. Quantumlibet horreat peccatum, mavult peccator haberi, quam nos ex hoc miſero ſtatu non eruere, mavult ſuum effundere Sanguinem, quam nos pereuntes videre. O homo! S. Bernardus exclamat, hinc igitur agnoſce nequitiam peccati tui, & animæ tuæ vanitatem. Ineamus igitur conſilium omnia ſuſtinendi, ac faciendi ad alterum quidem evitandum, alteram vero ſalvandam. Verum reminiſcamur neutrum e nobis fieri poſſe, quin fulciamur virtute Sancti hujus Nominis, quod Pater æternus hodierna die Filio ſuo defert propter hominum ſalutem. Humiliter ergo, fidenterque petamus divinum illud ſubſidium cum pro tempore præſenti, cum in reliquum vitæ noſtræ ſpatium. *Ibidem.*

Salvator prior ſe ſubjecit legi, ut nobis præberet exemplum obedientiæ.

Ad nobes oſtendendam viam, per quam perventuri ſumus ad gloriam: Salvator e teneris unguiculis prior eamdem ingreſſus eſt, ut nobis præberet exemplum, quod ſumus ſecuturi. Certum eſt, illum nullatenus coactum fuiſſe, ut ſeſe legi Circumciſionis ſubjiceret. Hæc ad peccatores tantum ſpectabat; ipſe autem innocens erat, Abrahæ tantum filios cogebat, ille vero erat Filius Dei; pro ſervis lata erat, ipſe vero Legiſlator erat, & Dominus. Ille tulerat legem; poterat ergo ſe ab ea diſpenſare, & nihilominus eidem ſe ſubjicere vult. Quod exemplum nobis! nullam ergo in nobis impreſſionem efficiet? Non ciebit in nobis tenerum, ſincerumque affectum, ut Sanctæ huic Legi pareamus, quam ipſe Dei Filius a teneris unguiculis cœpit obſervare? Hic tamen eſt ex præcipuis fructibus, quos ille ſibi propoſuit ſubjiciens ſe ultro duræ huic legi Circumciſionis, atque tot aliis toto vitæ ſuæ ſpatio. Æquum ne eſt, ut mancipium ſeſe legi huic ſubjicere detrectet, cum Dominus ipſe prior ſe ſubjiciat. Exemplo igitur Salvatoris hujus pueri feramus hoc jugum ſuave, quod hodierna die nobis imponere incipit; quod ſi noſtram gloriam conſtituit, noſtram quoque conſtituet felicitatem. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 2.*

Dei Filius eximium nobis præbet exemplum ad ſuperanda ea quæ in obſervantia Legis ſunt difficillima.

Lex Circumciſionis lex erat pœnalis, & doloribus plena. Hanc obſervare non poterat JESUS CHRISTUS quin effunderet Sanguinem; tamen ille arbitratur pœnam, & dolorem ſatis non eſſe, ut ſemet eadem diſpenſet; Se illi ſubjicit, eamque Sanguinis ſui ſumptibus ſervat. Ecce noſtrum exemplum. Nunquid moleſta nobis officia noſtra videntur? ac difficilis regularum noſtrarum obſervantia? oculos conjiciamus in Puerum hunc fidei noſtræ Auctorem, & conſummatorem. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem JESUM;* ſed ſimul etiam perfectorem eximium legum, quæ naturæ ipſi videntur amariſſimæ. Statim ac diei lucem adſpexit, ipſe prior illas incipit obſervare, nobis traditurus exemplum. Exemplum inquam quod fervorem noſtrum excitare debet, & prohibere, ne animo deſpondeamus, nos roborans, atque communiens, ne *fatigemur deficientes animis noſtris.* Obedientia noſtra, morumque Sanctimonia nondum ſtetit nobis ſanguine. *Nondum ad Sanguinem reſtitiſtis.* Sed ſi nobis effundendus eſſet, ut infanti huic Deo, id liceret nobis detrectare tantum hoc exemplum intuentibus? Igitur conſilium ineamus exercendi quidquid nobis in Lege Dei, & in peculiaribus legibus noſtris cuivis in ſtatu ſuo videtur acerbius, ut omnes obices ſuperare poſſimus. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 1. & recens Auctor.*

ad Hebr. 12.

Ibidem.

Ibidem.

J. C. ſeſe ſubjiciens Circumciſioni eximium eſt contra ſuperbiam noſtram remedium.

Lex Circumciſionis, lex erat humilians, & cum probro conjuncta. Huic Dei Filius ſeſe ſubjicere non potuit, quin ſaltem tacite peccatorem ſe conſiteretur; quandoquidem ſimul recipit in ſe peccati notam, ac medicinam: ſed amor obedientiæ in corde illius præpollet horrori, quo ſuapte natura affectus eſſe debebat adverſus peccatoris characterem. Mavult tamen videri peccator, quam legi deeſſe. Præclarum nobis documentum, quibus umbra, ſpecies humiliationis ſolida, ac legitima videtur cauſa propter quam noſmet ab æquiſſimis officiis, & arctiſſimis obligationibus diſpenſemus. Adeſt ne in regulæ obſervantia, in praxi aliqua pœnitentiæ, in muneris alicujus procuratione quidquam, quod paullo magis ſolito nos humiliare videatur, ac nos infra noſtros fratres demittere? quas rationes, quos colores amor proprius, & ſuperbia noſtra ſuppeditat, ut petamus, ſollicitemus, & extorqueamus diſpenſationes? Pueri cæleſtis exemplum nos rubore ſuffundit, ac diſſipet omnes inanes prætextus, quibus noſmet tueri conamur, ut a Sanctiſſimis chriſtianæ, vel religioſæ vitæ legibus noſmet diſpenſemus. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 1.*

Quid ſit ſpiritalis Circumciſio. Deuter. 30.

Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, ut diligas Deum tuum ex toto corde tuo. Quid eſt ſpiritalis Circumciſio? Nil aliud eſt, Patres inquiunt, quam Chriſtiana mortificatio, per quam Fidelis anima ſtrenue abſcindit quidquid vel incompoſitum eſt, vel inutile. Cor, ſpiritus, ſenſus, omnia in nobis recenti huic Circumciſioni ſubjecta ſunt, quam Salvator veteri ſubrogavit. Altera hæc circumciſio Fidelibus multo magis eſt neceſſaria quam prior illa Judæis. Serio igitur noſmet colligamus, & arrepto ſpiritali gladio amputemus ſine ulla miſeratione quidquid poteſt vel diſplicere Deo, vel nos illi minus jucundos efficere. Initium faciamus ex eo, quod noxium invenerimus, mox ad ea gradum faciamus, quæ imperfecta ſunt, & inutilia; non deerit zelo noſtro materies. Quot terrenæ affectiones, quot nimis teneri affectus, quot nimis ſenſibiles neceſſitudines? quot e contra ſimultates, quot odia, quot inimicitiæ in corde foventur? quot ineptæ cogitationes, quot

inania

inania meditamenta, quot ambitioſa conſilia, quot fallaces, vel temerariæ ſuſpiciones! quot aculeata, vel nimis blanda verba! quot in ſenſibus omnibus evagationes! Spiritualem hanc Circumciſionem exigit a nobis hodie corporalis circumciſio, cui Filius Dei ſeſe dignatur ſubjicere, ut nobis prælucerct exemplo. Juxta eximium hunc prototypum noſmet conformare debemus in circumciſione omnium affectuum, qui dominantur in nobis. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 1.*

Circumciſio ſpiritualis ita character eſt Fidelium, ac corporalis erat filiorũ Abrahæ.

Spiritualis Circumciſio æque eſſentialis character eſt Chriſtiani, Religioſi, veri filii Dei, ac circumciſio corporalis erat olim viſibile ſignum Iſraelitarum, & filiorum Abraham. Sine hac non licet nobis vel ea, quæ in Baptiſmo polliciti ſumus, nec vota noſtra adimplere, neque obtemperare regulis, nec fere quidquam meritorium efficere; quoniam Spiritualis iſta Circumciſio apud JESUM CHRISTUM eſt principium, fons, norma, & omnium meriturum noſtrorum menſura. Hæc eſt Chriſtiana mortificatio quæ emundat cor noſtrum, efficitque, ut omnibus vitiis ſuis abrenuntiet. Hic eſt gladius Circumciſionis amputans quidquid ſuperfluum eſt in ramis vineæ myſticæ, cui Dei Filius nos comparat. Væ ramis, qui ſuccisi non fuerint, inutiles erunt tamquam ſarmentum aridum, & inutile, quod non niſi in ignem mittendum eſt. *Ibidem.*

Spiritualis Circumciſio erat Mundo ignota.

Quemadmodum ſpiritualis Circumciſio, quæ in Judaicæ locum erat ſucceſſura, ignota erat pleriſque mortalibus, gravis, & non ferenda aliis; JESUS CHRISTUS, Patres inquiunt, alteram quidem ſubire voluit, quamvis non teneretur, ut illi finem faceret, & oſtenderet alteram, quam in prioris excidio erat inſtituturus: & ſicuti Eccleſia ſpiritu ejus animata hodierna die colligit reverenter primas Sanguinis ejuſdem guttas, illas per inviſibilem adſperſionem effuſura uſque in intimam animarum noſtrarum partem, ut inevitabilem cognoſcamus neceſſitatem, in qua ſumus noſmet circumcidendi ad imitationem ſui ſponſi. Judaicæ Circumciſioni tria inerant bona, verum ſimul tres illi inerant moleſtæ qualitates. Judæis erat neceſſaria, quia Deus his illam præceperat; in eorum honorem cedebat, quia pignus erat Divini amoris, ac patrocinii: ita enim locutus eſt ad Abraham, cum præcepit illi, ut circumcideret Iſmaelem cum omnibus famulis, & ſervis ſuis. Nihilominus tres habebat non ſatis commodas qualitates. Fluxa erat, ac ad tempus valitura, humilians, & cum dedecore; cruenta, & cum dolore; verbo finem erat habitura, ſupponebat ſcelus, & magnos afferebat dolores illam patientibus. *Sermones Morales Tomo 6.*

Circumciſio fuit J. C humiliationis cauſſa.

Tantum abfuit, quod Circumciſio quodpiam ex his tribus commodis attulerit, ut illi non niſi humiliationis cauſſa eſſe potuerit, neque enim ſolum deſitura erat poſtquam illam ſuſtinuiſſet, ſed illi longe majus dedecus, majoremque dolorem, quam aliis erat paritura, ſeu quia cum eſſet Deus, in illo eſſe non poterat ſignum novi fœderis cum Patre ſuo, ſeu quod illum collocabat in claſſe peccatorum, a quibus eſſentialiter ſejunctus erat, ſeu quod cum illius Corpus Spiritus Sancti opera effectum fuiſſet ex puriſſimo Virginis ſanguine, ac propterea mollius eſſet, ac ſenſibilius, quam corpus reliquorum puerorum, Circumciſionis gladius illi graviora peperit vulnera. *Ex Moralibus Sermonibus Tom. 6. parte 1.*

Quid ſit Spiritualis Circumciſio.

Spiritualis Circumciſio non aliud eſt, quam Chriſtiana mortificatio, & abſciſſio eorum omnium quæ ad veterem hominem ſpectant. Hæc ad hunc quoque diem tres validos invenit adverſarios in Chriſtiana religione: ignorantiam videlicet, mollitiem, ſuperbiam. Ignorantia efficit, ut ignoretur; mollities, ut amoveatur; ſuperbia, ut ad nihilum redigatur. Ignorantia illam nobis oſtendit extra nos; mollities ſupra nos; ſuperbia infra nos. Hinc cum intereſſet, ut eam cognoſceremus, ut noſmet mortificare diſceremus, & noſmet circumcideremus, quid fecit JESUS CHRISTUS? abrogans cæremoniam, ut irrogaret præceptum, ſemet Judaicæ circumciſioni ſubjecit, ut novam inſtitueret circumciſionem, effecitque ut per ignorantiæ noſtræ nubes illam cognoſceremus, eique nos ſubjecit, quidquid mollities, & ſuperbia noſtra in oppoſitum adniterentur. *Ibidem.*

Quid ſit ſemet circumcidere.

Quid hujus circumciſionis nomine intelligo? Quid ſe circumcidere voco? Se circumcidere, S. Cyprianus ait, eſt ſe armare acuto ſanctæ ſeveritatis Evangelicæ gladio, ut nonnunquam per ſenſibiles auſteritates in carne, ſemper vero per inviſibiles impreſſiones id faciamus in anima, quod olim in parte humani corporis gladius circumciſionis efficiebat; quod cum eſſet re adhuc integra peccati inſtrumentum, eſſe debebat victima ſacrificii. Se circumcidere, S. Auguſtinus ait, eſt incompoſitos carnis motus compeſcere, ſenſim, & ſine ſenſu cupiditati auferre quidquid in illa acrius eſt, ac ferventius, divortii ſpiritum injicere inter nos, ſenſuſque noſtros, & imitari Joſeph, qui ut elaberetur ex impudicæ feminæ illecebris, ſe ipſum, & cor ſuum abſtulit, & pallium duntaxat ſuum in illius manu reliquit. *Ibidem.*

Nihil nobis oneroſum videri debet in lege, omnia Salvator ſeſe primus illi ſubjecerit.

Lex Circumciſionis erat lex gravis, & oneroſa, quam Puer Deus adimplere non poterat, niſi quodammodo totius Judaicæ legis ponderi ſeſe ſubjiceret. Etenim S. Paulus ait, omnem hominem, qui circumciſionem recipiebat, contrahere debuiſſe neceſſitatem obſervandi omnes legis articulos; Tamen hæc legalium obſervationum varietas repulit Salvatorem; omnes ille complexus eſt, omnibus ſeipſum ſubjecit, & cervicem ſub hoc graviſſimo jugo inflexit. Poſt hæc ipſi etiam conqueremur de munerum noſtrorum multiplicitate? & dicere audebimus, non licere nobis tanta uti attentione, ut omnibus perfungamur? Eane exiſtimabimus tamquam vincula, & catenas, quæ noſtræ officiunt libertati? An non debueramus jampridem ſacrificare JESU CHRISTO funeſtam hanc libertatem, quæ in nobis fuit tot iniquitatum origo? An neſcimus nos ex corde abrenuntiantes fallaci huic libertati filiorum Adam, ingredi in veram libertatem Filiorum Dei? Libenter ergo noſmet ſubjiciamus legibus ejus, JESU CHRISTI jugum ſubeamus; hoc non niſi tepidis, ac repentibus animabus durum eſt, & oneroſum. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo 1.*

Obices, & prætextus, quos Chriſtiani afferunt ad mortificationem evitandam, licet nobis J. C. exemplum præbuerit.

Heu! quid igitur non debes bonitati illius, qui nihil reliquum fecit, ut te ſalvum faceret? Quo rubore ſuffundi debes eo quod adeo male reſpondeas bonis voluntatibus ejus, quibus tot tibi contulit dona, & prohibeas ea, quæ tibi vellet conferre; quod illum parum colas, eique ignave obſequaris, & raro ejuſdem reminiſcaris? Quo dolore excruciari, quod per peccatum ſalutem tuam in diſcrimen adduxeris? Quod pœnitentiæ agendæ inire conſilium, & mentem illico novam prorſus vitam ducere incipiendi? *Idem.*

Devotio erga Sanctum Nomen JESU.

Solida erga Sanctum Nomen JESU devotio eſt etiam amare, & omnibus viribus procurare ſalutem proximi noſtri. Nihil Filio Dei antiquius eſt, quam animæ ſalus: Vita illius laboribus plena, & mors plena doloribus hoc palam probant. Quanti facienda eſt a te vocationis tuæ gratia, cujus vi tibi ſuum Nomen imponens te in ſocietatem vocat muneris ſui, participem facit paſſionum ſuarum, in manibus tuis ſtatuit diadema gloriæ ſuæ, ſceptrum potentiæ ſuæ, ut reparet ſuum imperium in cordi, & dæmonis evertat tyrannidem. Nemo hac carere poteſt, cujuſcumque ſit conditionis, quominus deſtituatur zelo, quo flagrare debet pro gloria illius, qui adeptus eſt Nomen JESU titulis adeo legitimis; quoniam omnis gloria Filii Dei eſt, noſtrum eſſe Salvatorem ſecundum vim Nominis ejus, & habere in manibus ſuis ſalutem, & omnium hominum felicitatem. *Nomen ejus gloria ejus.* Sicut igitur nullus homo eſt, cujus Salvator non ſit; nemo quoque eſt, qui illum revereri non debeat niſi velit ſe ipſum extollere ſuper Angelos, qui cum ſingulari obſequio illum adorant, vel potius niſi velit ſeſe infra dæmones demittere, qui licet inviti eum venerari tenentur. Oportet, Rex Propheta inquit, ut Principes, & populi, ſenes, & juvenes terræ, omnes laudibus celebrent Nomen illius, quoniam ſolum Nomen Domini magnum eſt, & ſublime, ejuſque gloria de terræ centro ad altiſſimum Cælorum verticem conſurgit. *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Vera devotio erga Sanctum Nomen JESU eſt amare, ac revereri noſtrum Salvatorem propter ſupremas illius perfectiones, quæ in virtute, ac ſignificatione præclari hujus Nominis continentur. Continet quippe omnem ſapientiam, bonitatem, ſanctitatem, virtutem, miſericordiam, & amorem Dei, ſine quo nos ſalvos facere nequit. 2. Complectitur omnes gratias, virtutes, & dona Spiritus Sancti, quæ animarum noſtrarum ſanctificationi proſunt; quandoquidem illas haurire tenemur tamquam ex inexhauſto fonte, de plenitudine JESU CHRISTI: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* 3. Significat omnia diverſa munera Domini, Medici, Patris, Judicis, Advocati, Paſtoris, Patroni, quæ ad Dei Filium, quatenus Salvatorem pertinet. 4. Exprimit, & continet in latitudine ſua bona omnia; quæ amabilis hic Salvator contulit omnibus hominibus, puta peccatorum remiſſionem, victoriam tentationum, fugam occaſionum, quibus aliquod ineſt periculum, virtutum acquiſitionem, perſeverantiæ donum, gloriæ communicationem, & boni ſupremi poſſeſſionem. Denique innuit, ac repræſentat omnes paſſiones, ignominias, dolores, pœnas, atque tormenta, quæ pertulit propter zelum, & ardens deſiderium nos ſalvos faciendi. *P. Nouet Tomo 2. Meditationum.*

Joann. 1.

Cogitate Patrem æternum tot divitias, atque theſauros in hoc adorabile Nomen congeſſiſſe, quod tribuit Filio ſuo, ut nos illud colentes, & crebro invocantes, memoria bonitatum ejus in nos, ac infinitarum virtutum ſuarum nos ad illum amandum, colendum, & imitandum cum ea qua fieri poteſt perfectione, impelleremur. Proponite igitur vos in poſterum ſublimi in pretio, ac profundo obſequio habituros Nomen JESU propter meritum, dignitatem, ac infinitam excellentiam illius, qui eodem eſt inſignitus. *Idem.*

Quonam affectu proferre, vel prolatum audire poſſumus Sanctum hoc Nomen.

Summa cum amoris pietate ſuaviſſimum hoc Nomen proferte, vel prolatum excipite. Fingite vobis ſimul Deum hominem, cui nihil majus eſt, aut admirabilius, quam bonitas, miſericordia, & amor. Quatenus Deus totus eſt ignis, & amor, & miſericordiæ illius ſuperant

rant

Pſalm. 144. 9. rant omnia opera ejus. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Quatenus Dei Filius, proprietas perſonalis ejus eſt, eſſe imaginem ſubſtantiæ Patris, referentem omnia lineamenta autographi ſui, & illius cujus eſt imago; & quoniam ex perfectionibus omnibus quas repræſentat, maxime elucet bonitas, hinc fit, ut per antonomaſiam vocetur *Imago bonitatis illius*. (Sapient. 7.) Quatenus Filius hominis, non aliud perflat, quam amorem, & ſuavitas ipſi æque eſt ingenita, ac humanitas. Non venit ille, ut homines perdat, ſed ut ſalvos faciat: ita per Spiritum Sanctum effictus fuit, qui non eſt aliud quam amor. Denique conſilium capite imitandi perfectiones, atque virtutes, quas ſpecioſum hoc Nomen ſignificat, & quæ eminentem in anima JESU CHRISTI obtinent gradum; ſed præ ceteris imitamini ſuavitatem amoris ſui, & contendite de omnibus benemereri, & neminem lædere. *Idem*.

Sanctum hoc Nomen ab omnibus coli, & adorari meretur. Omnes ore uno docent Theologi, Nomen hoc tantum habere excellentiæ gradum, ut mereatur quod Fideles omnes illud colant, & revereantur ſuper omne Nomen. Apoſtolus qui hoc in Cælo didicerat, ſatis palam docet, cum ait, æternum Patrem dediſſe Filio ſuo Nomen quod eſt ſuper omne Nomen, ut quidquid in Cælo, vel in terra, vel in inferis eſt, flectat genua ad Nomen JESU adorandum. Eccleſia id praxi adeo univerſali confirmat, ut nulla ſit immunis conditio, nullus excludatur locus, nullum excipiatur tempus, nullum ab hoc nos dimovere valeat negotium. *Pater Nouet Tomo 7. Meditationum*.

Quid ſit Circumciſio. Se circumcidere, S. Proſper ait, eſt perfruitionem ab uſu ſecernere, adhæſionem a poſſeſſione, Mundi bona, & cor ſuum ſeorſim collocare, quin invicem ſe attingere valeant; vivere vel tamquam viatorem, vel tamquam mortuum; ſemper humilem in honoribus, ſemper moderatum in ſolatiis, ſemper mortificatum in gaudiis, ſemper pœnitentem in voluptatibus, ſemper pauperem, & rerum omnium egenum in divitiis. Se circumcidere juxta S. Pauli doctrinam eſt eſſe in Mundo, & Mundi ſpiritum non habere, redigere in ſervitutem rebelle corpus ſuum, & in carne peccati Salvatoris ſtigmata circumferre; & ſecundum ipſum JESUM CHRISTUM Crucem bajulare, & abnegare quidquid poſſidemus, ut effici ejus diſcipuli mereamur. Hoc ſe circumcidere appello, nec aliquid ultra requiritur, ut ſtatim conſiteamini hoc unum eſſe ex Chriſtianiſmi officiis maxime ignotis, & ad quod minus advértitur animus. *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo 6. parte 1.*

Ejuſdem argumenti. Diceres JESUM CHRISTUM eſſe noviſſimum Filiorum Abrahæ; opus eſt ergo, ut cum honore tumulet Synagogam, ac deferat in corpuſculo circumciſo hæc arma, & ſigna mortis: Sed JESU CHRISTUS Pater eſt, atque legislator populi novi; opus eſt ergo, ut novam irroget legem, ejuſque articulos Sanguine ſuo ſignet. Hæc autem nova lex, S. Bernardus ait, lex eſt mortificationis, abrenuntiationis, ſeparationis, crucifixionis ſuarum cupiditatum, martyrii; lex, quæ cum ſit ſaluti noſtræ eſſentialis, inſtituenda fuit a Deo, qui ultro ſeſe ſubjiciens legi alteri, quæ ipſi inutilis erat, effecit, ut inevitabilem cognoſceremus neceſſitatem, in qua ſumus, noſmet huic ſubjiciendi; hic enim e Patrum ſententia ſpiritus eſt hujus Myſterii; & illatio nobis inferenda. *Ibidem*.

Duo a nobis in Circumciſione obſervanda. In Salvatoris Circumciſione duo animadverto, Sanguinem effuſum, & Nomen datum: Sanguinem effuſum per inciſionem, quam lapideus gladius in Infantis corpuſculo fecit; & Nomen JESU, quod S. Virgo illi eo tempore impoſuit, quo eumdem circumcidit. Hæc autem duo invicta ſunt argumenta ejus neceſſitatis, quæ nobis eſt, noſmet mortificandi, circumcidendique: Ecce autem quomodo. Cum homo Deus ſeſe ſubjecerit Legi temporali, ac inutili ad nos redimendos, cumque plura iis præſtiterit, quæ facere tenebatur pro ſalute noſtra, nos multo magis ſubjicere noſmet debemus, ut cum illo ad eamdem rem cooperemur. Cum homo Deus JESUS noluerit appellari, niſi poſtquam Circumciſionem ſuſtinuit, nos Chriſtiani vocari non poſſumus, neque magni hujus Nominis pondus ſuſtinere, niſi quatenus circumciſi ſumus, & mortificati. Hæ duæ ſunt ſolidæ rationes, quas mutuatus ſum a Patribus, & quæ nos redarguere poſſunt de ineluctabili ſpiritualis Circumciſionis, & Chriſtianæ mortificationis neceſſitate, de quarum priori ut conſtet, modicum religionis, rectique ſenſus ſatis eſſe puto. *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo 6. parte 1.*

Deus ut nos ſalvaret, fecit quod erat difficillimum. Verum eſt, S. Bernardus ait, JESUM CHRISTUM, ut nos ſalvos faceret, feciſſe aliquid, quod ſuperabundavit; ſed verum quoque eſt ipſum nobis faciendum aliquid reliquiſſe. Verum eſt illum iis ſuppleviſſe, quæ maxima erant, & difficillima; nos autem minimis officiis ſubjeciſſe; ſed verum quoque eſt, quantulacumque ſint hæc, quæ nobis reliquit officia, ipſum velle, ut omnia & ſingula obeamus, quin illius ſubjectionem legi Circumciſionis prætexamus, ut noſmet a noſtra circumciſione diſpenſemus. Vult, ſicuti olim in ſacrificio paſſerum duorum, alter quidem immolabatur, alter vero prioris ſanguine inficiebatur; ita fieri ſuper nos adſperſionem adorabilis Sanguinis hujus, quem hodierna die effundit in nos pro criminibus noſtris, & qui ex Patrum interpretatione, eſt veluti ſpecimen, Prophetia, & præcox mortis ejuſdem imago. *Ibidem*.

Dei Filius non niſi Circumciſionis ſuæ die vocatus eſt JESUS. Homo Deus noluit vocari Nomine ſuo, neque JESUS nuncupatus fuit niſi die, & dum Circumciſionis illius cæremonia perageretur. Quare? non ſolum quia mos non erat tribuendi Pueris Hebræorum nomina, niſi cum circumciderentur: ſed præcipue quamvis ab ipſa Nativitate noſter eſſet JESUS, videlicet Salvator; credidit tamen ſe hoc Nomine vocandum non eſſe, niſi die illo, quo pro nobis effuſurus erat Sanguinem: Sacramentum noſtræ reparationis: ut doceremur non poſſe nos digne Chriſtianos vocari, quod Nomen eſt hominum ſervatorum, & redemptorum, niſi quatenus ſuæ noſtram conjungeremus circumciſionem, & noſmet mortificare polliceremur ad replenda munera Nominis ampliſſimi quidem, verum etiam oneroſiſſimi. *Ibidem*.

Spiritualis Circumciſio alterū eſt remedium ad delenda peccata poſt Baptiſmum patrata. Sicuti Baptiſmus, quo originale peccatum deletur, non jugulat peccati effectus, & virtus ejus licet ſomma, eo uſque nequaquam procedit, altera indiguimus medicina, quæ ſervaret in nobis innocentiæ noſtræ gratiam, & contineret nos in qualitate Chriſtianorum, & filiorum Dei, quam recepimus in Baptiſmo. Hæc autem medicina eſt ſpiritualis Circumciſio, & chriſtiana mortificatio, circumciſio, & mortificatio involutæ in promiſſione, quam fecimus per os alienum, alienamque voluntatem abrenunciandi pompis omnibus, & omni cultui Sathanæ, & Mundi; circumciſio propterea, cui ultro noſmet ſubjicere debemus, impoſterum abhorrentes ab iis omnibus, quæ nos a Deo divellere poſſunt, & per auſteras virtutes acquirentes unde ſuſtinere valeamus gloriam adeo præclari Nominis, quod gerimus. Hac tantum conditione inter Chriſtianos recepti ſumus; & ſicuti in veteri circumciſione ad novum nomen recipiendum, cruor erat effundendus; quemadmodum homo Deus JESU Nomen recepturus effudit, nos eadem conditione recipimus Baptiſmum, qui virtutem habet nos regenerandi per Sanguinem JESU CHRISTI, in cujus Morte baptizamur. Hinc S. Paulus dixit, nos quatenus Chriſtianos, non ſolum eſſe debere, & reipſa circumciſos eſſe; verum etiam cum vi præclari hujus Nominis, ſerviendum nobis ſit Deo in ſpiritu, & gloriandum ſit in JESU CHRISTO; nos eamdem eſſe circumciſionem. *Nos autem ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in CHRISTO JESU.* O admirabilem locutionem! o locupletiſſimam Chriſtiani definitionem. Cum formoſæ alicujus perſonæ graphidem exornare volumus, poſtquam diximus omnia oris illius lineamenta eſſe venuſtiſſima, oculos ſuaves, colorem eximium, decorum corporis habitum, actiones omnes cum illecebris, atque venuſtate conjunctas, credimus duobus verbis omne illius elogium exornaſſe adjiciendo, illam denique ipſiſſimam eſſe pulcritudinem. *Ibidem*.

Similitudo quæ inter Circumciſionem ſpiritualem, & verum Chriſtianum intercedit. Tanta eſt inter ſpiritalem circumciſionem, ac verum Chriſtianum ſimilitudo, ut fere ſinonyma ſint vocabula. Hoc eorum naturam, ac diſcrimen conſtituit; hoc eorum eſſentiam, atque officium deſignat, ita ut quacumque ex parte ſpectentur, nihil occurrat niſi circumciſio. *Nos ſumus circumciſio:* Circumciſio oculorum: clauſi ſunt objectis noxiis, & nullo habent in diſcrimine ea ipſa, quæ culpa vacare videntur. Oris circumciſio: indiſcreta linguæ fluiditas, torrens inutilium verborum, prurigo loquendi qualibet hora, & occaſione, præceps feſtinatio dicendi ea, quæ eſſent ſilentio involvenda, & oblivioni tradenda, hæc omnia inde abſciſſa ſunt. Circumciſio mentis: arcet vagas cogitationes, quæ illam fœdare poſſent, leves, & inconſtantes, quæ illam in partes poſſent deſcendere, importunas, & inquietas, quæ illam poſſent torquere. Circumciſio cordis: corrigit, & cohibet omnes ſeditioſos motus, quibus perturbatur, avaritiam, quæ illud coarctat, ambitionem, quæ inflat, odium, quod indurat, invidiam, quæ exſiccat, triſtitiam, quæ humi affigit, iram, quæ rapit, metum, qui turbat, mala deſideria, quæ agitant, atque corrumpunt. Verbo in vero Chriſtiano circumciſa ſunt omnia, & ille ipſa eſt circumciſio: *Nos ſumus Circumciſio*. Id facere tenetur, & velle ſemet ab hoc officio diſpenſare eſt, non dicam negligere Evangelicam perfectionem, ſed egredi ex vocationis ſuæ terminis; eſt, non dicam id contemnere, quod Sanctum inſignem ſtatueret; ſed nullo in diſcrimine habere præceptum, cujus ſola omiſſio reprobum facere poteſt. *Ex Sermonibus Moralibus Tomo 6. parte 1.*

Inde illi prætextus qui afferuntur ut ſe homo a Chriſtiana mortificatione diſpenſet. Cum mortificatio Chriſtiana eo ſpectet, ut moderetur ſolatia, quæ culpa vacant, & auferat illa, quæ eadem minime carent, ejuſque verum munus ſit opponere hominem pœnitentem, qui carnem ſuam crucifigit cum ſuis vitiis, & cupiditatibus, homini ſenſibus ſuis dedito, qui eamdem palpat, eamque ſibi in idolum venit, nemo tanta pollet induſtria in ceteris rebus, quanta in inveniendis lenimentis, aut coloribus

in na-

in natura, & eſſentialibus hujus muneris qualitatibus; veretur enim, ne amittat aliquam delicatæ vitæ ſuavitatem, ut ait Tertullianus, & ne in voluptatum ſuarum perfruitione turbetur. *Ibidem.*

Quam auſtera erat Judæorum circumciſio.

Inter omnes Judæorum leges nulla ſeverior, quam lex Circumciſionis. Hæc erat perſonale ſacrificium, quod offerre tenebantur Deo ab ipſis unguiculis, Sanctus Cyprianus ait; cumque in reliquis alienæ victimæ immolarentur, & nemo niſi in alienis corporibus pateretur; in hoc ipſi erant victimæ; & dolor, quem illis gladius inferebat; tantus erat, ut in ipſo vitæ ſuæ primordio in mortis periculum accerſerentur. *In ipſo vitæ initio periculum mortis addidicit.* Quorſum autem tali utendum erat ſeveritate erga innocentes, explicita lege damnatos ad ſubeundam circumciſionem; quærit hic Pater? qui reddit, infantes adhuc tenellos edocendos eſſe, ut quam primum, & diluculo ſeſe mortificent, ac patiantur, & erudiendos, ut conſueſcant præmatura ſeveritate corrigere vehementes concupiſcentiæ motus, quos ciet peccatum, & qui non niſi per dolorem reprimi poſſunt. Hinc, addit ille, opus fuiſſe, ut citius, quam fieri poſſet, obviam iretur peccato, malo communi remedium univerſale objiceretur, ut pueri ſemper memoria recolentes inciſionem doloribus pleniſſimam, quæ ſibi fuerat inflicta, recordarentur neceſſitatis, in qua erant curandi contraria contrariis, opponendi ſeveritatem mortificationis voluptatum dulcedini, ut concupiſcentia in illis vincta eſſet, eiſque nocere non poſſet, eodem fere pacto, quo monſtrum indomitum ferreis vinculis alligatum, quod ſenſim infirmatur per irritos conatus, quos exerit, & per ipſam rabiem ſuam, quam in ſe ipſum convertit. *Sermones Morales Tomo 6. parte 1.*

Quam longe noſtræ vitæ ratio a ſpiritu mortificationis abhorreat.

O vos, quorum vita jugis eſt ambitus oblectationum, & voluptatum, qui potiſſimam annorum veſtrorum partem traducitis in omnibus Mundi negotiis cognoſcendis, atque ut in partem omnium ſolatiorum, ac deliciarum accedatis, & ſenſibus, atque cupiditatibus veſtris permittatis, quidquid ſæculi corruptio, & Mundi nequitia illis ſuadent; & qui parvulas quaſdam auſteritates, quas minus religionis, quam libidinis cauſſa exercetis, prætexentes, ac ſub ſpecie levium aliquot eleemoſynarum, quas urbanitas potius, quam pietas extorquet, ſatis voſmet mortificare putatis, & vos poſſe ſalvos fieri per aliquot cruces, quas per hypocriſim, vel potius per ſuperbiam geſtatis: Heu! quam procul aberratis? De duobus alterum, dicebat S. Hieronymus: *Vel vobis corpus alterius naturæ confingite; vel aliud Evangelium date.* Vel corpus habete concupiſcentiæ telis invulnerabile, & a peccatis immune, vel laxum Evangelium date, quo jubeamur per latam voluptatum viam decurrere, non autem per arctam circumciſionis, quam illud nobis præſcribit. Quam belle edocta es, dilecta Filia, ita cum Matrona loquitur Mundi deliciis affluente; quod artem nacta fueris temet mortificandi per voluptates, & periculoſas ſæculi neceſſitudines! quam ſecura ea virtutis tuæ, conſueſcens cum junioribus viris inter choreas, aleam, atque convivia; potiſſimum cum ſpecioſum oris habitum, hilare temperamentum, ardentes cupiditates ſortita fueris. Perperam agebat S. Paulus, qui corpus ſuum animæ ſuæ ſubjiciebat jugibus membrorum ſuorum macerationibus, metuens, ut reprobus fieret. Ignorabat ille profecto, quod tu calles, ſe obedire poſſe Evangelio per commentitias mortificationes, ſub quarum præſidio in tuto manes cum omni mundanæ vanitatis pompa, & corpore, ut ita dicam, in voluptatum ſinu innatante. *Sermones Morales Tomo 6. parte 1.*

Epiſt. 8.

Non vult Deus nos circumcidi ſecundum noſtram conſuetudinem & voluntatem.

JESUS CHRISTUS omnino non vult nobis permittere jus noſmet circumcidendi, ac libertatem noſmet ad arbitrium mortificandi. Si enim hoc permitteret; cupiditates molles, & callidæ peccatori blanditiæ, & quin gladium uſque ad vivum in carnem immergeretis, vobis ſatis eſſet ſpecioſis nexibus fallax vulnus contegere. Tandem enim voluptatum, quibus inhæremus, amor, & naturalis oppoſitio, qua nobiſmet vim inferre perhorreſcimus, nos quamprimum diſpenſarent ab hac ſeveritate, ac efficerent, ut ſolaria potius, quam remedia malo noſtro nanciſceremur.

Conqueri nobis non licet de nimia ſeveritate legis Filii Dei.

JESUS CHRISTUS ne minimam quidem patitur nobis eſſe cauſſam conquerendi de nimia ſeveritate legis, quam nobis imponit. Si hoc verum eſſet: eſſes Domine Deus alius omnino ab eo, quod es, videlicet in juſtitiæ tuæ exercitatione crudelis; noſtram perditionem potius, quam correctionem perquirens; avidior Sanguinis noſtri, ac interitus eſſentiæ noſtræ, quam perfectionis, & expiationis noſtræ a peccatis. Non ita ſe habet res. Aptat JESUS CHRISTUS remedia, non equidem dico naturæ malorum. Heu! quis illa ſuſtinere poſſet, ſed temperamento, & ut cum Apoſtolo loquar, infirmitatibus ægrotantis; *Humanum dico propter infirmitatem veſtram.* Si minime vult nobiſcum diſpenſare a ferendo Chriſtianæ mortificationis jugo, tamen aſſerit hoc ſuave eſſe, & ſi minus nos hac exonerat ſarcina, profitetur eam levem eſſe, ex quo ipſe illam bajulavit. Fecit præterpropter (per vos mihi uti liceat hac Tertulliani ſimilitudine) quod Bellonæ Sacerdotes, qui in iis, quæ Deæ offerebant ſacrificia, frequenti inciſione femora ſua lancinabant, & cavis manibus diffluentem ſanguinem colligentes hunc offerebant iis, qui crudeli huic aderant ſacrificio, quaſi dicerent, Tenete, nihil mali nobiſmet ipſis intulimus: experimini; neque vos malum aliquod inferetis. *Sermones Morales Tomo 6. parte 1.*

Roman. 6.

Quidquid ſordidum & abjectum patimur, ut ad fines noſtros perveniamus.

Quid facere in Mundo detrectamus, & quas ſordes non patimur, ut propoſitum nobis finem aſſequamur? Alii obſident Principum virorum fores, & adrepunt coram illis, a quibus beneficium aliquod expectant, quin deterreantur duritie, ac ſuperbia, qua excipiuntur. Alii honorem ſuum ſacrificant per eamdem ambitionem, qua illum ambiunt, cum potentioribus inimicis gratiam ſarcire quærentes, & veniam petentes ab illis, ne magis magiſque humilientur, ſi illis ſubmiſſionis, & obſequii ſigna præbere detrectant. Pro Deo autem, mirum! pro ſalute ſua, inquirunt prætextus ne ſe humilient, quamvis hæc illis tanti ſtatuta non eſſet humiliatio, qua nihilominus gratum animum teſtari liceret erga eas, quas JESUS ultro paſſus eſt die Circumciſionis ſuæ. Nullibi majores invenio iis, quæ triſtem hanc cæremoniam ſubſecutæ ſunt. Multum quidem ſe humiliare eſt egredi ex hoc ſtabulo, ut annos triginta abſconditam ducat vitam: Multum ſe humiliare eſt, hanc relinquere ſolitudinem, ut publicæ vitæ ſpatio plurimas patiatur perſecutiones, & in Cruce pendens moriatur; Sed quodam in ſenſu audeo dicere hoc modicum eſſe, ubi conferatur cum humiliationibus, quæ in Judaica circumciſione inveniuntur. *Ex Sermonibus Moralibus Tomo 6. parte 1.*

Humiliatio Filii Dei major eſt in Circumciſionis Myſterio, quam in Cruce.

Humiliatio Filii Dei quodam in ſenſu major adhuc eſt in hoc Myſterio, quam in Cruce. Ibi, fateor equidem, inter duos latrones emittet ſpiritum; ſed Judex illius texet ipſius apologiam, & ſemet injuſtitiæ inſimulans, ut teſtimonium veritati perhibeat, fatebitur, ſe nullam in vita illius criminis ſuſpicionem, nullam mortis cauſſam invenire. Hic incipiet mori? Sed tantum abeſt quod Maria illius Sanctitatis, & Divinitatis conſcia prohibeat, ne illi adeo ſevera pœna infligatur; illa ipſa huic imprimit contumelioſam hanc peccatoris notam. Quanta heu! hæc humiliatio eſt; ſed quam paucos habet imitatores! Quidam eam laudant, alii admirantur, ſed omnes fere illam avertunt a ſe, & flecti nequeunt, ut illam imitentur. *Ibidem.*

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE EPIPHANIA.

Magi videntes ſtellam, ſtatim ingrediuntur iter Salvatorem adoraturi.

PRODIGIUM eſt eo momento, quo Angeli Paſtoribus annuntiabant Salvatoris Nativitatem in Judæa, novo ſydere eamdem in Oriente fuiſſe nuntiatam. A plurimis viſum fuit: inſolitus fulgor, quem fundebat effecit, ut ab aliis ſecerneretur; ſed Magi tantum, qui magis adhuc lumine interiori erant illuſtrati, cognoverunt, quid novum hoc phænomenon indigitaret, & ne momentum quidem morati ſunt, quin eo properarent, quo illis ſtella facem preferebat. Illi, de quibus loquitur Evangelium docti, quod olim Deus Judæis pollicitus fuerat, ſe illis daturum Regem, qui futurus erat Mundi Salvator, ac celeberrimam Prophetiam Balaam, quæ palam deſignabat Meſſiam per novum ſydus in Iſrael, iter ingreſſi ſunt Jeroſolymam verſus, ſtatim ac viderunt novum hoc aſtrum, quod ſibi eodem fermu pacto, quo nubes fulgida Iſraeli in Deſerto præibat. Ingens inceſſit ſtupor id genus hominibus eminus profectis ad adorandum Regem Judæorum, quem Judæi ipſi ignorabant. Herodes vero conturbatus eſt, qui de ſua dignitate ſollicitus, & veritus ne ſibi auferretur diadema, ſtatim conſulit principes inter Sacerdotes, & Scribas, eos videlicet, quorum munus erat populo Sacra Biblia explicare, & cavere, ne quid immiſceretur, quod earum ſenſum poſſet corrumpere. Satis pollebat ingenio, ut videret Regem, cujus Nativitatem Cæli portendebant, non niſi Meſſiam eſſe poſſe, quamobrem in eo Doctorum concilio quæſivit ſolum, ubi Salvator eſſet naſciturus, cui conſulenti omnes una voce reſponderunt, illum in Bethlehem naſciturum, oppido exiguo Tribus Juda, quemadmodum Deus ipſe prædixerat per Prophetam, cum ait, quantumvis exigua illa eſſet regio, hanc tamen maximas urbes ſuperaturam eo quod in lucem erat editura Principem, ac Gubernatorem totius Iſrael. Hoc ſatis ſuperque fuit, ut turbas ingereret in mentem, & cor embitioſiſſimi Regis, cujus crudelitas par erat ambitioni. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Herodes timet, ne ſibi auferatur Regni corona.

Mich. 5.

Herodes Magos interrogat de tempore nativitatis Meſſiæ ſuam mortem illius meditatus.

Callidum hoc, & ambitioſum ingenium, quod jam inierat conſilium de medio divinum hunc puerum auferendi, ſeorſim Magos alloquitur, ſexcenta ab illis ſubdole ſciſcitatur, potiſſimum vero petit ab illis, ut ſibi aperiant quo tempore ſtella ipſis prælucere cœperit, atque in illis multum pietatis, ac diffidentiæ cognoſcens, ſimulat ſe eorum devotionem probare, & ad iter ſuum perſequendum hortatur. Ite, dixit illis, in Bethlehem, ibi enim in lucem proditurus eſt Rex, & Salvator populi ſui, cognoſcite quidquid ad hunc ſpectat infantem, & quam citius revertimini quæſo, nuntiaturi hæc mihi, ut ego veniens adorem eum. Ita nebulo iſte Magos nequiter in laqueum pertrahere machinabatur. *Idem.*

Magi in Bethlehemitico ſtabulo inveniunt quem quærebant.

Ex quo Magis abeundi facultas facta fuit, ac iter perſecuti ſunt, ſtella, quæ illis Jeroſolymam ingredientibus evanuerat, iterum apparuit illis, eoſque recta duxit in Bethlehem. Penes vos eſto judicium, quanam affecti fuerunt lætitia, cum rurſus hoc aſtrum viderunt, ac potiſſimum, ubi ſtetit ſupra domum, ubi novus Rex aderat. Illuc ingreſſi, invenerunt quem quærebant. Erat ille inter ulnas parentis ſuæ, nihilque illi extrinſecus erat, quo ab aliis pueris ſecerneretur; ſed lumen ipſum interius, quod illis oſtenderat, quod ab eo ſydere ſignificabatur, facile obtinuit, ut per exteriorem illam infirmitatem cognoſcerent auguſtam Majeſtatem, & ſupremam dignitatem Dei hominis facti. Pleni fide, ac reverentia ad pedes illius provoluti adoraverunt illum tamquam ſupremum Dominum, & humani generis Salvatorem. Cumque eſſet regionis ejus conſuetudo, nunquam coram Principibus viris adeundi manibus vacuis, obtulerunt illi, quidquid in patria ſua pretioſiſſimum erat aurum, thus, & myrrham, atque tunc adimpletum eſt, quod de Meſſia prædixerat David, cum ait, Reges Indiæ, Arabiæ, & Saba venturos ad offerenda ei munera in fidei, & obedientiæ ſuæ teſtimonium. *Idem.*

Dei Filius licet humiliatus in ſtabulo, Regum opera utitur ad magnitudinem ſuam evulgandam.

Volens Dei Filius univerſo Mundo cognoſcendam tradere Nativitatem ſuam, ac Magnitudinem, humiliatus licet in ſtabulo, ac in præſepi Regum opera utitur ad eam in vulgus proferendam. Neque enim curſores aderant, qui longius nuntium afferre poſſent, neque adminicula alia, per quæ melius, ac citius effunderetur. Rei alicujus rumor ingens quidem eſſe dicendus eſt, ut ad Regum uſque aures perveniat, qui in elatione ſua ſunt tamquam Cæli a terræ ſtrepitu longe ſemoti; ſed ubi Reges, qui potiſſimum argumenta præbent celeberrimis rumoribus, ipſi per ſe aliquid evulgant, tunc id neminem latere poteſt; quoniam in hoc quoque Cælis ſimiles ſunt, in quibus ne minima quidem contingere poteſt mutatio, quo minus ſtatim ab omnibus videatur, & omnes illico certiores fiant. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Cur Deus potiſſimum requirat Principum virorum obſequia?

Quamvis exigat Deus obſequia, & religionis cultum ab omnibus generatim mortalibus, in Majeſtatis ſuæ teſtimonium, potiſſimum tamen hæc a Principibus officia requirit, & ab iis, quorum nativitas, genus, conditio, ac fortuna illos evehunt ſuper ceteros, non ſolum quia ii ſunt, qui majorem illi honorem conciliare poſſunt, quemadmodum videmus Monarchæ alicujus gloriam in terris non eſſe tam videre turbam populorum, e quibus colitur, & qui coram illo contremiſcunt, quam continere in officio Principes, ac Magnates Imperii ſui: quia horum exemplum quamdam injicit ceteris ſpeciem neceſſitatis eos ſequendi, atque immitandi. Quemadmodum horum auctoritas neminem fallit, ita eorum exempla ſectatoribus non carent; ſic dicere poſſumus illos docere melius, quam jubeant. Hos Mundus reſpicit univerſus, ideoque ad eorum normam ſe totum componit. Ita ut, cum illi ante alios religionis officiis perfunguntur, exemplum ipſorum in aliis id agat, quod hodiernum ſydus in Magis: immoratur ſuper Salvatoris præſepe ad oſtendendum illum, qui eſt adorandus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Herodes jubet omnes pueros a bimatu & infra jugulari.

Cum Herodes non vidiſſet amplius Magos, illos ſtatim ſimplices eſſe cenſuit, & inanium viſorum fictores, qui pudore ſuffuſi eo quod non inveniſſent illum, ad quem inquirendum tantum impenderant temporis, Jeroſolymam redire noluerant. Sed cum mox ad illius aures perveniſſent mirabilia, quæ acciderant in Templo per occaſionem Pueri, qui Meſſias eſſe ferebatur, in crudeles iras exarſit, quibus eo inſaniæ actus fuit, ut omnes pueros, qui in finibus Bethlehem infra biennium nati fuerant, jugularentur, ne illum præteriret, cujus paullo ante nativitatem a Magis audierat. *Idem.*

Magi domum ſuam reverſi ſunt aucti gratiis, ac ſupernaturalibus bonis.

Quod ad Magos Reges attinet, quibus contigit Mundi Salvatorem colere, eique ſua munera afferre, facile eſt cognoſcere quanam gratiarum, & ſupernaturalium donorum affluentia fuerint cumulati; quam viva fide, ardenti caritate, qua zeli puritate, ac generoſitate domum ſuam fuerint reverſi, ubi poſtquam evulgarunt mirabilia, quæ viderant, Sanctorum mortem ſubire domi ſuæ meriti ſunt. Profecto gratia, & vocatio adeo ſingularis, fidelitas adeo accurata, & generoſa alium invenire finem minime poterant, & hoc credit Eccleſia per publicum cultum, quem illis adhiberi permittit. Heu! Mundi Salvator, quam præclara documenta, quanta, & quot exempla reperio in primis adoratoribus tuis! Opus ne eſt, ut quia minori ſumptu, ac labore invenire te poſſum, minus ſollicite inquiram te; minori cum reverentia te colam, & infrequentius mea tibi exhibeam obſequia! Hoc feci, & hoc hodierna die execror, & deteſtor; conſilium iniens tibi aſſidue inſerviendi, & reliquum dierum meorum te in ſpiritu, & veritate adorandi. *Idem.*

Opus erat, ut inter humiliationes Nativitatis J. C. aliquis eſſet eventus ex quo divinitas illius cognoſceretur

Opus erat, Domine, ut inter tot humiliationes, quas tanta cura quærebas, aliquid accideret, ex quo quinam eſſes cognoſcereris, & quod prohiberet, ne divinitatis tuæ gloria jugularetur inter contumelias quibus jugiter afficiebaris; & oportebat, ut qui videbant te humana indutum imbecillitate, recognoſcerent ſimul in perſona tua Majeſtatem, & Omnipotentiam Dei. Hac de cauſſa tres illi viatores, ſatis ſpectabiles propter eam, quam pollebant in Mundo, auctoritatem, non ſecus ac propter ſcientiam, duce ſtella, divinitus afflati ab extremis terræ plagis in Bethlehem aſcenderent, tibi eos præbituri honores, & obſequia, quæ uni Deo tantum debentur. *Ex libro, cui titulus: Colloquia Abbatis Joannis, & Eugenii Presbyteri.*

Hoc celeberrimum Magorum iter, ad te colendum venientium, nos docet Domine, te ſub tuæ humanitatis integumento abdidiſſe realem divinitatem. Hoc liquet ex Prophetæ teſtimonio de æterna tua generatione loquentis, atque ex thure quod hi Reges offerunt tibi; ex auro, & myrrha, quæ tibi præſentant. Dant illi thus tamquam ſignum cultus, & adorationis, quam tibi debent; aurum, quatenus illi, qui abſolutus eſt bonorum omnium, & omnium Mundi divitiarum Dominus; Myrrham vero ad oſtendendum in manibus tuis vitam, & mortem eſſe, & omnimodam auctoritatem in nos, itaut de nobis ad arbitrium diſponas. *Ex iiſdem colloquiis.*

De tumultu Herodis, & Sacerdotum ob Magorum adventum.

Herodis tumultus, ſtupor Principum Sacerdotum, atque Doctorum populi, ubi intellexerunt Magos duce ſtella ex longinquis regionibus acceſſiſſe ad quærendum Regem Judæorum, eumque adorandum ubi inveniſſent

illum:

illum: Tumultus hic, inquam, ac ſtupor oſtendit, Domine, populo, qui jampridem te opperiebatur, te tandem in Mundum adveniſſe. Hoc illi aliquas injecit cogitationes, & aliquem in eo motum excivit; ſed quin ex hoc tanto nuntio proficeret aliquid, illud oblivioni tradidit, & facti excidit recordatio. Memoria, quam Herodes fovet, nihil prodeſt, niſi ut teterrimum, & crudeliſſimum ſcelus committat, jubens interfici in Bethlehem, & finitimis locis pueros omnes, qui biennium non excederent. Scribæ vero, & Sacerdotes qui ſancta incendi impatientia debebant, ut ſcirent, quiſnam eſſet novus hic Rex Judæorum, qui natus erat, ſatis eſſe putarunt, ſi obiter inquirerent iis in locis, ubi CHRISTUS erat naſciturus. *Idem.*

Magi non aliud quærunt, quam Mundi Salvatorem inviſere.

Magi ubi Jeroſolymam ingreſſi ſunt non terunt tempus inutiles obeundo viſitationes; immo neque aſcendunt in Templum, cujus tanta erat celebritas, quid in urbe fiat, vel in Herodis aula non quærunt, & niſi Rex ille eos ſciſcitatum miſiſſet, eum ne vidiſſent quidem; de illo tantum ſolliciti, qui *natus eſt Rex Judæorum.* Hinc diſcamus ex animis noſtris ejicere curioſitatem rerum ſuperficialium, ſcientiarum, negotiorum Mundi, proximorum noſtrorum, quæ nihil nobis ad ſalutem conferre poſſunt; ſed quæ econtra mentem noſtram impediunt, & prohibent, ne ad res divinas, & noſtræ conſcientiæ negotia, ut decet, incumbat. Alterius Mundi nuntia quæramus, ſolliciti ſimus, ut in præſepi Dominum adoremus, nobis indignum putemus omnem ſcientiam præter illam, per quam ſanctum puerum cognoſcimus. Nos beatos, ſi illum invenire poſſumus, ſi nos pedibus ejus obvolutos non dedignatur, ſi recipit, quæ illi offerimus munera. *Homilia Godeau.*

Magi iter in videntes ſtellæ, quæ ſibi Jeroſolymam ingreſſis evanuerat.

Quamdiu Magi Jeroſolymæ commorati ſunt, non viderunt ſtellam; ſed illinc egreſſos *antecedebat eos.* Vident illam præeuntem, ac docentem iter, ac eo deducentem, ubi erat Sanctus puer, quem perquirebant. Hinc diſcendum eſt, Dei Spiritum paſſim non inveniri in magnarum Urbium tumultu, ac in rumore negotiorum Mundi; ibi e contra amittitur. Magnus enim in Urbibus ambitio, invidia, avaritia, ultio, voluptas, habendique libido in cordibus dominantur, omneſque motus conſtituunt. Aer ille tabidus eſt, quo omnes illum perſiantes corrumpuntur; & peculiari Dei gratia opus eſt, ut quis ſe incolumem tueatur. Tutius eſt fugam capeſſere, iiſque in locis commorari, ubi peccati occaſiones cum ſint pauciores, infrequentius peccatur. Igitur vos beatos exiſtimate cum in pago aliquo, aut ruri moramini procul a mundi frequentia, ideoque procul a ſpiritu Mundi, qui eſt inimicus Dei. Vobis illic non obverſantur ob oculos magnifica objecta, non ædes ſuperbæ, non pretioſa ſupellex, non lauta convivia, non magnificæ ſervorum catervæ, & quod oculi veſtri non vident, cor veſtrum non optat. Vobis non ſunt juges occaſiones augendi fortunas veſtras, & opes veſtras multiplicandi, & iis acquieſcitis, quæ vobis conferre placuit Deo. Magna negotia non omne vobis auferunt tempus, non totam mentem occupant: ibi modicæ domeſticæ rei cura habenda tibi eſt, agri tui colendi, ac exiguis familiis invigilandum; quibus mediocribus curis facile adjungere licet illam ſalutis tuæ, & Chriſtianæ pietatis exercitia. Benedicite ergo providentiæ Dei, quæ vos oriri voluit in locis, ubi facile illi ſervire licet, & ubi libentius habitat quam in magnis civitatibus, ubi vix eſt qui illum norit, & ſerviat illi. Libenter loquitur ad cor, ſed hoc accidit in ſolitudine: *Ducam eam in ſolitudinem & loquar ad cor ejus. Godeau in Homiliis.*

Oſee 2.

Magi tandem inveniunt JESUM jacentem in præſepio.

Magi duce ſtella, quæ antecedebat eos, veniunt Bethlehem, ibique inveniunt Puerum JESUM in præſepio jacentem cum Matre ſua, ſine comitatu, ſine familia, ſine ullis Regni inſignibus. Tamen non ſolum eum colunt tanquam Regem, reverentur tamquam Altiſſimi Sacerdotem, benedicunt illi tamquam victimæ pro humani generis ſalute immolandæ, verum etiam tamquam Deum venerantur. Quænam, fideles? ſuit ne unquam huic ſimilis in Iſrael? Non miror credi in JESUM CHRISTUM, hunc pro Meſſia haberi, dum ea operatur miracula, quæ nemo fecit unquam. Sed quod Philoſophi, quod Mundi ſapientes pro Deo habeant Infantem decem annorum, vel duodecim, puerum jacentem in præſepio, pannis involutum, ab omnibus derelictum, & extrema laborantem inopia; hoc miror; hoc mihi ſtuporem ciet, hoc eſt in cauſſa propter quam eorum fidem admirer. Quænam vero noſtra eſſe debet, quos Fidei lumen certos facit puerum in Bethlehem natum Deum eſſe, qui ſcimus illum reſurrexiſſe, & regnare ad dexteram Patris in Cælo, & Judicem eſſe viventium, & mortuorum? Quantam reverentia a nobis colendus eſt? *Idem.*

Ut olim Magi Deum cognoſcere non poſſumus ſine lumine ipſius.

Ex eo, quod novum Sydus creavit in Cælo Deus, ut Filii ſui Nativitatem tribus Magis aperiret, diſcendum nobis eſt, nos ſine Dei lumine nequaquam cognoſcere poſſe JESUM CHRISTUM, vel aliquod ex Myſteriis ejus: Mentem noſtram in tenebrarum caligine verſari, ubi de divinis Myſteriis agitur, & omnes argumentationes noſtras nihil inde poſſe intelligere. Magi inſignes erant Philoſophi, celeberrimi Aſtrorum inſpectores, qui videntes novum hoc ſydus illuceſcere, admirati ſunt illius formam, lumen, & viam; verum niſi ſimul Deus revelaſſet illis, ſtellam hanc nuntium eſſe Nativitatis Filii ſui, illud aſtrum ceteris ſimillimum exiſtimaſſent. Gratia tenebras ex oculis eorum excuſſit, eo tempore, quo ſydus illud eorum oculis illuxit, & effecit, ut cognoſcerent illum, qui in Mundum venerat ad eum redimendum. *Dedit aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri.* Ne præfidamus igitur in ingenii noſtri viribus, neque in luminibus ſcientiæ noſtræ, ad cognoſcenda ea, quæ pertinent ad Deum, ac noſtram ſalutem; fateamur nos natos eſſe in cæcitate, ac profunda ignorantia; petamus a Deo lumen fidei, quæ ſola poteſt eſſe nobis dux, noſque adducere ad JESUM CHRISTUM. Lumen rationis, Philoſophiæ, experientiæ, nobis nullam tradere poterant divinæ Veritatis agnitionem. Unus JESUS CHRISTUS nos ad ſe vocat; Unus JESUS CHRISTUS ſe nobis præbet cognoſcendum. Ibi enim lux eſt illuminans omnem hominem in hunc Mundum venientem; ipſe via eſt, per quam unice tuto ambulatur. *Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipſam ſectamur,* S. Auguſtinus ait, *ut ad ipſam lucem aliquando veniamus, & in illa ita vivamus, ut nunquam omnino moriamur. Godeau in Homiliis.*

S. Leo ſerm. 1. de Epiphan.

Tract. 34 in Joann.

In quo ſita ſit gloria Filii Dei quam Magi adorationibus ſuis illi procurant.

Præterquam quod hoc obſequium, quod adhibent illi tres iſti Reges, in ſe perſpectum maximum eſt, quod illi præſtari poſſit in terris; etenim quamvis agnoſcatur ille a Populo, & a Paſtoribus, non diffitebimini hoc aliquid eſſe non magno pretio habendum. Quoniam honorem metimur ex dignitate eorum, a quibus nobis honor impenditur. Sed juxta regulam hanc celſitudo Filii Dei recognita, & manifeſtata pro tali, qualis eſt! videlicet ſuprema, ac a nullo pendens, & fortaſſis etiam ſuper omnes terrarum Monarchas polita, etenim quomodo melius manifeſtari poteſt, quam cum videmus id, quod in terris maximum eſt, Regum videlicet Majeſtatem illi honorem deferre, ac eidem ſeſe ſubjicere? Hæc igitur dies jure optimo appellatur manifeſtatio Majeſtatis Filii Dei: Erat hominum Salvator, Deus abſconditus, Rex ſine ſubditis, Homo Deus, hominum noviſſimus, ſed hæc manifeſtatio detegit ignotum Deum, ſummo hunc Monarchæ ſubditos, eoſque corona redimitos, ſubjicit, afficitque, ut derelicti hujus pueri incunabulis honor adhibeatur. Hæc proprie illius celſitudo eſt, & gloria, quæ ſita eſt in cognitione, & luce exteriori, quæ illi procuratur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Magi nos docent exemplo, quid ſit nobis faciendum ad J. C. ituris.

Quandoquidem eamdem gratiam recepimus, quam Magi, qui objurgatione digni erimus, ſi eorum poſthabito exemplo, nobis idem non erit fervor eundi ad JESUM CHRISTUM, noſquemet in numerum diſcipulorum ejus inferendi? Hodierna igitur die vobis Magorum exemplum proponens dicere volo, quid vobis faciendum ſit, ut voſmet Deo devoveatis, & quid ſit ſeſe devovere Deo. Hæc illa eſt magni momenti veritas quam vobis traditurus ſum. Qui vult ſe devovere Deo, ad illum alacriter, & ſine mora ſe debet conferre; conſtantiam debet afferre, ac vim ad ſuperandos omnes obices, qui in ſalutis via ſolent occurrere. Qui autem ad Deum ſtudet ambulare, non debet manibus vacuis ſeſe conferre; ſed par eſſe debet, ut illi afferat munera. *Annus Evangelicus. Lambert Tom. 5.*

Ratio, quæ Magos ad conjectandum impulit Regem Judæorum natum eſſe.

Num 24 17.

Quare Magi ex ſtella, quam viderant, conjectura aſſecuti ſunt, natum eſſe Regem Judæorum? Quænam ratio inter hanc ſtellam, & Salvatoris Nativitatem? Vetus quidam Propheta qui eamdem quam Magi, patriam ſortitus eſt, vaticinatus fuerat: *Orietur ſtella ex Jacob.* Quibus verbis nuntiaverat ortum Prophetæ, cui aliquando vocari poſſet ſtella fulgens, quia cælitus naſciturus erat, & homines illuſtraturus. Hujus vaticinii memoria uſque ad Magorum tempus permanſerat, illudque complendum præſtolabantur. Magi ergo per Prophetæ prædictionem de ſtellæ apparitione edocti, multoque magis per lumen interius, quod in cor illorum effudit Deus, non dubitant, quo minus novum ſydus, quod illis apparuit, certiſſimum ſit dominicæ Nativitatis teſtimonium; ideoque illud appellant ſtellam Regis Judæorum. *Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum. Vidimus, & venimus.* Verba ſunt, quæ nos maxime erudiunt. Magi viam ingrediuntur. ſtatim ac illis oſtenditur, non differunt in aliud tempus; ubi lumen illis apparet, ſtatim feſtinanter ad JESUM CHRISTUM inquirendum proficiſcuntur. *Idem.*

Dei Filius licet Infans oſtendit potentiam ſuam attrahens Magos lumine gratiæ ſuæ.

Dei Filius oriens in terris non abdiderat ſolum Majeſtatis ſuæ magnitudinem; videbatur etiam abjeciſſe ſummam illam poteſtatem, qua Cælum, ac terram creavit. Cum enim puer naſci voluerit, ut alii, redactus videtur ad extremam infirmitatem, impar, qui ſibi operam ferre poſſet, omnibus vitæ caſibus obnoxius, ac in ſumma rerum omnium carentia. Tamen hac Epiphaniæ die ſuam oſtendit potentiam, trahens ad ſe hos Orientis Reges, & agens in hos ſpiritus Idolorum cultores, a Deo per voluntatem remotiores, quam pro loccorum diſtantia. Gratiæ lumen Regum horum mentem

illu-

illuſtrat, ſapientum quidem profundæque perſpicientiæ in Mundi negotiis, ſed in denſa caligine infidelitatis abditorum; & vix hæc ſtella oculis eorum illuxit, cum brevi, ſtatimque cæcitatem illorum diſſipavit. Gratia hæc cor eorum pervadit, & ex hoc primo temporis momento ſe ſe dedunt. *Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum.* Hic divinum aliquid latet, quod humanam poteſtatem ſuperat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Bonitas, & indigentia Filii Dei in nos.

Quoties JESUS CHRISTUS vos illuminavit? Quoties vocavit? Ille effecit, ut audiretis Miniſtrum illum zelo ſuccenſum, cujus ſermones vos tetigerunt, cum ad vivum vobis ſalutis Veritates aperuit; ille vos cum amico fideli conjunxit, cujus exempla æque, ac verba magnam obtinent vim, ut intra voſmet colligatis; ille auctor fuit, ut caſus ille contingeret, quem moleſtum arbitramini, ſed qui re vera vobis perutilis accidit; quoniam in vobis ciet faſtidium rerum omnium terrenarum; ille vos perduxit in cognitionem illius, qui vos invitos redarguit, ac evincit, ut unice illi, quod neceſſarium eſt, vacetis. JESUS CHRISTUS vos vocat. At ideone vocat, quia vobis indigeat? vos illi prorſus inutiles eſtis. Igitur unice ex ſua bonitate vos vocat. Deus vero bonus a creatura ſua non amabitur, eo ipſo tempore, quo præbet ſui in nos amoris argumenta! Ad id opus eſt omnem ſenſum abjeciſſe; opus eſt velle omnes grati animi ſenſus jugulare, qui nobis invitis etiam oborirentur, quantumvis modicum imperii ſpatium ſupereſſet rationi, & huic non omnino cupiditas dominaretur. En quare S. Paulus aſſerit Dei bonitatem validiſſimam eſſe cauſſam quam exhibere poſſimus peccatori, ut ad converſionem impellatur; An neſcitis, quod bonitas Dei vos ad pœnitentiam invitat? Complures peccatores inde oppoſitum arguunt. Vocat Deus peccatorem & ille ſæpe reſilit, quia Dei bonitas illi perſpecta eſt, & comperta. Sæpe, ut loquitur Tertullianus, per abuſum, qui ſatis deplorari non poteſt, id quod nos a peccando magis deberet avertere, retinet nos in peccato. Perſeveratis in viis veſtris nefariis, quia cogitatis Deum ſemper futurum præſto, ut vos reduces ſuſcipiat; hæc enim veſtra reſponſio eſt, cum urgemini, ut quam celeriter ad Deum revertamini. Sinite, ſinite, ingrati confidere in Dei bonitate, qua eſtis indigni. Intelligite quantæ plenum ſit opus aleæ abuti divina indulgentia. Quandoquidem vos minime afficiunt Dei miſericordiæ, periculum, cui voſmet objicitis redire ad illud cunctantes, arguet vos de neceſſitate quanto citius ex iniquitatis via egrediendi. *Lambert in Anno Evangelico Tomo 5.*

Herodes audito Magorum nuntio expavit, & Jeruſalem tota cum illo.

Herodes turbatus eſt. Turbæ illius cauſſam invenire arduum non eſt. Turbatus eſt, quia Magi Jeroſolymam venientes ſciſcitati fuerant: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Id genus quæſtio ſatis erat, ut turbas injiceret menti adeo ambitioſæ, qualis erat Herodis. Non paucis illi ſteterat ſceleribus, ſeu thronum ſibi vendicare, ſeu in eodem perſiſtere. Illi, quos propriæ conſcientiæ damnat teſtimonium, facile expaveſcunt. Contremiſcit Herodes, quia ſicuti regnandi libidine flagraverat, metuebat futurum ut laborum ſuorum, vel criminum potius fructum amitteret. *Idem.*

Non ſequitur argumentum.

Difficilius vero eſt intelligere cur turbata fuerit Jeruſalem, Magis adventum novi Regis nuntiantibus. Facile erat cognoſcere novum hunc Regem eſſe Salvatorem, quem Prophetæ prædixerant. Ita videntur Jeroſolymæ cives non timore, ſed gaudio afficiendos fuiſſe. Hunc ſenſum illis injicere debebat proxima ſpes libertatis, in quam erant vindicandi ex ſervitute, in qua jampridem gemebant. Agnoſcite in hoc univerſali tumultu Jeruſalem effectum cæcæ illius indulgentiæ, quæ efficit, ut viris principibus aſſentemur, eorum ſenſus amplectamur, eorumque genio velificemur. Quam nobis vim non inferimus, cum ſermo eſt de obſequendo poteſtatibus ſæculi! Quam beati eſſemus, ſi eodem ardore obſequeremur Deo, ſi nobis idem eſſet animus vim faciendi affectibus noſtris, ubi ſi aliqua opus eſt, ut noſtra obeamus officia, & legem Dei impleamus! *Idem.*

De Solemnitate Epiphaniæ.

Magna quidem eſt diei hujus ſolemnitas, ſed illis, qui norunt digna in pretio habere donum fidei, & glorioſam Chriſtiani hominis qualitatem. Quis enim gaudere poteſt ſe ad JESU CHRISTI cognitionem fuiſſe evocatum, niſi reſpiciat cognitionem hanc tamquam inſigne bonum, & ſi parum gratus eſt gratiæ ſuæ vocationis? Quis vero ſe taliter affectum cenſere poteſt, cum eodem pacto vivit, quo viveret, ſi minime ingreſſus eſſet in Eccleſiam, & nunquam de JESU CHRISTO dicere audiviſſet: lumen noſtrum nobis illuxit? Verum ſumus ne de eorum numero, de quibus Propheta dixit futurum, ut in luminis hujus fulgore ambularent? *Tourneaux in Anno Chriſtiano Tomo 1.*

Animadverſiones SS. Patrum de Magorum muneribus.

Sancti Patres in muneribus, quæ Magi obtulerunt JESU CHRISTO, duo animadvertunt. Primum, illa congrua fuiſſe qualitati illius, quem adorabant; Reverebantur illum tamquam Deum thuris oblatione; tamquam Regem auro; & tamquam hominem myrrha, qua ad condienda corpora poſt mortem olim utebantur. Alterum, nos poſſe, ac debere in ſenſu ſpiritali offerre JESU CHRISTO munera eadem, quæ Magi obtulerunt. Ardentes preces thuris locum obtinebunt; Eleemoſynæ pauperibus erogatæ ſupplebunt auro; & myrrha utilis ad corruptionem arcendam, belle deſignare poteſt curam a nobis ſuſcipiendam ad ſartam tectam ſervandam corporum noſtrorum puritatem, omnium illicitarum voluptatum abſtinentia. *Idem.*

Magi Deum ſequuntur.

Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Reſponſum hoc ſecundum Græci textus vim, fuit Oraculum Cæleſte. Deus ipſe dirigit omnes greſſus eorum, qui ſuo nutui parent. Ex quo Magi viderunt ſtellam, viam ingreſſi ſunt, ut quærerent JESUM CHRISTUM, licet neſcirent, ubi illum eſſent inventuri; & ſtatim ac a Judæorum Doctoribus audierunt, ubi eſſet naſciturus, hominum voci paruerunt, ac iterum viderunt ſtellam, a qua ad eum, quem quærebant, adducti ſunt. Illis redeundum non erat Jeroſolyma, Deus illos admonuit. Beatus qui ita ſequitur illum in omnibus viis ejus, & nihil ejus injuſſu aggreditur. Beatus, qui fidelis iis luminibus, quæ recipit, ſingulis diebus majora meretur, obtinet. Hujuſmodi fuerunt Gentium primitiæ. Solemni Feſtivitate recolimus memoriam gratiæ, quam Deus illis elargitus eſt, & in illis Eccleſiæ univerſæ: ſed hoc in irritum cedet, niſi noſtra imitatione coluerimus uſum fidelem hujuſmodi gratiæ: Præſta, nobis, Domine, horum Philoſophorum fidem: illumina mentes noſtras, & move corda, ut illud ſequamur lumen, quod nobis præbuiſti, ut veniamus ad te; Fac, ut ſatis te cognoſcamus, ut ad te quærendum excitemur; fac nos ſatis fideliter quærere, ut te invenire mereamur. Fac denique, ut te inventum adoremus, & noſmet tibi offeramus, noſmet tuæ ſervituti penitus devoventes. *Idem.*

De gloria J.C. quæ mirifice apparet in hoc Myſterio.

Hæc dies infinite glorioſa eſt Filio Dei; quoniam mirifice oſtendit in ea ſupremam potentiam ſuam in Cælo, in terra. In terra quidem, quoniam adoratur a Regibus, & licet infans terret Herodem; ut oſtendat omnes Mundi hujus celſitudines, ac poteſtates ſibi ſubjectas eſſe, & ſe in Cælis Regem eſſe Regum, quia creavit novum ſydus, cujus admirabilis ſpecies perfecte Nativitatis ejuſdem miracula repræſentat. Stellæ factæ ſunt, ut noctu nos illuminent; & JESUS CHRISTUS venit, ut nos inter ſæculi tenebras illuſtraret. Stellæ viatorum ſunt duces, & JESUS CHRISTUS homines ad beatam deducit æternitatem. Stellæ oculis noſtris exiguæ videntur, licet ſint admirabilis Magnitudinis, & JESUS CHRISTUS ſeſe noviſſimum mortalium omnium præbuit, licet infinitus ſit in ſuis Magnalibus. Stellæ fulgorem ſuum in Cælo fundunt, ſed virtutem ſuam in terræ ſinu tegunt, ubi per arcanos influxus operantur; & JESUS CHRISTUS palam ſeſe Beatis oſtendit per lumen gloriæ, ſed hic in terra clam per gratiæ ſuæ influxus operatur. *Pater Nivet Tomo 7.*

S. Auguſtini Sententia in hoc Myſterio.

Cum S. Auguſtino exclamate: O magnum, & admirabile Myſterium! Ille jacebat in præſepio, & Magos ab Oriente trahebat: Latebat in ſtabulo, & coruſcabat in Cælo. Per glorioſum Epiphaniam lucebat in Cælo, ut cognoſceretur in ſtabulo; & licet videretur infirmus, adorabatur a Magis, timebatur a malis. *Quid erit, tribunal judicantis, quando ſuperbos Reges incunabula terrebant infantis?* Divine fons luminum, aſtrum Sole fulgidius, diſſipa tenebras cordis mei, dux eſto æternitatis meæ, doce me vivere tanta cum humilitate, ut ſine timore me ſiſtam coram Tribunali tuo, cum vivos, & mortuos judicabis. *Idem.*

Admirabiles effectus, quos Dei Filius in hoc Myſterio nobis oſtendit.

Dies hæc in maximam cedit gloriam Filio Dei, quia divina prorſus ratione ſuam oſtendit ſapientiam. Hic a mundi ſapientibus adoratur, qui carnis prudentiam, omnemque humanam ſcientiam negant, ut ſequantur Cæli lumina, æternæque ſapientiæ cultum adhibeant. Modum invenit abrogandi opibus fidem, quas mundus conſectatur, honoribus, quos mundus habet in pretio, voluptatibus, quas mortales depereunt; & admirabili metamorphoſeos ſpecie pretioſam efficit paupertatem, contemptum glorioſum, ſuaves tribulationes, & in Perſona ſua adorabiles omnes ærumnas, quas omnes homines perhorreſcunt. Denique confundit in Herode totam ſapientum terræ politicam, ad Nativitatis ſuæ gloriam, ac nominis ſui dignitatem convertit omnes artes, quibus tyrannus inhumanus utitur, ad illum opprimendum, eique ſceptrum cum vita auferendum. Hinc diſcite omnem hominum ſapientiam, quæ minime tendit ad æternitatem, & quæ non quærit JESUM CHRISTUM in humilitate, ac paupertate præſepis, & quæ tota continetur inter fines temporis, & in centro amoris proprii pſeudoſapientiam eſſe, ac veram ſtultitiam. Nunquid ſapientiæ eſt pro fine accipere media; relinquere Deum, qui nos fecit pro ſe, & inhærere creatis rebus; ſcire nobis beatam propoſitam eſſe æternitatem,

tem, & de præſenti duntaxat vita laborare, quæ fluxa, & fragilis eſt? *Idem.*

Quemadmodum ſe gesſerint Magi in regiones ſuas reverſi.

Magi ſimulac in patriam reverſi ſunt, zelum admirabilem præſetulerunt: quippe Regis Univerſorum Nativitatem palam evulgarunt; ubique narraverunt quemadmodum ſtella illos deduxerat, illis locum manſionis Filii divini aperuerat, ipſi puerum viderant, ac jacentem invenerant in præſepio. Teſtantur nonnulli eos reliquiſſe regna, & opes ſuas, ut voluntariam amplecterentur paupertatem quam in JESU CHRISTO fuerant admirati. Non deeſt locus ſuſpiciendi progreſſus, quos in perfectione fecerunt Sancti illi, quandoquidem optime reſponderunt primæ gratiæ vocationis ſuæ. Nam in praxi Sanctorum operum perſliterunt, & in fervore zeli, quem conceperant ad pedes JESU CHRISTI annis tribus, atque triginta inter infidelium barbariem, ſine alio ſubſidio, quam luminum interiorum, quibus Spiritus Sanctus illos illuſtrabat; indefeſſos in converſione populorum procuranda cum eo fervore, qui tandem martyrii gloria fuit coronatus. *Pater Nevet Tomo 7. Meditat.*

Progreſſus fidei Magorum videntium ſtellã ſuper Bethlehemiticum ſtabulum permanentem.

Cum ſtella immorata fuiſſet ſuper Bethlehemiticum ſtabulum, ad terram propius accedit, & nitidiores radios emiſit; quaſi diceret Magis: hic locus eſt, ubi natus eſt Rex, quem quæritis; quæ res illos admiratione replevit pauperem illam ruderum congeriem intuitos; ſed ubi ingreſſi ſunt, atque JESUM invenerunt cum Maria, illico ex pueri, matriſque ore prodiit lux longe divinior fulgore ſyderis, quæ illorum penetravit corda, eoſque in cognitionem adduxit, Puerum hunc eſſe Deum ſuum, ac Salvatorem, in quo omnes Divinitatis theſauri latebant. Admiramini hoc in loco fidem horum Magorum, quæ ad perfectionis ſuæ cumulum evaſit. Hujus heroicum actum ediderant, cum ſtella in Oriente viſa, fecit, ut regionem ſuam desererent, credentes natum eſſe Regem univerſorum. Alium etiam longe excellentiorem eliciuerunt, cum ipſis Jeroſolymam ingredientibus evanuit ſtella, quin tamen illi tepeſcerent, ſemper conſtantes in eadem ſententia, quam animo imbiberant. Ille vero, quem exercuerunt in ipſo ſtabuli ingreſſu longiſſime priores duos ſuperavit. Nam videntes puerum in præſepio jacentem, etiamſi omnia quæ ob eorum oculos obverſabantur infirmitatem, atque pauperiem ſaperent, firmiter crediderunt Deum eſſe, & univerſorum Monarcham. *Magi crediderunt omnia eſſe divina, ubi per omnia, humana defuerunt;* Caſſianus ait. O quam perſpicaces ſunt oculi fidei! Hodierna die ſub Infantis imbecillitate detegit Majeſtatem Dei; illum videbit aliquando per ipſam Crucis Ignominiam. *Idem.*

Cultus, quem adhibuerunt Magi Filio Dei in ſtabulo.

Poſt actum fidei, quem Magi exercuerunt, conſiderate illum adorationis, qui ſtatim ſubſecutus eſt. Scriptura duos hoſce motus complectitur, actum exteriorem, interioremque virtutis hujus; & *procidentes adoraverunt Deum. Procidentes*, hæc eſt adoratio exterior, ſimulque confeſſi ſunt ſupremam Infantis hujus excellentiam, ejuſque ſeſe ſubjecerunt imperio. Hæc eſt interior adoratio, quæ docet, ut voſmet humilietis, ſi vultis cum Magis contemplari admirabilia Dei. Intuitus magnalium Dei nos humiliat, & humilitas ejus nos ad magnalium illius contemplationem diſponit. *Idem.*

Dei Filius in Magorum vocatione ſuam potentiam oſtendit.

Opus fuit torrentibus lacrymarum, & ſanguinis ad naſcentem Eccleſiam conſtituendam, & ædificandam; & antequam unius Monarchæ accideret converſio, quinque, vel ſex Martyrum myriades numeratæ ſunt. Ecce vero tres Reges Ethnici, & cultores Idolorum ſine prædicatore, & ſine exemplo ad ſolum novi ſyderis adſpectum erudiuntur, perſuadentur, convertuntur. O ſumma Dei naſcentis potentia, quæ magis elucet in horum trium Magorum vocatione, quam in productione novi hujus ſyderis, quod illis apparet: quandoquidem in altera toto Cælo majorem nanciſcitur difficultatem, quam in altera. Quod ſi cognoſcere vultis, Propheta nos docet, in Mundi creatione Deum vix ſtellas vocaſſe, cum illico ea corpora ſenſu carentia aures habere viſa ſunt, ut vocem ejus audirent, & os, ut reſponderent: & *dixerunt adſumus, & luxerunt cum jucunditate.* Sed non ſemper hoc ipſum dici poteſt de illis, quos gratiæ ſydus intus illuſtrat. Sæpe illi obnituntur; non repente victis dant

Baruc 3.

manus, mens, & cor, & homines plerumque ſunt lumini rebelles. *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Opus eſt nonnunquam, ut Deus utatur ſuprema potentia, qua novit mulcere corda, ut eo flectat, quo cupit; idque per gratiam, quæ eſt veluti ſtella illos illuminans, & ad obediendum illiciens, quin eorum libertati vim faciat, ita ut ſubigat ingenia inhoſpita, & inhumana, atque de pertinaciſſimis agit triumphum, non quod neceſſario trahat hominis voluntatem per potentiam illi ſimilem, quam nonnulli aliis tribuere voluerunt, ſed per lumina adeo vivida, & afflatus adeo efficaces, ut illi ultro deditionem facere cupiant. *Habens humanorum cordium, quocumque libuerit, inclinandorum potentiſſimam voluntatem*, ut explicat S. Auguſtinus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Job 24.

Cogitatio fervens animæ ad conſpectum ſtabuli, ubi jacet Dei Filius.

Quis poterit deinceps ambitioſa fovere conſilia videns Regem ſuum in pauperrimo hoc loco inhabitantem. Nihilum putabit ne aliquid ſe eſſe, ubi videt totum exinanitum? O ſuperba Palatia, Ædes magnificæ Principum hujus Mundi, non quidem ſuper vos ſiſtit iter ſtella; vos non aliud eſtis niſi vanitatis domicilia, ambitionis, & luxus receptacula; ubi requies ſexcentis curis, & ſollicitudinibus perturbatur. O Sancta ruſticitas, o paupertas; o tuguria! Suaviſſima ſedes bonarum cogitationum, ubi regnat tranquillitas, ubi habitat pax cordis, & corporis. Anima mea benedicit vobis, & deſiderio veſtri flagrat. In poſterum hos mihi receſſus placere volo: evitare cupio manſiones, quæ oſtentationis plenæ ſunt, contemnere pretioſam ſupellectilem, & omnes ſæculi ornatus perhorreſcere. Quid prodeſt in cedrinis ædibus habitare, cum interim arca ſit ſub tabernaculis! O glorioſa mei Salvatoris humilitas? te admirari, te diligere, te imitari volo in veſtibus, ſupellectili, incolatu. *Idem.*

Pretioſa Dona, quæ Deus viciſſim Magis rependit.

Puer JESUS inter ulnas Matris ſuæ reſpiciebat munera, & cor Sanctorum Regum, & in eos conjiciebat oculos, quibus illos ſibi acceptos eſſe teſtabatur. Dubitandum non eſt quo minus eodem tempore, quo Reges Deo ſuos theſauros offerebant, Deus illis pretioſiora dona rependeret: Neque enim deceret Creatoris largitatem, atque Magnificentiam a creaturis ſuperari. Pro auro, quod illi obtulerunt, dedit eis admirabile Sapientiæ donum, quo altiſſima Religionis Myſteria & intelligerent, & alios docerent. Pro thure eximium pietatis donum, quo omnes mundi divitias contemnerent, & unice Dei ſervituti ſeſe mancipparent. Pro myrrha ſublimem ſpiritum Crucis, qui jugem illis ſuaſit mortificationem, quam ſubſecuta eſt corona Martyrii, uti multi arbitrantur. *Idem.*

Fruſtra homines adverſantur Providentiæ conſiliis.

Nequicquam ſubdolis conſiliis ſuis Herodes infanti Deo mortem inferre molitur. Vult Deus omnes artes hujus impii Regis confundi. Irritas facit omnes hujus prudentis ſæculi technas, quibus Magos, ut ad ſe Jeroſolymam reverterentur, fallere ſtuduit. Fruſtra Herodes nihil inauſum, ac intentatum relinquet, ut de medio tollat puerum, qui ejus excivit zelotypiam: quidquid deinceps auſurus eſt omnia æque in irritum cedent. O vanitas! o nihilum humanorum conſiliorum, cum Dei voluntatibus adverſantur! Rex hic ea non aſſequetur lumina, quæ ſperaverat. Magi ſemper dociles præbebunt aures cæleſtibus monitis: & quin ad crudelem Regem hunc revertantur, aliam inſtituent viam in patriam reverſuri . . . . Sed quid nobis cogitandum eſt de hac Magorum adoratione, & cultu? Nobis repræſentat ſubmiſſionem cordis, quod & nihili ſui infirmitatem, & divinæ celſitudinis majeſtatem cognoſcit. Hæc autem adoratio interior potiſſimum eſſe debet: etenim in genua procumbere nihil eſt, niſi cor ad Deum dirigatur, & cor ad Deum dirigi nequit, niſi fuerit humiliatum. Humiliatio hæc fructus eſt aſſiduarum meditationum quæ nobis faciendæ ſunt de miſeriis noſtris, & de illius omnipotentia, qui nos eduxit ex nihilo. Heu! quam bene Deum novit adorare, qui ſeipſum cognoſcere didicit! cui perſuaſum eſt, Deum unum magnum eſſe, & qui hinc quidem intuitus ſuas miſerias, & peccata, inde vero ſupremam gloriam, & Sanctitatem Dei, hilari, & æquo animo induit ſenſus humiliationis, qui infirmam, & criminibus onuſtam docent creaturam. Quam bene Deum adorare novit, qui cum Propheta dicere poteſt: gloriabor in infirmitatibus meis; ſenſus humilitatis, qui ſunt in corde meo ſingulis diebus creſcent, & vilior videbor, quam viſus fui: *Lambert in anno Evangelico Tomo 5. & recens Auctor.*

Thus, quod obtulerunt Magi Domino humilium preces ſignificat.

Filio Dei thus Magi obtulerunt. Hoc munus eſt, quod Deus a nobis vult recipere, & ſine quo ad Deum accedere non poſſumus. Ex omnibus muneribus, quæ ab hominibus Deo poſſunt offerri, oratio, quam thus deſignat, Deo eſt acceptiſſima. Ad Deum pertinere non poſſumus, niſi infinitam ejus Majeſtatem adoramus, niſi laudes illius recolimus, niſi noſtras illi neceſſitates explicamus, niſi gratias illius flagitamus: Sed meminerimus præſertim, orationem, quæ pretioſum eſt thymiama coram Deo, eſſe orationem cordis contriti, & humiliati: *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum*; eſſe orationem illius, qui confugit ad Deum, qui ſuam ſentit neceſſitatem, & quia illi perſuaſum eſt, Deum unum eſſe, a quo eripi valeat de miſeriarum abyſſo, in quam incidit propter peccatum. *Lambert in anno Evangelico Tomo 5.*

Pſalm. 101.

Magorum celeritas ad novi ſyderis adſpectum magnum eſt exemplum fidelitatis ad gratiam.

Vidimus ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Stellam videre, eamdemque ſequi, in Magis unum fere & idem eſt. Viſa ne fuit unquam alacrior, & gratiæ fidelior obedientia? Eorum quidem fervorem admiramur, ſed illo inflammamurne? Siccine gratiæ reſpondemus? Sequimur ne eadem cum alacritate ejus illecebras? Quot elapſi ſunt anni, ex quo nos ſollicitat Deus, ac urget, ut ſequamur ipſum, ac noſmet totos illi tradamus? Quotidie pollicemur, quod nunquam exequimur. Sed hæ moræ quam contumeliosæ ſunt?

Matth. 2.

ſunt? ille æque his ſe læſum putat, ac ſi apertiſſimam repulſam pateretur. Simus ergo impoſterum diligentiores, ac fideliores. Gratia neglecta, ut plurimum, eſt gratia amiſſa. Ne differamus igitur in craſtinum, quod hodie facere poſſumus. *Moralia novi Teſtamenti Tomo* 1.

Frui poſſumus in Sacra Salvatoris menſa ea felicitate qua Magi gaviſi ſunt in Bethlehem.

Invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. Fuit ne unquam fides purior, alacrior, magis ſtrenua, magiſque illuſtrata! Magi infirmum vident puerum, egenum, patientem, omnibus carentem, & ab omnibus fere derelictum: attamen per hanc denſam caliginem in illo deprehendunt omnes abſconditæ Divinitatis characteres, ſub umbris, quæ ab humana mente penetrari nequaquam poſſe videntur. Humiliter ad illius procidunt pedes: obſequenti, gratoque animo ſupremum illius fatentur imperium, & ſervitutem ſuam, vectigalium, quæ ab Oriente extremo attulere, varietate. Imitemur eorum exemplum; non deeſt nobis acceptabilis occaſio, ad Euchariſticam Menſam accedentibus. Ibi inveniemus etiam Deum abſconditum, ut olim ſub infirma ſpecie; ſed harum ſpecierum caliginem penetremus; fides noſtra ibi nobis aperiet unicum, & dignum noſtrarum adorationum, ac totius noſtri amoris objectum. Meminerimus tamen interdicti, quo in Scripturis cautum eſt, ne vacuis coram ipſo manibus accedamus. Non ſufficit illi jejuna, ac ſterilis adoratio; vult ſemper hanc cum aliquibus oblationibus conſociari. In hoc etiam Magorum exemplum ſequamur. Non ſecus ac illi offeramus aurum caritatis, & amoris, thus precum humilium, myrrham mortificationum noſtrarum, & caveamus diligentiſſime, ne repetamus quidquam eorum, quæ ſemel illi devovimus. *Morales novi Teſtamenti Tomo* 5.

Deus nihil exigit a nobis, quod non cedat in noſtram utilitatem.

Non patitur unquam Deus ſe vinci liberalitate. Si noſtra petit bona, ideo petit, vel ut inde cor noſtrum avellat, vel ut amoris noſtri periculum faciat, vel ut occaſionem naneiſcatur nos novis muneribus cumulandi. Ita egit cum Magis. Excepit ille quidem eorum adorationes, obſequia, munera; ſed quid illi viciſſim ex Salvatoris ſui Magnificentia non receperunt? Ille ſe palam communicat per ſupernaturalium luminum profuſionem, quorum ope detexerunt inſidias, quæ ipſi nectebantur, & quæ feliciter illos deduxerunt per abſconditas, ignotaſque vias uſque in patriam. Illis etiam aperit nihilum hujus mundi, a quo adeo perfecte cor eorum avellit, ut eo ipſo temporis articulo omnibus abrenuntient poſſeſſionibus ſuis liberius JESU CHRISTO ſervituri, eique unice vacaturi. Effundit in eorum animam hunc ſpiritum fortitudinis, & Chriſtianæ generoſitatis, quæ deinceps eos pares effecit, qui glorioſum Martyrium ſuſtinerent. En gratiæ, & beneficia, quibus Magi divinitus affecti fuere. Anima fidelis, ſtrenua, liberalis ſingulis etiam diebus eadem fere naneiſcitur bona in divinæ Euchariſtiæ communione. Igitur majori in dies cum fervore noſmet præparemus illi, quam hodierna die per inſigne hoc beneficium ſumus habituri. *Moralis novi Teſtamenti Tomo* 1.

Magi ubi ſtellam viderunt quin ulterius deliberarent, iter arripuerit.

 Eo Magi ubi apparere viderunt ſtellam, cujus motus, ſitus, materia erant inſoliti, ſtatim corripiunt iter nihil ultra quærentes, ut ad adorandum Regem Judæorum, quem illa oſtendebat, proficiſcerentur. Hinc renidet ſydus in Cælo, ut novitate ſua, eorum curioſitatem, atque obtutus alliciat; inde vero inviſibilis Dei gratia, quæ hoc utitur exteriori medio ad eos evocandos, gratis effundit lumina ſua in animas eorum. Certum eſt divinam hanc vocationem, & neceſſariam, vel ut melius dicam exteriorem, & opportune diſpoſitam, fuiſſe hujus felicitatis principia, & ſyderis hujus conſpectum fuiſſe illecebram, qua JESUS CHRISTUS infans voluit illos arceſſere. *Morales ſermones Tomo 6. parte* 1.

Deus ſtellam voluit eligere ut Magos adduceret.

Poterat Deus mittere Angelos ad Magos; ſed hi jam adventum illius nuntiaverunt Paſtoribus, & gratia hæc Judæis reſervari videbatur, qui eos videre conſueverant. Recentem lunam creare poterat; ſed hæc inæqualitatis, & inconſtantiæ ſymbolum eſt. Poterat illos Nativitatis ſuæ certiores facere per Prophetas; ſed jam completæ erant Prophetiæ. Producere poterat in ſole mutationem aliquam quæ illis ſtuporem injiceret; ſed Syderis hujus defectum in paſſionis ſuæ diem reſervabat. Quanam vero utitur re Gentiles hos vocaturus? Stella; & hæc ſtella in eorum mentibus, cordibuſque id efficit, quod obtutuum ejus ſuavitas mox efficiet in Zachæo, occaſio convivii in Magdalena, tranſitus ejus in Cæco Jerichuntino, exprobratio in Saulo, vulnera in Thoma, vocis illecebra in Apoſtolis, interiores, exterioreſque gratiæ in electis. Per hoc novum ſydus hæc omnia parit Miracula, Sanctus inquit Laurentius Juſtiniani, intus alliciens per gratiam, quæ illos invitat, extra illos illuſtrans lumine, quod illos deducit; illos lætificans ſimul & movens ſuimet ipſius manifeſtatione. Video jam illos ex ditionis ſuæ finibus egredientes, familiarum ſuarum oblitos, rerum, gloriæque ſuæ contemptores; vel dicam potius oblitos ſui, ut quærant Puerum, qui illos expectat; & hoc verum eſt argumentum fidelitatis, quam adhibuerunt gratiæ vocationis ſuæ, & hoc illud erat, quod ab illis Deus peroptabat. *Ibidem*.

Magis ſimiles reſpondere debemus gratiæ Dei.

Cum fidelitate reſpondere debemus gratiæ Dei, ſine mora ex omnibus impedimentis emergere, & cum Regibus noſtris ſequi pertinacitatem ſyderis, quod nos deducit. Noſtra ad Chriſtianam Religionem vocatio incluſa erat in illa piorum horum Principum: quibus contigit recipere primitias divini Spiritus, & in novum ingredi fœdus. Hactenus omnes Cæli gratiæ Judæis reſervatæ eſſe videbantur. Tenebræ operiebant omnes agros Ægyptiorum, ac terra Geſſen, ubi erat populus electus, Solis luminibus illuſtrabatur. Profunda ignorantia Dei apud incircumciſas gentes triſtem pariebat noctem, & infelices populi nonniſi per intervalla recipiebant aliquot reflexos luminis radios, qui, ut ita dicam, effluebant ab Sole gratiæ, quo Judæa univerſa illuſtrabatur. *Sermones Morales Tomo* 6.

Fatemur quidē nos ſequi debere motum Spiritus Dei; ſed hoc munere perperam fungimur.

Generatim quidem fatemur ineluctabilem neceſſitatem in qua ſumus ſequendi motum Spiritus Dei; recte dicimus a Mundi corruptione recedendum, & omnes nexus improbos infringendos. Ecce ſtella, quæ Incipit apparere; & utinam, S. Ambroſius ait, affectus noſtri verbis reſponderent; ac tantum ſedulitatis, & cautionis in hoc munere obeundo adhibeamus, quantum facilitatis eſt in cognoſcendo: iremus eo qua nos ſtella deducit, & quam celeriter confringeremus idola noſtra ante præſepe JESU CHRISTI. Sed malum eſt, quod voluptatis illecebræ validiores ſunt, quam primi ſyderis hujus orientis radii, noſque ſemper retinent in ſinu voluptatis, & conſilium inire non poſſumus adeo jucundos nexus infringendi. Malum eſt, quod nubes vanitatum Mundi, medium tenent locum inter nos, & hujus ſtellæ radios: eæque ita denſantur, ut ſæpe tamquam verum puritatis affectionum, & cooperationis noſtræ ad gratiam ſignum accipiamus, quod ad ſummum eſt noſtræ fidelitatis principium, & debilis noſtrorum votorum effectus: *Vati magi res eſt, quam affectus*. Malum eſt, quod malumus audire verba facientes de Religione noſtra, de modo, quo inſtituta fuit, de progreſſibus ejus, de locis Scripturæ, ubi de illa ſermo, de generoſis Martyribus, qui illam propugnaverunt; ſed hic ſubſiſtere volumus, ſatis votorum noſtrorum compotes, ſi per hypocritam pietatem mittimus ad JESUM CHRISTUM adorandum eos, qui confugiunt ad nos, quin velimus eos comitari. Perfidis Herodes, ingrati Judæi, hæc fuit cauſſa veſtræ reprobationis; & abſit, ne noſtræ quoque ſit argumentum: ite, Magis dicitis, diligenter quærite de hoc puero, & poſtquam ad unguem hoc munere perfuncti fueritis, ac inveneritis illum, tunc me certiorem facite, ut & ego veniens illum adorem. Interim hic immoramur, ſatiſque nobis videmur beati, in aliorum pietatem ea exonerantes officia, quæ nobis imponit Religio; ſed re ipſa irritam facientes vocationis noſtræ gratiam non ſine quodam animæ pondere, frigida perplexitate cordis inter veritatem, quam novimus, & obedientiam hilarem, quam præſtare debemus iis omnibus, quæ nobis proponit. Itaque nonne juſta nobis ſuppetit cauſſa metuendi, ut Deus in locum noſtrum novos ſubſtituat populos, ad quos mittat ſtellam ſuam, quemadmodum olim ſubſtituit Magos, & Gentiles Herodi, ac Judæis, quos reprobavit? *Sermones Morales Tomo 6. parte* 1.

Cogitationes noſtras Evangelii luminibus ſubjicere debemus.

Magi ſigno admodum incerto moniti præclaras cogitationes ſuis ſubjecerunt luminibus Orientis ſtellæ, quam in ſuſcepto itinere ducem ſecuti ſunt; nos vero tot inter lumina quibus ſepti ſumus in ſinu Eccleſiæ nihil nobis proponentis incerti, ratiocinari volumus, criticam artem adhibere, & immiſcere dubitationes noſtras de gratia, ut totidem prætextus habeamus noſmet ab illius obedientia diſpenſandi, & ab ea ſecedendi? Quæſiverunt illi in remota regione Puerum, quem ignorabant, pro cujus amore regna ſua reliquerunt, ac objecerunt ſe vel ſubditorum defectioni, vel contemptui, quem aſſerta levitas eorum in mentibus illorum ciere poterat; nos vero quibus nullum ſubeundum eſt periculum, nos detrectamus procumbere ad pedes Dei, qui notus eſt, qui prope eſt, & eſt in nobis? Nullum ipſi miraculum ab eo patratum viderant; neminem de ipſo loquentem audiverant, & nihilo ſecius, quin ultra conſilium capiant, de Arabia felici, videlicet de centro voluptatis citato gradu egreſſi ſunt, ut ſua præſtent obſequia Puero, qui regnaturus erat in Iſrael: Nos vero, qui fatemur Deum abſolutum Cæli, terræque Dominum, nos, quibus perſuaſum eſt de tot miraculis ab ipſo patratis, hæremus, & ut ita dicam cum illo paciſcimur, cupidi quidem colendi ipſum, ſed non illico eundi ad ipſum, dummodo Mundus nobiſcum veniat, admirandi Magnitudinem ejus, dummodo non exprobret nobis infirmitates noſtras: procidendi ad pedes præſepii ſui, ſed modo trahamus poſt nos noſtræ vanitatis inſignia; & nihil inde noſtra patiatur philautia. *Morales Sermones Tomo 6. Parte altera.*

Duo deerant Eſſentiæ perfectæ adorationis, veritas, & Spiritus.

Ad perfectæ adorationis eſſentiam duo deſiderabantur, Veritas, & Spiritus. Veritas quidem gentibus deerat; hærebant enim cultui Idolorum ſuorum. Spiritus apud Judæos ferme non erat: Satis erat illis cultus exterior, & inanis cæremonia. Alii quidem verum Deum non colebant, alii vero illum non ut opus eſt, colebant; quid autem hodie? Tres Magi Reges ab Oriente diſcedunt, & facti Chriſtiani antequam ipſa Chriſtiana Religio oriretur, in anteceſſum adimplent JESU CHRISTI prophetiam, quem in Veritate, ac Spiritu venerantur: in veritate quidem per humilem confeſſionem ſupremi ejus imperii, ac divinitatis, quæ erat adhuc ignota, & coram qua procumbunt: in Spiritu vero per obſequia ſpiritualia, quæ illi præſtant, & myſtica munera, quæ offerunt illi. *Idem.*

Difficultates a Magis ſuperandæ, ut Salvatorem adorarent.

Ad hæc Regum Magorum verba fingite vobis quidquid difficillimum erat ad ſuperandum in tribus hiſce Auguſtis Principibus, & id quod JESUS CHRISTUS nihilominus expectabat, ut reciperet veram hanc adorationem ſibi debitam. Quod Ethnici in infidelitatis ſinu innutriti, quam diuturna cæcitas, ac licentia confirmat, repente fidei lumine recipiant; hoc ſane difficillimum eſt. Quod Ethnici aſtrorum cognitioni dediti, aſſueti omnia inevitabili fato accepta referre, & creaturas, quas admirantur in Creatoris locum ſufficere, qui fecit illas, repente hos errores abjiciant, atque ejurent, hoc ſane difficilius eſt. Etenim quemadmodum ſanctus Auguſtinus animadvertit, ſi omnes ſectæ generatim magnos nactæ ſunt obices in noſtræ Religionis inſtitutiones, aſtrologia profecto inſuperabiles attulit difficultates. Hinc illam ſemper conſideravit Eccleſia veluti eam, quæ diu progreſſus illius retardavit, & Tertullianus jure ſuo illam idololatriæ Matrem appellavit. *Morales Sermones Tomo ſexto, parte prima.*

Triumphus quem Dei Filius refert hodie de mente, & corde magorum.

Dei Filius hodierna die magnum refert de ſpiritu, & corde Magorum triumphum, illis loquens, eiſque apparens ſub ſpecie ſyderis inſoliti, quod juxta mentem S. Joannis Chryſoſtomi, minus erat ſtella, quam ſuprema ratio, atque intelligentia, qui rationem ſuam illi ſacrificare tenebantur. Alius quilibet præter Magos, & Reges, ut videtur, ſatis digne Dei Filium adorare non poterat. Opus erat apud Æternum Patrem adoratore, cujus meritum, ac dignitas eſſet infinita; atque nonniſi in perſona Filii ipſius poterat inveniri, qui cum illi æqualis ſit in omnibus, quatenus Deus, eique ſubmiſſus, quatenus homo, vere ille fuit perfectus adorator, quem expectabat. Apud Filium vero hunc in præmium humiliationum, quibus ſe ipſum ultro objecit, requirebantur cultores non communis, vulgariſque conditionis, qui illius divinitatem adorarent, & qui imperium ſuum ejuſdem imperio ſubjicerent; & Pater Æternus nullos aptiores poterat invenire, quam tres Reges, qui eminus venerunt, ut nato Deo obſequia ſua præſtarent in ſtabulo, inter animalia quædam, & in fœno jacenti. *Idem.*

Prophetia Davidis adimpletur in Epiphania.

Pſalm. 88.

Hinc igitur feliciter adimpletum eſt Myſticum illud Davidis vaticinium in Pſalmo, ubi nobis exhibet Deum dicentem, tempus adfore, quo illum in auxilium ſuum invocabit, & dicet: *Pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ:* Ecce obſequia, quæ in præſepi tribuit Patri ſuo, quod Deum ſuum vocat ratione humanæ naturæ, quam ſuſcepit. Sed quænam erit illi merces illius? *Ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ: Si autem dereliquerint homines alii legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, & ſemen ejus in æternum manebit. Idem.*

In Magis, & muneribus eorum omnia ſunt myſtica.

Omnia ſpiritualia ſunt in Magorum muneribus, omnia vero magis adhuc ſpiritualia, magis myſtica, & divina in offerentibus. Dei Spiritus illos ad JESUM CHRISTUM adducit, & oſtendit illis media illum in ſpiritu adorandi. Spiritus ſapientiæ, & intellectus, per quem magnum aliquid vident in puero, quem adorant, quamvis intueantur illius miſeriam, ac pannos, quibus involutus eſt, S. Auguſtinus ait; Spiritus ſcientiæ, & conſilii, qui efficit, ut de Herodis fraudibus, & calliditate ſuſpicentur; Spiritus fortitudinis, quo omnes ſuperant obices, qui eorum conſiliis poterant adverſari; Spiritus pietatis, qui illos propiores facit novæ Religionis auctori; Spiritus timoris, qui illos coram eo tamquam coram Deo gloriæ, & Majeſtatis humiliat. Verbo, omnia ſunt Spiritus; ideoque nihil nobis dicere licet, niſi ſpiritus noſtros extollimus. *Sermones Morales tom. 6. parte prima.*

Magi in J. C. adorant tria.

Tria ſunt in JESU CHRISTO, aliquid vetus, aliquid novum, aliquid æternum. Quod vetus eſt, corpus ejus eſt, quod cum S. Bernardo dici poteſt antiquum: nam licet opus non ſit carnalis commercii, tamen efformatum eſt in ſinu Virginis, quæ per longam Majorum ſeriem ab Adam originem duxit. Quod in illo novum eſt, anima eſt, quæ creata fuit data opera, ut animaret hoc corpus. Quod vero Æternum eſt, Verbum eſt, quod utrique conjunctum eſt. Magi autem adorant in ſpiritu novam hanc Trinitatem. Myrrham offerunt ei, quod vetus eſt, videlicet corpori divini hujus infantis, quod expoſitum fuit omnibus vitæ hujus miſeriis, & omnibus perſecutionibus hominum. Aurum offerunt ei, quod in illo novum eſt, videlicet animæ, quæ purior eſt, & toto Cælo pretioſior hoc metallo; & offerunt thus ei, quod in eodem eſt æternum, videlicet Verbo, quod quatenus Deus omnes mortalium adorationes recepit. Veniunt tres in eodem Spiritu, & ſinguli offerunt munera ſua eidem puero, ut Myſterium Trinitatis perſonarum in unitate naturæ venerentur. Offerunt thus, cujus fumus ſemper in Cælum aſcendit, Patri, qui nunquam hoc gloriæ ſuæ centrum relinquit, myrrham Verbo, quod nonniſi paſſurus deſcendit, & aurum, quod caritatis ſymbolum eſt, Spiritui ſancto, qui caritas eſt, & vinculum ſubſtantiale Patris, & Filii. Veniunt tres, ut triplex reparationis genus faciant Deo, tot contumeliis illatis ipſi per concupiſcentiam carnis, per concupiſcentiam oculorum, per ſuperbiam vitæ. Si caro læſit illum per mollitiem, ac naturalem repugnantiam, qua horret pati; offerunt illi myrrham, quæ per amaritudinem ſymbolum eſt mortificationis, quam volunt amplecti; ſi oculi eum læſerunt per inexplebilem videndi aviditatem, ac poſſidendi bona terræ, ad illius pedes projiciunt aurum, quod tot avarorum objectum eſt, atque idolum; & ſi hominum vita per ſuperbiam illum offendit, coram ipſo procidentes offerunt thus, quod crematum, ac per ignem tranſiens, Chriſtianæ humilitatis eſt ſignum. Tertullianus tandem ait, ſi JESU CHRISTO primis vitæ ipſius diebus offerunt aurum, myrrham, ac thus, id factum fuiſſe, ut nobis teſtarentur, hac die finem habitura idolorum ſacrificia, & gloriam mundi, quam deinceps oppugnaturus eſt, ac deleturus. *Ex moralibus ſermonibus tomo 6. parte prima.*

Magi annunciant Herodi Salvatoris Nativitatem.

Tres Magi noſtri fideles, ac ſtrenui ad ſtellæ conſpectum nuntiant Herodi Nativitatem Regis Judæorum; neque illius Tyranni zelotypiam, furoremque extimeſcentes, nulla ipſius habita ratione ex eo quærunt, ubi ſit ille, qui natus eſt Rex Judæorum, vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Quod ſi tantum zeli fuit illis, antequam JESUM CHRISTUM viderent, & ſi Miſſionis ſuæ munere perfuncti ſunt tanta licentia, & fortitudine in terra aliena ubi nihil illis formidandum non erat; quid acturi, & dicturi ſunt, poſtliminio in patriam reverſi, de Puero, quem in Bethlehemitico præſepi adoraverunt, ubi jacta fuerunt prima Eccleſiæ fundamenta, ſicut illa Synagogæ olim in celeberrimo Synai Monte fuerunt conſtituta? *Idem.*

Quænam fuerit Herodis erga Magos politica.

Herodes a Romanis Judææ regnum receperat: Cumque eſſet alienigena, & de Judæis ſubditis ſuis diffideret, inſanæ ſimul, & crudeli ſeſe tradidit zelotypiæ. Non ignorabat, quid Prophetæ prædixiſſent de Nativitate Meſſiæ, ad quem ſpectabat ſolium, quod occupaverat. His turbatus cogitationibus, quibus timida ejus torquebatur ambitio, mirum in modum expalluit, ubi vidit ab Oriente Magos adventare Deum hunc recens natum, & legitimum Judæorum Regem adoraturos. Herodes autem ſimul ad verſutias, ac fraudes confugit, ut ſuæ conſuleret incolumitati. Magos interrogat de apparitione ſtellæ, quæ illis præcedebat, de Pueri Nativitate, quam itineris ſui cauſſam ferebant, & ſimulat ſe quoque cum eorum obſequiis ſua conjuncturum. Fuit ſimul impius; Prophetarum vaticiniis convictus, illa quærit eludere. Ignavus, ac turpis extitit in ſua politica. Etiamſi ſuperbus eſſet, ſeſe facilem præbuit, & ſpecie iniit conſilium coram puero genua flectendi. Verum cum in irritum evaſiſſet conatus illius propter incognitum Magorum reditum; ecce jam illum in furias exardeſcere, & nihil niſi funeſtum moliri: quippe palam id cepit conſilii, ut pueros omnes, qui nondum biennium exceſſerat, non in Bethlehem ſolum, verum etiam ea in regione miſere jugularentur. Ejus ſævitia, & furor tam horribile nefas executi ſunt: & ipſo unum dumtaxat auferre quærente plura infantium millia percuſſit. Inhumanus ne ſuo quidem filio pepercit. Niſi illum hæc inſana mentis ægritudo excæcaſſet, vidiſſet, cædem adeo execrabilem nihil aliud conſecuturam fuiſſe, niſi ut æmuli ſui Nativitas fieret illuſtrior: cogitaſſet agi de Deo, cujus conſilia altiſſima, ac mentibus noſtris invia ſunt, & certiſſima imperia: veritus fuiſſet, ne ſubditorum ſuorum odia exaſperaret, & ne ſeipſum iis perderet conſiliis, quibus fulciri ſtudebat. Verum cui bono, Auditores, contra furentis cupiditatis inſaniam exclamare? Sapientia, rectitudo, æquitas, miſeratio, humanitas, fides, clementia, fidelitas, religio; nihil eſt quod ambitioſam zelotypiam remoretur! Ad ſui tutamen omnia armat vitia. Herodes regnare vult; ut regnet, mentitur, prodit, propter imbecillitatem diſſimulat, imprudenter effutit, pietatem amittit, amittit rationem, ad inhumanitatis horridos, inauditos, inutileſque exceſſus procedit. Fierine poteſt, ut unica animi ægritudo in tot, tantaque crimina impellat? ipſi videtis: ſimulque vobiſmet reſpondere poteſtis. *Ex ſermone Patris la Peſſe. Tom. 2.*

SUP-

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE PUERITIA, ET VITA ABSCONDITA FILII DEI.

Vitam J. C. abſconditam tantum admirari debemus, quantum eam, quam duxit in Mundi luce.
Luc. 2.

HOC proculdubio unum ex maximis eſt vitæ JESU CHRISTI Myſteriis, quod etſi multa ſit caligine involutum, nihilo ſecius nos oportet admirari magis quam illa, quæ in hominum oculis maxime nituerunt. *Et deſcendit cum illis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* Hæc illa eſt ſolitudo, in qua divinus ille Magiſter vixit uſque ad tempus ſuæ prædicationis. Divinus hic homo, in quo omnes erant theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, qui in ſupremo gradu omnia poſſidebat naturæ, & gratiæ dona, qui poterat in Mundo micare, & ſibi populorum omnium exiſtimationem, cultumque conciliare; Deus Homo, qui uſque ad annorum triginta ætatem operari potuiſſet tot miraeula ad majorem Patris ſui gloriam, ſi ſe cognoſcendum tradidiſſet, qui omnes potuiſſet convertere peccatores, idololatras, & Evangelium in omnem terram effundere: hic Homo Deus, qui ad id unum miſſus fuerat, & da Cælo deſcenderat; tamen redegit ſe ad vitam abſconditam, & ex tribus, ac triginta annis, quibus nobiſcum erat permanſurus, annos triginta in ſilentio, atque ſolitudine tranſegit, ſibique tres tantum reſervavit, ut ſeſe in lucem proferret, & Dei Regnum annuntiaret. *P. Bourdalove in receſſibus Spiritualibus.*

Ineptæ rationes, quæ afferuntur contra ſolitudinem, & vitam abſconditam.

Et erat ſubditus illis. Hæc omnia ſunt, quæ nobis dicit Evangeliſta de Salvatoris vita in ſolitudine. Reliqua ignoramus, quæ tenebris obrui voluit, ita ut illius Pater, unicus eſſet teſtis operum ipſius. Arduum tamen non eſt cognoſcere, quid Salvator adeo admirabili conſilio nos docere voluerit. Exemplum hoc nobis adimit prætextus, quos cauſſari poſſemus, & quos philaucia callide nobis ſuppeditare ſolet, perſuadens divinæ gloriæ, & proximorum ſalutis intereſſe, ut noſmet in lucem proferamus. Hoc neceſſitatis eſſe in pluribus occaſionibus: hoc etiam decere; & ad caritatem fovendam conducere. Societate opus eſſe in vita; nos per ſolitudinem inutiles fieri, ac prohiberi, ne iis utamur talentis, quæ utenda accepimus, non negligenda. Specioſa argumenta, quibus nequicquam noſmet excuſare contendimus. Nunquid ipſi magis pares ſumus, quam Dei Filius, ut aliquid ad Patris ejuſdem gloriam conferamus? cogitandum ne eſt noſtra magis intereſſe, quam ſua, proximi ſalutem procurare? Mundus eget ne magis opera noſtra, & ſumus eidem majoris neceſſitatis? Num ipſi melius novimus, quid magis deceat, quid ſecus? Num majori zelo flagramus ad alendam ſocietatem, & caritatem? Nunquid nobis ſublimiora talenta ſunt, ex quibus ſperandus ſit fructus uberior? Animæ variæ! Errorem abjicere ſtudeamus, ac pudora ſuffundi. Pro hujuſmodi placitis, quæ nobis mundi ſpiritus ſuadet: Salvator venit docere nos viam prorſus oppoſitam, quæ in eo ſita eſt, ut ignoremur, ut in oblivione ſimus, ut contemnamur, & ab omnibus deſeramur. *Pater Bourdalove ibidem.*

Occupationes Filii Dei licet humiles fuiſſe videantur, in oculis tamen Patris ſui erant eximiæ.

Quænam erant negotia quibus vacabat Dei Filius in vita abſcondita? Si ex eorum ſpecie judicium ferendum eſt, humilia erant, abjecta, communia, & ſervilia. Labores ſuos cum Joſeph partiebatur; cum Sancta Genitrice ſua curas ad rectum factæ hujus familiæ ordinem neceſſarias dividebat: diligentiſſime exequebatur, quæcumque ſibi ab utroque præcipiebantur, quin quidquam ab illo omitteretur, vel negligeretur. Quid autem hoc erat habita ratione Meſſiæ, & Unigeniti Filii Dei? Deo tamen ex hujuſmodi actionibus tantum gloriæ cedebat, quantum ex illis, quas deinceps maximas Dei Filius erat operaturus. Deo illæ placebant, eumque ipſum videret talibus exercitationibus operam dantem, jam dicebat de illo, quidquid minori licet cum ſolemnitate, ac tuctore dicturus erat die Baptiſmi ſui: *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quorſum iſtud? quia in omnibus id genus actibus JESUS CHRISTUS ſeſe beneplacito Patris ſui conformabat: quia omnes illæ actiones animatæ erant interiori ſpiritu, & conſiliis prorſus divinis commendatæ. Hinc erant coram Deo meritoriæ, & in oculis ejus acceptæ. *Idem.*

Matth. 3.

Licet Salvator inſignem, ac ſplendidam vitam ducere poſſet, huic præfert latentem, & obſcuram.

Eo tempore, quo Salvator vivebat in Nazareth ignotus, abſconditus, ſolitarius, non deerant in terra Principes, Cæſareſque. Aderant inſignes gentium domitores, qui univerſum terrarum orbem nominis ſui fama, & heroicarum actionum celebritate replebant. De illorum conatibus, expeditionibus, factis memorabilibus, atque triumphis rumor quocumque manabat. Ubique gentium celebrabantur, & efferebantur laudibus: ſed hoc coram Deo nihil erat, cumque eorum ille neque principium, neque finis eſſet, nullam eorumdem rationem habendam eſſe putabat. E contra de Filio Dei loquebatur nemo, ignorabatur; latebat nomen ejus, origo, patria, quomodo viveret, cui rei vacaret, fugiebat. Sed Deus nunquam amovebat obtutus ſuos ab illo; nec momento quidem oculos avertebat. Objectum erat dignum, quod Cæli univerſi ſpectarent; neque ullam actionem ſuſcipiebat, quæ infiniti pretii non haberetur. Quod confidentiæ argumentum viro, cui perplacet ſolitudo, qui non vacat niſi exercitationibus illis, quarum Mundus nihil facit! Sed hæc illi conſolatio eſt, ſibimet illa applicare Apoſtoli verba: *Vita veſtra abſcondita eſt cum CHRISTO in Deo.* Mundo mortui eſſe videmini vos, qui latentem, obſcuramque vitam ducitis, qui hominum ſocietates fugitis, qui nitorem, ac pompam horretis; ſed ex quo vita veſtra abſcondita eſt in Deo, ac tota in eo cura veſtra ſita eſt, ut coram illo vivatis, & ad eum omnes cogitationes, & actiones veſtras referatis, vitam ducitis Deo bene placentem, vitam Sanctam, ſimilemque illi, quam JESUS CHRISTUS ipſe ducebat in ſolitudine Nazareth. *Pater Bourdalove ibidem.*

Ad Coloſſ. 3.

Dei Filius per vitam ſuam abſconditam nobis oſtendit quâ læta pace perfrui valeamus a Mundo ſepoſiti.

Quanam cum tranquillitate conjuncta erat ſolitudo Filii Dei, & quanam pace perfruebatur? Mundo ignotus dicteriis, & obtrectationibus ejus non erat obnoxius; intra anguſtum pauperis domunculæ ſeptum, concluſus latebat, ibique labori operam dabat; nullis turbabatur motibus, quibus ceteri omnes paſſim agitari conſueverunt. Tranquille gaudebat ſolitudinis ſuæ ſilentio, & tranquillitate; in ſecreto animæ ſuæ colloquebatur cum Patre, a quo ſuaviſſimis communicationibus reficiebatur. Ex omnibus bonis, quæ in terris maxime a nobis optari poſſunt, liquet, nulli inferiorem eſſe pacem; ſed æque liquet ex omnibus mediis acquirendi pacem hanc interiorem, vel exteriorem facile principem eſſe vitæ genus latentis, & abſconditæ. Mundus ſimilis eſt pelago æſtuoſo; ſolitudo vero ſimilis eſt portui, & aſylo, cui procellæ nequeunt officere. Hoc ipſum ſæculi ſectatores nequeunt diffiteri, & ubi per intervalla ad ſe reverſi, cogentibus ſollicitudinibus, quibus obruuntur, ſeſe colligunt, fateri coguntur, ſolitudinem, obſcuram, latentemque vitam tutiſſimum eſſe medium in pace vivendi in hoc Mundo, & ad æternam pacem perveniendi. *Idem ibidem.*

Promptæ obedientia Salvatoris in Ægyptum confugientis ſtatim ac a Patre juſſus fuit.

Prima abſconditæ vitæ Salvatoris linea, quam nobis exhibent ſcripturæ, velox eſt obedientia, quam præſtitit Cæleſti Patri ſuo, qui illi per S. Joſeph fugam in Ægyptum præceperat. Fuit illa quidem initio prorſus ſancta obedientia; quandoquidem innitebatur perfectæ conformitati voluntatis illius, cum hac ſuperiori voluntate Patris Æterni, cui placere ſtudebat, & in quo unice confidebat. Illum ſpectabat non ſolum in Angelo cælitus demiſſo, verum etiam in Joſeph, quo Angelus locutus erat, & qui ea in occaſione Dei Miniſter futurus erat. Divinus igitur hic puer ſe duci ſinit, neque alium habuit ſenſum niſi filialis obedientiæ, & traditionis ſuimet ipſius in manibus Providentiæ, & eorum, quibus illa perſonæ ipſius curam tradiderat. Talis eſſe debet obedientia noſtra nutibus Dei; & ubi Deus tantam nobis gratiam largiatur, ut nobis ſuam aperiat voluntatem per eos, quos ſupra nos conſtituit, ut adducant nos in quemcumque ſitum, ubi nos poſitos intuemur; illis celerem teſtari debemus obedientiam, tamquam ipſi Deo, quoniam cogniti ſunt Miniſtri, quibus ille nos credidit deducendos. *Pater Bourdalove ibidem.*

Quam velox fuit Pueri obedientia licet inſuperabiles obſtarent difficultates.

Quantum JESU pueri obedientia ſancta fuit in principio, tantum moleſta eſſe debebat in effectu. Etenim qua de re agebatur? Ut ab ipſis primis Nativitatis ſuæ diebus terram patriam relinqueret, ut in exoticas terras migraret, ut puer licet, & infirmus laboribus, & periculis itineris duri ſe objiceret, ut nocte eadem, uti Joſepho imperatum fuerat, iter corriperet, ut ſine mora, ſine commeatu, ſine apparatu ſe in viam daret; ut concederet in Ægyptum inter populum infidelem, & Judæorum inimicum; ut ibi obſcuram ignotus vitam duceret in extrema pauperie, & abſoluta rerum omnium egeſtate: denique ut ibi permaneret quouſque illum inde educeret Providen-

tia; neque enim Angelus ullum alium reditus tempus innuit. Quænam Sacræ huic Familiæ probatio? Nunquid vita minus libera, perſonæ magis ſubjectæ, ipſa denique mancipia plures ſuperare difficultates debuerunt? Nunquid illis tot ſimul, tamque laborioſa, & recto ſenſui tam oppoſita, uti videntur, imperata fuerunt? Tamen Pater, Mater, Puer obediunt, nulla interjecta mora, nulla adhibita excuſatione, nulla oppoſita difficultate. *Pater Bourdalove in Aſceticis receſſibus.*

Vix Angelus S. Joſeph Dei juſſum aperuit, cum illico fidelis hic Cuſtos omnium theſaurorum Dei in terris ſurrexit, acceptaque Matre, & puero in Ægyptum ſeceſſit. *Qui conſurgens, accepit Puerum, & Matrem ejus nocte; & ſeceſſit in Ægyptum.* Id ſi ad examen vocetur ſecundum humana conſilia, quæ vulgo ſequimur in actionibus noſtris, ſexcentæ rationes adeo celerem obedientiam debent retardare. Quomodo enim infans adhuc in incunabulis taliter pati poteſt iter longum, atque difficile? Quomodo aſportari per denſas noctis tenebras, & per tot pericula, quæ in via adeo moleſta erant ſubeunda? Ubi nam in via deſerta inveniri poſſunt ad victum neceſſaria? Nunquid non poterat Deus aliter illum eripere de Herodis perſecutione? Omnia argumenta deprompta ex fonte amoris proprii, ex hoc ſuperbiæ ſpiritu, cui ita omnes devoti ſumus, ita ut nolimus ne punctum quidem amittere miſeræ hujus libertatis, quæ progenitoribus noſtris peperit tantam calamitatem. Sed quid infans Deus? Cognoſcat ſatis eſt hanc eſſe Patris ſui voluntatem, ut illi ſine mora pareat; ne hiſcit quidem. Quomodo vero ſtatim in arena non paruiſſet Cæleſti Patri, qui in hunc mundum ideo venerat, ut nobis eſſet obedientiæ perfectiſſimæ exemplo? *Pater Bourdalove ibidem.*

Admirabiles fructus obedientiæ Filii Dei Paternis imperiis.

Velox obedientia Pueri Cæleſtis impetio Patris ſui, quo in Ægyptum ſecedere jubebatur præclaram nacta eſt mercedem in admirabilibus effectis, quæ peperit. Nunquam majorem attulit ſalutem. Salvator hic ſecum attulit has ſalutis gratias, quæ Ægyptum ſanctificarunt, & mox ſubſequentibus ſæculis effuſæ fuerunt in tot Eremitas, & Anachorétas, quibus deſerta loca repleta fuerunt, & quorum Angelica vita peperit ædificationem, & admirationem totius Mundi Chriſtiani. Fuga hæc illum de furore Herodis præſervavit, cumque abſtulit impotentiæ hujus perſecutoris illius quærentis interitum. Ita ut, quidquid Rex impius, & crudelis in oppoſitum adniteretur, ille per obedientiam ſuam evaſerit ex teterrima cæde, in qua rex barbarus illum tot inter innocuos involvere machinabatur. Sed quæ bona non attulit nobis hæc obedientia Filii Dei? In divino hoc exemplo intuemur inevitabilem neceſſitatem ſubordinationis in omnibus ſtatibus vitæ præſentis. Ibi videmus quam neceſſaria ſit obedientia erga Superiores, & in rebus Eccleſiaſticis, & in vita civili; nam ſi deeſſet illa, totus terrarum orbis confuſus, atque perturbatus eſſet, ibique nullus ordo, ſed ubique horror inſpiceretur. *Pater Bourdalove ibidem.*

De humili obedientia Salvatoris erga Matrem, & S. Joſeph.

Dei Filius in hac vita adeo privata, ac ſolitaria, quam ducebat in Nazareth, omnibus vacabat officiis rei domeſticæ. Hac in re parebat Matri ſuæ, & Joſepho viro ejus tamquam Superioribus, quos illi ſuper terram præfecerat Deus. Occupationes illi præſcriptæ magis eidem placebant, quoniam placebat illi magis exercere virtutem obedientiæ, ut ſe ſubditum eſſe oſtenderet, ſecundum illud Evangeliſtæ teſtimonium: *& erat ſubditus illis.* Salvator ab iis abſtinebat operibus, quæ extrinſecus coruſcarent, fugiebat mundum, mundique exiſtimationem, eaque opera, quæ erant abjectiſſima, hæc ipſi jucundiſſima videbantur. Ita anima ſancta, ac ſolitudinis amica continet ſe intra limites ſtatus ſui, ſola, a mundi luce ſemota, de uno tantum ſollicita, ut videlicet iis vacet, quæ ſibi ſunt propria, ac ſe coram Deo teneat prudenter, atque ſimpliciter inhærens iis omnibus, quæ novit Deo maxime placitura. Hinc iis, quæ in mundo accidunt, minime perturbatur; nullo habet in diſcrimine ſexcentos caſus, qui aliis negotium faceſſunt, ac faſtidium creant. Ita permittens ſingula Dei Sapientiæ atque Providentiæ, ubi de mundanis agitur rebus ad ipſam non pertinentibus, ubi perſuaſum eſt illi, ſe proximo prodeſſe non poſſe: continet ſe intra cancellos ſtatus ſui, unice contenta, ſi placeat Deo ſuo, & ſincere ambulet in lumine oculorum illius. *Auctor recens.*

Quantum intereſt ſolitariam vitam ducere ut juxta Salvatoris exemplum poſſimus vere perfrui ſalvatore.

Quot mortales, quot immo viri principes jucundam, pacatamque in Mundo vitam ducerent, ſi diluculo accepiſſent ſpiritum ſolitudinis, qui Dei Filio tantopere neceſſarius viſus eſt, ut in pace viveret, & ſervaret pacem illam, quam Mundo nuntiari juſſit tempore Nativitatis ſuæ, & quam poſt Reſurrectionem ſuam Apoſtolis ſuis etiam, atque etiam commendavit! Hac pace perfruiturus operæ pretium duxit domum Genitricis ſuæ in Nazareth ſeſe recipere a puero, ubi ea gauderet quiete, perfectique tranquillitate, quam animæ Sanctæ, ab omnibus ſæculi impedimentis vacuæ coram Deo pacis guſtare conſueverunt. Quam felix eſſet anima, ſi ad imitationem Filii Dei ſibi in partem ſilentium, & receſſum eligeret! Quibus gratiis Cælitus cumularetur, ſi ſeſe colligere noſſet, ſi ſe a mundo ignorari cuperet! Receſſus non ſolum pro futura vita locus eſt ſecuritatis, verum etiam pro toto vitæ hujus præſentis ſtadio ſedes eſt pacis, & prægustatio quædam illius tranquillitatis, qua in Cælis beatæ mentes, ſanctique perfruuntur. Verum quidem eſt, ad id ſaporem quemdam, ac illecebram habendam eſſe, quæ non minima eſt gratia, quam electis ſuis Deus ipſe largiatur. Infunde nobis Domine hunc ſolitudinis ſpiritum, hunc pacis amorem, pacis, inquam, non tam exterioris, quam internæ noſtrarum cupiditatum. Sileant illæ coram te: *Dic mari, quieſce, & Aquiloni, ne flaveris.* Avelle corda noſtra ab omnibus nugis, quæ nos diſtrahere poſſunt, ac diſſipare. Fac, ut noſmet colligamus: immitte mentibus noſtris interiorem ſpiritum, qui unus continere nos poteſt in collectione, & militia. Fac ut receſſus, & ſilentium ſemper ſint refugium noſtrum, & conſolatio. *Auctor recens.* Thomas Kempis.

Quid nobis ſentiendum ſit de abſcondita Filii Dei vita. Matth. 13.

Quid ipſi dixiſſetis, ſi noviſſetis Judæum hunc Hominem in regione ſua habitum fuiſſe pro filio fabri lignarii; *Nunquid hic eſt filius fabri?* Illum hactenus vixiſſe in artificis taberna, & in ſudore vultus ſui victum ſibi comparaſſe? Nonne dictum hoc non ſolum credendum fuiſſet difficillimum, verum etiam ad concipiendum maxime temerarium? Nonne verum eſt, hoc ne in mentem quidem hominis cadere potuiſſe, & fabulatores nunquam tale a veritate abhorrens ſomnium ſomniaſſe? Homo unus, Judæus, ex ima fæce plebis, credi vult, ſe ab æterno fuiſſe: *Antequam Abraham fieret: ego ſum*, & ſeſe vult attollere ſuper ea, quæ in Mundo ſunt diviniora? Nonne arbitrati fuiſſetis hominem hunc non ſolum unum omnium ſuperbiſſimum eſſe, & audaciſſimum; verum etiam inſipientiſſimum, qui in ſtatu tam paupere, ac miſero qualis erat ſtatus illius, divinitatem ſibi, atque omnipotentiam vindicaret? *P. Texier Tomo 1. Dominicalis ſui.* Joann. 58.

Quo pacto JESUS creverit ſapientia tum coram Deo.
S. Bernardus homilia ſuper Miſſus eſt.

JESUS creſcebat Sapientia, non quod in ſingulos dies novum aliquem cognitionis gradum acquireret. Namque, ut S. Bernardus ait, ille non minorem ſapientiam habebat, vel potius non minus erat ille ipſa ſapientia in Conceptione, quam in Nativitate ſua, neque cum adhuc junior erat, quam cum ad virilem ætatem evaſerat. Non eſt verum illum creviſſe in hac ſcientia experimentali, quam per ſenſus acquirimus: ſed per lumen gloriæ, & per infuſam ſapientiam, omnimodam ſcientiæ plenitudinem ex vitæ ſuæ momento receperat. Hoc nobis non accidit; poſſumus, ac debemus quotidie in ſcientiam ſalutis procedere, videlicet in ſcientiam Sanctorum, in cognitionem Dei, in cognitionem noſtrum metipſorum, in cognitionem rerum earum quæ noſtram ſalutem reſpiciunt, & earum quæ ad noſtram conditionem, & ſtatum pertinent, ne in caput noſtrum vertamus illud, quod Dominus Noſter Diſcipulis ſuis exprobravit: *Adhuc & vos ſine intellectu eſtis. Meditationes Patris Nouet Tomo 7.* Matth. 15.

JESUS creſcebat ætate ſenſim relinquens naturales corporis infirmitates.
Epheſ. 4.

JESUS creſcebat ætate ſenſim relinquens naturales corporis infirmitates, quæ pueritiam comitantur, ut nos ſpiritus infirmitates doceret relinquere, ut perfecti eſſemus ad *conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem Corporis CHRISTI, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris;* Juxta ea quæ idem Apoſtolus inquit: *Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.* Obſequium autem, quod Verbum caro factum ab hominibus præſtolatur, eſt tenera & ſincera miſeratio pro iis malis omnibus, quæ divinus infans patitur. Ita eſt, Salvator amabilis, miſereor cum omni cordis affectu omnium humiliationum, ac infirmitatum, quibus temet per amorem noſtrum tradidiſti. Infirmitas voluntaria, ad quam redactum te video, non minorem in me erga te amorem conciliat, quam ſplendor æternæ gloriæ tuæ mihi reverentiam, ac timorem immutat. *Idem.* 1. Cor. cap. 14.

Verba, quæ dixit Angelus S. Joſeph in nobis confidentiam ciere debent.

Si ad examen revocamus verba, quæ Angelus dixit ad Joſeph, ne unum quidem eſt, quod in nobis non cieat confidentiam: *Accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi.* Angelus Dei verbis ita loquitur. Quid opus eſt noſtra nobis negotia crucem figant, quandoquidem Deus, & Angeli eorum ſibi curam depoſuerunt? Angelus Sanctum Joſephum alloquitur, ut Dei Filius, ejuſque beatiſſima Genitrix in eo conquieſcant, eique curam omnem relinquant. Quam utile eſt reſpicere Deum in ſuperioribus noſtris, & acquieſcere peculiari Providentiæ illius, quæ per eos nos gubernat! Nocturnum eligit tempus, ut illum admoneat; ut ſciamus, Deum nobis, quocumque tempore vigilare, & illum, cui invigilat, tuto ſomno indulgere.

Deni-

Digitized by Google

Denique illi ſimpliciter inquit, *accipe puerum, & Matrem ejus*, quin illi præcipiat; vel quin permittat, ut per otium aliquid capiat, quod ſecum gerat in via. Nonne ſatis eſt habere ſecum duas hiſce ſuaviſſimas perſonas? Habenti JESUM, & MARIAM num quidquam deeſſe poteſt? Nonne ſatis ſibi conſultum debet exiſtimare? Salvator, quid cum te habeam, e me poteſt optari? Et ſine te quid mihi ſufficere poteſt? *Amorem tuum, & gratiam tuam mihi ſolum dones, & dives ſum ſatis. Meditationes Patris Nouet Tomo 7.*

Exitus J. C. de patria eſt multorum annorum exilium.

Si cogitamus diſceſſum JESU CHRISTI de patria ſua una cum Matre, & S. Joſeph, hic non eſt ſimplex diſceſſus, exilium eſt plurium annorum, quod libenter ſuſcipit cum omnibus incommodis, & ærumnis diuturni exilii, ut nos doceat exuere naturalem affectum, quo cognatos, affines, amicos, atque ipſum natale ſolum proſequimur, celeri voluntate deſerentes quidquid nobis eſt antiquius, cum agitur de Deo, & imperat id nobis illius Providentia: Hugo enim a S. Victore ait, qui amat patriam ſuam, & in ea complacet ſibi, adhuc mollis eſt, & delicatus; qui univerſum terrarum orbem reſpicit tamquam patriam ſuam, jam fortis eſt, & generoſus; ſed ille perfectus eſt, cui Mundus totus eſt exilium. Primo affectu hæret Mundo; alter ſeſe ab illo expedivit; tertius illum prorſus jugulavit. Cujus ordinis es? nunquid nullo habes in diſcrimine quemcumque locum, ubi te conſtituant? Hæres ne potius terræ? an ad Cælum anhelas patriam tuam, ſedemque Sanctorum? aſſueſcas Deum ubilibet invenire: neque vereberis, ut ex aliquo loco te ejiciant. S. Auguſtinus ait, fruſtra tyrannos conari, ut in exilium pellant hominem ſecundum Chriſtianiſmi ſpiritum viventem; quia huic vel totus terrarum orbis eſt patria, vel totus terrarum orbis exilium eſt. Si primum, illum extrudere nequeunt; ſin alterum, hic jam tyrannos prævertit, neque locum habent illi quo eblegent ipſum. O perſecutor infidelis, & inſipiens! ſi locum quæris, quo Chriſtianum relegare valeas, primum locum elige, unde JESUS CHRISTUS egredi debeat. Putas ne te poſſe in exilium hominem pellere, qui omnium locorum eſt in CHRISTO JESU; & qui ubique hoſpes eſt ſecundum carnem? *Meditatio Patris Nouet Tomo 7.*

Lib. 5. Didaſc. cap. ult.

Reditus J. C. in terram ſuam.

JESUS CHRISTUS juſſu Patris, cui eodem ſpiritu paret, quo ante receperat imperium permanendi, egreditur de Ægypto. Illuc per obedientiam profectus, illinc ſimiliter egreditur per obedientiam. Exitus iſte innuit, non ſemper diu permanere calamitates, ſed tempus inde emergendi e Deo eſſe expectandum. Donec te ille continet in paupertate, in infirmitate, in ſpiritus conflictatione, ne cupias illinc erui, niſi cum ipſi placuerit; ne te mora conturbet; ne tædeat te tandiu in ærumna verſari: audi vocem intrinſecus dicentem tibi: *Eſto ibi uſque dum dicam tibi*. Nullam habeto voluntatem, vel electionem. Temet mihi trade, & ſingulis horis, æque in rebus minimis, ac in maximis. Nihil excipio, ſed te invenire cupio rebus omnibus vacuum. Quomodo enim meus eſſe poteris, & ego tuus, niſi omnino abjeceris omnem voluntatem tuam? Sæpe dixi tibi, & iterum dico; trade te mihi, da te mihi totum pro toto. Nil tui quæres, poſtquam te totum in me perdidiſti. Mane in me pure, conſtanter, haud hæſitanter, & frueris me. *Idem.*

J. C. ab ipſa pueritia dat exemplum puerís omnibus.

Quod ſi parentum honor eſt filios ſuos ad virtutem, atque Dei timorem informare; felicitas quoque filiorum eſt ſequi ſalutaria inſtituta, quibus a patribus ſuis erudiuntur. *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Bonum* proculdubio eſt, quia innocentiæ jactura malum eſt irreparabile. *Bonum eſt*, quia maxime intereſt bene inchoare negotium tanti momenti, quale eſt propria ſalus. Viator quantumvis parum aberret initio itineris ſui, error magis, magiſque creſcit eundo. *Bonum eſt*, quia ſi moritur adhuc adoleſcens, brevi ſanctificabitur, ſi vitam diutius produxerit, virtus illi facilior erit, vita ſanctior, mora pretioſior. *Bonum eſt*, ſi integritatem ſartam tectam ſervaſti, benedic Deo de incomparabili gratia, ſin illius jacturam feciſti, illam per pœnitentiam reparare contende: *Delicta juventutis meæ ne memineris Domine: Secundum miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine. Idem.*

Pſalm. 24.

Fuga J. C. in Ægyptum non eſt timoris effectus, eſt Myſterium.

Fuga JESU CHRISTI in Ægyptum non eſt timoria effectus, Myſterium eſt: non eſt Creatori periculum, eſt liberatio; non eſt humanæ infirmitatis argumentum, ſed divinæ virtutis; non fugit mortem evitaturus, ſed daturus vitam. Omnes eramus profugi, omnes deſerueramus Optimi Domini jugum, & illius Præcepta infringentes, ut morem gereremus infeſtiſſimo generis humani inimico, cum in innocentia amiſeramus etiam poſſeſſionem Cæleſtium bonorum, omniumque deliciarum, nobiſque in nullam ſpem reditus erat percundum. Nullum ne aderat malis noſtris remedium? *Nefas erat, ut invidia gratiam Domini ſuperaret. Ecquid igitur Dominus facit? adjungit ſe fugitivo*, & ad erratum illius reparandum, ipſe etiam fugere dignatur, objiciens fugam innocuam fugæ criminoſæ, ut ſalvet transfugam, & revocet ad officium. Admiramini bonitatem Filii Dei, & nequitiam veſtram condemnate. Ille Mundum fugit, vos quæritis illum. Ille per exceſſum miſericordiæ vos quærit; vos autem per ingrati animi exceſſum fugitis ab illo. Ille ſibi dedecori non vertit ſeſe humiliare, & ſuam ſubjicere dignitatem, ubi veſtra ſalus agitur: *Deus enim nihil ignominioſum ducit, quod ſalutem humanam conciliare natum eſt*. Vos autem contumelioſum vobis eſſe putatis cum agitur de illius ſervitute, & mavultis fugere JESUM CHRISTUM cum Mundo, quam fugere Mundum cum JESU CHRISTO. Senſum mutate, & conſtans inite conſilium quærendi JESUM CHRISTUM in omnibus, & cum illo fugiendi Mundum. Fugite hunc vobis blandientem, fugite tentantem, fugite perſequentem. Cavete, ne ſequamini leges illius, quæ Evangelicis inſtitutis penitus adverſantur: ne ſinatis vos pravis illius exemplis corrumpi; nolite quærere occaſiones, quæ animam veſtram in ſcelus poſſunt pertrahere, eamque in interitus periculum ducere. Hæ, ut plurimum, ultro adrepunt, quin vocentur: iis enim Mundus ſcatet. *Meditatio Patris Nouet. Tomo 7.*

D. Theodorus Antiſtes Ancyrenſis Homil. contra Neſtorium.

Iidem.

J. C. in fuga ſua nobis eſſe debet exemplum obedientiæ.

Si admirari debemus Æterni Patris conſilium de Filio ſuo, quem objici perſecutioni, & paſſionibus, imperans illi exilium adeo diuturnum, atque moleſtum; non ideo minus admirari debemus obedientiam, & obſequium, quod Filius præſtitit Patri. O quam libenter ſe ipſum Sancti Joſeph curæ committit! Quam libenter Deo Patri offert ſacrificium judicii ſui, voluntatis, & omnium facultatum animæ ſuæ ad mandata illius capeſſenda! Ita ne te ipſum ſubjicis præceptis, quæ tibi Dei nomine irrogantur? Compos ne voti es, ſi ille de te abſolute diſponit, quin ullam habeat ſtudiorum tuorum rationem? An vis illum potius ſeſe tuis aptare deſideriis, quin ſancte temet illius voluntati ſubjicias? Reſponde quæſo quærenti. Viſne eludere imperium meum, & evertere conſilium, quod foveo de te? Num me condemnabis, ut cauſſam tuam probes? Alterum horum neceſſarium eſt, ut videlicet vel tu mihi pareas, vel ego tibi. Utrum æquius, & rationi magis conſentaneum? *Idem.*

Mundi Salvator in adoleſcentia, licet ignota, vitæ Religioſæ munera explebat.

Licet Evangelium ſilentio præterierit annos Vitæ JESU duodeviginti, & fateatur Salomon, illos penitus ignorari, videtur nihilominus nobis indigitaſſe ſub ænigmaticis figuris aquilæ, ſerpentis, navis, & hominis quatuor præcipua exercitia vitæ Chriſtianæ, ac prorſus Sanctæ, quibus vacabat JESUS tempore ſolitudinis adeo diuturnæ. *Via aquilæ in Cælo* nobis exhibet ſublimem volatum contemplationis, quæ in eo jugis erat. Dies enim, noctesque contemplabatur Solem divinitatis, & ex eo tempore nobis proponebat eximium vitæ contemplativæ prototypum, nos exemplo ſuo excitans, *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos. Via ſerpentis in petra* profundam illius nobis repræſentat humilitatem, quæ tandiu detinet illum in regione, quæ nulla re commendabatur, intentum abjectis officiis, & mechanicis artibus, quæ nonniſi tenuem illi parere poterant exiſtimationem; quapropter factum eſt, ut cum prædicare inceperit, illi, quibus notus erat, admiratione capti dicerent: *Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Et vere poterant obſtupeſcere, quod cum verus eſſet Filius Dei ſeſe eo demiſiſſet humilitatis, ut fabri filius haberetur. Ego ſane magis hanc miror humilitatem, quam præclariſſimas vitæ ejuſdem actiones? & maximum illius miraculum fuiſſe arbitror, nullum tandiu miraculum perpetraſſe. Heu! Domine tantone opus erat tempore, ut nos humilitatem doceres? Virtus hæc adeone in praxi difficilis eſt? *Certe in operibus noſtris nullum majus, aut difficilius reputatur*. Qui ſe ipſum contemnit, qui toto corde ab aliis contemni cupit, ad altiſſimum, difficillimumque virtutis gradum pervenit: Uſquequo *ad hunc gradum perveneris, nihil tibi feciſſe videaris*. *Via navis in mari* figura eſt illius obedientiæ; nam quemadmodum maxima quælibet navium ædificia motum gubernaculi ſequuntur, quod Navarchus manu ſua regit ad arbitrium; ita Dei Filius, licet tanta eſſet perſonæ ſuæ, cujus magnitudo infinita eſt, excellentia, ſuberat beatiſſimæ Parenti, & Sancto Joſeph, a quibus ſe regi omnino ſinebat, illis permittens curam præcipiendi, ac ſibi depoſcens illam indiſcriminatim, humiliter, & conſtanter obediendi. *Via hominis in adoleſcentia* illius admirabilem ſignificat modeſtiam, prudentiam, & ſapientiam, quæ in omnibus actionibus illius elucebant. Scriptura hoc perhibet teſtimonium Tobiæ, qui cum *junior eſſet omnibus in Tribu Nephtali, nihil tamen puerile geſſit in opere*. Qua in re non erat, niſi umbra, & figura JESU CHRISTI, cujus actiones prorſus divinæ nihil habebant puerilis infirmitatis, &

Deuter. 32.

Joann. 7. 15.
Joann. 1. 46.

ſevitatis. S. Sabbas ſimul adeo gravis, & humilis erat, ut S. Euthymius illum *Puerum ſenem* vocaret. Quod elogium melius quadrat JESU CHRISTO, qui perfecte in operibus ſuis puerorum humilitatem, ac ſenum ſapientiam conjunxerat. Quælibet enim pueritiæ ipſius actio, erat muta prædicatio, quæ per exemplum illius nos docebat eximium illud præceptum, quod S. Auguſtinus in ſcriptis reliquit ſuis. Senectus tua ex pueritia, & pueritiæ ex ſenectute id teneat, quod in utraque melius eſt, videlicet, Sapientia tua abhorreat a ſuperbia, & humilitas tua non abſit a Sapientia, ut poſſis ex hoc tempore in omnem æternitatem laudare Dominum. *Meditatio Patris Noves Tomo 7.*

Dei Filius cum per annos aliquot celaſſet divinas perfectiones ſuas oſtendit hominibus eas virtutes, quas ignorabant. Proverb. 30. Lib. de Salom. cap. 3.

Si ex iis, quæ mortalium omnium Sapientiſſimus fatetur ſibi intellectu eſſe difficillima, *viam viri in adoleſcentia* penitus ignoram eſſe ait: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam viri in adoleſcentia;* S. Ambroſius id potiſſimum intelligendum eſſe arbitratur de Deo homine facto, cujus via tanto temporis intervallo latuit ignota. Quapropter diuturnum hoc temporis ſpatium abſcondita Salvatoris vita nuncupatum fuit; illud vero potiſſimum, quod a natura deſtinatum eſt aliorum hominum pueritiæ, & quo illi ipſi, quid agant, neſciunt. Verbum Incarnatum, quod ipſa erat Sapientia, abſcondit omnes divinas perfectiones ſuas, naturales, humanas, theandricas, & quidquid illum a reliquis hominibus ſecernebat. Ceterum ibi retegit Virtutes, quæ Mundo erant ignotæ, & quas nonniſi Dei Hominis exemplum docere nos poterat, earumque praxim ſuadere. In his duobus S. Auguſtinus conſtituit ſapiens Chriſtianæ vitæ inſtitutum: ſcire videlicet ſe ipſum ubi opus eſt, & celare, & proferre; cognoſcere tempus loquendi, atque tacendi, & utrumque opportune ita pati, ut omnes homines ædificentur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Myſterium pueritiæ Dei, eſt Myſterium omnium temporū.

Parvulus datus eſt nobis. Iſaia 9. Myſterium naſcentis Dei, qui propter hominum amorem factus eſt puer, non eſt feſtivitas, quæ adnexa eſſe debeat ulli tempori, aut anni tempeſtati; non ſecus ac loco, ubi hoc adorabile Myſterium adimpletum eſt. Hoc enim Myſterium eſt omnium temporum, omniumque locorum, & ſi lætitia, & felicitas quas hominibus attulit, per totum terrarum orbem latiſſime effuſæ ſunt, debent etiam ſeſe ad omnia ſæcula propagare, ita ut non ſolum de hujus Hominis divini Sacerdotio dicendum ſit cum Propheta: *Tu es Sacerdos in æternum,* ſed hoc ipſum dici valeat de Myſteriis omnibus, quæ reſpiciunt illius vitam, mortem, & actiones omnes, quæ ſunt æternæ, non quod inceſſanter, & in omnem æternitatem inſtaurentur, ſed quia ſemper obverſari debent ante oculos noſtros, & nunquam elabi ex animo. Si quæ igitur eſt actio, quæ in mentibus hominum hoc frui debeat æternitatis privilegio, in quorum commodum facta fuit, hoc ſane eſt Myſterium Nativitatis, ac temporis illius, quo inter pueros vixit, non eo ſolum quod hoc primum eſt, & totius felicitatis noſtræ principium; ſed quod ſuaviſſimum omnium eſt, & ad nos erudiendos utiliſſimum. *Idem.*

Pſalm. 109.

Nihil admirabilius quam abſcondita vita Salvatoris.

Quis non obſtupeſceret, videns Verbum hoc Incarnatum, quod terra univerſa tandiu expectavit, in Mundum prodire, ut ibi plures annos otietur, ac inutilis ſit, quod vetus quidam auctor de aliis vulgo pueris animadvertit? Quaſi nihil eſſet qualitate ipſius dignius, neque ad ſatisfaciendum gentium omnium expectationi aptius, quam deliteſcere partim in Bethlehemitico ſtabulo, partim Nazareth in fabri officina, ubi meliorem ætatis hujus partem tranſegit; cum interim mortales in ſua cæcitate permaneant, ac in flagitiis ſuis, & natura omnis prope ſuam langueat medicinam: quam cæca es humana prudentia! quam temere de ſecretis Dei judicas! Verbum hoc incarnatum, & hæc æterna Sapientia ſua habet, ut ita loquar, conſilia, & conſilia hæc humanæ menti ſunt invia. *Quam magnificata ſunt opera tua Domine! nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ;* exclamare poſſumus cum Rege Propheta. Quæ etenim mens obtinere poteſt cognitionem operum admirabilium, quæ ipſe toto hoc temporis ſpatio operatus eſt? *Idem.*

Pſalm. 103.

Prout J. C. creſcebat ætate omnes divitiæ quæ latebant in illo, ſenſim in hominum oculis evolvebantur.

JESUS CHRISTUS in quo tota plenitudo divinitatis corporaliter habitabat, ac in primo ſuæ Incarnationis articulo poſſidebat omnes ſcientiæ, atque Sapientiæ theſauros, poterat ne reipſa in ſapientia, & gratia procedere? Non ita quidem; ſed omnes divitiæ, quæ in ipſo continebantur, & in illo erant abſconditæ, S. Paulus ait, ſenſim, & ſine ſenſu ob oculos hominum evolvebantur, prout ille creſcebat ætate. Nos autem; qui ex nobis nil aliud ſumus, quam tenebræ, infirmitas, ignorantiæ, ſemper creſcere poſſumus in virtute, firmitate, gratia, immo magis, magiſque proficere debemus pro ea temporis ratione, qua vivimus in Eccleſia, vel Religione, & dies ſinguli ſecum afferunt Fideli, & Eccleſiaſtico novam creſcendi neceſſitatem, ac ſeſe in ſtatu ſuo perficiendi. Hodie magis tenemur, quam heri teneremur, & arctius tenebimur in diem craſtinam, quam ſuperamur hodie, quia tunc pluribus gratiis erimus cumulati, & propiores erimus diei, quo nobis prodeundum erit coram JESU CHRISTO cum ea perfectionis plenitudine, cujus plenitudo ætatis illius eſt exemplum. *Pater la Neuville in morali novi Teſtamenti Tomo 1.*

Nazareth locus eſt quem ſibi pro ſolitudine J. C. delegit.

Nazareth eſt ſolitudo Salvatoris, ubi uſque ad annorum triginta ætatem delituit, tranquilla cum ſubmiſſione præſtolatus momentum, quod Pater ipſius præſtituerat, ut Iſraelitico populo manifeſtaretur. En imaginem Evangelii Operarii, hominiſque interioris. Hujus ingenium optare debet receſſum, atque ſilentium, donec Deus illi palam ſignificet, adveniſſe tempus prodeundi, & prædicandi. Neque ſatis eſt Fideli, qui per profeſſionem ſuam a Mundo receſſit, diligere ſolitudinem; ibi debet etiam ſecundum Salvatoris exemplum exercere obedientiam, idque eodem pacto quo illam JESUS CHRISTUS exercuit, & in omnibus indiſcriminatim Mariæ, & Joſepho obtemperavit. Neque jam vel perſonæ meritum, vel natalium jus, vel naturale Superiorum ingenium eſſe debet obedientiæ cauſſa, ſed unice auctoritas Dei, qua ſunt induti. Obedire in omnibus æque iis, quæ abjecta ſunt, & ſervilia, ac in iis quæ honeſta ſunt, & ampliora. Obedire conſtanter, ac perſeveranter, quin nos tædeat glorificare Deum per ſuum erga homines obſequium. Divine Salvator, qui ſimul es exemplum, & merces Chriſtianæ obedientiæ, fac, ut in hac vita ita perfecte imitemur exempla tua, ut mereamur te æternum in altera poſſidere. *Ex Morali novi Teſtamenti Patris la Neuville Tomo 1.*

Tria J. C. conſilia ſecundum quæ hominum ſalutem operatus eſt.

Invenio tria fuiſſe JESU CHRISTI conſilia in Incarnatione ſua, ut triplici medio operaretur redemptionem hominum, quos ad gloriam ſuam deſtinaverat. Voluit ſe humiliare, voluit ſe amari, voluit nos habere ſectatores ſuos. Voluit humiliare Magnitudinem ſuam, ut noſtræ mederetur ſuperbiæ; voluit ſe amari, ut noſtra ſibi corda captivaret; voluit nos habere ſectatores ſuos, ut ſibi noſtra conciliaret obſequia. Propter hanc rationem voluit puerum fieri, ut ſuavius, & efficientius tria hæc aſſequeretur. Hodie illum conſiderare poſſumus in pueritia ſua, ſub tribus hiſce eximiis qualitatibus, quas exercet. Humiliari voluit in hujus ætatis infirmitatibus; voluit amari per illecebras ſuas; & nos aſſeclas ſuos facere voluit per virtutes. 1. Quatenus humiliatus noſtram expetit ſubmiſſionem. 2. Quatenus alliciens, poſtulat cor noſtrum. 3. Quatenus exemplum noſtram exigit virtutum ſuarum imitationem. Hæc glorioſa ſunt opera pueritiæ JESU CHRISTI. *Sermones de Myſteriis Domini Noſtri a Bireat editi.*

Humilitas Filii Dei in Myſterio pueritiæ ipſius.

Quemadmodum primum Hominis crimen fuit ſeſe contra Deum attollere, primum Filii Dei conſilium in Incarnationis Myſterio fuit ſeſe in humana natura dejicere, & per admirabilem ſuæ humilitatis exceſſum portentoſum exceſſum ſuperbiæ noſtræ reparare. Ideo potiſſimum adjicere voluit hanc humiliantem circumſtantiam Incarnationi ſuæ naſcens in Mundo; vixitque aliquantiſper in parvuli Infantis ſtatu, non ſolum ut diutius ſuas humiliationes produceret, ſed etiam, ut illas efficeret perfectiores: *Inclinatio Majeſtatis hac eſt, natus ex Maria Virgine,* Sanctus inquit Auguſtinus. Hic incipiunt humiliationes Filii Dei ſecundum ordinem temporum, cum natus eſt in Bethlehem; ſed earum perficit profunditatem per ſtatum pueritiæ ſuæ in Nazareth. Ratio deſumitur ex tribus qualitatibus humiliantibus, quæ inveniuntur in puero; ignorantia, imbecillitate, ſubmiſſione: Pueri ſuapte natura ignari ſunt, imbecilli, omnibus ſubjecti. Quid magis oppoſitum, quid indignius illius magnitudine; quid magis contrarium tribus perfectionibus illius, ſapientiæ, potentiæ, ac imperio, quam ſpeciem induere harum naturalium infirmitatum; re enim vera in ipſo hæ non aderant infirmitates? *Idem.*

Aug. de ſanb.

Pœnas, quas pati debuit J. C. in Nativitate ſua.

Quantum JESU CHRISTI obedientia ſancta fuit in principio ſuo, tantum debebat eſſe moleſta in executione. Qua enim de re agebatur? ut videlicet adhuc rubens ab utero in alienam terram transferretur; ut adhuc infans, ac imbecillus objiceretur laboribus, & periculis itineris ardui, ut ea ipſa diſcederet nocte, ubi Joſepho mandaretur imperium, ut iter arriperet ſine mora, ſine commeatu; ut pergeret in Ægyptum ad populum infidelem, & Judæis infenſum; ut ibi latentem, & obſcuram duceret vitam in extrema pauperie, & omnimoda rerum omnium egeſtate: tandem ut ibi permaneret, donec illum educeret Providentia: neque enim Angelus alium redeunti figit terminum, vel tempus ſignificat. Quæ tentatio? Num aliis obedientiæ tot, tantæque difficultates ſuperandæ fuerunt? Tamen Pater, Mater, Filius, univerſa hæc paret Familia. Nulla mora, nulli prætextus, nullæ excuſationes. *Conſurgens accepit puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.* Hoc ſi ſecundum humana reputetur conſilia, quæ ſequi vulgatiſſimum eſt; ſexcentæ rationes obedientiam adeo celerem, rigidamque debent retardare. Quomodo

Matth. 2. 14.

puer

Digitized by Google

puer adhoc in incunabulis iter hujuſmodi ferre poteſt? Quo pacto nocturnis incumbentibus tenebris aſportari poteſt per tot pericula ſecus viam ſubeunda? Ubi ad victum poterant inveniri neceſſaria? Verum nonne poterat Deus alia ratione filium eripere de manu perſequentis? Ecce quomodo in ipſo etiam religioſo ſtatu homines ratiocinantur, hoc ipſe etiam modo ſexcentis in rebus ratiocinatus ſum ubi non aliud præter propter agebatur, niſi ut meis fungerer muneribus, ac ſatisfacerem Superioribus meis, & aliquam mihimet vim inferrem. Leviſſima quælibet vis mihi ſtuporem injicit, minimus me obex exanimat; omnia mihi fiunt impoſſibilia, & non deſunt mihi cauſſæ quas prætexim, infirmitatis, incommodorum, imbecillitatis, antipathiæ, vel id genus plurimæ. *Pater Bourdalove in Spiritualibus receſſibus.*

[illegible] J. C. vita uſque ad annum trigeſimum. Hoc unum ſane eſt ex maximis vitæ JESU CHRISTI Myſteriis, quod licet denſa caligine obſitum non minus admirari debeo, quam illa, quæ hominum oculis maxime enituerunt. Videlicet ſolitudo in qua vixit Salvator noſter uſque ad tempus ſuæ prædicationis. Hic Homo Deus, qui plenus erat omnibus theſauris Sapientiæ, & Scientiæ, qui in Mundo populorum omnium celebritatem, ac famam illi poterant comparare: hic inquam Homo Deus, qui uſque ad annorum triginta ætatem tot patrare potuiſſet miracula pro Patris ſui gloria, qui ſi ſe cognoſcendum tradidiſſet, potuiſſet convertere omnes peccatores, omneſque cultores idolorum, & quocumque Evangelium proferre; Homo Deus hic, qui ad id unum miſſus fuerat, atque de Cælo deſcenderat, tamen ſeſe in ſolitudinem, ac ſilentium redegit, & ex trium ac triginta annorum numero, quibus illi nobiſcum vivendum erat, triginta in ſilentio, atque ſolitudine tranſegit, ac tres tantum ſibi reſervavit, quibus in lucem prodiens annuntiaret Regnum Dei. Quid porro in particulari, ſecretaque vita operatus

Luc. 2. eſt? *erat ſubditus illis*, Mariæ ſcilicet, & Joſeph. En quid teſtetur Evangelium. Cetera ignoramus, eaque tenebrarum caligine involuta eſſe voluit; ita ut Deo uni comperta ſint, atque explorata. Vitæ hæc ratio primum quidem videtur admirabilis, cujus tamen ſecretum non admodum latet. Voluit enim in nobis retundere nimiam noſmet producendi cupiditatem nobis ingenitam, & quæ tot in Mundo mala parit. Fieri nequit, ut homo vere ſit Dei, ſi totus exterior eſt; & nihil aptius eſt ad compeſcendam hanc ſeſe oſtendendi in Mundo curam, & in illo nitendi, quam exemplum Dei ſolitarii, & in Mundo ignorari cupientis, *Idem Ibidem.*

Quibus rebus vacabat JESUS CHRISTUS in vita ſua abſcondita? Si extremum corticem intuemur vacabat ille rebus per ſe abjectis, communibus, atque ſervilibus. Labores ſuos cum Joſepho partiebatur, cum Maria domeſticæ rei curam gerebat, ad unguem utriuſque imperata faciebat, quin quidquam omitteret, vel aliquod vel minimum officium negligeret. Quid hoc cum Meſſia, cum eo, qui a Deo miſſus erat, cum Unigenito Dei? Deus tamen tantum gloriæ percipiebat ex hujuſmodi actionibus, quantum ex illis omnibus, quæ hic hominum Salvator maxima deinceps erat facturus. Hæc placebant Deo, eumque hic videns talibus operibus deditum, jam de ipſo dicebat, licet minori cum pompa, & ſolemnitate *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quorſum hoc? quia in his omnibus actionibus JESUS CHRISTUS ſe conformabat Patris ſui beneplacito; quia hæ omnes actiones animatæ erant interiori ſpiritu, & prorſus divinis finibus commendatæ. Hinc adeo erant coram Deo meritoriæ, & in oculis ejus acceptæ. *Idem.* Occupationes abjectæ & humiles J. C. in vita abſcondita.

Erant tunc temporis Principes, & Imperatores in terris. Celeberrimi aderant gentium domitores, qui nominis ſui celebritate, & heroicarum actionum rumore univerſum terrarum orbem replebant. De illorum expeditionibus, rebus præclare geſtis, factiſque memorabilibus verba fiebant. Ubique laudibus extollebantur; ſed hoc apud Deum nihil erat; cumque eorum neque principium, neque finis eſſet Deus, nullam eorum rationem habebat. E contra nemo de JESU CHRISTO loquebatur, nemo illum norat; nomen ejus, nativitas, patria, vitæ genus, exercitium ignorabatur. Verſabatur in angulo Judææ, quaſi non eſſet; ſed oculi Dei jugiter inhærebant illi, neque unquam ab illo amovebantur. Objectum erat dignum Cæli totius admiratione, & nihil operabatur, quod infiniti pretii non eſſet. *Pater Bourdalove in ſuis ſolitudinibus.* Dei Filius latuit uſque ad annum ætatis ſuæ trigeſimum.

Nunquam mihi deeris, Deus meus in caligine vitæ latentis, & abſconditæ. Ibi te ſemper inveniam; quid mihi ultra optandum erit? Ibi anima tecum colloquitur, te audit loquentem, te poſſidet, te guſtat. Tu vero in rumore non es: immo te tibi cognoſcendum non præbes, neque audiendum. O Deus, ubi bene eſſe licebit mihi ſine te: ubi cum te male mihi eſſe licebit? Quid intereſt mea, utrum me Mundus noverit, an ſecus? ſi te ſemper habeam teſtem, ſi me tuo digneris adſpectu? Tu unus mihi eris omnia; & in caligine, tenebriſque meis eadem cum animi lætitia dicere potero, qua unus ex ferventiſſimis famulis tuis jugiter dicere conſueverat: *Deus meus, & omnia. Idem.* Imitari debemus J. C. in vita ejus abſcondita; & quos deceat in eo eſſe ſenſus noſtros.

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE TRANSFIGURATIONE JESU CHRISTI.

Quid intelligendum pro Filii Dei transfiguratione. **D**OMINICÆ Transfigurationis nomine intelligimus admirabilem mutationem illam, quam in Corpore ſuo JESUS CHRISTUS oſtendit in Monte Thabor coram Sanctis Petro, Jacobo, & Joanne ubi in luce fulgentiſſima gloriæ ſuæ medius apparuit Moyſem inter & Eliam, cum quibus aliquandiu de mortis ſuæ ignominia, quam ſubiturus erat, collocutus eſt. Gloria, qua JESU CHRISTI Anima ex primo ſuæ Incarnationis articulo perfruebatur, ſuapte natura ab anima in corpus erat migratura; & perenne miraculum erat, quod gloria hæc ſuſpenſa contineretur in anima, quandoquidem nihil inde manavit in corpus toto mortalis vitæ ipſius intervallo. Hoc autem miraculum exigebant cum finis, quem ille in Incarnatione ſua ſibi propoſuerat, tum electio ab æterno ſuſcepta hominis redimendi per humiliationes Paſſionis ſuæ, & per crucis ignominiam. Si enim ipſo vivente

1. Cor. 2. in corpus ejus gloria hæc reſiliiſſet, quis auſus fuiſſet illum afficere contumelia? *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Die vero Transfigurationis ſuæ JESUS CHRISTUS ab hoc patrando miraculo ceſſavit aliquantiſper. Paſſus eſt, ut in corpus ſuum aliquot emanarent illius gloriæ radii, quibus illius anima perfruebatur. Tunc facies ejus, totumque corpus facta ſunt Sole nitidiora, & indumenta ejus nive candidiora. Fulgor ex toto illius corpore manans tantus fuit, ut Apoſtoli cæcutientes, & oculis ſuis tantam lucem ſuſtinere noli valentes facie in terram demiſſa procubuerint. Videbatur Sol in verticem montis illius lapſus, & ſi tunc teterrimæ noctis tenebræ incubuiſſent, ſplendor de Corpore JESU CHRISTI exiliens, illas in nitidiſſimam diem convertiſſet. *Pater Croiſet in Aſceticis, Tome 2.*

Salvatoris Transfiguratio fuit quoddam veluti præludium gloriæ, qua paulo poſt erat cumulandus; ac teſtimonium, quod hac die perhibet Pater Æternus de Filii ſui divinitate, *in quo mihi bene complacui*, efficit, ut hoc Myſterium maximi momenti habendum ſit, ac utiliſſimum ad erudiendum. Sanctus Thomas probat, æquum fuiſſe, ut JESUS CHRISTUS ſeſe transfiguraret, ut fidem, ac ſpem Apoſtolorum ſuorum confirmaret. Utraque gravibus patere debebant tentationibus, ubi viderent opprobria, paſſiones, & contumelioſam mortem Salvatoris. Apoſtoli antequam Spiritus Sancti lumini afflarentur, craſſam tantum Religionis ideam conceperant. Fides illorum erat imperfecta, & ſpes infirma, Miracula, quæ Dei Filius operabatur, validum erat credibilitatis argumentum; ſed tandem Moyſes, Elias, ac tot alii Prophetæ, quin eſſent Dii, ſimilia miracula patraverant; aliquid requirebatur fulgidius, quod manifeſtum eſſet Divinitatis ejuſdem argumentum, & quod illis æquiorem ſuppeditaret conceptum æternæ illius felicitatis, quæ illorum merces erat futura, quod palam in Salvatoris Transfiguratione invenitur. JESUS CHRISTUS ſecus aſſumpſit Petrum, S. Joannes Damaſcenus, ait, quia futurus erat Paſtor univerſalis Eccleſiæ, & quia jam confeſſus fuerat Salvatoris Divinitatem ſecundum

ea lu-

ea lumina, quæ ab Æterno Patre perceperat. Aſſumpſit Sanctum Jacobum, quia princeps futurus erat ex Apoſtolorum numero, qui ſanguine ſuo divini Præceptoris divinitatem ſignaret: aſſumpſit denique Sanctum Joannem, tamquam illum ex Evangeliſtis, qui apertius, & clarius ejus Divinitatem erat nunciaturus: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Verum ſi hos JESUS CHRISTUS teſtes eſſe voluit gloriæ ſuæ in Thabor, eoſdem teſtes eſſe voluit agonis ſui in Monte Olivarum. Salvator delicias ſuas iis tantum communicat, qui accedunt in partem amaritudinis Paſſionis ſuæ. *Idem*.

Joann. 1.

Transfiguratio Filii Dei commendat humiliationes illius.

Myſterium Transfigurationis Dominicæ commendat humiliationes, & ut cum Apoſtolo loquar, exinanitiones hujus Hominis Dei, quæ prohibuerunt, ne Judæi illum pro Meſſia haberent, & ne Gentiles tamquam Deum colerent. Et profecto nemo unus ignorat præjudicia, quæ Judæorum mentes occupaverunt, de hoc Meſſia, quem tot ſæculorum ſpatio expectabant. Prophetarum Oracula, magnificis verbis de illo loquentia, narrant illius prælia contra ſalutis noſtræ inimicos, ejuſque victorias ac triumphos de peccato, morte, inferiſque relatos: hæc itaquam Oracula magnificum de illo conceptum adſtruxerant, tamquam Regis terreni, ac gentium Domitoris. Putabant omnia coram illo ceſſura eſſe, eumque proditurum, non ſine congruo Magnitudinis ſuæ apparatu, ad ipſos de Romanorum ſervitute liberandos, ad populos omnes ſubjiciendos imperio ſuo, cujus fines eſſent fines terrarum orbis, & ſubditi, omnes Mundi nationes. De terreno regno explicabant, quod de ſpirituali dixerat Spiritus Sanctus locutus per os Prophetarum. Itaque Salvatoris Apoſtoli tam præclaria imaginibus repleti, non ſecus ac reliqui Judæorum; & fallaci hac ſpe decepti, quæ eorum palpabat ingenia, de uno tantum loquentes Meſſia nato in præſepio, pauperem agente vitam, & omni dignitatis extrema ſpecie carente, eorum animos avertebant, & contra ſe, nec non contra illum ipſum ciebant perſecutionem eorum, quos ille de ſervitute, ac tyrannide verorum inimicorum ſuorum liberaturus acceſſerat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Humiliatio, ad quam Dei Filius redigi voluerat, omnes populorum animos avertere poterat.

Cum Dei Filius reapſe veniſſet in terras, ut populos omnes in uno, eodemque cultu colligeret, humilitas ad quam illum redactum intuebantur, eorum animos avertere poterat, eo uſque, ut Apoſtoli urgerent illum, modo ut ipſis Patrem oſtenderet: *Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, modo vero quærerent quandonam reſtituturus eſſet gloriam Iſrael. Humilitas, quam profitebatur, & ſpecies, quæ minime pollicebatur, illum talem eſſe, qualem ſe ferebat, non ſuadebant fore ut eos pareret triumphos, quos ab illo ſeu pro Cælo, ſeu pro terra relatum iri expectabant. Quapropter Salvator hic qui iniit conſilia adeo ſupra humanam prudentiam poſita, ut ea ſibi bene verterent, nonnunquam modico eorum captui hic in re indulſit, ad auferendum ſcandalum quod accipere potuiſſent ex annihilationibus ejus, niſi eos aliquo ſuæ Magnitudinis argumento identidem ſublevaſſet. Hoc autem præſtat in Myſterio Transfigurationis ſuæ, ubi, poſtquam viſus fuit traditus omnibus miſeriis paupertatis, indutus ſimilitudine peccati, qui noviſſimus eſt annihilationis gradus, cœpit oſtendere Apoſtolis ſuis, quid eſſet, antequam redigeretur ad extremam humiliationum omnium, mortem videlicet Crucis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Joann. 4.

Transfiguratio Filii Dei delevit humiles ideas, quæ de illius perſona haberi potuiſſent.

Per Transfigurationem ſuam delevit JESUS CHRISTUS humiles ideas, quæ de perſona illius conceptæ fuiſſent ad intuitum humiliationum ejus, quæ non ſolum ſcandalo fuerunt Judæis, Gentilibus, & Hæreticis, verum etiam ſecundo loco plurimis Chriſtianis, quamvis alio modo; quandoquidem credunt quidem hujuſmodi humiliationes, ſed eos has imitari pudet, etſi hoc unicum ſit medium in gloriæ partem accedendi; nam ſicuti magnus Rex, & Monarcha ſummus delet dedecus inhærens iis rebus, ad quas ille ſeſe dignatur ſubmittere, & humillima quævis commendat officia: & honeſtum facit quidquid ſua electione dignatur: Ita gloria, quam Filius Dei in ſua Transfiguratione præfefert, perſonæ ipſius dignitatem oſtendens, efficit humiliationes illius dignas obſequio, & de omnibus, quibus ſe ipſum ſubjecit, humiliationibus dici poteſt, quod S. Bernardus dixit de paupertate, quam ille amplexus eſt, & quam omnibus terræ divitiis prætulit; illum videlicet eas in perſona ſua conſecraſſe, & neminem eaſdem ſibi pudori vertere debere, quandoquidem pro ſe Deus illas aſſumpſit: hæc inſignia Domini, quem ſequimur, & notas, quod nobis honori vertimus eidem deſervire. Hinc Tertullianus ait: *Salvus ſum ſi de Deo meo non confundar*. Alii de te, Domine, ſcandalizentur; pudeat illos opprobriorum tuorum; negent operibus, quod verbis profitentur; vita diffiteantur, quod ore fatentur; nobis honori vertere debemus imitari illum; & in hoc ſalus noſtra conſiſtit. *Idem*.

De Carne Christi.

Illuſtre teſtimonium, quod Pater Æternus reddit Filio ſuo.

Cum Salvator tres ex diſcipulis ſuis adduxiſſet in Montem Thabor, transfiguravit ſe coram illis, & illico viderunt Cælum apertum, & JESUM CHRISTUM ſolis inſtar nitentem. Medius erat inter Moyſem, & Eliam, & fulgida nubes ſepiebat illos, ubi audita fuit vox de ſinu glorioſæ nubis dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, illum audite*. Hoc inſigne eſt, ac manifeſtum divinitatis Domini noſtri argumentum. Non eſt inanis cerebri viſio credentis ſe id videre, quod oculi non vident. Tres ſunt diſcipuli, qui Magiſtrum ſuum vident transfiguratum, & ſenſibili indutum gloria, qua Sole ipſo nitidior efficitur; Tres Diſcipuli, qui illum audiunt cum Moyſe, & Elia colloquentem, & ipſis eadem gloriæ nube circumdatis, & qui præ nimio lætitiæ ſuæ impetu a JESU CHRISTO petunt, ut ſibi liceat in Monte hoc permanere, ibique tria ædificare tabernacula, primum quidem illi, alterum Moyſi, tertium Eliæ: cum repente ſanctus illos corripuit terror ad vocem Patris Cæleſtis de nube loquentis, atque dicentis: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite*. Argumenta quæ depromi poſſunt ex Bibliis, demonſtrativa non ſunt, niſi quatenus referri poſſunt ad JESUM CHRISTUM. Dixit Moyſes, Deum ſuſcitaturum Prophetam de domo Iſrael, & fore ut Iſraelitæ omnes illum audire teneantur: Hoc tamen non aſſerebat JESUM CHRISTUM eſſe Prophetam hunc, ut Apoſtoli, & Judæi illum audire, eique parere tenerentur. Illis igitur perſuadendum erat JESUM CHRISTUM eſſe hunc Prophetam a Moyſe promiſſum, ab aliis Prophetis deſignatum. Hoc autem præſtat Pater Cæleſtis in Thabor, illis repetens verba Moyſis, qui aderat: *ipſum audite*. Quia hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; audite illum; quare? *Quia hic eſt Filius meus dilectus*. *Idem*.

Transfiguratio Filii Dei ſecreta facta eſt ab aliis feſtivitatibus ejus & quare?

Salvatoris Mundi Transfiguratio in Monte Thabor coram tribus Apoſtolis, quos præ ceteris majori proſequebatur amore, complectebatur plura Myſteria, & fidem noſtram confirmabat, ita ut cum aliis vitæ Filii Dei miraculis nequaquam ſit confundenda: itaque Eccleſiæ peculiarem feſtum diem placuit inſtituere.... Licet Dei Filius gloriam ſe contemnere teſtaretur, & latere cuperet, dici tamen poteſt ipſum a diſcipulis ſuis haberi in pretio voluiſſe, & ab illis quantus erat cognoſci. Hac de cauſſa tres dilectos ſibi diſcipulos ſeorſim ſecum aſſumpſit, cumque ſolos ſecum adduxiſſet in Montem excelſum, paulo ſeceſſit, oravit, & in fervore Orationis ſuæ ſe coram illis transfiguravit. Splendor Divinitatis ſuæ, & gloria Animæ ſuæ beatæ palam in ſacra illius divinitate coruſcarunt. Repente nituit in luce Majeſtatis ſuæ non amplius ut homo ſimplex, ſed ut Homo Deus. Facies ejus reſplenduit tamquam Sol, veſtimenta ejus candida facta fuerunt, ut nix, & ita nitentia, ut perſtringerent oculos. Facies illius, oris habitus nequaquam eſſentialiter commutata fuerunt, ſed radiis, & lumine ex corpore illius effluente penetrata fuerunt, non aliter ac levis, & pellucida nubes ſolaribus radiis penetrata. *Transformatio*, S. Hieronymus ait, *ſplendorem addidit; faciem non ſubſtraxit*. Dici quodam in ſenſu poſſet, communem Salvatoris vitam, & exteriorem illius humilitatem, veram fuiſſe Transfigurationem: quandoquidem apparebat in ſtatu, qui ab illius natura erat alienus, cum gloria Transfigurationis ejus, eſſet naturalis ſtatus ipſius. Itaque juge miraculum requirebatur ad prohibendum, ne gloriæ, & Majeſtatis Dei radius in illius faciem reſiliret, ſed ſatis erat, ut naturales cauſæ agere permitterentur, ut ſe talem oſtenderet, qualis tunc viſus eſt. *Pater Croiſet in Aſceticis*.

Dei Filius voluit Moyſem, & Eliam in ſua Transfiguratione apparere, ut oſtenderet legem, & prophetas in perſona ſua terminari.

In adeo glorioſo Transfigurationis ſuæ ſtatu noluit Salvator ſolus videri; ſed viſus eſt medius Moyſem inter & Heliam; illum præcipuum legis antiquæ Miniſtrum, hunc maxime zelotem ex Prophetis. Voluit autem Dei Filius duos hoſce præſtantiſſimos homines in ſua Transfiguratione videri, ut Apoſtolis oſtenderet, ſibi a lege, atque Prophetis perhiberi teſtimonium, eoſque in perſona ſua terminari. Helias erat adhuc vivens, ideoque viſus eſt in ſuo naturali corpore. Sanctus Thomas aſſerit Moyſem ſub alieno corpore apparuiſſe. Duo iſti Viri Dei colloquebantur cum JESU CHRISTO de paſſionibus, contumeliis, & crudeli morte, quam intra paucos dies ſubiturus erat in Jeruſalem, cum qua omnibus vitæ ſuæ laboribus finem erat impoſiturus. Sanctus Lucas ait, Sanctum Petrum, & ſocios ſomno fuiſſe obrutos; qui cum expergiſcerentur, viderunt gloriam Filii Dei, & duos, qui erant cum illo. Salvator, qui illos non præmonuerat de iis quæ erant eventura, permiſit, ut ſe orante illi ſomno caperentur, ut experrecti jucundiori afficerentur adſpectu. S. Chryſoſtomus non credit hunc verum ſomnum fuiſſe; & mavult quamdam fuiſſe ſpeciem extaſis, cum repente recentis prodigii fulgor illuxit. Admiratio cum ſancto metu permixta adeo ſuavi conſolationum copia cumulata fuit, ut ſan-

ut ſanctus Petrus cum hilaritate, & alacritate ſibi conſueta exultans gaudio, ac ſe proripi ſinens primis fervoris ſui motibus, ſimilis homini, qui in extaſim rapitur exclamaverit: Domine, bonum eſt nos hic eſſe; deberemus ſemper hoc in loco permanere, & hic ſedem noſtram conſtituere! Alibi melius eſſe non poſſumus. Tria hic faciemus Tabernacula, tibi unum, Moyſi alterum, tertium Eliæ. Putat Tertullianus ea in occaſione S. Petrum in extaſim, & extra ſe raptum fuiſſe, quod Scriptura innuere voluit per hæc verba:
Luc. 9. *Neſciens quid diceret*. S. Petrus conſulit hoc in loco gaudium ſuum, & copiam uberem interiorum conſolationum, quibus cor ſuum obrutum erat. Adhuc loquebatur, cum Moyſes, & Elias evanuerunt; & nubes lucida illos involvit, operuitque; de cujus nubis ſinu prodire audita eſt vox perſpicua & divina dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Quidquid amo, propter ipſum amo. Audite illum tamquam Magiſtrum: obedite illi tamquam Regi. *Idem ibidem*.

Sententia Patrum de voce in Thabor audita. Luc. 9. Patres animadvertunt vocem, quæ audita fuit in Transfiguratione Domini, tunc ſolum perſonuiſſe cum Moyſes, & Elias receſſerunt, ut cum Dei Filius ſolus eſſet, dubium non oriretur, eam de illo uno dictam fuiſſe. *Ipſum audite*. Nubis ſplendor, ac liquidus vocis hujus ſonus ita perculerunt tres Diſcipulos, ut metu correpti, ac ſtupore facie in terram ceciderint, ſimulque omnis ea gloria evanuerit. Aſſurgere tamen non valuerunt, donec Salvator ad illos accedens, eoſque manu tangens dixit, ſurgite, nolite timere. Illi ſtatim oculos attollere inceperunt, & undique reſpicientes, non viderunt niſi Dei Filium in corporis habitu naturali. Cum hoc deſcenderunt de Monte pleni admiratione, non ſine ſancta impatientia id, quod viderant, evulgandi. Verum Salvator nolens illis ingerere minorem ſuæ humilitatis, quam gloriæ conceptum, vetuit, ne cuipiam viſa referrent. Hoc ipſum paullo ante vetuerat, cum enim illi Apoſtolos interroganti, quem ſe eſſe crederent, & Petrus reſpondiſſet ipſum eſſe CHRISTUM Filium Dei viventis, narrant Evangeliſtæ, tunc præcepiſſe *Diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet JESUS CHRISTUS*. Rationem vero S. Lucas addit: ait enim: opus fuiſſe, ut Filius hominis multa pateretur, ut damnaretur a Senioribus, a Principibus Sacerdotum, & Scribis, ut occideretur, & tertia die a mortuis reſurgeret. Ne igitur evulgata cognitio ſuæ dignitatis paſſionem Ipſius prohiberet, ac mortem, eam in vulgus ferri vetuit, cum poſt Reſurrectionem ſuam, eamdem evulgari præcepit. Si antequam pateretur prædicari juſſiſſet palam ſe Meſſiam eſſe, mortis, & ſupplicii ejus aſpectus, S. Hieronymus, & Chryſoſtomus inquiunt, ſcandalum afferre potuiſſet infirmis ita, ut vix, & ne vix quidem confirmari potuiſſent: cum e contra Reſurrectio illius, de qua nemo Apoſtolorum, aut Diſcipulorum ſuorum poterat dubitare, probaret ea quæ hactenus fecerat, dixeratque, & reliquis argumentis recens pondus adjiceret. *Pater Croiſet ibidem*.

Ex omnibus miraculis, quæ J. C. operatus eſt coram diſcipulis ſuis, nullum melius, quam Transfiguratio illum Dei Filium oſtendit. Quamquam JESU CHRISTI Diſcipuli quædam vidiſſent miracula ejus naturæ vires transgreſſa, quæ illius oſtendebant poteſtatem, atque auctoritatem apud Deum, tamen præter quam quod Prophetæ quoque plura operati fuerant admirabilia, & ſi erant ſupremæ poteſtatis argumenta, non erant tamen certa divinitatis indicia, quoniam ſæpe Deus ſervis ſuis hanc communicabat facultatem: ſed in hac Transfiguratione videtur exuere quidquid humani erat in ipſo, ſolemniter Filius Dei declaratur, apparet in eo ſtatu, qui maxime decet hanc qualitatem, quam aliis in occaſionibus dimidiatam fere aſſumebat, potius hominis filium, quam filium Dei ſe nuncupans: Vox de Cælo dilapſa illum authentice profitetur Dei Filium; apparatus, in quo ſeipſum manifeſtat, huic teſtimonio reſpondet; & quidquid in hoc Myſterio tranſigitur, ad id unum collimat, ut palam fiat id, quod eſt, & illi cultus debitus adhibeatur. *Accipiens a Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſmodi, a magnifica gloria*; quemadmodum loquitur Princeps Apoſtolorum, qui aderat teſtis. *Auctor Sermonum in omnia argumenta*.

Cur Dei Filius ſolitudinem elegerit locum ſuæ Transfigurationi. Ad hunc autem Myſterium elegit Deus, locum remotum, atque aptum orationi, ut videlicet oſtendat Deum nobis ſingulares gratias impertire, & gloriam ſuam aperire non quidem palam, atque inter Mundi tumultum; ſed in ſolitudine, cum maxime ab omni terreno affectu expediti ſumus, & ad ſublimiorem perfectionem evecti. Ita Moyſes, & Elias digni habiti ſunt, qui viderent Deum, non quidem in civitatibus, ſed ſeorſim, & in monte. Adeo verum eſt, intereſſe magnopere, amare ſolitudinem, & terrena omnia contemnere, ſi volumus Deum ſe nobis communicare. Voluit JESUS CHRISTUS, ut iidem diſcipuli, qui ipſum comitaturi erant in Montem Olivarum, ipſum comitarentur etiam in Thabor, & teſtes eſſent gloriæ
Ad Rom. 8. ſuæ, quemadmodum dolorum quoque erant futuri. *Si compatimur*, S. Paulus ait, *& conglorificamur*. *P. Croiſet*.

Animadverſio in verba, quæ dixit S. Petrus tempore dominicæ Transfigurationis. Domine bonum eſt nos hic eſſe, S. Petrus ait. Si breve ſpecimen gloriæ, & Majeſtatis Dei cumulat lætitia, atque admiratione adeo pura, exquiſita, eos, qui illius teſtes ſunt; quænam tandem in Cælo futura eſt voluptas videndi Deum facie ad faciem? & quinam eſſe debet ille deliciarum torrens, quo Sancti in Beatorum ſede, cujus nonniſi leviſſima adumbratio eſt Mons iſte, inebriantur. Quid futurus ſit Paradiſus, neſcio, inſignis neſcio quis Dei Famulus dicebat: ſcio tamen nos ibi gaudio cumulatum iri, nos Deum in ſe ipſo viſuros eſſe; Deum, proprie loquendo, non videri Deum niſi hoc in loco deliciarum; omnes ornatus, quibus Cælum, & terram locupletavit, quidquid ars naturæ poteſt adjicere, ut nobis voluptatem pariat, & ſenſus noſtros alliciat, hæc omnia, ſcio umbras eſſe, & nihilum, ubi cum Paradiſo comparentur: ſed quid ibi futurum ſit, neſcio. Scio id, quod ibi futurum non eſt, nullum malum, ſeu phyſicum, ſeu morale; nullum peccatum, nullum vitium, nulla invidia, nulla avaritia, non inconſtantia, non ſpes, non dolor, non cura, non labor. Terra exilium eſt, vel potius equuleus in quo Sancti torquentur; Cælum eorum patria eſt, domus voluptatis, ac triumphi locus. *Idem ibidem*.

Quemadmodum mons Thabor fuit theatrum, in quo placuit JESU CHRISTO ſuam magnitudinem, atque potentiam oſtendere; ita ibi Pater Cæleſtis eidem majores honores detulit, & obſequia plura juſſit adhiberi: nam præterquamquod ibi vitæ, mortiſque arbiter viſus eſt, quandoquidem Moyſem ſuſcitavit, & Eliam de terreſtri Paradiſo arceſſivit, præterquamquod ibi habitus fuit legis Auctor, & Prophetarum omnium Anteſignanus, gloria redimitus, & a viventibus ſimul ac mortuis adoratus. Pater ipſius aliquid etiam ad illius magnitudinem contulit, ac fulgurum voce uſus Mundum univerſum edocuit hunc eſſe Unigenitum ſuum, objectum amoris ſui, ac di-
Matth. 17. lectionis. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Hæc enim verba complectuntur omnia JESU CHRISTI magnalia; & hominum, vel Angelorum eloquentia nihil poteſt adjicere divino huic Panegyrico; ſed fatendum eſt, non poſſe verius, ac præſtantius explicari, quam verbis S. Leonis Papæ, qui hac in occaſione vocari poteſt fidelis Interpres Æterni Patris: *Hic eſt Filius meus dilectus*, diſertiſſimus inquit Orator, *quem a me non ſeparat Deitas, non dividit poteſtas, non diſcernit æternitas*, quia in omnibus mihi æqualis eſt, atque ut ego, Deus eſt, Æternus, & Omnipotens. *In Panegyricis Sanctorum Pater Senault Tomo 1.*

Quonam affectu Salvator nobis ſuas communicet gratias, ex hoc Myſterio docemur. Arduum eſt intelligere, quomodo Mundi Salvator favoribus cumulet diligentes ſe, & quanam largitate eos in maximorum ſuorum beneficiorum partem arceſſat. Petrus, Jacobus & Joannes præ ceteris illi ardentius inhærent, ideoque illi cariores ſunt. Adducit illos in Thabor, & proculdubio hi ipſum in Olivarum montem comitabantur. Spirituales deliciæ in hac vita, ut plurimum, ſunt crucis præſagium. Fruſtra quæritur ſedes ad latera Filii Dei, ſi animus deſit hauriendi Calicem ejus: JESUS CHRISTUS oſtendit ſe diſcipulis ſuis lumine coruſcantem, veluti Solem, atque omni gloriæ ſuæ fulgore, & Majeſtate redimitum; neque loquitur niſi de paſſione ſua, humiliatione, & Morte. Errorem abjiciamus, nullus in terris ſtatus eſt, nulla conditio, quæ mortificationis ſit expers. Devotio omnis nitens, in honore, & deliciis polita, ſuſpicione vacare non debet. Nulla vera ſuavitas, niſi quam crux parit, vel ſaltem amor crucis, & humiliationis. Salvator inſignem dilectis diſcipulis ſuis gratiam conferre ſtudet, eoſque gloriæ ſuæ teſtes habere. Illos in montis cacumen adducit. Quorſum iſtud? Quia tumultus nunquam extitit propria diſpoſitio communicationibus Dei; ſolitudo, vel ſaltem receſſus ſedes eſt horum favorum; quiſnam error eſt adhærere velle Deo, & mundi jugum non excutere! Queruntur, ſe in orationibus ariditates experiri, diſtractiones, tædia: queruntur, ſe nullas guſtare ex ſpiritualibus illis conſolationibus, quibus fideles Dei famuli perfruuntur, licet diuturnum exceſſerit temporis intervallum ex quo illi ſervire inceperunt. Diligamus Salvatorem unice, adhæreamus illi, ut tres illi Diſcipuli; a mundi tumultu ſecedamus, ſolitudinem, & receſſum quæramus, & quamprimum participes erimus inſignium beneficiorum amantiſſimi hujus Salvatoris. *Pater Croiſet in Aſceticis*.

Cur pauci fruantur iis deliciis, quas Dei Filius largitus eſt tribus Diſcipulis in ſua Transfiguratione. Domini noſtri Transfiguratio in excelſi Montis vertice peracta eſt; quare Myſterium hoc conſolatione plenum nonniſi coram tribus Diſcipulis peractum eſt? quia ferventium animarum numerus ſemper modicus eſt. Simus ex hoc numero, & certe inter dilectos Filii Dei famulos numerabimur. Bonum eſt nos hic eſſe, Sanctus Petrus exclamat per mentis exceſſum. Cum Deus ſe animæ puræ communicat, hæc facile creatorum bonorum omnium obliviſcitur. Exquiſitiſſimæ terrarum deliciæ tædium creant, & inſipidæ videntur animæ, cui Salvator ſpirituales communicat ſuavitates, quæ ſunt prægustatio veluti quædam Cæ-

lestium

leſtium gaudiorum. Ex quo Deus animæ guſtandum ſe præbet, hæc non afficitur ultra honoribus commentitiis puerilibus diſtinctionibus, aut chimæricis dignitatibus, quibus Mundus ſuos aſſeclas paſcit. Hinc pax interior, quæ omnem ſenſum exſuperat; hæc adeo plena voluptas, quæ tribuit animæ hanc imperturbabilis ingenii æqualitatem; hoc inexplicabile gaudium, quod fructus eſt crucis, quod nullo permixtum eſt mœrore, quod durabile eſt, & quod nulla excipitur pœnitentia. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Quid proprie intelligendum eſt hoc nomine Transfigurationis.

Quid Transfigurationem in JESU CHRISTO vocamus? Hic quidam ſtatus eſt in hoc Homine Deo, qui permanens idem in natura ſua, omnino videtur alius extrinſecus. Status per quem gloria, quæ ſuapte natura migrare debet ab anima in corpus, cum antea impedita fuerit, ſeſe effundit non tantum in faciem, quæ fit Sole ipſo nitidior, ſed etiam in veſtes, quæ fiunt nive candidiores. Status, per quem JESUS CHRISTUS poſtquam viſus eſt infirmus, calamitatibus, & infirmitatibus humanis obnoxius, omnibus paupertatis ærumnis traditus, ac peccati ſpecie indutus, incipit videri, quod eſt; ab humanitate ſua auſert velum, quo tegebatur, & delens præteritas humiliationes, relinquit formam ſervi, quam ſumpſerat, ut videatur in forma Dei, quæ illi eſt naturalis. *Ex Sermonibus Moralibus Tomo 2.*

Dei Filius in Transfiguratione ſua nullam paſſus eſt ſubſtantiæ ſuæ mutationem.

Graviſſimus eſſet error, credere, Salvatorem in Transfiguratione ſua amiſiſſe Corporis ſui veritatem, ut aliud aſſumeret vel ſpirituale, vel ex pluribus aeris partibus compoſitum. Nequaquam ſe hoc pacto transfiguravit; exterior ſtatus illius tantum immutatus eſt, ſine ulla ſubſtantiæ ſuæ corruptione per transfuſionem gloriæ partis ſuperioris ad inferiorem. Talis viſus eſt qualis erat; & cum antea humanitas ſua nihil contulerit niſi ad tegendam divinitatem: hodierna die annihilans, ut ita dicam in Thabor præcedentes miſerias, & humiliationes, vult humanitatem ſuam per Divinitatem transfigurari, & utramque ſimul in jurium ſuorum ſocietatem ingredi. *Ibidem.*

Quod accidit Sanctis in Cœlo idem ferme eſt, ac id quod accidit in Salvatoris Transfiguratione.

Transfiguratio Salvatoris in Thabor eodem præter propter modo contigit, Sancto Auguſtino teſte, quo Sancti in Cœlo glorificantur. Ad eorum gloriam cognoſcendam, eam nobis fingere debemus velut transformationem aliquam, & ſpeciem Transfigurationis beatarum Animarum in Deum. Ex quo anima juſta in Cœlo eſt, recipit, Pater hic inquit, novam eſſentiam, non quidem per ſubſtantiæ jacturam, ſed per ſtatus ſui mutationem: non per naturæ ſuæ interitum, ſed per incrementum perfectionum, eo quod corruptione ſæculi exuta ſimilis eſt Deo, tamquam immutabili formæ, ſecundum quam reformatur. *Ibidem.*

Diſcrimen inter Beatorum claritatem Filii Dei in Thabor.

Magnum intercedit diſcrimen inter claritatem Filii Dei in Thabor, & claritatem Beatorum in Cœlo; ſed verum eſt inter utramque varias ſimilitudinis rationes inveniri, ut ſimillimæ videantur. Salvatoris Transfigurati gloria in eſſentia ſua eadem eſt ac Beatorum; ſed differt quoad modum, Sanctus Thomas ait. Primo quod claritas gloriæ Sanctorum major eſt claritate Dominicæ Transfigurationis; alioquin Apoſtoli videre non potuiſſent Deum hunc transfiguratum ſine lumine intelligibili, quod illos pares efficit immediate recipiendis impreſſionibus divinitatis, eodem pacto quo Beati nequeunt videre in Cœlo, quin recens qualitas illos ad eſſentiæ ſuæ viſionem attollat. Secundo, Claritas gloriæ Sanctorum differt a JESU CHRISTI Transfigurati gloria; in eo quod illa eſt in corpore Beatorum tamquam qualitas permanens; hæc vero in corpore Salvatoris tamquam fluxa, & illa in corpore immortali, hæc vero in paſſibili. Tertio, in eo quod in Cœlo claritas corporum Beatorum emanat ex claritate animarum eorumdem, ut docet Sanctus Auguſtinus, illa vero Transfigurationis manat ex Divinitate Filii Dei; & claritas Salvatoris in Thabor illam repræſentat, quam recepturus eſt, dum erit in Cœlo; & claritas indumentorum ejus ſignificat futuram Sanctorum gloriam, juxta Sancti Dionyſii doctrinam. *Ex Moralibus Sermonibus Tomo 2.*

Epiſt. ad Dioſcorum.

Epiſt. ad Caſum.

Quas ob cauſas Dei Filius transfiguratus eſt coram tribus Apoſtolis.

Primum Salvatoris conſilium ſe oſtendentis circumamictum gloria, & lumine coruſcantem fuit, ut illis oſtenderet hujus gloriæ radium, quem celabat ſub integumento corporis ſui mortalis, & illius, quam præparabat in regno ſuo illis, qui ſeſe ejuſdem cultui devoverent. Volebat etiam illos animare ad crucem ferendam, & illis oſtendere, Deum quandoque Sanctis ſuis guſtanda præbere, licet obiter, alterius vitæ gaudia, & delicias. Poſt hæc dubitabimus ne, noſmet adeo liberalis Domini ſervitio mancipare, nos, qui ſcimus futurum ut aliquando perfruamur eodem in gloria, & in præſentiarum quoque nobis aliquam tribuit prægustationem felicitatis, quam præparat nobis in Cœlo? Modus autem quo ſe transfiguravit Salvator, fuit permittendo, ut gloria animæ ſuæ, quam ſemper abdiderat, erumperet, & effunderetur in corpus ſuum: quæ ſimulac prodiit, ille factus eſt Solis inſtar coruſcans. Et Evangeliſta proculdubio dixiſſet Sole nitidiorem, ſi quid eſſet in Mundo nitidius, cum quo illum poſſet comparare. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 1.*

Gloria Transfigurationis eſt veluti prægustatio gloriæ, qua ſancti fruunt in Cœlo perfruituri.

Quænam futura eſt gloria, & felicitas Sanctorum in Cœlo; quandoquidem aliquot radii gloriæ JESU CHRISTI, ſenſibilis effectæ ad aliquot tantum momenta, cumulant eos, qui ejuſdem teſtes fuerunt, lætitia ita pura, & ineffabili, ut tres Apoſtoli rapti fuerint in extaſim? *Bonum eſt nos hic eſſe*, Sanctus Petrus exclamat omnium nomine: quid melius nobis largiri vales? quæ voluptas hac major eſſe poteſt, magiſque exquiſita! quod bonum comparandum cum hoc, quod nobis parit perſtringens fulgor tuæ gloriæ! quantumvis ſubita ſit exultatio, & impetus admirationis, amoris, & lætitiæ, non ideo tamen minus rationabilis eſt, & minus æquus. Poſſumus ne cum JESU CHRISTO verſari, quin ſumma oblectatione, & ſenſibili gaudio afficiamur? *Faciamus hic tria tabernacula.* Sed Apoſtolus hic in extaſim raptus recte ne cogitavit, quod dixit? prævidebat ne incommoda, & mala, quæ inde erant profectura? Quis proteget illos in Monte hoc ab anni tempeſtatum inclementia? Quis nutriet illos in horrenti ea ſolitudine? Sed aliunde quid timendum eſt, ubi ſimus cum Filio Dei; quod bonum deeſſe poteſt poſſidentibus fontem omnium bonorum? Cum illo perfecte beati ſumus in monte, in agro, in deſerto; ſine illo miſeri ſumus etiamſi in aulis Principum, ac in Cæſarum ſolio verſaremur. Verum eſt cum illo non appeti niſi humiliationes; nos adverſis ſaginari, mortificari, mundum fugere, ejuſque dogmata perhorreſcere; ſed hæ rationes probant, nos ſolide beatos eſſe. Quid enim parere poteſt gaudium adeo imperturbabile, delicias adeo puras, adeo perfectam voluptatem in ſtatu adeo ſolitario; inter ea omnia quæ ſenſibus noſtris adverſantur: quæ naturæ noſtræ crucem figunt, quæ negotium faceſſunt? Dicendum eſt ſane reale bonum eſſe, cum ita ſenſu percipitur, ac ita permanens eſt in ſolitudine. Ubi autem in Mundo par invenitur tranquillitas? felicitas fructus eſt exoticus, & bonum, quod mundi ſectatores minime norunt. Oritur duntaxat in Salvatoris cultu, & ſequela, ibique ad ſatietatem guſtatur. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 2.*

Matth. 17.

Oſtendit J. C. Apoſtolis ſuis gloriam quam ſuis humiliationibus adeptus eſt.

Quemadmodum hic Homo Deus humiliationes ſuas ſubſtravit tamquam ſolidum gloriæ ſuæ fundamentum, ita ne Apoſtoli ſcandali occaſionem deſumerent ex ſuis ignominiis, hodie illis oſtendit eam gloriæ lucem, quam per illas fuerat adeptus. Tantum ergo abeſt, quod rubore ſuffunderentur ſequentes illum, vel metuerent verecundiam, quæ nonnunquam propter illius cultum ſuſtinenda eſt, & contemptum, quo ab illis excipimur, qui Mundi placita ſequuntur; Tantum abeſt, quod nobis negotium faceſſat illorum judicium, cenſura, & irriſio, ut in eo gloriam omnem conſtituamus, ut illi ſimiles efficiamur. Adoramus Deum humilem, qui faſtum, ac nitorem divitiarum mundi contempſit, & nos docuit viam, qua pervenitur ad gloriam, eſſe humiliationem, atque exinanitionem. Cur ergo me illum ſequi pudeat? Heu! Sanctus Bernardus exclamat: *non dedignetur homo ſequi, quo præivit Homo Deus.* Credat homo ſibi dedecere, amare, & perquirere quod Deus omnium primus habuit in pretio? Fallacem hanc verecundiam adnectere auſus eſt Mundus humiliationibus Dei. Scandalum hoc, quod deſumitur ex Salvatoris humilitate eſt indigna illa confuſio, quam hodie confundit glorioſa JESU CHRISTI Transfiguratio, quæ nobis aperiens gloriam Sanctæ Humanitatis ſuæ, nos docet omnia eſſe glorioſa, ex quo illam induit, & eadem ſemet exornavit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Superbia efficit, ut ſcandalum ſumamus ex humiliationibus J. C. quibus uſus eſt, ut nos ſalvaret.

Deſumitur etiam ſcandali occaſio ex humiliationibus Dei alio modo, qui eidem eſt etiam contumelioſior; quod videlicet ſuperbia noſtra nobis odium, & horrorem ingerit humiliationum; efficitque ut viam ingrediamur prorſus oppoſitam illi, quam nobis indigitavit, cum tandiu carere voluit propter amorem noſtri debita ſibi gloria; ita ut cum poſſet æque ſalvare nos per honorem, ac per humiliationem, alteram hanc rationem elegit, tamquam aptiorem, & tamquam eam, quæ ceſſura erat in majorem Patris ſui gloriam, & noſtram utilitatem, quemadmodum Apoſtolus inquit: *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Hoc autem Myſterium nos docet in illius poteſtate ſitum fuiſſe in terram deſcendere cum eadem Majeſtate, cum qua tunc apparuit juxta vim vocabuli, quo utitur Sanctus Lucas Evangeliſta: ſed maluiſſe in omnibus fieri ſimilem nobis, & ſe infirmitatibus noſtris ſubjicere, ex quibus ſcandalum non accepit; cum homines ſcandali occaſionem nacti fuerint ex humiliationibus ejus, rati rem indignam fuiſſe electionem hujus medii, quod ab eorum ſtudiis maxime abhorrebat. Ita ut enim hoc pacto ſibi conciliaret amorem, ac animum gra-

Ad Hebr.

Luc. 9.

tum

tum plerorumque mortalium, eiſque ſuaderet pomparum, ac honorum mundi hujus abnegationem, quemadmodum ipſe propter illos fecerat; illi ſummo cum fervore volunt quidem ejus Magnitudinem, potentiam, & gloriam imitari; ſed horrent medium, quod ipſe inſtituit, & quod ipſe ſibi elegit ad id, quin cogitent in hoc ipſo illum aperuiſſe nobis amoris ſui Magnitudinem, cum ſe privaverit ea gloria, qua facile gaudere poterat, quandoquidem ſibi naturaliter erat debita, ut nobis oſtenderet quo pacto nobis promerenda eſſet, & acquirenda. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Nullum fuit jucundius, vel curioſius Spectaculum illo, quod in Thabor viſum eſt.

Nullum unquam fuit ſpectaculum ſeu jucundius, ſeu aptius vel ad noſtræ ſatisfaciendum curioſitati, vel ad noſtram fovendam pietatem illo, quod in Thabor viſum eſt; ibi adfuit quidquid ſacratius, atque venerabilius latet in Lymbo, videlicet anima Moyſis, quæ de ſubterraneis revocata locis, ubi retinebatur, alienum corpus induit, & illum informat. Nec deſuit quidquid amabilius in terra invenitur: Elias nempe, qui ex eo deliciarum loco, ubi uſque ad ſæculorum conſummationem permanſurus eſt, repente fuit tranſlatus in Thabor. Ibi quoque inventum eſt, quidquid auguſtius, atque adorabilius adeſt in Cælo; ibi enim tota ſeſe prodit adorabilis Trinitas, inquit Angelicus. Pater in voce, quam emittit, Spiritus ſanctus in nube lucida, & candenti, quæ illi eſt pro throno, & Filius in gloria ſuæ humanitatis; gloria quæ cum hactenus ſeſe continuerit in anima Hominis-Dei, quin unquam reſiliret in corpus, ſeſe in illius faciem, ac veſtes effundit: gloria cujus effuſio parit adeo vivum, nitidumque lumen in monte ut tres illuc adducti diſcipuli corruant in terram ſancto terrore capti ad novi hujus ſpectaculi intuitum, non aſſueti ad tanti luminis fulgorem ſuſtinendum. *Ex Sermonibus Moralibus tomo ſecundo.*

Spes Cæleſtis gloriæ cujus figura eſt Transfiguratio excitare nos debet ad ſervanda mandata Dei.

Secura tantæ gloriæ expectatio, quanta eſt Cæli gloria, valida ratio eſt ad nos excitandos, ut Dei mandata ſervemus. Hac via uſus eſt Dominus noſter ad inflammandos Apoſtolos ſuos ad difficillima Religionis præcepta obſervanda, quale illud eſt ſemetipſum abnegandi; & hæc quoque via eſt, qua utitur adhuc, ut nobis ſuadeat amorem noſtrorum officiorum, eorumque amaritudinem mulceat. Quippe in

Matth. 11. 30.

Evangelio aſſerit, jugum ſuum *ſuave eſſe, & onus le-*

1. Joann. 5.

ve ; & ſanctus Joannes Apoſtolus inquit, *mandata ejus gravia non ſunt.* At quid efficere poteſt ſuave, & leve Jugum Salvatoris? Quid prohibere poteſt, ne mandata illius gravia, & dura nobis videantur; niſi adſpectus æternæ hujus gloriæ, quam certi ſumus nos aliquando poſſeſſuros eſſe, ſi in hac fluxa, mortalique vita aliquam nobis vim inferre voluerimus? Sanctus Paulus ait, nos repleri gaudio, & conſolatione propter certam ſpem æternæ beatitatis. *Spe*

Rom. 12. 12.

gaudentes, & ſanctus Auguſtinus nobis oſtendit eum, qui ſæculi deliciis abrenuntiat, ut Deo ſeſe prorſus devoveat, mutare genus voluptatis; neque enim illi voluptates omnino auferuntur, ut vulgo putatur, ſed tantummodo permutantur. Verum igitur eſt, ex Auguſtino, poſſe a nobis veras guſtari delicias, ubi noſmet ſanctis Chriſtianiſmi legibus conformemus. Quinam eſt fons deliciarum, quas Fideles inveniunt in fideli mandatorum Dei obſervantia? Audite ſequentia ſancti Auguſtini verba, & diſcetis, ſpem bonorum, quæ expectamus majorem in anima Chriſtiana lætitiam parere, quam mundani in voluptatum ſuarum perfruitione percipiant. Deliciæ, quas in hac vita nanciſcimur in Deo, nondum reales ſunt, ſed tantum in ſpe; ſed hæc ſpes adeo certa eſt, ut omnibus mundi deliciis ſit præferenda. *Lambert in anno Evangelico, tomo ſecundo.*

Sancti in Cælo retinent eamdem animam, & corpus quod habebat in terra, non autem eaſdem qualitates.

Sancti in cælo eamdem habent animam, & idem recipient corpus, quod habebant in terra; ſed nitor hujus animæ corporiſque non erit amplius idem. Anima hæc in terris deformata erat per concupiſcentiam ſæculi, ſanctus Auguſtinus ait; forma divina, quam habebat quatenus prædeſtinata in mente Dei, videbatur obliterata, & quodammodo annihilata labe peccati: in mente illius nihil erat niſi ignorantia, vel dubitatio; in corde nihil niſi frigus, & perturbatio, & in memoria nihil niſi metus, & illuſio. Ecce igitur anima miſera, mirum in modum deformata, ſed in cælo ſtatum mutabis non mutata natura; videberis in vera tua forma, ab omni peccato immunis, confirmata in gratia, ſimilis Deo, per privilegium facta, quod Deus eſt per naturam, & quod in Transfiguratione ſua videbatur eſſe. *Ex Sermonibus Moralibus.*

Corporis ſtatus mutabitur non ſecus ac animæ.

Corporis ſtatus ſtatum animæ ſequetur. Corpus hoc erat corruptibile, & induet incorruptionem; infirmum, & convaleſcet; animale & per conjunctionem cum anima fiet ſpiritale; contemptibile, & reſurget in gloria, eritque Sole ipſo nitidius. Hanc proprie beatorum corporum gloriam JESUS CHRISTUS oſtendere voluit in ſua Transfiguratione. Nam ſicuti claritas, quam nobis hoc Myſterium repræſentat, ſola qualitas eſt perſonæ in ſe ipſa conſideratæ, ſanctus Thomas inquit, cum impaſſibilitas, ſubtilitas, & agilitas ad illum minime referantur niſi ratione actionis, ac motus ipſius: JESUS CHRISTUS voluit nobis tribuere imaginem quamdam perfectionis corporum glorioſorum per hanc adorabilem qualitatem, quam in corpore ſuo ſuper Thabor recepit. Suam oſtendit ſubtilitatem de Matris utero egrediens, agilitatem ſuper aquas incedens, impaſſibilitatem de manibus inimicorum effugiens; unus reſtabat actus, quo ſuam nobis aperiret claritatem, quæ ſola eſt qualitas ejuſdem inhærens perſonæ; quod efficit in Transfiguratione, in qua dicere potuit Patri ſuo, ſe illam nobis communicare, quam ab illo receperat. *Claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis. Ex Moralibus Sermonibus tomo ſecundo.*

D. Thom. 1. p. q. 45. art. 2

Quod J. C. nobis innuere voluit per Transfigurationem, præſertim Mundi placatis adverſatur.

JESUS CHRISTUS ſemet transformans docere nos voluit, nos a terrenis rebus omnibus avellendos eſſe ut cæleſtia tantummodo cogitemus. Sed mundi ſectatores alia inſiſtunt via, ut ſuaviorem efficiant Dei legem. Eam immutant, corrumpunt, deformant. Cum minime velint actiones ſuas Dei legibus conformare, ſtudent Dei leges conformare affectionibus ſuis, & quin dirigant corrupta ſtudia ſua ad divinæ regulæ normam, regulam inflectunt, ut cum incompoſitis ſtudiis ſuis concilient. Nonne funeſtum hoc ſecretum mitiorem efficiendi legem Dei illam corrumpendo efficit, ut tot Chriſtiani nullis agantur ſtimulis, inter flagitia ſua, & ſibi etiam perſuadeant, vitam ſuam conformem eſſe ſanctis regulis Religionis noſtræ? Modus, quo homo hic ditatus eſt, illum multo tempore agitavit, ac ſcrupulis mentem ejus replevit; ſed nihilominus meditando, & cogitationes ſuas acuendo, nacta eſt benigniora conſilia, ut aliena retineret bona, nec reſtitueret opes, quas debet ſuis fœnoribus, & injuſtitiis. Hæc otioſa vita in nihil agendo occupata; vita hæc mollis, & iners re adhuc integra mundanæ huic mulieri negotium faceſſere viſa eſt; viſa illi quidem eſt legibus & ſpiritui Chriſtianiſmi parum conformis; verum cum illa adduci non potuerit, ut vitæ rationem inflecteret fallacibus innixa principiis, diſſipavit ſcrupulos ſuos, ac tandem ſibi perſuaſit, ſe poſſe quoddam fœderis, & reconciliationis genus ſtatuere, in quo ſinguli de jure ſuo remitterent aliquid. Hoc pacto tranquillitatem adepta eſt, & contigit illi diſſenſionem tollere, quam hinc quidem Leges Dei, inde vero incompoſita ſtudia ſua pepererant. Rationes directoris hujus nihil diſſimulantis, & deducentis animas ſecundum placita Evangelii ſolidæ quidem videbantur, verum cum timeat, ut illi parere cogatur, firmus hic deſeritur director, & alius inquiritur commodior, indulgentior, qui viam cæli ſternat faciliorem. Decipi volumus, & juſta ultione patitur Deus nos decipi; mentiri aſſueſcimus, mendacium veritatem putamus, in errore perſeveramus. Cogitamus ne Deum probaturum eſſe intentiones omnes, quas malignus ſpiritus nobis ſuggerit ad corrumpenda puriſſima Evangelii dogmata? Commentitiis hiſce exceptionibus ſuffultum vitium erecto progreditur capite, & nonnunquam etiam Virtutis nomen vindicat ſibi. Ambitio magnarum animarum ægritudo eſt; avaritia honeſta vocatur œconomia, pernox aleæ furor legitima animi refectio, commercia, quæ pariunt, vel fovent impurum ignem, ſolatia ad mentis acumen oſtendendum utilia: hæ ſunt ambages, quibus utuntur homines ad leniendam legem Dei, ad conciliandam non eorum voluntatem divinæ huic legi, ſed legem Dei eorum voluntati, ſpe illecti fore ut poſtquam gaviſi fuerint tranquille omnibus vitæ hujus bonis, poſt hæc æternis etiam præmiis perfruantur. *Lambert in anno Evangelico tomo ſecundo.*

Ex Transfiguratione J. C. cognoſcimus quid ſit gloria ſanctorum.

JESU CHRISTI Transfiguratio non ſolum oſtendit, quid ſit in ſe gloria Sanctorum, verum etiam oſtendit, quid ſit hæc gloria habita ratione noſtri; vel ſi mavis me apertius loqui, non ſolum Transfiguratio JESU CHRISTI imago eſt gloriæ Sanctorum; eſt etiam pignus; & cogitantes Deum-hominem Transfiguratum in Thabor, in illo cognoſcimus omnia jura, quæ habemus in cælo. Ubinam nactus ſum Veritatis hujus probationem? In noſtro Evangelio. Si enim voluit JESUS CHRISTUS Moyſem, Eliam, Petrum, & Joannem teſtes eſſe Transfigurationis ſuæ, nequaquam putetis eos otioſos fuiſſe ſpectatores cæremoniæ, cujus eſſent expertes. Noluit illuc Angelos acceſſere, Patres inquiunt, quia vere ad illos non ſpectabat Myſterium; homines tantum adeſſe voluit, ut in ejus perſona videremus jura, quæ habemus ad cælum; ut timores noſtros ſedantes ex divini hominis Transfiguratione lætiſſimum perciperemus auſpicium illius, quæ fiet aliquando de nobis in cælo; ut per hoc in terra, tutaque bonorum futurorum ſpe viveremus; ut in humanitate ſimili noſtræ, ſed glorificata diſceremus, quid evadere poſſumus; & membra ſperarent aliquando in partem acceſſura gloriæ, quæ in capite ſuo præceſſerat: *Ut ejus ſibi honoris conſor-*

tium

tium membra promitterent, qui in capite præceſſiſſet. Sermones Morales Tomo 2.

Idem ſequitur argumentum.

Accidit neſcio quid hodierna die ſimile in Thabot. Omnes Bibliorum paginæ plenæ erant promiſſionibus, quibus pollicitus erat Deus hominibus ſe illis gloriam ſuam eſſe daturum. Vos eſtis populus meus, & ego Rex ero veſter; vos filii mei, & ego pater veſter ero; vos eritis obſervatores legis meæ, & ego merces veſtra magna nimis. Modo illos in ſe bene ſperate jubebat; ne animos deſponderent ſemet illis oſtenſurum; ſed hæc erant promiſſa, & ex his verbis conſolatione plenis nullum fere pignus habebamus, quod contra timores nos certos faceret. Quapropter Prophetæ exclamabant: Mitte, quem miſſurus es nobis: Salus Iſrael non cunctetur accedere, terra germinet Salvatorem ſuum; & oculis noſtris videamus Dominum noſtrum, caput noſtrum, auctorem gratiæ noſtræ, & gloriæ noſtræ conſummatorem. *Ibidem.*

Dei Juſtitia digната eſt Apoſtolorum vota adimplere.

Dei Juſtitia in fide præſtanda fidelis dignata eſt indulgere votis Sanctorum Apoſtolorum, cumque mihi fingo Moyſem, Eliam, Petrum, Jacobum, & Joannem in Thabot conſiderantes JESUM CHRISTUM transfiguratum, mihi videtur Pater Æternus illis oſtendere voluiſſe in glorificata Verbi ſui humanitate Verbi ſui, naturam ſimilem naturæ ipſorum: *Similis natura ſpectatores fecit*, ut viderent in illa, quod nondum viderant, Mediatorem Dei, & hominum in gloria ſua Deum Hominem, qui quatenus Deus ſupremum eſt bonum eorum, quod ad eos pertinet quatenus homo, & quod in duabus hiſce naturis præſentia, & veritate ſua replet, quod nondum niſi in figura fuerat conceſſum. Tunc enim licebit nobis exclamare: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Cum caput noſtrum gloria renideat, poterit ne relinquere membra ſua in pulvere, & ignominia? tunc videntes JESUM CHRISTUM in Majeſtate triumphi ſui noſmet conſolari debemus *in ſpe vocationis noſtræ*, & reſpicere nos *tamquam filios Dei, & cohæredes Filii ſui. Ibidem Tomo 2.*

Geneſ. 2.

Moyſes, & Elias loquuntur cum JESU de doloribus paſſionis ipſius.

Moyſes, & Elias cum JESU CHRISTO verba faciunt de exceſſu, quem completurus erat in Jeruſalem, de exceſſu ingratitudinis, nequitiæ, perfidiæ in hominibus, qui illum ſuffixuri erant Cruci; de exceſſu juſtitiæ, ſeveritatis, derelictionis in Æterno Patre, qui traditurus erat Filium ſuum voluntati inimicorum ſuorum: de exceſſu obedientiæ, & amoris, ſed præcipue, & magis ad litteram, patientiæ, ac paſſionis in eo mortis genere, ubi ſinguli æque contumelioſa ſunt, atque crudelia: *Loquebantur de exceſſu.* Quam pulcrum erat audire Moyſem, & Eliam cum JESU CHRISTO, de hoc exceſſu loquentes! Quantum venuſtatis, ac ponderis habebant hæ collationes in ore duorum hominum, qui per jejunia ſua, fugis, perſecutiones, manſionem in deſerto, vitæ auſteritatem, & pœnitentiam gloriari poterant, ſe, antequam JESUS CHRISTUS juſſiſſet eos, qui eum ſequi vellent, crucem ſuam bajulare, ſe jam magnum hoc præceptum impleſſe: *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Poſt hoc oraculum verbis adeo perſpicuis conceptum, & poſt talium exemplorum auctoritatem, non video, quomodo ſperare aliquis poſſit ſe iturum in Cælum, quin amplectatur pœnitens, & mortificatum vitæ genus, quod illud proprie eſt, quod Crucem ferre dicimus. *Ibidem.*

Marc. 8.

Transfiguratio corporum noſtrorum fiet ſecundum exemplum Corporis J. C.

Transfiguratio corporum noſtrorum in Cælo facienda eſt juxta exemplar glorioſi Corporis JESU CHRISTI, quia ſimul omnes unum, idemque corpus faciemus in gloria, quemadmodum unum tantum in terra componimus. Si igitur Corpus JESU CHRISTI in arbore Crucis deformatum eſt antequam conformaretur in gloria, quemadmodum S. Bernardus ait in piis ſententiis ſuis; videlicet ſi reductum fuit per ignominias, & paſſiones, antequam obtineret hanc impaſſibilitatem, & claritatem, quam habet in Cælo, & cujus ſymbolum eſt Thabot; opus eſt ut potiori jure corpora noſtra affligantur ſub pondere mortificationis, & pœnitentia atque Cruces deforment ea, ut JESUS CHRISTUS eorum vicem miſeratus reformet illa, & quodammodo illa reddat gloriæ ſui Corporis ſimilia. Heu! ſi rite aſſequeremur has maximi momenti Veritates, ſi audiremus præclara dogmata, quæ Dei Spiritus tradit nobis hac de re in Scripturis ſanctis, quam beati eſſemus, & quantocyus vitæ rationem permutaremus! Sed heu! Philautia nobis ſenſus ingerit prorſus oppoſitos; nullum volumus ex mediis, a quibus noſtra pendet felicitas, & per funeſtam cæcitatem, quantacumque flagremus cupiditate gaudendi Deo in Paradiſo, noxie recedimus a viis, quæ illuc adducunt. *Morales Sermones Tomo 1.*

De Cæli felicitate, quam ſperamus.

Cur mihi non licet levem vobis proponere imaginem ineffabilis ejus felicitatis, quam Deus promittit juſtis, qui propter Ipſius amorem pertulerint? cur mihi non licet auferre velamen, quod vobis abſcondit Deum Majeſtatis, qualis eſt? Quam utiles vobis viderentur vitæ hujus calamitates, ſi earum adeo præclaram mercedem intueremini. Quantopere diligeretis paupertatem, quam tantæ ſequerentur opes; & paſſiones, quæ tot voluptatibus; & humiliationes, quæ tanta dignitate exciperentur? Sed quomodo nam fas mihi ſit innuere, quæ animo concipere nefas eſt? Etenim, S. Auguſtinus ait, in unum colligite objectum omnis creatarum rerum pulcritudines, hæ nunquam Sanctorum felicitatem æquabunt: nam ſi hæc eſſet felicitas, nunquam illam animo vobis fingere potuiſſetis; fieri enim nullatenus poteſt, ut in cor hominis aſcendat. Aliquot beatificæ gloriæ radii refulgent in Corpus JESU CHRISTI transfiguratum in Thabot; & ecce S. Petrus ſui non compos, in extaſim rapitur; lætitiæ magnitudo judicium ejus perturbat, loquitur ſine ordine, ſine animadverſione, neſciens quid ſibi velit. *Neſciebat quid diceret. Abbas du Jarry.*

Quænam erat diſpoſitio Filii Dei, ubi transfiguratus fuit, quomodo transfiguratus fuit, & qualis fuit ſtupor Apoſtolorum.

JESUS CHRISTUS transfiguratus fuit dum preces effunderet. Quibus verbis utar, ut vobis oſtendam eam lucem, qua circumfuſus enituit Transfigurationis momento! Dux populi Dei, quo tamquam Organo uſus eſt Omnipotens, ut legem ſuam evulgaret; Sancte Propheta Elias æque commendabilis propter ſecretas Dei communicationes, ac propter eminentem potentiæ ſuæ partem, quam tibi elargitus eſt; Sancti Apoſtoli, vos omnes qui teſtes fuiſtis gloriæ Salvatoris noſtri, enarrate nobis, quid vidiſtis illa die lucis, atque ſplendoris! judicium ferte ex iis loquendi rationibus quibus utitur Eccleſia admirabile hoc prodigium oculis veſtris exhibitura. *Et reſplenduit facies ejus ſicut Sol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* Nihil in natura eſt Sole nitidius; nihil eſt, cujus albedo ſit conferenda cum nive. Tamen mihi perſuadeo has Scripturæ locutiones leviſſimam eſſe imaginem ſplendoris gloriæ illius, qua Dei Filius circum amictus apparuit. Quinam fuit ſtupor Apoſtolorum! Sanctus Petrus, quemadmodum teſtatur S. Marcus, neſciebat quid diceret: *Faciamus hic tria Tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Quid dicis Apoſtole? vix momentum exceſſit, ex quo confeſſus es JESUM eſſe CHRISTUM Filium viventis Dei; modo Dominum a ſervis ſeparaſti; & modo omnes confundis? Apoſtoli omnes, ex Matthæo, ceciderunt in faciem, & timore magno conterriti ſunt. Quæ ſimul portenta! Moyſes de tumulo egreditur; Elias in ictu oculi rapitur in Montem; Cælum aperitur; auditur vox tonitru terribilior. Terra, Cælum, mortui, Prophetæ, Pater Æternus, omnia conſpirant ad celebrandam gloriam illius, qui hactenus Magnitudinem ſuam tenebricoſa ſanctæ Humanitatis ſuæ caligine celaverat. *Annus Evangelicus Lambert Tomo 2.*

Cur deligantur Moyſes & Elias futuri ſpectatores triumphi Filii Dei.

Judæi jugiter exprobrabant JESU CHRISTO, quod legem tranſgrederetur. Illum blaſphemiis petebant; aſſerebant ipſum falſo ſibi vendicare qualitatem Filii Dei, quam ad ipſum nequaquam pertinere dicebant. Homo hic, dicebant Judæi, non eſt Deus, quia Sabbatum non obſervat: & alibi: Lapidamus te non propter opera tua bona, ſed propter blaſphemias tuas, quia cum homo ſis, facis te ipſum Deum. Salvator oſtendere vult utramque criminationem hanc proficiſci ex Judæorum invidia; ſe ab utroque crimine vacuum eſſe, ſe legem non violare, neque ſibi acceptum referre gloriam non ſibi debitam, dicens ſe Patri ſuo æqualem. Hujus rei duos adfert teſtes irreprehenſibiles, ac Judæis minime ſuſpectos. Cum Moyſes legislator fuiſſet, Judæi dicere non poterant Prophetam hunc voluiſſe teſtimonium perhibere illi, qui ejus perfractor fuiſſet, & qui apertiſſimus fuiſſet inimicus mandatorum, quæ ipſe Dei Nomine olim evulgaverat. Cum Elias ſemper ardentem prætuliſſet zelum gloriæ, & cultus Dei, nequaquam imperiis Salvatoris noſtri paruiſſet, ſi hic adverſatus fuiſſet Deo, ſi Deo parem ſe præſtare voluiſſet, & ſibi per maximum ſcelus vindicare gloriam, cujus tanto zelo flagrabat Sanctus Propheta, dum cum hominibus verſaretur. *Lambert in anno Evangelico Tomo 2.*

Cur J. C. transfiguratus fuerit in Monte.

JESUS CHRISTUS in monte transfiguratus eſt, ut oſtenderet Apoſtolis excellentiam gloriæ, quæ illis erat promiſſa, & ut illos excitaret ad leges ſervandas ſpe hujus gloriæ. Dei Filius vult nos eumdem fructum percipere ex Myſterii hujus meditatione. Vult nobis adſtruere ſublimem conceptum gloriæ hujus, quæ nobis præparata eſt; Vult etiam certa gloriæ hujus expectatione ad mandatorum ejus obſervantiam animari. Satis æſtimare vobis non licet magnam mercedem ad quam anhelare vobis licet. Ut nobis ſummi hujus boni magnitudinem exhibeam, ſatis eſſe puto, ſi dixero ea, quæ hodierna die accidunt in Thabor, non aliud eſſe, quam figuram, vel umbram æterni boni, quod Beati poſſeſſuri ſunt, ubi peregrinationis hujus tempus acceſſerit. In nobis eſt, ſi voluerimus, videre JESUM CHRISTUM in gloria; illum videre poſſumus, non quidem ut tres illi Diſcipuli in monte, ſed modo longe auguſtiori videbimus illum pro Tribunali ſedentem ad dexteram Patris. *Idem.*

Erat

Rationes, quæ Dei Filium coegerunt, ut ſe coram Diſcipulis ſuis transfiguraret.

Erat quodammodo neceſſe; ut Dei Filius ita ſeſe gereret cum diſcipulis ſuis; nam quemadmodum illis promiſerat, fovebant cogitationes, & conſilia fluctuantia, quæ innitebantur expectationi boni inviſibilis, & abſentis; nihil minus requirebatur quam glorioſum Transfigurationis Myſterium, ut illis jucunda fieret bonorum præſentium jactura lucro certiſſimo futurorum. Nihil minus requirebatur, quam tanti, adeoque manifeſti exempli auctoritas ad illos a Mundi amore avellendos, ad illis conciliandum perſecutionum, & paſſionum amorem, ad corrigendam in illis funeſtam hanc judicii corrupti occupationem, qua præferimus quidquid a nobis videtur, & poſſidetur bono, quod ignotum eſt, incertum, & quod nondum tenetur. Quamobrem ſicut Deus, qui olim excitaverat Iſraelitas ad acquiſitionem telluris promiſſæ, quamvis illis tot tantaque jam illis prædixerat, voluit tamen, ut per intervalla detegeretur illis area fœderis, donec in deſerto commorati ſunt, ne quid negotii illis faceſſeret expectatio mercedis noviſſimæ, cujus arca pignus erat: ſimiliter, quamvis JESUS CHRISTUS ſuis pollicitus eſſet Regni ſui poſſeſſionem, tamen ſecum aſſumpſit Petrum, Jacobum, & Joannem, eiſque oſtendit viventem hanc novi fœderis arrham in ſplendoribus Majeſtatis ſuæ in Thabor, ut ad conſpectum gloriæ, quam ſe daturum ſpoponderat ſequentibus ſe, recentes conatus exererent ad eam acquirendam; ſuperarent omnes obices, qui zelum eorum vel minuerent, vel retardarent; lætarentur etiam, ſi quæ ipſis ingruerent mala; quandoquidem in Cælo reſervabatur illis merces magna nimis. Ita fecerunt tres illi dilecti, & fideles ſocii laborum JESU CHRISTI. Joannes illum ſecutus eſt in Calvarium, ut teſtis eſſet, & audeo dicere, ſocius illius Sacrificii. Jacobus primus fuit ex numero Apoſtolorum, qui propter illum mortem ſubiret: Petrus ut illum tueretur, gladium ſtrinxit, audacter occurrit Romanis Imperatoribus, & capite in terram verſo cruci ſuffixus fuit, quaſi hoc ſitu corporis innuere vellet, ſe animam ſuam efflare pro parente, Dominoque ſuo, qui in Cælo eſt, de quo ille cum gaudio videt in ſitu hoc inverſo venientem ad ſe ejus patientiam, atque conſtantiam. Hujuſmodi fuerunt actiones, & generoſa ſummorum illorum Virorum conſilia. Rebus, quas viderant, admirabilibus animati, ſibimet in perſecutionibus, quæ in eos excitabantur, repræſentabant glorioſam Magiſtri, Dominique ſui Transfigurationem: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem* pro illo, qui factus fuit Patribus noſtris, inquit hic Princeps Apoſtolorum, *& hanc vocem audivimus de Cælo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte Sancto. Ex Moralibus Sermonibus Tomo 2.*

2. Petri 1. 18.

Gloria, qua amictus fuit Salvator in Transfiguratione ſua, ita affectus fuit S. Petrus, ut Apoſtolus id unum quæſiverit, quomodo eam ſibi certam faceret voluptatem, qua fruebatur: *Bonum eſt nos hic eſſe; Faciamus hic tria Tabernacula*. Potuiſſet ne ille ſatis ſui compos eſſe, ut unice cuperet in æternum ea frui beatitudine, quam detegebat? Societas Magiſtri adeo liberalis, ac magnifici, in ſplendoribus gloriæ ſuæ, nihil illi, ut videtur, optandum relinquebat: Tamen Sancti Lucas, & Matthæus aſſerunt, S. Petrum ignoraſſe quod dicebat: *Neſciens quid diceret; non enim ſciebat quid diceret*. Ita illectus erat objecto, quo ſenſus illius perfruebantur, ut nihil ſibi ſupereſſe crederet optandum. Tamen ille erat adhuc in terra; ſancta Filii Dei humanitas ſola omnem illius oblectationem conſtituebat; adhuc Cælum illi expectandum erat: optandæ, ſperandæque illi erant deliciæ ineffabiles, quas ipſius Divinitatis adſpectus in beatam animam poteſt effundere; *Neſciens quid diceret*. Non equidem miror, Apoſtole, quod tibi ſtuporem incutiat ſpectaculum, quod tuis oculis ſe ſubjicit; ſed non cogitas hunc levem eſſe radium ejus ſpectaculi, quod tibi Dominus præparat in regno ſuo? In Cælum tibi ferendi ſunt oculi, & vota. Heu! Auditores, ſi umbra Paradiſi in extaſim rapere poteſt animas magnas, quid efficient ea, quæ nobis Paradiſus pollicetur? Immarceſcibiles pulcritudines, opes immenſæ, æternæ voluptates, quas Paradiſus complectitur, nos non movebunt? & ſemper in illius amittendi periculo verſabimur? Conemur hodierna die nobis aliquam hujus Paradiſi imaginem fingere, in quo Deus oſtenſurus eſt omnes theſauros ſuos, nobiſque omnia bona ſua communicaturus, ac nos ſui ipſius poſſeſſores effecturus. *Sermo Patris in Peſſo Tomo 2.*

Voluptas, qua interfuit Sanctus Petrus tempore Dominicæ Transfigurationis.

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE RESURRECTIONE FILII DEI.

De Salvatoris ſepulcro, & vigilibus oppoſito ne auferretur.

PRINCIPES Sacerdotum, & Phariſæi obſignari voluerunt Salvatoris ſepulcrum, ibique Pilato conſentiente excubias exerceri, ne illius Diſcipuli inde exanime corpus auferrent, & ipſum reſurrexiſſe evulgarent. Hæc præcautio non ſolum inutilis fuit, verum etiam plurimum contulit ad Reſurrectionis veritatem confirmandam, ſimulque oſtendendam magnitudinem potentiæ Filii Dei. Si homines illi crudeles æque ac inſipientes nequaquam egiſſent cum Pilato, ut quam diligentiſſime ſepulcrum illud cuſtodiretur, dicere forſitan potuiſſent, cum corpus non inveniretur amplius in tumulo, illud ablatum fuiſſe a Diſcipulis ejus; quod a veritate non abhorrere videri poterat, & nemo aſſerentibus fidem non habuiſſet. Sed cum omnia præcaverint, ſepulcrum obſignaverint, milites ad excubandum adhibuerint, quis credere potuiſſet, hos Diſcipulos, quos non latebant ſuſcepta conſilia ad prohibendum, ne ſanctiſſimum pignus ab illis eriperetur, auſos fuiſſe hujuſmodi facinus? qui etiamſi in eam mentem, ac voluntatem incidiſſent, quomodo id exequi valuiſſent? Hoc omnibus cordatis viris nunquam in mentem aſcendet; & quidquid Judæi conati, ut celarent JESU CHRISTI reſurrectionem nihil profuit, niſi ut illam efficerent celebriorem: quippe verum erat, neque ambigi poterat, JESUM CHRISTUM ex eo ſepulcro evaſiſſe per non vulgarem potentiam, ſed per verum miraculum, cujus nullam partem homines ſibi poterant vindicare. Itaque miſerorum diligentia in irritum ceſſit; immo eam confirmarunt veritatem, quam ſtudebant evertere, ac dicere poſſumus, illos ſibi aditum omnem præcluſiſſe ad fucum, coloremque allinendum calumniæ, quam evulgare conati ſunt, corruptis argento cuſtodibus, quibus perſuaſerant, ut in vulgus diſſeminarent, Diſcipulos noctu impetu facto, & ſe dormientibus corpus abſtuliſſe. Ecce quomodo ſe ſe prodit iniquitas, & in ipſorum cedit opprobrium. Ita eorum ſe prodit perfidia in verſutiis, & malis artibus, quibus uſi ſunt prohibituri, ne ab aliis cognoſceretur, ſecundum illa Prophetæ verba: *Mentita eſt iniquitas ſibi*; & ſæpe peccatores ſemetipſos damnant iis artibus, quibus ſcelus ſuum celare admituntur. *Abbas Trappenſis in Moralibus Animadverſionibus in Evangelium Sancti Matthæi.*

Pſalm. 26.

Sacerdotes, & Phariſæi, qui ſciebant Angelum de Cælo ſuper ſepulcrum deſcendiſſe, atque amoviſſe lapidem, quo claudebatur, & cuſtodes inde lethali terrore correptos fuiſſe, alteri ne, quam divinæ potentiæ hoc acceptum poterant referre? Poterantne non videre, portentum illud opus eſſe manus Dei? Quis non crederet potius illos hoc perculſos miraculo, oculos aperuiſſe, & criminum ſuorum egiſſe pœnitentiam? & quin ſatellites fallere, & argento corrumpere cogitarent, ut dicerent, ac teſtarentur hujus hominis crucifixi diſcipulos adventaſſe, cumque illos ſomno captos inveniſſent, ſepulcrum aperuiſſe, & corpus abſtuliſſe. Inauditum hoc factum, quod eorum cæcitati finem erat allaturum, tenebras auxit, & dubitandum non eſt, quominus novum hoc ſcelus, & nova calumnia pondus adjecerit eorum iniquitati, & illos quam antea fecerit nocentiores. Hic effectus eſt præoccupationis horum perfidorum; improbitas altas in cordibus eorum jecit radices, quæ non niſi cum illis interibit, & inde nunquam emerget. Secundum hunc animi affectum, licet execrabilem, plerique mortales vitam inſtituunt ſuam, impreſſiones, quas ſemel imbiberunt, non delentur, immo roborantur iis omnibus, quæ accidunt in via; & quin imminuantur, efficiunt, ut injuſtus perſeveret in injuſtitia ſua, avarus in effræni opum acquirendarum libidine, impudicus in impudicitia, infidelis in perfidia, ita ut videantur non poſſe æqui bonique facere monitum, amplecti conſilium, aures præbere rationi, quæ oculos eorum aperiat, eoſque de ipſorum eripiat cæcitate. *Idem.*

Cæcitas Sacerdotum, & Phariſæorum non intelligentium eum quem interfecerunt reſurrexiſſe.

Ut cum Patribus loquar docentibus, quamvis JESUS CHRISTUS ſit Deus ſimul, & homo, tamen Divi-

Mors J. C. illum hominem

Eſſe oſtendit & Reſurrectio Deum.

Divinitatem ſuam, dum viveret, abſorptam quodammodo fuiſſe in humiliationibus humanitatis ſuæ; e contra vero in Reſurrectione ipſius, quamvis Deus ſimul & homo ſit, humanitatem ejus abſorptam fuiſſe in gloria ſuæ Divinitatis: Veritas Mortis ejus oſtendit illum hominem eſſe contra Marcionitas; & veritas Reſurrectionis illum contra Judæos probat eſſe Deum. Moritur; hoc hominis eſt: reſurgit; hoc Dei eſt, non quidem in hoc ſenſu, quod qui mortuus eſt alius ſit ab eo, per quem hic mortuus reſurgit, quoniam eadem caro, quæ vita caret, eſt Deus ipſe, qui reſurgit: ita ut ſi cognoſcitur ſtatus hominis in morte, cognoſcatur quoque natura Dei in Reſurrectione. *Ex Moralibus Sermonibus Tomo ſecundo.*

Licet J. C. corpus in ſepulcro careat vita naturali, perſona Verbi, cui hærebat germen, & vitæ principium animat ipſum.

Qui vidiſſet Corpus JESU CHRISTI in ſepulcro, tormentorum vi ab anima ſeparatum, nonne credidiſſet, carnem hanc mortuam ejuſdem conditionis eſſe, cujus ceteræ, & nunquam futurum, ut reviviſceret? Ita ſane credebant JESUM CHRISTUM inimici, & hoc futurum ſperabant: tamen ſi caro illa caruit triduo vita naturali, quoniam realis fuit animæ, & corporis diſſolutio, divina tamen perſona, Verbi nempe, nunquam ab illa receſſit: Verbum, germen, & principium vitæ. Verbum quod carnem iterum animavit, cui hypoſtatice conjunctum erat, & quod effecit, ut illa refloreſceret, ut loquitur Propheta. *Ibidem.*

J. C. Reſurrectio non ſolum fidem noſtram roboravit, ſed ſpē quoque injecit fore ut nos quoque cum illo reſurgamus.

Ut JESUS CHRISTUS appareret in gloria ſua die Reſurrectionis ſuæ, & a nobis omnem reciperet honorem, & omnem animi grati ſenſum, quem expectabat, non fides tantum, ſed ſpes etiam noſtra illi erat roboranda, inquit Angelicus. Oportebat, ut non ſolum nobis ſuam potentiam oſtenderet reſurgendo, ſed nobis æterna relinqueret documenta miſericordiæ, & fœcunditatis ſuæ noſmet ſecum reſuſcitando. Verbo, oportebat, ut crederemus ipſum Deum eſſe, atque ipſum reſurrexiſſe, ut id crederemus; ſed præterea opus erat, nos credere, eamdem Divinitatem, cujus vi reſurrexerat, nos quoque ſuſcitaturam? utque hanc in nobis firmaret ſpem, quid egit? Ipſe reſurrexit; nec ſatis, plurima etiam corpora reſurrexerunt cum illo, & poſt Reſurrectionem ſuam cum illo viſa ſunt, ad augendam gloriam Triumphi ipſius. Quid egit? cum dixiſſet Sadducæis negantibus Reſurrectionem corporum myſtica verba illa: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium;* quibus verbis probare voluit, Sanctus Joannes Chryſoſtomus ait, Myſterium, quod hodierna die celebramus. Ad hunc effectum deſcendit ad inferos, ac Lymbum, ubi Juſti legis Antiquæ detinebantur; eduxitque eos de ſubterraneo ſpecu, atque poſt ſe captivam duxit captivitatem. Sanſne primum hoc beneficium intelligitis? Cum Mortui venire minime poſſent ad JESUM CHRISTUM, hæc eſt Ruperti Abbatis ſententia, JESUS CHRISTUS, qui illos de captivitate ſtudebat educere, deſcendit ad illos, & ecce quam agendi rationem ingreſſus eſt. Cum mors non ſit aliud quam animæ a corpore ſeparatio, voluit JESUS CHRISTUS, ſeparationem hanc hoc fieri pacto. Corpus ſuum in monumentum, & anima deſcendit ad Lymbum; ſed cum Reſurrectio ſita ſit in iterata duarum harum partium conjunctione, quid accidit? Verbum, quod nunquam receſſit vel ab anima, vel a corpore JESU CHRISTI, utrumque iterum conjunxit; & quoniam corporum reſurrectio, non eſt niſi conſequens reſurrectionis ejuſdem, illius nobis tradere voluit quædam monumenta, volens, ut ſecum quamplura corpora reſurgerent. *Multa corpora cum eo ſurrexerunt;* ut jam in anteceſſum inſtitueret, hæc, quæ Tertullianus appellat, *Auſpicia Reſurrectionis*, quam expectamus. *Idem.*

Matth. 22.

Matth. 27.

J. C. Reſurrectio exemplum eſt ſpiritualis reſurrectionis noſtræ in tribus.

In JESU CHRISTI Reſurrectione tria animadverto, celerem illius exitum de ſepulcro; mortis ſpolia quæ ibi reliquit; recentemque vitam, quam duxit, ex quo inde egreſſus eſt, & ajo tribus potiſſimum in rebus illum nobis exemplo eſſe debere in ſpirituali noſtra reſurrectione. Etenim cur JESUS CHRISTUS tanta feſtinatione e tumulo egreditur? Videlicet, ut doceamur, nos quam primum expedire noſmet ipſos debere ab iis rebus omnibus, quibus in peccato detinemur. Quare poſtquam de ſepulcro emerſit non niſi ad breve aliquod momentum ſuis apparuit diſcipulis? Cur illis ſui amoris teſtitus magnitudinem tam caute cum illis ſe gerit? Ut intelligamus Chriſtianum juſtificatum hominem eſſe prorſus mutatum, & quamvis adhuc in Mundo permanere teneatur, ipſum tamen non eſſe amplius mancipium corruptionis Mundi, non ſapere amplius neque amare terrena, ſed unice inquirere, & amare cæleſtia. Tria præclara præcepta nobis ex hoc Myſterio diſcenda; eximiæ tres ideæ ſpiritualis reſurrectionis noſtræ relatæ ad corporalem JESU CHRISTI Reſurrectionem. *Idem.*

Reſurrectio perfecta nihil terrena decet [illegible] [illegible] poſſidere.

Heu! Quid eſſet, ſi fallax metus, ſi humanæ rationes, vel quidam nexus, per quos Mundo, veſtriſque cupiditatibus inhæretis, prohiberent, ne de peccati ſepulcro egrederemini, vel ſi per judicii perverſitatem, & corruptionem cordis adhuc periculoſiores, crederetis, vos reſurgentes vobiſcum auferre poſſe omnes peccatorum veſtrorum reliquias, & audeo dicere, mortis veſtræ manubias & ornamenta? Quid eſſet, avare, ſi cum JESU CHRISTO reſuſcitare poſſe putares, & adhuc ſervare, non equidem dico ſolum has opes, fructum iniquitatum tuarum, ſed hunc divitiarum amorem, & hanc erga pauperes duritiem? Si velles non dico ſolum in fœnore faciendo perſiſtere, ſed etiam adhæreſcere ſecretæ cupiditati tuæ, quæ fuit in cauſſa, ut ſæpe oblivíſcereris, quid deberes proximo tuo? Quid eſſet, impudice, ſi cum JESU CHRISTO reſurgere velles, ac retinere domi tuæ non dico ſolum Agar hanc cum Iſmaele ſuo; mulierem hanc tot ſcandalorum cauſſam cum filio, ſed hæc epiſtolia, hæc ornamenta, has obſcœnas imagines? Si contenderes adhuc eaſdem fovere neceſſitudines, viſitationes, iiſdem intereſſe ſpectaculis, ſocietatibus innocentiæ tuæ adeo funeſtis? *Idem: Sermones Morales.*

Mutatio Chriſtiani, qui vere reſurrexit, efficit, ut habitus priores abjiciat.

En, Fideles, quid JESUS CHRISTUS reſurgens nos doceat, & idea, quam nobis fingere debemus hujus vitæ recentis, quam nobis aperit in hoc Myſterio. Vivamus quidem cum iis, qui nobis ſunt ſimiles, epulemur cum fratribus, omnia ſocietatis jura ſervemus, eumdem ſimul panem partiamur, quod pacis ſymbolum eſt, hæc facientes id faciemus, quod fecit JESUS CHRISTUS ſuſcitatus a mortuis; verum ſi fratres noſtri nos eſſe putant homines ſæculo, ejuſque inhærentes placitis, ut ipſi, oſtendamus illis eos falli: ſi vivimus, Deum vivere in nobis, non autem veterem Adam, & nos, ex quo reſurreximus, non niſi cæleſtia quærere, & ſapere. Si creaturæ, quæ olim nos pertraxerunt in vivendi licentiam, iterum illuc velint pertrahere; ſi propter criminoſos oculorum noſtrorum intuitus, quos olim in illas conjecimus, prima hac facilitate abutuntur, & nos in voluptates illiciant, efficiantque chriſtianæ mortificationis inimicos, increpemus eas, eiſque dicamus: o inſipientes, quarum cor adeo grave eſt; an neſcitis Chriſtianum pati debere ad exemplum JESU CHRISTI, qui per paſſionem in gloriam ſuam eſt ingreſſus? Explicemus illis Scripturas, & doceamus quidquid illis ſciendum, atque faciendum eſt. Fortaſſe per Domini Miſericordiam ex noſtris monitis, rectiſque exemplis proficient; alioquin ex oculis earum evaneſcere ſtudeamus; quæ ſi adhuc per carnis noſtræ pallium ad ſe trahant, ut Sanctus Auguſtinus ait, nobiſque in auriculam inſuſurrent; cur nos deſeris? nobiſcum mane: Dicamus illis; nolite me tangere, neque enim adhuc aſcendi ad Deum, qui eſt Pater meus. *Ibidem.*

Mirum eſt, non ſiſtere argumentis, quæ ſuppetunt nobis Reſurrectionis Filii Dei.

Piſcatores duodecim univerſo Mundo perſuadere potuiſſe, JESUM a Nazareth reſurrexiſſe, prodigium eſt, quod ſe adhuc integre æque mirum videtur ac illud Reſurrectionis. Sed ubi animadvertimus, homines, quorum nihil intereſſet ſimulare, velle non potuiſſe nos certos cum vitæ ſuæ periculo fallere; homines adeo parum credulos, dum eorum viveret Magiſter, poſt hujus Mortem falli nequiviſſe, eumque a mortuis redivivum credere, quin apertiſſima illis documenta ſuppeterent; denique, homines, qui maxima operabantur miracula ad Reſurrectionis fidem probandam, re ipſa fallere nos non potuiſſe; mirum eſt, incredulos non defuiſſe qui eorum teſtimonio reſtiterint. *Ex Moralibus Animadverſionibus in Acta Apoſtolorum.*

In eos, qui non credunt reſurrectionem Mortuorum.

Mortales ſuperbi, qui Mortuorum reſurrectionem credere detrectatis, quia non intelligitis quo pacto pulvis iterum animari poterit: intelligitis ne, quænam ars abjectiſſimis inſectis motum tribuat? quæ vis in ubertimam meſſem immutet ſemina in ſinu terræ putreſcentia? quæ ſi audetis aſſerere mirabilia hæc opera caſui accepta eſſe referenda, nonne hoc longe difficilius eſſet intellectu? Mihi quidem Domine æque perſuaſum eſt & de infinita magnitudine tua, & de meo nihilo; ſemper inveniam in omnipotentia tua, meaque imbecillitate rationes credendi effectus, quos non potero intelligere. *Ex iiſdem animadverſionibus.*

Ad imitationem Salvatoris reſurgentis in Mundo hoc vivere debemus, quaſi non viveremus.

Quamvis Salvatoris vita ſuper terram ſit uniformis, & omnes circumſtantiæ componentes illam, æque miraculoſam conſtituant: in illa tamen tanta mutatio videtur, ex quo reſurrexit, ut non amplius idem ſepulcro egreſſus, qui illuc illatus fuit, eſſe videatur. Ille, qui viſus fuerat tanta cum familiaritate cum hominibus converſari; occurrere peccatoribus, ſeſe indiſcriminatim ferme cum Publicanis commiſcere: non ſuſtinet amplius ad ſe quempiam accedere; repellit Mariam Magdalenam etiamſi a ſe ſanctificatam; non niſi per leves apparitiones, ac ut plurimum ſub mutuata forma oſtendit ſe Apoſtolis, & amiciſſimis ſuis. Illos alloquitur quaſi abſens, & remotus: *Cum adhuc eſſem vobiſcum.* Illum vident, cum eo loquuntur, & nihilominus ſe non eſſe amplius cum illis ait. Quid hi recentes loquendi modi ſignificant? Luc. 24.

Hæc

Hæc quidem incomprehenſibilia ſunt Judæis carnalibus Myſteria, Chriſtianis vero Spiritalibus maximi momenti documenta. *Sermo 2. Academiæ anni 1677.*

[Rationes propter quas neceſſe fuit J. C. ſurgere.] Qui JESU CHRISTI Reſurrectionem meditari voluerit ſecundum totam ipſius extenſionem, ſubſtantiam, & conſequentia, ibi veritates, remedia, & figuras inveniet. Etenim cur reſurrexit JESUS CHRISTUS niſi ob particularem gloriam ſuam? Hæc prima ratio eſt, ob noſtram juſtificationem; hæc altera, ad exemplum noſtrum; hæc tertia, opus erat ut JESUS CHRISTUS ad nihilum redigeret omnia vitæ ſuæ mortalis opprobria, & probaret Divinitatem ſuam teſtimonio, quod omni exceptione careret; quod utrumque melius facere non poterat, niſi reſurgens, & mortem propria virtute debellans. Opus erat, ut nos de ſervitute dæmonis eriperet, ut nos de peccati cataclyſmo erueret, nobiſque ad æternam vita jura conferret, quod melius præſtare non poterat, quam factus per reſurrectionem ſuam noſtræ juſtificationis principium quemadmodum per mortem factus fuerat victima pro peccatis noſtris. Opus erat, ut ipſi quoque ex nobis per bonæ conſcientiæ teſtimonium præberemus noſtræ juſtificationis indicia, & in via nova ambularemus, quæ omnia facturi indigebamus exemplo ita perfecto, ac duce tuto, qualis eſt JESUS CHRISTUS ab inferis ſuſcitatus. *Morales Sermones.*

Ne putetis, Fideles, ut pluribus argumentis vobis adnitar Dominicæ Reſurrectionis veritatem perſuadere. Poſtquam ipſe vitæ mortalis ſuæ tempore haud dubia nobis præbuit futuræ Reſurrectionis argumenta: poſtquam dixit Apoſtolis ſuis ea, quæ prædicta fuerant de filio hominis, eſſe adimplenda: [Matth. 17.] *Filium hominis tradendum eſſe in manus hominum*, futurumque non ſolum, ut *occidant* eum, verum etiam, ut ille *tertia die reſurgat*; poſtquam hæc omnia ad literam completa fuerunt, & hac de re Apoſtolis, qui tunc nihil intelligebant, omnino perſuaſum fuit; poſtquam pertinaciſſimus eorum, qui Myſterium hoc credere detrectabat, niſi ſenſuum ſuorum accederet teſtimonium, vidit, & tetigit, quod falſo fieri non poſſe putabat: poſtquam non ſolum Thomas, ſed alii quoque Apoſtoli, quos diximus, fuere *teſtes Reſurrectionis JESU CHRISTI*, illam in univerſo terrarum orbe prædicarunt, & propter eamdem tuendam mortui ſunt, inutile videtur tempus abſumere ad probandam veritatem hanc apud Chriſtianos, qui hanc inter præcipuos fidei ſuæ articulos recenſent. Liquet igitur JESUM CHRISTUM vere ſurrexiſſe: ſed ſi hoc verum eſt, ſi Dei unius opus eſt mortuos reſuſcitare, Hominis Dei tantum erat reſurgere. Deus non poterat mori, ideoque nec reſurgere, niſi ſimul eſſet etiam homo; Mortuus homo ſimiliter reſurgere non poterat, niſi ſimul eſſet & Deus; ideoque propter hanc admirabilem cauſſam unus JESUS CHRISTUS jure dicere poteſt: [Pſalm. 3.] *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exurrexi.* Si vitam relinquo, illam ex memet ultro relinquo, & quomodo poteſtatem habeo relinquendi eam, ita poteſtatem habeo illam iterum accipiendi. Verbo humanitas cum Divinitate conjuncta fecit Hominem Deum mortalem, & paſſibilem; & Divinitas conjuncta cum humanitate in ipſo mortis ſinu illum præbuit incorruptibilem. Si ad operandam humani generis redemptionem, paſſus eſt ut externæ cauſſæ agerent in ſe, ut mox reſurgeret; ille quoque egit, non quatenus cauſſa inſtrumentalis, ſed quatenus cauſſa principalis non in externo ſubjecto, ſed in ſemetipſo; quæ privilegia nonniſi ad Deum unice pertinebant. *Idem.*

[Inter cetera Divinitatis ſuæ teſtimonia illud potiſſimum delegit Reſurrectionis ſuæ omnium certiſſimum.] Non igitur mirum, ſi tot inter teſtimonia, quibus poſſet in humanas mentes immittere fidem ſuæ Divinitatis, illud præſertim elegit ſuæ Reſurrectionis: non mirum, inquam, ſi prætulit ceteris hoc teſtimonium; ſi ſæpe, ubi operatus eſt miracula, præcepit ne cui dicerentur; & ſi in Transfiguratione, in qua veritas, & gloria majeſtatis ſuæ illuxerant vetuit, ne diſcipuli ſui de hoc Myſterio colloquerentur, donec a morte reſurgeret. Nunquid ex ægrotantium curatione, ex elementorum mutatione, ex oculorum acie cæcis reddita, & mortuis vita reſtituta, immo etiam ex iis admirabilibus, quæ in monte Tabor evenerant, inferri non poterat Ipſum eſſe Deum? Profecto poterat, verum perinde ac omnia hæc teſtimonia, etſi adeo ad perſuadendum aptiſſima, nondum ſufficerent, & aliquid ulterius in hujuſmodi probationibus requireretur, quibus pertinaciſſimus quiſque victas dare manus tenetur: voluit pleraque miracula ſua ſilentio obvolvi, vel potius juxta præclaram S. Auguſtini animadverſionem, voluit nihil horum in vulgus proferri, donec ipſe a mortuis reſurgeret, videlicet donec de morte victoriam referret, quæ cetera miracula erat confirmatura, & ſine qua minime caruiſſent ſuſpicione. Victoriam, quæ ad confuſionem, ac deſperationem redactura erat inimicos: Victoriam certiſſimum ſuæ divinitatis argumentum, quod ut ita dicam ſubjicere volebat mortalium omnium judicio, atque cenſuræ. [Tertullianus.] *Iſtud intra certi temporis ſtatuta praſcribit, donec ejiciat victoriam ad judicium, & ſublata mortis poteſtate claritatis ſuæ reditum introducat.* Hæ loquendi rationes præclaræ ſunt ac tanto Doctore dignæ. *Ex Moralibus Sermonibus Tomo 2.*

[Antequam reſurgeret latebat propemodum quis eſſet vel quod de ipſo fieri judicium poſſet.] Videtur ante diem Reſurrectionis JESU CHRISTI, latuiſſe, quid eſſet, Deus ne, an homo? In Mundum venit eodem modo, quo ceteri hominum filii, immo etiam pauperior, ac magis ope omni deſtitutus, quam illi; & nihilominus Magi ex remotiſſimis terris accurrunt illum adoraturi. Vagit, plorat ut alii hominum filii, & nihilominus vagitus iſti Angelorum canticis conſecrantur. *Per Magos cunarum ſordes adorantur, vagitus per Angelorum divina gaudia honorantur.* Quidquid de illo concipitur non eſt id, quod in illo videtur; & quod videtur, non eſt id, quod intelligitur. *Aliud intelligitur, aliud videtur; aliud animo conſpicitur.* Senſus, & mens in JESU CHRISTO nequeunt conſentire; & quin alia inquirantur myſteria, ubi alternatim & hominis infirmitas, & Dei virtus apparet, adeo parum cognoſcitur, quid ſit, ut ipſe ille qui renes ſcrutatur, & corda, ſciſcitetur a Petro, quid de ſe cogitent, & loquantur mortales: totuſque ſtatus illius incertus eſt propter varietatem judiciorum, quæ fiunt de ipſo. *Ibidem.*

[Neceſſe fuit, ut ejus Reſurrectio proderet, quis eſſet ad fidem, & religionem Chriſtianam inſtituendam.] Neceſſe tamen erat, ut ipſe, quid eſſet, oſtenderet, ſine qua cognitione nec fides potuiſſet inſtitui, prædicari Evangelium: ideoque ut ſe Deum eſſe oſtenderet hominibus, quos mutua viciſſitudo miraculorum, & infirmitatum, operum divinorum, humanarumque miſeriarum dubitantes tenebat, fecit quod promiſit, reſurrexit, ſicut dixit; ac devicta morte victoriam hanc hominum judicio, cenſuræque ſubjecit. Qua in re magnum deprehendo diſcrimen inter hoc Domini reſurgentis myſterium, & alia ipſius. JESUS CHRISTUS in nativitate ſua objicit ſuam humanitatem omnium ſenſuum noſtrorum probationi; & haud ægre fert nos illis habere fidem, cogituros, utrum ſit homo. Quamobrem unus ex Diſcipulis ejus, aliorum nomine locutus, ait, ſe annuntiare tantum, quod oculis ſuis viderant, quod auribus audiverant, & quod manus ſuæ de verbo vitæ contrectaverant. Sed in Reſurrectione ſua exponit victoriam ſuam, atque ut ita dicam ſtatum ſuæ divinitatis judicio noſtro reſurgens, ſicuti futurum prædixerat ad confuſionem inimicorum ſuorum. Fruſtra clauditur corpus ejus in ſepulcro; fruſtra vincitur, ac involvitur ſindone; fruſtra ſepulcrum obſignatur; fruſtra milites in excubiis conſtituuntur; hic unus inter mortuos liber de morte triumphat, reſuſcitat; reparat gloriam ſuam, quam propter ſalutem noſtram reliquerat ad tempus, & per hoc manifeſtum Divinitatis ſuæ argumentum provocat inimicos ſuos, atque confundit. *Ibid.*

Novum, & admirabile! S. Maximus exclamat; nam quin loquamur de Oraculis Prophetarum, de miniſterio Angelorum, de aperitione ſepulcrorum, de frequentibus, diuturniſque converſationibus, quas Deus hic ab inferis ſuſcitatus habuit cum Apoſtolis ſuis; non video, ait, niſi ſolam Judæorum impietatem, ut illam confundam, & meam fidem confirmem. Crudelis eorum prævidentia mihi ſufficit, ut memet in ea fide conſolidem: quo majorem diligentiam adhibuerunt ad ſepulcri cuſtodiam, eo graviora mihi ſuppeditant argumenta, ut illum inde egreſſum intelligam. Quo plures adhibent ſatellites, plures mihi teſtes præbent; Divina Providentia ita eorum curas, vigilantiam, & metum diſponente, ut non Angeli, neque ſolum ejus diſcipuli, ſed quod pluris faciendum eſt, ipſius etiam inimici, licet inviti, invicta præberent Reſurrectionis ipſius argumenta. Ita eſt, pergit idem Pater, peculiare nobis eſt gaudium pro Myſterii hujus probatione habentibus, quidquid ipſi conati ſunt, ne crederemus; Nobiſque perſuadebimus, facilius fuiſſe JESUM CHRISTUM propria virtute de tumulo tot excubiis, & artibus ſepto evadere, quam Diſcipulis egenis, moerentibus, exagitatis, ſecreto illum eripere, ac furari. Vigiles illi omnibus Judæorum affectionibus devoti, adeo recte conſilia ſua inſtituerant, ut demandato ſibi munere perfungerentur, ita ut, niſi infinita Dei obſtitiſſet potentia, hominum induſtria nihil fuiſſet profutura. *Ibidem.*

[Cur J. C. voluerit retinere cicatrices poſt reſurrectionem ſuam.] Salvator poſt triumphalem Reſurrectionem, & glorioſam Aſcenſionem ſuam ſervare voluit plagarum ſuarum fulgidas cicatrices, pretioſa pignora, æterna monumenta bonitatis incomprehenſibilia Redemptoris erga homines; quid enim æquius, quam in honore habere ſigna hæc permanentia, atque indelebilia noſtræ ſalutis? JESUS CHRISTUS, S. Bernardus ait, æternum retinere voluit divinas has cicatrices, ut eſſent veluti totidem ora indeſinenter pro nobis orantia, divinamque implorantia miſericordiam in gratiam peccatorum. Sed diſerte cauſſam noſtram perorantia exprobrabunt in æternum reprobis teterrimum eorum ingrati animi vitium, eorumque nequitiam & impietatem venia indigniſſimam. In Zacharia Propheta ſcriptum eſt, ubi Deus effuderit in habitantes Jeruſalem ſpiritum gratiarum & precum, illos oculos ſuos conjecturos in Deum quem vulneribus affecerunt, & lacrymis ſuis proſecuturos illum, quem confixerunt quomodo ſuper unigenitum lacrymæ effundi conſueverunt. [Zachar. 12.] *Aſpicient ad me, quem confixerunt; & plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum. Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 1.*

Nexum qui, teſte S. Paulo, adeſt inter Salvatoris Reſurrectionem & ſpiritualem noſtram. Rom. 6.

Sanctus Paulus variis in Epiſtolarum ſuarum locis magnum conſtituit nexum inter JESU CHRISTI reſurrectionem, & vitæ noſtræ inſtaurationem; immo hanc ipſam reſurrectionem proponit nobis tamquam exemplum noſtræ reparationis. Ait enim, *Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo CHRISTUS ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ad Apoſtoli mentem aſſequendam, memineritis, opus eſt, ſicuti mors eſt, & mortuorum reſurrectio, ita eſſe etiam mortem, & reſurrectionem animæ. Mori eſt vitam amittere: Corpus, & anima vitam amittunt. Reſurgere eſt iterum vitam recipere: hanc corpus, & anima recipiunt: corpus per iteratam cum anima conjunctionem; anima vero per gratiæ reparationem. S. Paulus loquitur de morte, & reſurrectione noſtra ſpirituali: & ait, ſicuti nos ſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut moriamur peccato, nobis quoque reſurgendum eſſe cum Salvatore, ut novam gratiæ vitam vivamus. Voluit proculdubio Apoſtolus nobis proponere Reſurrectionem Filii Dei, tamquam exemplum vitæ novæ, quam exigit; alioquin non video quænam alia ratio intercedat inter JESU CHRISTI Reſurrectionem, & noſtram, niſi quoad corpus noſtrum, & duo verba illa *Quomodo CHRISTUS ſurrexit, ita & nos ambulemus*, palam probant, vitæ novæ noſtræ exemplum nobis deſumendum eſſe ex nova Salvatoris vita. Neque immorabor probaturus, ſi novam hanc gratiæ vitam vixerimus, corporalem promerituros reſurrectionem, quæ nobis ad glorioſam immortalitatem aperiet viam. Hoc enim conſequitur, & per ſe patet. *Pater la Peſſe. Tomo 6. ſermonum.*

Ut vere reſurgamus, non amplius nobis peccandum eſt.

CHRISTUS reſurgens a mortuis, jam non moritur, neque morti amplius obnoxius eſt. Vultis ne, Chriſtiani, JESUM CHRISTUM reſurgentem vobis eſſe ſolidæ ſpei argumentum? reſpicite illum tamquam veræ converſionis exemplum. Non ſolum egreditur de ſepulcro onuſtus ſpoliis mortis, atque peccati, ut nos provocet ad egrediendum de tumulo peccatorum noſtrorum, ſed poſtquam reſurrexit, inquit Apoſtolus, *jam non moritur*. Itaque ſi vere eſtis converſi, non peccabitis ultra; horum præteritorum criminum ad ea omnia migrabit, quæ eorum cauſſæ extiterunt. Trepidantes ad aſpectum malorum, ex quibus vos eripuit gratia, ſancto cum fragore eorum acceſſum refugietis, & quin voſmet objiciatis ad habendum periculoſum illud diſcrimen inter ea, quæ vel criminoſa ſunt, vel ſecus, cupietis a licitis etiam abſtinere potius quam ſubire periculum vobiſmet illicita permittendi. Sed quam longe differt veſtrum vivendi genus ab hujuſmodi placitis! Dummodo aliquam ſervetis decori rationem, foveatis affectus eo magis Deo graves, & jucundos, quo magis vobis præripient totum illud cor, quod petit a vobis, dum interim claneulum vos pudet turpium effectum cupiditatum veſtrarum, cauſſæ eorum vobis ſunt, quam antea cariores. Non tantum ſcelerum veſtrorum vos angit memoria, quam neceſſitas vobis injecta impoſterum ab iis abſtinendi. *Abbas du Jarry.*

Non ſatis eſt non amplius peccare, ſurgendum quoque eſt de terra. Ad Rom. 6.

Si conſurrexiſtis cum CHRISTO, ut ille voſmet in Cælum attollite, neque terram niſi tamquam tranſitus locum reſpicite: *quæ ſurſum ſunt quærite*. Obite vitæ prorſus novæ officia; ac præ vobis ferte veræ Reſurrectionis indicia. Ne videamini ultra in iis locis, qui ſepulcretis ſimiles, non niſi mortis odorem emittunt; neque inveniantur amplius ſpolia peccatorum, quæ reliquiſtis. *JESUM* reſurgentem vobis proponite non ſolum fidei veſtræ baſim, & fulcrum ſpei veſtræ, ſed etiam veſtræ caritatis objectum. *Idem.*

Ineffabilis gloria Dominicæ Reſurrectionis.

Quænam fuit gloria JESU CHRISTI momento triumphalis Reſurrectionis ſuæ? Oporteret cognoſcere exceſſum paſſionum ſuarum, & immenſam humiliationum profunditatem, ut triumphi ſui gloriam intelligeremus. Triduo ante Salvator obierat, & ſacratum illius Corpus in tumulo quieſcebat, ne de mortis ejuſdem veritate ambigeretur; cum ſummo diluculo craſtina die Sabbati, quam per hujus Myſterii occaſionem, diem Domini per antonomaſiam vocamus, ſanctumque Dominicæ diem, Anima Redemptoris redux ex Lymbo glorioſa, ac de inferno triumphans, iterum ſe Sancto Corpori conjunxit, a quo divinitas nunquam receſſerat, eique communicatis omnibus glorioſi, ac reſuſcitati corporis qualitatibus, impaſſibilitate, immortalitate, agilitate, penetrabilitate divinum hoc corpus, vita plenum, exiit de ſepulcro, quin alicujus ope ad lapidem amovendum indigeret. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Dei Filius triumphans Sanctæ Virgini apparet.

Triumphalis Reſurrectionis momento, omnes Angeli acceſſerunt illum tamquam Dominum, Regemque adoraturi. Probabile eſt, illum eodem articulo temporis Sanctiſſimæ parenti ſuæ apparuiſſe, quæ cum præ ceteris magis particeps extitiſſet humiliationum ejus, æquum erat, ut in majorem gloriæ ipſius partem accederet. Concipiamus animo, ſi fieri poteſt, quænam fuerit ineffabilis lætitia Virginis admirabilis, dum in hoc gloriæ ſtatu videt dilectiſſimum Filium: quibus deliciarum, conſolationum, gaudiorumque torrentibus ſanctiſſima anima tunc fuerit inebriata. Interim Angelus excitato ingenti terræ tremitu lapidem amovit de monumento, ut Sanctæ Matronæ, & Apoſtoli, qui quamprimum illuc erant acceſſuri, ut Magiſtro ſuo parentarent, illum viderent reſurrexiſſe. Quis aſſequi poſſet gloriam, omniaque mirabilia triumphantis hujus Reſurrectionis, inconcuſſum Religionis noſtræ fundamentum, ſolidamque fidei, ſpeique noſtræ baſim? Igitur JESUS CHRISTUS reſurrexit; mors non aliam in ipſum habet poteſtatem: etenim ſi mortuum eſt, ut peccata noſtra expiaret, ſemel mortuus eſt; ſed cum vivit, vivit Deo, videlicet vitam divinam, glorioſam, & immortalem, atque ſemetipſum ſuſcitavit a mortuis, non amplius moriturus. *Idem ibid.*

Reſurgere debemus ad vitam gratiæ eo modo quo Salvator ad vitam gloriæ.

JESU CHRISTI Reſurrectio ad glorioſam vitam exemplum eſt reſurrectionis noſtræ ad vitam novam. Reſurrectio Filii Dei duo complectitur, mutationem ſtatus, & ſtatus hujus conſtantiam. Itaque reſurrectio noſtra ad novitatem vitæ potiſſimum complecti debet mutationem ſtatus. Ideo S. Paulus dicit ad hoc, ut participes efficiamur Dominicæ Reſurrectionis, nobis ambulandum eſſe in novitate vitæ, novumque Hominem eſſe induendum. Profecto quid prodeſt plorare, gemere, confiteri peccata, & humiliari per pœnitentiam niſi vitæ ratio immutatur? Ploratus ſteriles, gemitus inanes, confeſſio inutilis, & niſi e peccati ſtatu emergamus, ſacrilega. Satis non eſt ſtatum mutare: reſurrectio ad vitam novam complecti debet conſtantiam in hoc ſtatu, & perſeverantiam. *CHRISTUS reſurgens a mortuis, jam non moritur;* ſimiliter ſi vere nos reſurreximus gratiæ, nobis non eſt ultra moriendum per peccatum. Ad Dominicæ Reſurrectionis exemplum noſtra conjuncta eſſe debet cum vita in gratia. Igitur ſi vere ad vitam novam reſurreximus, nobis non amplius vivendum eſt niſi Deo, & in gratia, atque amicitia Dei. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Filio Dei debemus corporum noſtrorum reſurrectionem.

Beati debent Filio Dei coronas ſuas; eique debebunt etiam corporum ſuorum reſurrectionem. Cur reſurgemus; ſecundum S. Pauli ſententiam; quia JESUS CHRISTUS reſurrexit. Cur Sancti reſurgent? Quia ſunt JESU CHRISTI. Quilibet in ordine reſurget, ut teſtatur Apoſtolus. Filius, qui Caput eſt, reſurrexit prior; & poſt illum reſurgent, qui ſunt illius. Mors non amiſit jus, quod habebat in homines, niſi quia auſa eſt laceſſere Unigenitum Dei, ipſam innocentiam, & eum, qui illi ſubditus non erat. Mors erit noviſſimus hoſtis, quem Dei Filius delebit. Sed quandonam terribilem hunc hoſtem delebit? Cum in poſtremo adventu ſuo omnes homines de ſinu mortis avellet. Hinc igitur videmus JESUM CHRISTUM fore principium reſurrectionis corporum noſtrorum. *Lambert in anno Evangelico, Tomo 5.*

De admirabili ſplendore Corporis J. C. in Reſurrectione.

JESUS CHRISTUS reſurgens vitam prorſus novam accepit; vita enim ejus deinceps fuit glorioſa, & alia ab ea, quam hactenus vixerat in terra. Deus hic Salvator antehac obnoxius omnibus miſeriis vitæ pauperis, & obſcuræ; omnibuſque contumeliis, & doloribus crudeliſſimæ paſſionis ſuæ, lumine coruſcans apparuit ita, ut gloria corporis ſui fulgidiſſimum Solis ſplendorem ſuperaverit. Hoc in priori vita ſua corpus erat infirmum, ſenſibile, omnibus humanis infirmitatibus obnoxium, ſed in altera vita hac indutum eſt fortitudine, corpus quod extra jactum eſt infirmitatum naturæ noſtræ, & quod nullis perſecutorum ſuorum telis poteſt vulnerari. Claritas ejus perſtringit oculos, agilitas illud transfert in ictu oculi de loco in locum, & cum dono ſubtilitatis, quo fit tamquam corpus ſpiritale, nulla re poteſt retineri. Muros penetrat, quocumque pervadit, ideoque dicere poſſumus Myſterium hoc Filio Dei fuiſſe quamdam ſpeciem Transfigurationis millies, quam olim in Thabor fulgidiorem. *Pater Bourdalove in Receſſibus Spiritualibus.*

Admirabiles effectus, quos in anima Chriſtiana parit ſpiritualis reſurrectio.

Spiritualis Reſurrectio eoſdem fere in anima producit effectus, quos reſurrectio corporalis in corpore. Vitam novam, hominem novum, nullam veteris imperfectionem retinentem. Quis luminis nitor in mente! quæ votorum puritas in corde! Quæ morum conformitas in vita! Non niſi ex corrupto ſolo terrena oriuntur deſideria. Cor affectibus agitatum parit denſas nebulas, quæ menti caliginem offendunt. In homine parum Chriſtiano omnia ſunt terrena. Cupiditates intermortuæ, vel ſaltem mortificatæ in homine interiori rebelliones excitare non poſſunt. Cor per gratiam emundatum, non eſt ultra ager malignis exhalationibus uber. Aer purus eſt, neque ibi coaleſcere poſſunt nubes; Fides viva nullis quatitur tempeſtatibus; Cælum ſub quo tunc vivitur nimis ſerenum eſt, & mare qua navigatur nimis tranquillum, animæque omnem permittit libertatem cogitandi, & agendi eo modo, quo decet Fidelem. Tunc aperit illa vacuum, & inane bonorum creatorum, fictum, mendacemque mundanorum honorum rutorem, virus voluptatum, quæ faſcinant, Cives cæleſtis Patriæ terram recipere non poſſumus niſi tamquam locum exilii; Cæleſtia tantum appetimus; Cæleſtia tantum ſapimus; alius quilibet guſtus alienus eſt, ac depravatus, quod ſemper certiſſimum eſt animæ ægrotantis indicium. Spiritus, & placita Mundi hujus miſericordiam movent illis, qui vere reſurrexerunt. Hæc dierum manus, in qua ſita eſt vitæ noſtræ diuturnitas, nullas habet illecebras,

bras, ubi eum æternitate comparetur. Omnia præſtigia ſunt illi, qui eum Salvatore non reſurrexit. Nitentes dignitates, fulgentia munera, immenſi theſauri, omnia perſtringunt, omnia faſcinant cor maternum, ac ſpiritum terreſtrem. Per ſpiritualem reſurrectionem præſtigium evaneſcit, ceſſat illecebra, & phantaſma dempta perſona non aliud eſt, quam phantaſma, ec tale videtur. Quæ calamitas illis, qui non experiuntur ſalutares effectus Reſurrectionis! Væ illis, qui in tenebris ſuis perſeverant. Deur miracula ſua operatus eſt in eorum tantummodo gratiam, qui de Ægypto egreſſi ſunt. Manna pro illis tantum eſt, qui traduxerunt mare rubrum, & Agni Sanguine emundati fuerunt. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 3.*

Reſurrectio Filii Dei erat neceſſaria ad confirmandam fidé animarum noſtrarum.

Neceſſe erat Salvatorem reſurgere, ut fidem in animabue noſtris inconcuſſis argumentis firmaret. Nativitas, vita, actiones, verba, & mors Meſſiæ ſunt Teſtamentum, quod nobis reliquit; ſed Reſurrectio eſt veluti ſignum hoc Teſtamentum confirmans, & quod gerens indelebiles Divinitatis eharacteres, non ſinit nos, ne momento quidem de oraculorum Ipſius veritate dubitare. Non ſatis erat in actionibus Salvatoris inter Judæor converſantis apparuiſſe mixturam quamdam perſectionum divinarum, & humanarum infirmitatum, ut liqueret illum Deum ſimul, & hominem eſſe. Opus erat ut utraque hæc fundamentalis veritas Religionis ſeparatum haberet teſlimonium, unicuique proprium. JESUS CHRISTUS ur alteram confirmaret, mortuus eſt, & hodie reſurgit, alteram confirmaturus; & quoniam non deſuturi erant hæretici, qui humanitatem, & impii, qui divinitatem ejur in dubium arceſſerent; in morte quidem non niſi epparet infirmitar ſine fortitudinis commixtione, ut vere homo oſtendatur; in reſurrectione vero potentia illis tantum elucet ſine imbecillitatis mixtura, ut vere Deus eſſe intelligatur. *Abbas du Jarry in Sermone Paſchatis.*

Voluit Deus intellectum noſtrum ſubmitti divinæ auctoritati.
Ad Rom. 2.

Quemadmodum fides fundamentum eſt Religionis, curam hanc ſuſcepit Deus, ut baſis ædificio congrueret. Volens autem intellectum noſtrum captivare ſub divinæ auctoritatis ſuæ jugo, voluit obedientiam noſtram rationabilem eſſe, *Rationabile obſequium*. Magnæ, & incomprehenſibiles veritates, quas nos credere jubet, noſtram rationem obſtupefaciunt; verum probationes etiam, quibus innituntur rationem ipſem perſuadent: ita ur ſi ex altera parte omnibus ebrenuntiandum ſir mentis luminibus ad has veritates eredendas, ex altera ebrenuntiandum ſit omnibus iiſdem luminibus, ne eredantur. JESU CHRISTI autem Reſurrectio ſecundum Patrum ſententiam harum omnium probationum validiſſima eſt, atque maxime manifeſta: quia ſimul hoc fidei noſtræ fundamentum fulcit, ec ſuſtiner Religionir ædificium; ipſum quoque viciſſim ſuſtinetur, ac fulcitur ab eo, quod in Religione ſolidiſſimum eſt. *Abbas du Jarry. Ibidem.*

Incredulitas, & converſio S. Thomæ utilis fuit ad validius roborandam fidem Myſterii Reſurrectionis Filii Dei.

Permiſit Deus, ut Evangeliſtæ referrent omnes circumſtantias, quæ ad S. Thomæ Apoſtoli incredulitatem, & converſionem pertinent ad ſtatuendam validius fidem Myſterii Reſurrectionis, in qua tota vertitur Chriſtiana Religio: ſi enim JESUS CHRISTUS noo reſurrexit, inquit Apoſtolus, inanis eſt fides noſtra; verum ſi reſurreſit, fides ſolida eſt, & inconcuſſa. Hinc Mundi Salvator non niſi poſt Reſurrectionem ſuſm dedit miſſionem Apoſtolis ſuis, ſciens, licet repugnaret natura, non ægre tamen effecturos, ut cognoſceretur Homo Deus pauper contemptus, exagitatur, crucifixus, mortuus, & ſepultus, dummodo prædicarent illum reſurrexiſſe, futurumque ut omnes vitæ, mortiſque illius bumiliſtiones glorie Reſurrectionis ejuſdem ebſumerentur. *Idem.*

Si JESUS CHRISTUS reſurreſit, S. Chyſoſtomus air, hoc non niſi Dei miniſterio fieri potuir; ſi Deus e morte ſuſcitavit eum, qui ſe illius filium ferebat, neceſſe eſt illum talem fuiſſe; ſi Filius Dei eſt, ſequitur veram eſſe doctrinam illius; religionem ejus divinam eſſe, miracula in dubium non revocanda, Eccleſiam eius unicam eſſe; omnia, quæ dixit, fecit, ſuaſit, docuit, præcepit, totidem eſſe oracula, documenta, esempla, conſilia, & præcepta certiſſima. Hoc S. Paulus Apoſtolus conceptis verbis reſtatur: *Si CHRISTUS non reſurrexit, vana eſt fides noſtra*, ſed e contra ſi reſurrexit, fides noſtra ſolida eſt, & inconcuſſa. Sine illa omnia perierunt; ſed eum illa omnia confirmata ſunt. *Idem.*

J. C. Reſurrectio fidei noſtræ fundamentum.

Si Fides noſtra fundata eſt ſuper JESU CHRISTI Reſurrectionem, tamquam ſuper fundamentum, quo fulcitur; hæc ipſa reſurrectio innititur iis omnibus, quæ hoc Religionis noſtræ fundamentum inconcuſſum poteſt efficere. Satis admirari non poſſumus præcautiones, quibus æterna Sapientia concomitari voluit JESU CHRISTI Reſurrectionem iis circumſtantiis, quæ veritatem probarent, ne incredulir aliquod relinqueretur perfugium ed repugnandum. Iiiſdem uſa eſt præcautionibus, quibus Principes Synagogæ, qui Salvetorem morte damnaverant, veriti ne illiur diſcipuli corpus auferrent, & mos evulgarent illum reſurreſiſſe. Annulo enim ſuo ſepulcrum obſignarunt, & excubias poſuerunt, ne quis eccederet, ſperantes, uti Pilato ſignificarunt, ſe probaturos agendi rationem, quam ſecuti fuerant, illum morte damnantes, & alterum hunc errorem, quo populum ſeſellerat dicens, ſe die tertia ſurrecturum, ſuturum priori deteriorem, quo plurimis perſuaſerat ſe Meſſiam eſſe, & Dei Filium. Sed liquet vigiles, & ſignum quo ſepulcrum obſignarunt, nihil profuiſſe, niſi ut Reſurrectionis veritas melius cognoſceretur, atque pateret. *Abbas du Jarry Sermone Paſchatis.*

Apoſtolis non proderat ſimulare Domini ſui reſurrectionem, neque illam prædicaſſent tanto zelo, niſi illis perſuaſum omnino fuiſſet.

Quæ utilitas adigere potuiſſet Apoſtolos ed ſimulandam Domini ſui Reſurrectionem, cujus tot erant præpotentes inimici; & eujus finis adeo fuerat contumelioſus? Niſi illis omnino perſuaſum fuiſſet de hae Reſurrectione, & niſi pluſquam humana perſuaſione id illis probatum fuiſſet; nunquid tanto zelo prædicaſſent illam, nunquid ed illam tuendam ad extremam uſque guttam Sanguinem ſuum effudiſſent? Quomodonam veritatem hanc in omnibus terrarum plagis tanto ſucceſſu effudiſſent? Quas habebant vires ad infinitos ſuperandos obices, qui ejuſdem inſtitutioni adverſabantur. Quæ talenta, quam eloquentiam habere poterant, ut rem edeo miram, etque inauditam perſuaderent? Quæ faſcinatio erat io cauſſe, ut decies centena hominum millia fidem emplecterentur adeo inauditam ad ſimplicem enarrationem rudis, ruſticique piſcatoria? Quis alte adeo inſculpſit in corde tot martyrum veritatem hanc, qui ed illam tuendam ſanguinem effuderunt? Quir effecit, ut de Judæorum rabie, de idololatrarum furore, de hæreticorum nequitia, de procacium hominum impietate triumpharet? Quis illam per tot ſæcula ed nos uſque traduxit? Quir ad hanc uſque diem illam conſtituit lætitiæ univerſalis in Eccleſia argumentum, tuſi tu Domine Deus meus. *Idem.*

Corporum noſtrorum reſurrectio juſtis ſolatium adfere impiis terrorē.

Veritas hæc, nos aliquendo reſurrecturos eſſe, ſolatium quidem juſtis adfert, implo terrorem; etenim tantum abeſt, ur ſperet, corpus ſuum particeps futurum immortalitatis enimæ ſuæ ſibi pro virili parte perſuader animam ſuam una cum corpore interituram, & utrumque in nihilum ſuum reverſurum. Nihilum hoc, licet horridum ſit, minorem illi horrorem ciet, quam cogitatio reſurrectionis, & immortalitatis, quæ nonniſi ſuppliciorum illi videtur æternitas. Pulvir noſiur, caro criminibus eoinquinata velles tunc aurer elaudere voci Dei, quæ te revocabir in vitam ſupplicium tuum perennatura ed ſonitum hujus tubæ, quæ in quatuor engulis terrarum orbis terribilia proſeret verba; Conſurgite mortui, venite ad judicium. Sed noverit Deus te expedire ex hoe caos, in quod magnus hic Orbie in partium ſuarum diſſolutione revertetur. Cum redieris in nihilum, qui inde omnie eduxit Entia, te ipſum quoque noverit extrieare. *Abbas du Jarry in Sermone Paſchatis.*

Mortui omnes nemine excepto reſurgent.

Tunc mare reſtituet mortuos ſuos, Infernue evomet illos e ſinu ſuo, ſepulcra eperientur ed illos rejiciendos, & univerſa terra communis bominum mater reparans vim ſœcunditatis ſuæ ad vocem illius, qui de limo primum compegit hominem, emittet de ſinu ſuo omnes Adæ filios, quorum primum extirit germen. Deur, ut inquit Apoſtolus *vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt;* quia omnipotens vox illius animat id quod vocat, & immenſus ſpiritus ejus quocumque effuſus, fert cum ſonitu divinæ vocis ſuæ auditum, per quem efficir, ut ubique mortis exaudiatur imperium. *Ibidem.*

Tres Reſurrectiones a nobis in una celebrandæ.

Hodierna die celebramus feſtivitatem trium Reſurrectionum, & Paſchatum in une tantum: videlicet JESU CHRISTI, Peccatorum, & Prædeſtinatorum. JESU CHRISTI, qui victor egreſſus eſt de ſepulcro ſuo per effectum ſuæ omnipotentiæ: peccatorum, qui exierunt de ſepulcro criminum ſuorum per emanationem gratiæ ipſius: & corporum prædeſtinatorum, quæ per gloriæ ipſius communionem emergent aliquando es tumulis ſuir. Hæc igitur feſtivitas eſt Paſcha, & tranſitus JESU CHRISTI, tranſiit enim de morte ed vitam. Hæc igitur feſtivitas eſt Paſcha, & tranſitus peccatorum, qui de peccato tranſeunt ad gloriam. Hæc igitur feſtivitas eſt Paſcha, & tranſitur Prædeſtinatorum, qui de tumulo tranſibunt ad gloriam. Quod vero mirum eſt tres hæ reſurrectiones, & Paſchata ſemet ſequuntur, ſibique ſuccedunt. Noviſſime non eſt niſi merces alterius, altera vero conſequens eſt prioris, quæ effundir gratiam ſanctitatis, & juſtificatione in ſecundam, & gratiam immortelitatis, & incorruptionis in tertiam. *Morales Sermones. Tomo 6. parte 1.*

Fruſtra Judæi conati ſunt prohibere Reſurrectionem Filii Dei.

Judæi contendunt lapidem Sepulcri JESU CHRISTI obſignari, & petunt milites e Pilato, ur vias ad illud communiant, ne quis ingrediatur, & hoc pacto habeatur pro pſeudopropheta, pro ſycophanta, qui vitam non habet, eamque per ſe reparare non poteſt. Execrabilis politica confunderis, ac tua te perder fallas prudentia. Non aliud contra te volo teſtimonium, niſi te, nec elia ergumenta gloriæ Dei mei, niſi eorum teſtium, quos ſubornar, teſtificationem. Fruſtra inquier, JESU Nazareni diſcipulos noctu veniſſe ed ſigna infringenda, & Magiſtri ſui corpus auferendum. Hir bonur ſenſur repugnat, & illis ipſis, qui maxime adverſantur veritati hujur Myſterii perſuadebit, nullam veritatis edeſſe ſpeciem, homines ſine ſubſidio, ſine fuco, ſine vi, ac ferme ſine

fide, homines, quos nuntium mortis Magiſtri ſui diſſipaverat, & quos ſimplex ancilla perterrefecerat, homines quibus omnia erant timenda, nihilque ſperandum, niſi JESUS CHRISTUS vere reſurrexiſſet, in hanc mentem conſentire potuiſſe, ut excubiis vim inferrent, eumque eriperent de ſepulcro. *Ibidem.*

Quomodo peccatores ſe ipſos in converſionibus fallunt.

Nihil eſt, in quo peccatores facilius fallantur, quam in converſione ſua, & in hac, de qua loquor, reſurrectione: heu! quot videmus hoc Paſchatis tempore, qui putant Paſcha ſuum peregiſſe, hoc eſt, de peccato ad gratiam tranſiiſſe, cum nihilominus in eodem ſtatu permanſerint, ambulantes in quodam peccatorum circuitu, quem non niſi in ſpeciem relinquunt, & ex quo re ipſa nunquam emergunt, quidquid conari videantur præter propter velut jumenta molam verſantia, & quæ poſtquam tota die laborem paſſa ſunt, ne unum quidem protulere pedem, ut libertatem acquirant. Quot intuemur, qui chimæricæ converſionis conſilium foventes vitæ rationem ſe mutaſſe arbitrantur, quod per alicujus inſignis diei feſti occaſionem, vel per libidinem aliqua præbuerunt indicia humilitatis ſuæ, modeſtiæ, lenitatis, integritatis, caritatis, pœnitentiæ, ſe adeptos fuiſſe putant habitum harum virtutum, & de oppoſitis criminibus egiſſe triumphum; criminibus tamen, quorum pondere eodem fere pacto obruuntur. S. Gregorius inquit, quo Eleazarus, qui cum Elephantum miræ magnitudinis interemiſſet, mole ejus in ipſum ruentis miſere periit. *Idem.*

Multi ineunt conſilium de vita mutanda, & nihilominus in peccatis ſuis perſeverant.

Quot videmus qui cum aliquando conſilium ceperint mutandæ vitæ, atque mortis ſententiam adverſus ſua peccata protulerint, deinceps oppoſita ineunt conſilia, illa quieſcere promittentes, ſimiles Regi idolorum cultori, qui cum omnibus ditionis ſuæ provinciis edictum evulgaſſet, quo Judæi omnes jubebantur interimi, Satrapis præcepit, ut Judæis ipſis ferrent opem, & de illis pœnam repoſcerent, qui ipſis violentas manus vellent inferre. Apagate fictæ, atque commentitiæ converſiones; nonne ſunt hi duces infideles, quos ſequi debeamus de peccato ad gratiam tranſituri; JESUS CHRISTUS ſolus eſt, qui poſtquam reſurrexit vere præit nobis, ut per hunc primum characterem vitæ novæ, quam recipit, nobis oſtendat, quænam eſſe debeat vitæ noſtræ ſinceritas. Mirum eſt videre quanam cura voluerit per infinitam teſtium turbam Reſurrectionis ſuæ probare veritatem. Tremuit terra, lapis ingens, quo ſepulcrum ejus tegebatur, revolutus eſt, Judæorum ſigna confracte ſunt, vigiles trepidantes incompoſitam fugam arripuerunt, & ipſe quoque quinquies una die apparuit diſcipulis ſuis. Quorſum iſtud? ut diſceremus, Patres inquiunt, illum vere de morte ad vitam migraſſe; & hujuſmodi indiciis alligaſſe veritatem noſtræ reſurrectionis, & felicis hujus tranſitus, qui nobis faciendus eſt de peccato ad gratiam. Ita eſt, oportet, ut cordis noſtri terra contremiſcat accedente Deo, qui nos judicaturus eſt. Tremuit illa, cum JESUS CHRISTUS reſurrexit, ut milites præpoſiti cuſtodiendo ſepulcro evigilarent, & inuſitatus hic tremor illos ad agnitionem veritatis perduceret, quam dixerat: *Poſt tres dies reſurgam.* Tremuit, S. Chryſoſtomus inquit, ut piæ mulieres, quæ venturæ erant ad liniendum aromatibus corpus Magiſtri ſui, gradu feſtinante properarent ad audiendum Angelum, ipſum ſurrexiſſe teſtantem. Sed terra hæc tremuit, Sanctus addit Auguſtinus, ut inde peccatores intelligerent, ſe non poſſe vere reſurgere, niſi contremiſcat, & quodammodo in pulverem redigatur terra cordis eorum ſupernaturali contritione: nec ſatis eſſe levem aliquam emotionem, quæ gignens in anima infirmum deſiderium reſurrectionis eam ſemper relinquit in via mortis, atque peccati; opus eſſe, ut cor aliquo pacto mutet ſitum, gratia ſecretum illi terrorem injiciat, ut Synodus Tridentina docet, illud turbet, fremitumque amittat illi, ad acceſſum Dei: quemadmodum terra ſepulcri illius contremuit ſe indignam rata, quæ depoſitum adeo pretioſum reciperet; hoc enim illud teſtimonium eſt, quod a vobis poſtulat veritas veſtræ reſurrectionis. *Sermones Morales Tomo 6. parte 1.*

Præbere debemus veræ reſurrectionis teſtimonium. Luc. 24.

Teſtimonium quod a vobis petitur de veritate veſtræ reſurrectionis eſt, lapidem amovendum eſſe de ſepulcro. Ille quidem ingens eſt, fateor, & vos jure dicere poſſeris cum piis illis mulieribus. *Quis revolvet nobis lapidem de oſtio monumenti*: Sed ne animum deſpondeatis, magni conſilii Angelus præſto eſt, & JESUS CHRISTUS hoc vobis præſtabit officium, ſi humiliter, fidenterque ab illo petieritis. Utique, lapis amovendus eſt, auferendi ſunt habitus pravi, quos contraxiſtis, habitus, qui, ut S. Auguſtinus ait, obſtruunt vobis oſtium ſepulcri veſtri, ac prohibent, ne illius Cæli rores, & gratiæ lumina illabantur. *Sermones Morales Tom. 6. part. 1.*

Signa externa danda ſunt, ex quibus intelligatur non eſſe amplius aliquis in via peccati.

Ad digne celebrandum Chriſtianum Paſcha, non ſatis eſt acrem peccatorum ſuorum dolorem concipere, nec ſatis habitus convellere, ſigna perſtringere, occaſiones fugere; ſed exterius quoque oſtendendum eſt per Chriſtianarum virtutum praxim, nos non eſſe amplius in viis peccati, ſed novum ſecutos ducem ambulare. Opus eſt ad exemplum JESU CHRISTI manifeſta exhibere argumenta novi ſtatus, in quo ſumus, permittere, ut dicam, omnes actiones noſtras judicio, ac cenſuræ fratrum noſtrorum, dicentes illis; ego non ſum homo in ſpeciem duntaxat converſus; verſa mihi caro eſt, verſa oſſa; & *Spiritus carnem, & oſſa non habet. Ibid.*

Luc. 24.

Paſcha Chriſti rurſum eſt tranſitus, non reditus.

Paſcha tranſitus, non reditus eſt, S. Bernardus ait, & illud celebrare, eſt ita tranſire, ut nunquam relicta ſemel, repetatur via. Ita JESUS CHRISTUS de ſepulcro egreſſus nunquam illuc rediit; cumque tranſierit a vita mortali ad immortalem, nunquam vitæ prioris infirmitates recepit; *CHRISTUS non rediit, ſed tranſiit, non remeavit, ſed tranſmigravit.* En ducem, quem ſequi debetis, & exemplum, quod vobiſmet proponatis, oportet. *Ibidem.*

J.C. non fruſtra mortuus, ſtnec fruſtra reſurrexit.

JESUS CHRISTUS neque inutili labore mortuus eſt, neque fruſtra reſurrexit: cum ſtatus ejus eſſentialiter differat ab eo hominum ceterorum, qui non moriuntur, neque reſurgunt niſi ſibimet: opus eſt, ut hæc Myſteria duo ſuos peculiares habeant effectus; ideoque quemadmodum mortuus eſt, ut morte ſua mortem noſtram deleret, dicendus eſt reſurrexiſſe, ut nos ſuſcitaret ad gloriam: hæc prima ratio eſt S. Anſelmi. JESUS CHRISTUS eſt Caput noſtrum, & nos membra illius; hæc imperfecta eſſet reſurrectio, ſi Caput hoc glorioſum relinqueret in tenebris, ac ſepulcri putredine membra ſua; opus eſt igitur, ut aliquando illa reſumat, & poſtquam animabus eorum gratiæ vitam promeritus eſt, eorum corporibus glorioſas tribuat qualitates, quæ illis conveniunt. *Morales Sermones Tomo 6. parte 1.*

Ejuſdem argumenti.

Vos autem animæ juſtæ, quæ JESU CHRISTI reſurrectionem tamquam prototypum veſtræ vobiſmet proponitis, reſurgetis, & reſurgentes immutabimini. Corpus, quod neglexeritis, humiliaveritis, contempſeritis, ſubjeceritis legibus ſpiritus, ſeveriſque placitis Evangelii, migrabit de tumulo ad gloriam, atque illi jungemini ſimul perfruituræ adſpectu JESU CHRISTI glorioſi, & immortalis, poſtquam ſimul laboraveritis, vosmet conformaturæ ſtatui Dei exinaniti, & patientis. Non auſteritates, atque vigiliæ, quæ corporis hujus vires exhauſerint; non miſeria, & jejunia, quæ ſpeciem illius deformaverint, neque humiliantia, & moleſta Chriſtianæ Religionis exercitia, quæ illius temperamentum corruperint, non vermes, qui illud in ſepulcro depaſti fuerint, non ignis vel alii caſus, qui illud in cinere redegerint reſiſtere poterunt potentiæ Dei, ac vivificis influxibus gloriæ ipſius, qui illud iterum animaturus eſt, & toto Cælo ſyderibus ipſis nitidius effecturus. *Oportet*, S. Paulus ait, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria*: atque tunc licebit nobis inſultare morti, eique cum JESU CHRISTO reſurgente dicere: *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Idem.*

1. ad Cor. 15.

Fallaces ideas habent peccatores de converſionibus ſuis.

Plerique peccatores fallaces habent ideas converſionis, reditus ad Deum, & reſurrectionis, ſed omnium fallaciſſima, & periculoſiſſima eſt confidere in momentaneis reſurrectionibus, poſt quas ſit quam primum funeſtus reditus ad lethale virus, quod nobis attulit mortem. Reſurrectio vera ſupponit firmam voluntatem, ſinceras promiſſiones, ſerios conatus. Dici ne poteſt aliquis firmiter velle, cum vult ad aliquot tantum horas, vel dies. Dici ne poteſt ille ſincere promittere, qui nullam præſtat fidem? Dici ne poteſt conatus exerere, qui ſtatim ac tentatus eſt, cedit? Verum eſt, quod S. Auguſtinus ait, ut ad Deum eamus, & etiam perveniamus, ſatis eſſe velle; ſed volendum eſt plena, atque integra voluntate, non autem dimidiata, quæ vult, & non vult, quæ ſecum luctatur pro variis motibus quibus deſtinetur. *Lambert in anno Evangelico Tomo 6.*

Pax a nobis habenda in Reſurrectione Salvatoris.

JESUS CHRISTUS reſurgens, S. Athanaſius inquit, ex hominum vita jugem effecit feſtivitatem, nullus dolor, timor nullus requiem noſtram debet perturbare: ſpes noſtra nihil habet, quod nutet, & incertum ſit; quoniam Dominus noſter revixit, ne moriatur amplius, nos non poſſumus amplius reviviſcere, niſi ut moriamur. Ploravimus JESUM CHRISTUM, æquum eſt, ut cum ſenſerimus dolores, & ignominias mortis ipſius, participes ſimus gloriæ, & lætitiæ triumphi ipſius, qui nos beatos facturus eſt: *Noli timere, terra, exulta, & lætare.* Mors victa eſt, Infernus dimittit illuſtres captivos ſuos, terra ante reſurrectionis generalis tempus cogitur reddere pluribus Sanctis exuvias corporum, ut victoriæ ipſius pompam condecorent. Cælum mittit Angelos ſuos, qui fidelibus omnibus gloriam, triumphalemque nuntient ſæculis omnibus Redemptoris ipſorum Reſurrectionem. Apoſtoli excutiunt tenebras ignorantiæ, & incredulitatis ſuæ, ut fateantur, atque colant Salvatoris ſui divinitatem, quem hodie de morte ipſa victorem vident. Quapropter hæc nobis cum gaudio ſollemnitas eſt celebranda; quoniam Reſurrectio Filii Dei fundamentum eſt fidei noſtræ, & Religionis. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Joel. 2.

Angelus nobis oſtendit Salvatorem ...

Salvator meritus eſt, & legitime adeptus gloriam ſuam. Hoc nobis oſtendit Angelus, cum tanta cura nobis innuit JESUM CHRISTUM crucifixum fuiſſe,

ante-

Inſtituit adeptam fuiſſe gloriam ſuam. antequam illum reſurrexiſſe teſtetur: *Quæritis JESUM Nazarenum crucifixum*. Cur refricat memoriam moleſtam opprobriorum, atque paſſionum illius? Angelo non erat, cur ſilentio Salvatoris paſſionem involveret. Paſſiones illius gloriam ejuſdem conſtituunt. Ita decreverat JESUS CHRISTUS. Antequam gloria indueretur, hanc ſibi pœnis, atque laboribus voluit comparare. Senſum hunc explicat duobus diſcipulis, quibus in Emmaus proficiſcentibus ſe addiderat ſocium. Vix enim duo illi diſcipuli intelligere poterant, quomodo ille, qui ſperabat ſe redempturum eſſe Iſrael, voluiſſe crudelem mortem ſubire. Duplex hæc Idea ſimul nequaquam conciliari poſſe credebatur. Redarguit illos Dei Filius, eiſque oſtendit, ipſos immerito intelligere nolle Myſteria, quæ Prophetæ nuntiaverant. *Luc. 24. 26.* *Nonne hæc oportuit pati CHRISTUM, & ita intrare in gloriam ſuam?* videlicet nonne paſſionum via erat via legitima ad gloriam hanc promerendam? decuiſſet ne, ut CHRISTUS in gloriam ſuam ingrederetur, antequam paſſus fuiſſet? Gloria hæc omnem hanc lucem obtinuiſſet, ſi nullis ſtetiſſet pœnis, atque laboribus? Nihil melius Salvatoris mentem explicat, quam verba ipſius; *Oportuit pati CHRISTUM*, ecce patiendi neceſſitas perſpicue conſtituta; *& ita intrare in gloriam ſuam;* hoc oſtendit JESUM CHRISTUM noluiſſe intrare in gloriam ſuam niſi poſtquam per labores, & cruciatus illam fuiſſet promeritus. O quam legitime parta fuit hæc Salvatoris noſtri gloria; quandoquidem nemo unquam plura, gravioraque prælia ſuſtinuit! *Lambert in anno Evangelico Tomo 1.*

Rationes quæ Dei Filium impulerunt, ut plagarum ſuarum cicatrices ſervaret. Cur cogitatis poſt Reſurrectionem ſuam JESUM CHRISTUM accurate adeo ſervare voluiſſe ſtigmata vulnerum ſuorum? Reſurrexit glorioſus; opus conſummatum eſt, hauſit calicem amaritudinis ad extremas uſque fæces. Videturne cicatrices, & vulnerum ſigna inveniri debere in corpore, quod non eſt amplius paſſioni obnoxium? JESUS CHRISTUS retinuit vulnerum ſuorum cicatrices tamquam ſolidum argumentum, quod nobis oſtendit, quanti ſteterit illi tantæ gloriæ acquiſitio. Vulnera illius nimis glorioſa fuerunt, ita ut nolit ſacra eorum veſtigia retinere. Adſpectus beatorum vulnerum ejus pergit adhuc mulcere Æternum Patrem; illa pro nobis loquuntur, illa in memoriam ejus revocant ſalutare illud ſacrificium, cui ſalutem, & libertatem noſtram debemus. *Idem.*

Reſurrectio Salvatoris probat nos reipſa reſurrecturos eſſe. Contendit Apoſtolus Salvatoris Reſurrectionem oſtendere non ſolum reſurrectionem noſtram poſſibilem eſſe, verum etiam probare nos re ipſa eſſe reſurrecturos. Attendite quæſo ſeriem doctrinæ S. Pauli. Docet nos reſurrecturos; quia membra ſumus Salvatoris. Quod accidit Capiti, membris etiam debet accidere. Caput reſurrexit, opus eſt, ut membra etiam reſurgant. *1. ad Cor. 15.* *CHRISTUS reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium*. Alium rationem adfert Apoſtolus. Comparat primum hominem eum ſecundo. *Verſ. 20.* *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*. Aſſerit Apoſtolus, ſi peccatum primi hominis mortalitatem terris attulit; gratiam Adæ ſecundi majorem habere vim ad reparanda omnia mala, quæ peperit Primi patris noſtri inobedientia. Addit S. Paulus tantum hoc miraculum fieri debere cum ordine; æquum fuiſſe, ut JESUS CHRISTUS tamquam Caput, primus reſurgeret, & mox ſurrecturos illos, qui ſunt illius. Gratia ſe non effundit niſi in viventis Salvatoris membra. Quamvis improbi reſurgant, reſurrectio eorum potius jugis eſt mors, quam reſurrectio vera. *Lambert in anno Evangelico Tomo 2.*

Sequitur idem argumentum, & Sententia S. Pauli. Verſ. 36. Sequitur Apoſtolus. Irridet Deus id genus mortales, qui non attendentes infirmitati luminum ſuorum credere nolunt, quod non intelligunt, & quod ſenſibus ſuis non percipiunt. *Inſipiens, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi prius moriatur:* quaſi diceret; quod vides quotidie, manifeſtum eſt argumentum illius veritatis, de qua dubitas. Cum ſeris, ac ſemen in terram projicis; tu ipſe artifex es, & opifex reſurrectionis. Quomodo ergo audes in dubium revocare ſupremam Dei bonitatem, qui per miniſterium tuum quotidie tot, tantaque operatur miracula? *Idem.*

Glorioſæ qualitates, quas J. C. communicabit corporibus noſtris cum illos reſuſcitabit. Verſ. 42. Mox tranſit Apoſtolus ad glorioſas qualitates, quas JESUS CHRISTUS communicaturus eſt corporibus noſtris, cum illa ex pulvere educet. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus Spiritale*. Quis credidiſſet qualitates adeo nobiles communicandas eſſe corpori tot miſeriis obnoxio? Comparate corpus hoc, quo paritur corruptio, corpus, quod tenemur ab oculis noſtris amovere, & in ſepulcro abſcondere, cum corpore hoc glorioſo, de quo loquitur S. Paulus; cum hoc corpore pleno vi, ac virtute, cum corpore naturæ ſpirituum conſorte? Poſt hæc cavete, Auditores, ne ſimiles efficiamini illis, quos corripit S. Paulus: ne velitis inanes prætexere difficultates de Reſurrectione: trepidi adorate veritates, quas non intelligitis; terrore capti attentiſſime conſiderate omnes Dei bonitates, & cum S. Propheta exclamate: *Pſalm. 91. 6.* *Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profunda facta ſunt cogitationes tuæ* ſuper cogitationes hominum. *Lambert in anno Evangelico Tomo 2.*

Senſus gratitudinis, & adorationis erga J. C. reſurgentē. Divine JESU noſmet coram ſolio tuæ gloriæ proſternimus, te in triumphi tui glorioſo die adoramus, fatemur eo magis nobis celebrandam eſſe victoriam tuam, quo majorem inde fructum percipimus. Virtus tua nos fortes efficit, & gloria tua noſtram certam facit. Ducti bonitatibus tuis, & admirati potentiam tuam in ſinceritate cordium noſtrorum dicimus: *Pſalm. 85. 10.* *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum: Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia; tu es Deus ſolus.* Summa exultamus lætitia, cum attentius cogitamus gloriam tuam: ſed gaudium noſtrum in mœrorem convertitur, cum oculos conjicimus in noſmet, noſtraſque infidelitates. Quis non mœreret, quis non conficeretur dolore conſiderans extremam hanc negligentiam, qua tibi famulamur? tu es Deus gloriæ, & te derelinquimus, ut creata bona aſſequamur; nobis infinita promittis dona, & relinquimus te, ut inutili conatu abſumamus vitam noſtram in iis perquirendis bonis, quorum nihilum cognoſcimus. Tu nos evocas, urges, polliceris, minitaris, nulla via eſt, quam intentatam relinquas ut nos attrahas ad te. *Idem.*

Tota Religio CHRISTI innititur reſurrectioni ejus. Univerſa JESU CHRISTI Religio innititur fidei Dominicæ Reſurrectionis; tota fundamentali huic innititur veritati: *Si CHRISTUS non reſurrexit*, S. Paulus, ait, *inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra*. Si CHRISTUS non reſurrexit, Patres inquiunt, omnes promiſſiones ſunt vacuæ, labitur ſpes noſtra, fides noſtra occidit, & evaneſcit. Quamvis JESU CHRISTI divinitas ſatis conſtituta ſit ſive per opera ſupernaturalia, quæ fecit in mortalis ſuæ vitæ ſtadio, ſive per oracula Prophetarum, quæ ad unguem reſpondent variis circumſtantiis Vitæ, Paſſionis, & Mortis ejus; dæmones ejecti, cæci curati, mortui quatriduani reſuſcitati; tot patrata miracula ſatis probabant qualitatem, quam ille ſibi Filii Dei vendicabat. Tamen neceſſe erat, ut reſurgeret, ut tanti momenti veritatem hanc extra calumniæ jactum collocaret, & dicere poſſumus, revelationem divinitatis JESU CHRISTI Reſurrectioni illius adnexam fuiſſe. Hoc ipſe etiam argumento utebatur. Plenum eſt Evangelium explicitis declarationibus, quibus frequenter diſcipulis ſuis ſignificabat non ſolum ſuæ mortis opprobria, ſed ea quæ glorioſa illam erant ſubſecutura, præſertim vero reſurrectionem Corporis ſui die tertio eventuram. *Luc. 9.* *Quia oportet eum occidi, & tertia die reſurgere. Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Humanæ Redemptionis tēpus tunc erit abſolutum cum hominum corpora reſurgent, hoc eſt extremi Judicii die. Redemptionis tempus perfecte adimplebitur noviſſimi Judicii die. Dies beatus, quo homines tandem videbunt ſe erutos de omni captivitatis hujus ſqualore per reſurrectionem corporis, agilis, glorioſi, immortalis, impaſſibilis iterum conſociati cum anima beata, ut deinceps ſimul vivant vita Dei, poſſideant veritatem ejus, flagrent illius caritate, ſubſiſtant in æternitate; bonum inæſtimabile, quod illos conſolatur in vitæ hujus ærumnis, quod illos cogit patienter ſuſtinere perſecutiones hominum, quod illos pacatos, & hilares efficit in expectatione beatæ immutationis, quæ in ipſis facienda eſt, & quod efficit, ut præſentes calamitates contemnant, & obliviſcantur præteritas; ſimiles bonis illis Iſraelitis, qui non reminiſcuntur malorum, quæ ab Ægyptiis paſſi fuerant, niſi ut ſeſe alacrius excitent ad acquiſitionem telluris promiſſæ, vel nautis, qui procellis agitati, & furentis elementi inconſtantiæ expoſiti, propitium ventum depoſcunt, & dilectæ patriæ deſiderio tenentur, ubi per otium guſtaturi ſunt voluptatem videndi ſe ex erroribus, & impendentibus ſibi periculis ereptos. *Ex Sermonibus Moralibus Tomo 1.*

JESUS reſurrexit, & nos reſuſcitabit. 1. Cor. 15. Si JESUS CHRISTUS reſurrexit, nos quoque ſuſcitabit; & ſi nos ſuſcitabit, bonis expectanda eſt æterna felicitas. Hæc eſt S. Pauli argumentatio. *Si mortui non reſurgunt, neque CHRISTUS reſurrexit, quod ſi CHRISTUS non reſurrexit . . . . . ergo & qui dormierunt in CHRISTO perierunt*. Quia JESUS CHRISTUS ſecundum ejuſdem Apoſtoli verba eſt *primitiæ dormientium*, eorum videlicet qui aliquando reſurrecturi ſunt. *Ibidem.* S. Paulus nonnulla adfert argumenta ad hominum reſurrectionem conſtituendam, ſuppoſita Salvatoris eorum Reſurrectione: illud eligo, quod mihi gravius viſum eſt; hoc fortaſſe vobis admirationem injiciet, ſed ſimul etiam vos perſuadebit. Omnes reſurgemus, ait, qui omnes morimur. *Ibidem.* *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio*. Quomodo hoc poteſt intelligi? Homo effecit ut moreremur, homo nos reſuſcitare debet. Hic autem eſt JESUS CHRISTUS, homo hic de Cælo dimiſſus non minorem habere debet virtutem, quam Adam homo ille e terra creatus. Primus homo omnino terrenus nos mortali fauciavit vulnere: Secundus homo omnino cæleſtis vulnus noſtrum debet ſanare: omnes moriuntur in Adam, omnes reviviſcere debent in JESU CHRISTO. Quæ dementia! quæ injuſtitia eſt, Tertullianus ait, loquens de illis, qui negant mortuorum Reſurrectionem! Fatentur dæmonem mortem attuliſſe corpori, & animæ homi-

hominis; & negent Deum poſſe, & debere facere, ut utrumque reſurgat? Major virtus dæmoni tribuitur ad nocendum, quam Deo ad beneficiendum? Patet, quandoquidem venit JESUS CHRISTUS, quandoquidem reſurrexit de dæmone ipſum triumphaturum, & jure victoris reparaturum mala, quæ dæmon intulit nobis. Nos quidem mori ſinet, quia divina juſtitia morti damnati ſumus, ſed ſuſcitabit nos, quia hæc eadem juſtitia dæmonem hac pœna damnavit, ut nos reſurgentes videret, ut illum imbecillitatis redargueret, & eidem exprobraret imperium, quod Deus obtinet in ipſum, & in nos. *Sermo Patris la Peſſe, Tomo 6.*

S. Paulus conſtituit Reſurrectionem Filii Dei ſuper duo principia.

Sancti Pauli argumentatio de Reſurrectione Filii Dei duobus innititur principiis, quorum alterum eſt hominis miſeria quatenus peccatoris: alterum vero omnipotentia JESU CHRISTI quatenus Dei. Reſurgemus, quia morimur, & quia JESUS CHRISTUS reſurrexit. Poteſtne aliquis noſtrum dubitare, utrum ſit moriturus? Omnes, quotquot ſumus, nonne morte circumſepti, ac penetrati ſumus? Illa in nobis habitat, illa, ut ita loquar, nos ipſi ſumus; licet ſeſe nobis tantum oſtendat ſub exitum vitæ noſtræ. Sed quod nos magis arcet a vita, infirmitas eſt noſtra, noſtra fragilitas, miſeriæ noſtræ; quæ tamen ſunt ea quæ magis nobis promittunt immortalitatem. *Non eſt reverſio finis noſtri*, Sapiens ait, *quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur.* Si ſemel de terra ſumus egreſſi, non ultra cogitandum eſt de reditu in eamdem. Quomodo vero? Mors noſtra certum eſt ſtipendium; ſemel tantum moriemur. Hoc, auditores, verum eſt; ſed ſimul reſurrectio noſtra quæ finis eſt, quo per mortem tendimus, eſt quodammodo concredita morti noſtræ, & dicere poſſumus: *Reverſio finis noſtri conſignata eſt.* Reſurrectio noſtra tamquam in depoſito collocata eſt; ſed apud quem? vel in cujus manu? In manu mortis. Semen quod cadit in terram, non cadit, niſi ut reſurgat; theſaurus hic, qui in ejus ſinu occulitur, integer egreditur: moriemur, contumulabimur, & terra accuratiſſimam reddet rationem corporis noſtri, ita ut ne unus quidem capitis noſtri capillus excidat. *Reverſio finis noſtri conſignata eſt.* Quid putatis factum fuiſſe nobis mortem, Sanctus Auguſtinus dicebat? *Mors* eſt *nutrix æternæ ſeruræque felicitatis.* Hæc reſurrectio, hæc felicitas, quæ ſequi debet reſurrectionem piorum, alitur, ut ita dicam, in ſinu mortis. Nos evadimus cinis, & pulvis, ſed hic cinis, & pulvis *ſemina* ſunt *æternitatis*, S. Ambroſius ait. Ecce quid nobis pollicentur hi dolores, hæc ſymptomata, hic pallor, omnes hæ morientis hominis infirmitates. *Per hominem mors, per hominem reſurrectio. Sermo Patris la Peſſe Tomo 6.*

Vita J.C. reſurgentis prorſus alia ab ea, quam ducebat antequam moreretur.

Vita JESU CHRISTI reſurgentis eſt vita nova, non ſolum, quod iterum vivat poſtquam vivere deſiit, ſed multo magis quod vita ejus poſt reſurrectionem prorſus alia eſt ab ea, quam ducebat ante mortem. Hæc non eſt amplius vita laborioſa, paſſibilis, & mortalis, ſed glorioſa, tranquilla, impaſſibilis, & immortalis. Cum igitur nos conſepulti fuimus cum illo per Baptiſmum, ut in morte noſtra ſicut ille moreremur, hoc proculdubio fuit, ut viventes inde egrederemur, & duceremus vitam prorſus oppoſitam illi, quæ nobis mortem inflixerat. Vivebamus in peccato & ſecundum inordinatæ vitæ noſtræ deſideria; poſt Baptiſmum vivere debemus in juſtitia, & ſecundum Dei voluntatem. Si enim non hoc pacto viveremus, quomodonam mortui eſſemus peccato? quomodo operibus ejus nuntium miſiſſemus, quomodo de illius tyrannide noſmet in libertatem vindicaſſemus? Apoſtolus utitur ſimilitudine ducta ab agrorum cultura: inſeritur arboris ſurculus in arboris alterius ſtipitem, & quod inſeritur ita cum ſtipite cohæret, ut vitam, & alimoniam inde trahat, & cum illo aut moriatur, aut vivat. Per Baptiſmum JESU CHRISTO incorporamur, & in eodem inſerimur ita, ut ſi cum illo morimur, oporteat, ut ſicut ille reſurgamus, ideoque vitam vitæ illius conformem ducamus; ut totum repræſentemus JESUM CHRISTUM, repræſentantes mortem illius, ſepulturam, & reſurrectionem. *Le Tourneux in Anno Chriſtiano Tom. 8.*

Quemadmodum J. C. non deſcendit in terram, ut ibi permaneret, ſubiit leges mortis ut haberet gloriam triumphi.

Non deſcenderat in tumulum JESUS CHRISTUS, ut ibi maneret, & ideo mortis legem ſubierat, ut mox de morte ipſa triumpharet, eamque ſuo ſubjugaret imperio. Quod autem re adhuc integra animadvertendum eſt in Divini hujus hominis Reſurrectione, illud eſt, quod ſe ipſum reſuſcitavit. Dixerat Propheta futurum, ut ille eſſet *inter mortuos liber*; hoc eſt, fore ut tunc moreretur, cum, & quomodo vellet; ſed etiam fore, ut ſeſe ex mortis vinculis expedire noſſet eo momento, quod prædixerat, ipſumque non minus potentem fore, ut ſemet, quam ut alios reſuſcitaret. Hoc adimpletum fuit die tertia poſt ejus paſſionem. Sine alia ope, quam divina hac, & prorſus admirabili virtute, quam in tot ſubjecta exercuerat, atque tot in occaſionibus oſtenderat, ubi venit hora mane ſummo ſepulcrum aperit, ubi corpus ſuum incluſum erat; iterum animat illud, & de ſinu telluris educit. Apparet inter milites, qui erant in excubiis, eoſque tanto terrore percellit, ut nemo eorum audeat minimum quidquam reſiſtere, & repugnare. *O mors, ubi eſt victoria tua? o mors, ubi eſt ſtimulus tuus? O mors ero mors tua*; & poſtquam extenderis ditionem tuam, telumque in me etiam contorſeris, quod tibi permiſi, modo opus eſt, ut invita cedas meæ ſupremæ poteſtati. Verba Oſee Prophetæ, & S. Pauli Apoſtoli, quæ applicat Eccleſia huic Deo victori mortis, quæ nobis oſtendunt quanam virtute operatus eſt magnum hoc propriæ Reſurrectionis miraculum. *Pater Bourdalove in receſſibus Spiritualibus.*

Pſalm. 87.

1. Cor. 15. 55.

Satis non fuit Filio Dei certiores facere Apoſtolos ſuæ Reſurrectionis, hoc inimicis ſuis etiam aperuit in omnibus occaſionibus.

Parum fuiſſet Filio Dei certiores fuiſſe diſcipulos Reſurrectionis ſuæ, ſi eam celaſſet inimicos ſuos, quos de eadem qualibet in occaſione monitos voluit. Modo myſticis, figuratiſque locutionibus loquebatur, ad eorum attentionem, & curioſitatem ciendam. Ex me quæritis, ajebat ille, quanam auctoritate flagellis ejicio illos, qui indigniſſimis nundinis polluunt Templum: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Templum vero, de quo loquebatur, proprium ejus Corpus ejus fuiſſe teſtatur Sanctus Joannes. Poſtquam crudeli, & contumelioſa morte ſolveritis hoc viſibile templum, quod eſt Corpus meum; illud ego ipſe tertia die reſtituam in ſtatum eumdem, immo & perfectiorem. Quæritis a me, dicebat ille, miraculum novum, ut veſtram evincam incredulitatem; illa, quæ operatus ſum, & quorum plerique teſtes fuiſtis, vobis ſufficere poſſent; unum addam, quod cetera obſignabit, & quod nullus homo facere poteſt, niſi ſimul ſit Deus. Hoc autem miraculum illud erit, cujus figura fuit Jonas Propheta. Videlicet poſtquam tribus diebus in terræ ſinu, hoc eſt in ſepulcro delituero, inde egrediar, quemadmodum Jonas vivus egreſſus eſt de ventre ceti. *Pater Croiſet in Aſceticis tomo 4.*

Joann. 2.

Diſcipuli JESU falli non potuerunt in Reſurrectione Filii Dei.

Fateor equidem, Auditores, Reſurrectionem Filii Dei, factum eſſe connotatum, tot circumſtantiis conveſtitum, tot teſtibus comprobatum, ut credere nequeam JESU CHRISTI diſcipulos decipi potuiſſe. Hoc ſatis eſt: ex quo facti hujus veritas cognoſcitur, omnia probata ſunt. Nihil amplius dubium eſt in Hiſtoria JESU CHRISTI. Hoc in argumento, qui tuto unicum tenet factum, tenet omnia. Ita conjuncta, & aliis alia connexa ſunt, ut unius veritas neceſſario ceterorum inferat veritatem. Si JESUS CHRISTUS miſit Spiritum ſanctum ſuum ad diſcipulos, ejus in Cælum Aſcenſio vera eſt: quoniam promiſerat ſe tunc miſſurum eſſe illum, cum jam aſcendiſſet in cælum. Si certa ejus Aſcenſio, talem Reſurrectionem quoque eſſe oportet, quoniam mors ejus in Cruce neminem latet. Si conſtans eſt Reſurrectio JESU CHRISTI, quidquid ille docuit, tota illius doctrina indubitabilis eſt. Cum enim Reſurrectio opus eſſe nequeat niſi Divinitatis, JESU CHRISTI doctrina certiori probatione non poterat confirmari. *Ex libro cui titulus: Incredulus ad Religionem adductus. Opus Patris Lamy,*

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE ASCENSIONE FILII DEI.

Aſcenſio Filii Dei eſt finis laborum ejus, & terminus vitæ ipſius.

Ecce, Auditores lectiſſimi, finem laborum Salvatoris Mundi, glorioſumque terminum vitæ ſuæ, quo nomine illum S. Bernardus appellat: etenim poſtquam de Cælo in terram pro humana ſalute deſcendit, & poſtquam magnum hoc opus perfecit, hodierna die deſerit terram in Cælum rediturus. Dies beata! qua Cælum, quod tot ſæculis clauſum fuerat, iterum aperitur, ut aditum præbeat Homini Deo victoriam referenti de morte, ac de omnibus inferorum poteſtatibus. Dies triumphi! cujus pompa, & apparatus reſpondet Majeſtati Regis hujus gloriæ ad reparanda opprobria, & ignominias, quas propter amorem noſtri ſubire dignatus eſt. Dies lætitiæ, & conſolationis! Nobis enim ſpem facit, ut & ipſi ingrediamur in æternum hoc regnum, cujus poſſeſſionem pro ſe, ſimulque pro nobis eſt aditurus. Ita ut ſi Dei Filius ceteris in Myſteriis voluerit ſemper hominum utilitatem cum propria gloria conjungere, nullibi magis ſuam in hoc ejus conſilium enituerit; quia noſtra felicitas felicitatem ejus conſequitur; quia aſcendit in Cælum, ut nos illuc trahat; quia illud meritis ſuis aſſecutus eſt, ut nobis præberet jus eo anhelandi, & quia Apoſtolis videntibus illuc ſublatus eſt, ut eos excitaret ſpe aliquando eo perveniendi. In hac ſpe ſita eſt ſuaviſſima vitæ hujus conſolatio, quam hodierna die in vobis excitare fert animus ad aſpectum Salvatoris aſcendentis in Cælum. Volo enim vobis locum oſtendere, ubi cum illo regnaturi ſumus, ut ex hoc tempore attollamus cogitationes noſtras, & deſideria ad beatam ſedem illam, ad quam nos expectat. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Parabola Regis peregre profecti ad Regnum ſibi conquirendum adimpletur in Aſcenſionis Myſterio.

Dicere licet applicationem ſimul, & veritatem hujus Parabolæ, quam propoſuit JESUS CHRISTUS Apoſtolis ſuis, principis, qui *abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum, & reverti* hic inveniri. Salvator enim qui propter amorem quo homines complectebatur, in terra manſerat dies quadraginta poſt reſurrectionem ſuam ſuſpendens non ſtatim quidem, ſed proprium gloriæ ſuæ locum, diſceſſit tandem aditurus poſſeſſionem Regni, quod ſibi acquiſivit, ſed ea mente, ut, quod ipſe teſtatur, nobis locum noſtrum pararet; vel ſi mavis, imitatus eſt Patriarcham Joſeph, qui cum in Ægyptum evocaſſet fratres ſuos, ubi alter a Rege habebatur, uberrimos Regni illius agros illis largitus eſt. *Fratres tui venerunt ad te, in optimo loco fac eos habitare;* dicebat illi Pharao. Simili pacto ſatis non eſt Filio Dei nos in locum Regni, gloriæque ſuæ invitare, niſi nobis prima offerat ſubſellia; ideoque ad noſtram utilitatem hodie aſcendit in Cælum, quemadmodum eundem ob finem inde diſceſſerat; etenim, ut jus noſtrum certius ſit, ac in dubium non revocandum, nos in illius perſona Cæli poſſeſſionem recipimus, quod S. Leo teſtatur; Illius aſcenſio eſt elevatio noſtra, & quo ingreſſum eſt Caput, corpus quoque jus habet illud ſequendi. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

S. Auguſtinus Aſcenſionem ſpei noſtræ Sacramentum appellat.

Credere placet cum S. Auguſtino, cum hoc Myſterium præ ceteris ſit pignus, vel ut ipſe ait ſpei noſtræ Sacramentum, fideles vitæ Salvatoris hiſtoricos credidiſſe, ad hanc in nobis virtutem ciendam, ſatis eſſe ſimpliciter, & ſine fuco dicere. Denique hic Homo Deus adeo humiliatus in ortu ſuo, adeo exagitatus in vita, & tot, tantiſque contumeliis affectus in morte *aſcendit in Cælos, ſedet ad dexteram Patris.* Utique procul dubio, nihil ultra requiritur, ſeu ut ſublimior in nobis excitetur idea divinitatis, & gloriæ JESU CHRISTI in hoc Myſterio, ſeu, ut nobis inſpirentur æquiores ſenſus humilis confidentiæ ad intuitum Capitis hujus aſcendentis in Cælum ad locum ſuum quidem obtinendum, noſtrum vero nobis præparandum. *Ex Sermonibus Moralibus Tomo 6. parte 1.*

Dei Filius aſcendens in Cælum docere nos vult ſe illuc niti contendere perfruiturum gloria ad quam debemus omnes contendere.

Si JESUS CHRISTUS aſcendit in Cælum, ubi ſedet ad dexteram Patris, nonne aſcendit, ut nos doceat, ſe illuc ferri, ut debita ſibi gloria perfruatur? ideoque nobis contendendum eſſe ad poſſeſſionem hujus objecti omnibus cordis noſtri votis; & aliud quodlibet quærere, idem eſſe ac nihil ſperare? *Nihil ſperantes.* Si dicitur nobis ille aſcendere præparaturus ſe locum, quem deſtinat illis; nonne hoc nobis dicitur, ut intelligamus, quæ jura nobis conferat ad hanc gloriam, quin ſpem abjiciamus illam indipiſcendi? *Deſperantes.* Denique ſi quæritur eo, quod non ſciſcitamur ab illo quo vadat, cum jamjam aſcenſurus eſt; nonne quæritur, ut admoneamur, ſpem ſuas regulas habere; quibuſdam legibus obnoxiam eſſe, citra, vel ultra quas eſſet indiſcreta, & nos nequaquam ſperaremus? *Fruſtra ſperantes? Ibid.*

Quid ſit triumphus & quomodo triumphus Filii Dei præſtet profanorum Orbis dominatorum triumphis.

Nullus unquam fuit triumphus, immo neque eſſe poteſt glorioſior, magnificentior, auguſtior ille Salvatoris Mundi in ipſius ad Cælum Aſcenſione. Triumphi nomine intelligitur cæremonia quædam, vel ſollemnitas inſtituta ad victorem exercituum ducem condecorandum, in eo poſita ut inſigni pompa in Regni alicujus Metropolim ingrediatur. Triumphator lauro redimitus, Senatu præeunte, curru inſidens inter civium plauſus invehebatur, qui obviam euntes triumphanti lætis epiniciis victorias illius celebrabant. Hac in re ſita erat celebritas iſta, quæ in victoris honorem haberi conſueverat: celebritas cui obſtrepebant captivorum ejulatus, & lacrymæ, qui ferreis onuſti vinculis præcedebant currus, & qui gemitibus ſuis hilares lætantium voces interpellabant. Imperfectiſſima imago, & indigna triumpho JESU CHRISTI, & idea, quæ de gloria ipſius eſt nobis habenda. Si meritum, & gloria victoriæ pendet a qualitate, & viribus poteſtatum, quæ victæ fuerunt: quæ glorioſior victoria ea, quam retulit Dei Filius de poteſtatibus inferni, ac de ipſa morte, cui omnes homines ſubditi erant, & cujus omnes homines, quicumque tandem eſſent, Principes, Reges, Imperatores, Victores erant captivi? *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Honorificus comitatus Salvatoris in Aſcenſione. Honores eximii, qui illi deferuntur.

Victor inferorum, & mortis hodie triumpho invehitur, non quidem in Provinciæ, vel peculiaris Regni alicujus metropolim, ſed in Cælum uſque ad Dei ipſius thronum. Neque ligneo, vel aureo invehitur curru, quod vel homines, vel bruta trahant; ſed aſcendit de terra Virtute ſua; & pro curru, & ſolio inſidet nebulæ coruſcanti, mirabili, & omnium oculorum lucem perſtringenti. Sed qualis comitatus, o Deus! Omnes Sancti Patriarchæ; quot Reges pii! quæ Electorum caterva ab ipſa Mundi creatione hactenus expectantium in Lymbo victoriam Liberatoris ſui, & Meſſiæ adventum, mortem, & reſurrectionem, ut de carcere ſuo egrederentur, ut vindicarentur in libertatem, & vindicem ſuum in gloriam ipſius comitarentur? Quam pura, hilariſque alacritas in tota hac aſſeclarum phalange, qua fulgentiſſimus triumphantis currus ſtipatur! Quinam gaudii univerſalis concentus! qui grati animi ſenſus divinum hunc triumphatorem non excipiunt! Cælum omne obviam occurrit illi; omnes beati Spiritus, & quidquid Cæleſtem Dei Aulam conſtituit, ſe ſe ad illum excipiendum, adorandum, & pro Imperatore, ac Rege ſuo cognoſcendum, effundit, neque clamare ceſſat; *ſedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Idem ibid.* Apocal. 5.

Salvator per ſuam in Cælum Aſcenſionem oſtendit, quænam ſit patria noſtra.

Glorioſa in Cælum Salvatoris Aſcenſio, non ſolum admirationis Myſterium eſt, ſed actionis etiam, & praxeos. Dei Filius deſerit terram, & nos docet facto, Cælum unicam nobis eſſe patriam, & nos in terris tamquam in exilii loco immorari. Noſmet igitur hic debemus reſpicere tamquam viatores, & alienigenas. Cum enim JESUS CHRISTUS in Cælum aſcenderit, ſedeatque ad dexteram Patris ſui, dicebat S. Paulus ad Coloſſenſes, voſmet de terra avellere debetis, ut in Cælum duntaxat contendatis. Hinc oriri debet terrenarum rerum omnium faſtidium; hinc contemptus earum rerum omnium, quæ nos alliciunt, quæ in Mundo nitent, quæ oculos noſtros perſtringunt. Bona, honores, dignitates, prima ſubſellia, opimæ hæreditates, quid vobis ſolidi ineſt, quod valeat explere animum, quem Deus unus replere poteſt? In Mundo omnia ſunt infra nihilum, in Cælo tantum licet nobis veram gloriam, noſtramque felicitatem invenire. *Idem ibidem.*

Dei Filius in Cælum aſcendens nos invitat ad illum ſequendum, & viam oſtendit quæ nobis eſt arripienda.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas. JESUS CHRISTUS in Cælum aſcendens eſt hæc aquila, de qua loquitur Spiritus ſanctus, nos invitans, ut illum in hac gloriæ via ſequamur. Ubi noſter theſaurus eſt, æquum eſt, ut ibi cor quoque noſtrum adſit. Cum Dei Filius ſit Caput noſtrum, nos illius membra ſumus: igitur reſpicere debemus ſtatum ſeparationis ab ipſo, tamquam ſtatum nobis violentum. Verus Dei ſervus, verus fidelis in ſequendis Salvatoris noſtri veſtigiis patienter vivit tempore manſionis ſuæ ſuper terram, & hilariter mortis ſuæ proſpicit horam, eamque impatienter expectat. JESUS CHRISTUS noſter dux eſt, primus incedit, præcipit, ut ſequamur veſtigia ſua; aliam quamcumque viam arripere, errare eſt. Divinus hic Salvator omnes itineris ſumptus erogavit: gloria, cujus hodierna die poſſeſſionem adiit, hæreditas eſt, quam nobis ſervat. Sed ut ad eamdem gloriam perveniamus, hæc nobis per merita acquirenda eſt, & ad eam promerendam, patiendum eſt. Quapropter S. Paulus dixit: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum CHRISTI in carne mea;* Coloſſ. 1.

videlicet adimpleo ea; quæ Deus vult me pati propter amorem ſuum, & peccatorum meorum ſatisfactionem, ut pervenire valeam ad gloriam, quam ille mihi ſuis paſſionibus promeruit. Quis igitur audeat ad gloriam contendere, quin patiatur? Quotidie propter Mundum ſuſtinemus, vigilias, labores, repulſas: nihil renuimus dummodo niteamus, & nominis celebritatem nobis comparemus. Sed n Deus quæ remuneratio! & propter Cælum pati detrectamus, quamvis Dei ipſius poſſeſſio pretium ſit paſſionum noſtrarum. *Pater Croiſet in Aſceticis, & recens quidam Auctor.*

Salvator voluit Apoſtolos ſuos teſtes eſſe Aſcenſionis ſuæ ut intelligerent quanam illis gloria eſſet ſperanda.

In glorioſa Aſcenſione Filii Dei, nobis ſe adhue integra cognoſcendus eſt terminus ad quem nobia eſt contendendum, Cælum videlicet. Extrema illa die, qua tandem terram relinquere conſtituerat, omnes coegit Diſcipulos ſuos, voluitque, ut omnes illum viderent ex hoc mundo abeuntem, & aſcendentem ad Patrem ſuum. Quid illis ſignificaturus erat hoc facto? Præcipuus ejus finis erat illos de magna hac veritate perſuadere; nempe poſtquam certum annorum numerum in hac vita mortali tranſegimus, ſtadium noſtrum in Cælo abſolvendum eſſe, & ex hoc etiam præſenti tempore illuc omnes cogitationes, ac ſpes noſtras eſſe convertendas. Ad id frequentia illis tradiderat dogmata, verumtamen non niſi leviter hoc illis perſuaſum eſſe videbatur; ideoque illos habere voluit teſtes Aſcenſionis ſuæ, ac illis inſpectantibus ad cæleſtem illam efferri manſionem, ad quam illos vocabat. Ad hoc ſpectaculum omnia eorum dubia evanuerunt. Quidquid illis dixerat de Regno Dei, alte in eorum memoria manſit infixum; ſcilicet hoc regnum vere patriam eſſe illius; deſtinatas eſſe eorum ſingulis ſedes, & ſe illue ire ad eas præparandas. Sibi præcedendum eſſe quatenus capiti; illos vero, quatenus membra deinceps ſubſecuturos: ideoque ſe illos in terra relinquere tamquam in loco tranſitus, ubi ſeſe reſpicere debent tamquam advenas, & inquilinos. Hæ omnes cogitationes in ipſis excitatæ ſunt; eoſque ita affecerunt, ut illi perfectum Mundi contemptum conceperint, & impoſterum nihil unquam ſollicite quæſiverint, niſi ea quæ ad vitam alteram ſpectant, cujus certiſſimum pignus habebant in Domini ſui & Inſtitutoris perſona. Hæc omnia non ad nos minus, quam ad illos pertinent, & quidquid illis Salvator promittit, hoc nobis quoque pollicetur. In Cælum igitur omnis ſpes, & expectatio noſtra debet contendere, neque alius eſt terminus, quem nobis proponere debeamus. *P. Bourdalove in Spiritualibus receſſibus.*

Dei Filius per glorioſam Aſcenſionem ſuã confirmat Apoſtolos ſuos in majori gloriæ deſiderio.

Quam ſollicitudinem, quem ardorem teſtatus non eſt Mundi Salvator in Regnum ſuum redeundi! Quas ideas non adſtruebat ille Apoſtolis ſuis, illos ad diſceſſum diſponens, & conſolatus illos de jactura, quam erant ſubituri viſibilis ejuſdem perſonæ! Repræſentabat illis cæleſtem hanc beatitudinem, tamquam immutabilem requiem, ubi immunes erant futuri ab omnibus turbis, & malis vitæ hujus; tamquam æternam gloriam, quam nullus caſus, nulla mutatio illi eripere poterat, tamquam congeriem bonorum omnium, ubi nihil illis eſſet defuturum, & ubi penitus erant ſaturandi. Fidei conſonum eſt, ipſa die, qua ab illis diſceſſit, iterum illis has cogitationes impreſſiſſe, eiſque inſignia promiſſa ſua confirmaſſe; ita ut poſtquam nubes lucida illum eorum ſurripuit oculis, perſtiterint adhuc in monte, non valentes oculos a Cælo amovere, neque in terram demittere: Adeo capti erant ſpecie beatæ illius manſionis, quam nondum videbant, cujus tamen repletam habebant mentem, & quæ illis cura ſua digniſſima videbatur. *P. Bourdalove in receſſibus Spiritualibus.*

Sententia S. Auguſtini & aliorum de Aſcenſione Filii Dei.

Hodierna tantum die, S. Auguſtinus inquit, inter humanam naturam, & verbum perfecta adeſt jurium, & gloriæ communicatio; hodie tantum cognoſcere poſſumus in una, eademque perſona Dei, hominiſque ſimul Sacramenta; naturam divinam, quæ attollit ad altiſſimum Cælorum faſtigium humanam; & naturam humanam, quæ in Cælum a divina ſublata ſedet ad dexteram Dei. Utraque contulerunt, ut ſubjicerent Salvatorem ſuppliciis non ipſi debitis, utraque hodie confluunt ad illum extollendum in eum honoris locum, qui illi debetur. Si Deus tantum fuiſſet, ſe ſe ſubjicere non potuiſſet; ſi fuiſſet homo tantum, non potuiſſet aſcendere. Humanitas dederat Divinitati corpus mortale, & paſſibile; cumque Divinitas illi per reſurrectionem dederit corpus immortale, & impaſſibile humanitati, coegit Cælos, ut ſeſe inclinarent illum triumphantem excepturi. Ecce, Chriſtiani, quid poſt S. Paulum, loco gloriæ JESU CHRISTI conſummationem, poſt S. Bernardum terminum laborum, atque itinerum ejus, poſt S. Auguſtinum, fructum infinitorum meritorum illius; poſt S. Ambroſium remunerationem humiliationum, & dolorum ejus; poſt S. Juſtinum, Arnobium, S. Leonem, Patreſque omnes argumentum Divinitatis, apologiam vitæ, mortiſque ipſius, & ut illi docent, generale, & decretorium reſponſum in omnibus, quæ ejus inimici in eum objicere poterunt. Mentem eorum quæſo aſſequimini. *Elogia Sanctorum. Tomo 2.*

J[illegible] per Aſcenſionem ſuam efficit ut ordo naturæ cedat ordini gratiæ.

Ordinem hunc divina inſtituit ſapientia in natura, ut omnia ſuum ordinem teneant juxta eſſentiæ ſuæ dignitatem. Ita in Mundo collocavit Cælos ſuper terram, ſpiritum ſupra corpus, Angelum ſuper hominem: verum hanc etiam normam ſervat ad unguem ejus juſtitia in remunerationibus ſuis, efficitque, ut naturæ ordo cedat ordini gratiæ, & conditionis privilegium merito virtutis. Quapropter mirari non debetis, ſi Deus ad oſtendendam magnificentiam ſuam in remunerandis meritis humanitatis ſanctæ Domini, hodierna die terram ſuper Cælum attollit, & corpus ſuper omnes Spiritus, & demum ſi collocat hominem ad dexteram Dei, ordo naturæ cedit ordini juſtitiæ in remunerando maximam humiliationum omnium, quæ unquam extiterint altiſſimo gloriæ gradu, & Salvatoris exinanitionem uſque ad terræ centrum per illius exaltationem ad altiſſimum Cælorum faſtigium: *Aſcendit ſuper omnes Cælos. Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Equidem ſcio hæc Apoſtoli verba Crucem figere quibuſdam Theologis, quinam ſit locus hic adeo elevatus, qui intra Mundi hujus ambitum contineri nequaquam poſſe videtur; & S. Thomas credit, hunc re vera eſſe ſuper Cælos omnes infinitis ſpatiis, quæ Dei ſolum immenſitate repleta ſunt, & quæ ſub pedibus ſubſtratam habent altiſſimam Empyrei ſuperficiem, & quidquid in univerſo continetur. Ita ille, qui per prodigium abjectionis, & humilitatis non invenerat in terra, ubi caput reclinaret: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*, modo per exceſſum gloriæ non inveniat locum in Cælo, qui ſatis digne illum recipiat. Opus eſt, ut ſolium ejua ſit ſupra naturam omnem poſitum, ut nihil magnitudinem ejus coarctet; & mundo capere non valente lucem Majeſtatis ipſius, omnia creata pedibus illius ſubjiciantur. *Idem.*

Licet ſolus Dei Filius victoriã retulerit & ſolus dimicaverit, voluit tamen homines eſſe gloriæ ſuæ conſortes.

De Deo, quem colimus, nequaquam idem ſentiendum eſt, ac de victoribus, qui cum alienis viribus victoriam retulerint, ſibi unice accepta referunt omnia victoriæ bona; qui ad faſtigium magnitudinis, humanæque vanitatis ſublati, de ſummo ſolii gradu indignabundi deſpiciunt eos, quorum manu tecti vicerunt. Fides nos docet JESUM CHRISTUM unum viciſſe peccatum, dæmonem, infernum, & teterrimorum hoſtium conatus ſuſtinuiſſe die ſuorum dolorum; & nihilominus die triumphi ſui, qui ſecundum veritatis ſpeciem pro uno illo tantum eſſe debere videbatur, nos licet inutiles ſibi ſocios habere cupit gloriæ ſuæ, nobiſque ejuſdem bona partiri dignatur eo uſque ut nos fratres ſuos, ſibique dilectos vocet; eo uſque ut Magdalenæ præcipiat: *Vade ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum.* *Joann. 20.* *Elogia Sanctorum Tomo 2.*

Poterantne diſcipuli otioſi eſſe, & nullo in diſcrimine habere adeo magnificam apotheoſim, in qua Cælum, terra, limbus, veteris, novæque legis juſti, Angeli, & homines, viventes, & mortui, Eccleſia, & Synagoga ſimul conſenſerant ad commendandam divini triumphi divinitatem? Verum eſt, illos, ubi cogitabant, ſe non amplius viſuros eſſe adeo bonum Magiſtrum, cujus adſpectus tota erat eorum conſolatio, ac vis, inter ærumnas exilii ſui, acri dolore percitos, exclamaſſe: Quænam eſt jactura noſtra, Deus cordium noſtrorum, cum tui jacturam facimus! Sed ubi revocabant in mentem ſuaviſſima illa, quæ ipſis dixerat verba, ſe in ſenſibilis præſentiæ ſuæ locum illis præparaturum eſſe in Cælis ſedem, ubi ſatis abunde abſentiæ ſuæ jactura reſarciretur: cum reminiſcebantur, illum dixiſſe Magdalenæ, *Vade ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*, tunc ſumma afficiebantur lætitia, & ito, Domine, exclamabant, ito, & adito poſſeſſionem regni illius, quod ampliſſimo jure tuum eſt: *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, aſcendens ad Patrem ſuum, & Patrem noſtrum. *Ibid.*

Ex his noviſſimis verbis totum deſumi poteſt Sermonis unius argumentum. JESUS CHRISTUS aſcendit ad Patrem ſuum; hoc efficit gloriæ ipſius conſummationem. JESUS aſcendit ad Patrem noſtrum, hoc efficit noſtræ felicitatis argumentum. JESUS CHRISTUS aſcendit ad Patrem ſuum, triumphi illius pulchritudinem admiremur; JESUS CHRISTUS aſcendit ad Patrem noſtrum, lætemur de Privilegiis redemptionis noſtræ. Aſcendit ad Patrem ſuum ad ſibi debitam mercedem recipiendam, *aſcendo ad Patrem meum.* Aſcendit ad Patrem noſtrum, ut non debitum nobis præparet locum; *& ad Patrem veſtrum.* Aſcendit ad Patrem ſuum, quia quidquid eſt Patris ſui, ſuum eſt; aſcendit ad Patrem noſtrum, quia vult nos eſſe, ubi ipſe eſt cum Patre ſuo. *Ibidem.*

Sententia S. Cypriani de Myſterio Aſcenſionis.

Quid igitur hic facimus, concludit S. Cyprianus; quis noſtrum quæret in Cælo beatitudinem, quam invenire non poteſt in terra? Quis ſuis votis prævertet diem obitus ſui; & non cupiet quam citius tanta frui felicitate. Jam ſumus in Cælo ex quadam parte noſtri; & inde expectamus Salvatorem noſtrum, qui auferet a corpore noſtro humilem formam, quam gerit, ut illi aliam, ſuæ videlicet gloriæ, communicet. Hoc ſe facturum recepit, hoc pro nobis petiit a Patre ſuo; ipſe etiam dixit, ſe velle, ut ibi eſſemus, ubi ipſe eſt, ibique eſſemus cum ipſo, Quænam ergo noſtra cæcitas eſſet,

ſæ, ac infidelitas, ſi eum in Mundo adeo ſimus calamitoſi, ut ſumus, huic etiam adhærere velimus. *Ex Elogio Sanctorum.*

Cæci Mundi ſectatores metuunt ne honores, voluptates, à opes amittant, non ita veri chriſtiani regni cæleſtis hæredes.

Ello, S. Cyprianus ait, illi quos Mundus ſeductor amat, ac diligit, quos inani luce perſtringit, quos promiſſionibus illicit, quos occæcet honoribus, & inebriat voluptatibus; e mundo emergere vereantur; eſto, hi ſibi diuturna efficere velint tabernacula; vos autem, quos hic Mundus odit, & qui viciſſim illum odio perſequi debetis, quid habetis, quod vobis poſſit auferre; & cur non potius ſequimini JESUM CHRISTUM qui vos redemit, & amat? Ut ita vere ſitis affecti, voſmet attollite verſus beatas ſedes illas, ubi regnat, & fidei veſtræ magnitudine ſuffulti præſto eſtote his omnibus, quæ vobis illi imperare placuerit. Oſtendite affectus veſtros cum fide veſtra conſentire, & cor veſtrum cum ore; & petentes quotidie, *Adveniat regnum tuum*, jam vos velle ibi eſſe cum illo. *Ibidem.*

Idem ſequitur argumentum.

Excutite ex animabus veſtris mortis timorem; cogitate beatam æternitatem, quæ illam ſubſequitur; quæ cogitatio vos ſemper occupare deberet, ſed quæ magis adhuc vobis præſens eſſe deberet diebus tumultus, ac procellæ, quibus circumundique obſidemini in miſeri hujus Mundi lapſu; ut memoria eorum, quæ jam paſſi eſtis, & longe graviorum, quæ imminent, prævifo, efficiant, ut maximum vos lucrum facturos arbitremini, ſi quanto citius hinc egrediamini. Si domus, in qua manetis, proximum minitaretur interitum; ſi præ vetuſtate fatiſceret, murique circumundique crebris hiatibus ruinam intentarent, quanta feſtinatione, & cura inde proripere conaremini. Vel ſi in mari furens debaccharetur procella, quæ navim, in qua eſſetis in ſcopulos alliſura videretur, ſua brachiorum contentione, qua ſedulitate portum aſſequi adniteremini? Talis hodierna die eſt miſeri Mundi hujus ſtatus. Vetus eſt ædificium fatiſcens, & undique ruinam trahens, & ægre inde avellitis corda veſtra, ne ſub illius lapſu pereatis? Neque humiles Deo gratias agitis, eo quod vobis oſtendit in Cælo portum, ubi in æternum intuto verſabimini? Munde ſeductor, inconſtantes, & perfidæ creaturæ, nullo mihi ultra eritis in pretio. Voluptates, honores, ludi, ſolatia, ſocietates, convivia, pompæ, divitiæ terræ hujus, non eritis mihi, niſi ſordes, ac ſtercora, ut lucrari poſſim JESUM CHRISTUM, & poſt exitum vitæ meæ ibi ſim, ubi ille eſt. Accedite humiliationes, paupertas, morbi, afflictiones, injuriæ, perſecutiones, mortificationes ultroneæ, & illatæ, Cruces Dei mei. Ego vos ex toto corde amplector, certus, vos tutiſſimas eſſe in Cælum vias, ad quod unice contendo, & ubi me operitur Salvator amabilis, qui mihi ſedem paraturus illuc aſcendit. *Ibidem.*

JESUS aſcendit quatenus homo, Deus enim motus localis capax non eſt.

Cur dicitur aſcendiſſe JESUS CHRISTUS, niſi quod deſcenderat antea in inferiores partes terræ? *Quod autem aſcendit: quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Deus nequaquam aſcendit in Cælum, perinde ac ibi nunquam fuiſſet; ſed illuc aſcendit, quippe qui inde deſcenderat. Deſcenſus hic factus fuit per Incarnationem; etenim cum dicimus illum de Cælo in terram deſcendiſſe, hoc eſt unigenitum Dei, quem Angeli vident in Cælo in ſplendoribus Divinitatis ejus, humanam in terris aſſumpſiſſe naturam, ut videretur, & audiretur ab hominibus, atque ut hos per paſſiones ſuas ſalvos faceret, non ceſſavit ille, quo minus eſſet adhuc in Cælo; nam quatenus Deus eſt ubique, & replet omnia. Aſcendit igitur, poſtquam deſcendit ad inferos; nam, ut Patres inquiunt, Animæ Sanctorum, quas illinc revexerat, in Cælum ingredi minime poterant, niſi illis viam patefaceret. Igitur ille ipſe, qui deſcendit idem eſt ac ille, qui aſcendit. Quamvis enim in JESU CHRISTO duplicem concipiamus naturam, divinam videlicet, quia Deus eſt, & humanam, quia homo eſt, tamen in ſe unam habet perſonam, divinam ſane. Hæc igitur deſcendit per humanitatem, quam in ſua aſſumpſit Incarnatione, & hæc ipſa hanc eamdem extulit humanitatem de terra in Cælum per Aſcenſionem. Hæc igitur humanitas non fuerat amplius in Cælo ante Incarnationem, & hæc eadem elevavit hanc eamdem humanitatem de terra in Cælum per Aſcenſionem. *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo* ʒa.

Dei Filius deſcendit ad inferos, ut inde Iuſtorum animas ferret, & aſcendit in Cælum, ut ruinas repararet.

Ad Philipp. 2.

Aſcendit ſuper Cœlum Cœli, hoc eſt ſuper Cælorum verticem, ubi ſuper omnia creata ſublatus eſt. Illuc aſcendit, ut repleret omnia, quemadmodum inquit Apoſtolus, ut repleret figuras omnes, ut repleret quidquid de illo prædixerant Moyſes, Prophetæ, ac Pſalmiſta; ut omnes homines ſuis beneficiis cumularet, ut locos omnes repleret monumentis potentiæ, & magnitudinis ſuæ; ut repararet ruinas, quas in cæleſti Jeruſalem rebellium Angelorum lapſus pepererat. Magna illa in terris miracula fuerat operatus; ſuper aquas inceſſerat, de inferis triumphaverat; æquiſſimum erat, ut in Cælum ibi regnaturus conſcenderet; ut audito ejus Nomine omne genu flecteretur cæleſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteretur, JESUM CHRISTUM eſſe in gloria Patris ſui. *Idem ibidem.*

Quomodo J. C. ſenſim paulatim in Cælum ſuſtulit, ſuſpicientibus diſcipulis ejus.

JESUS CHRISTUS non evanuit repente, neque clanculum fefellit oculos Diſcipulorum ſuorum, qui centum erant & viginti; ſed paulatim aſcendit viribus propriis, quin ad id ope aliena indigeret. Voluit ſe ab omnibus aſcendentem videri; ne hoc miraculum in dubium poſſet revocari, & ſicuti omnibus omnino perſuaſum erat de veritate Reſurrectionis ſuæ propter frequentes illius apparitiones, & familiaria colloquia; voluit etiam ut omnes teſtes eſſent oculati glorioſæ Aſcenſionis ſuæ, & complementi earum rerum omnium, quas illis prædixerat, & quarum memoriam ſubinde in illis excitaverat. Videlicet quod cum de Cælo deſcendiſſet in terram, ſibi abeundum eſſe de terra, ut in Cælum reverteretur. *Exivi a Patre*, ajebat illis, *& veni in Mundum: iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem.* Hæc pauca verba, quemadmodum alibi dictum eſt, complectuntur præcipuos fidei noſtræ articulos de perſona Filii Dei. Æternam illius generationem: *Exivi a Patre;* ejus Incarnationem; *veni in Mundum;* triumphalem Reſurrectionem, & glorioſam Aſcenſionem; *vado ad Patrem.* Profecto cum nihil ultra illum retineret in terra, momento Cælos omnes penetravit, & tamquam Unigenitus Dei ſedet ad dexteram Patris eodem in ſolio, ubi ſanctæ humanitati ſuæ omnem gloriæ ſuæ plenitudinem communicavit. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo* 4. Joann. 16.

Dei Filius per Aſcenſionem ſuam nos invitat ut ſæpe cogitemus Cælum quæ vera eſt ratio ad ſubeundas mortificationes.

Ratio ferventer amplectendi quidquid moleſtius eſt in Chriſtiana Religione, eſt cogitare Cælum, quo Dei Filius nos invitat hac die; tunc enim evaneſcit, quidquid nobis negotium faceſſit in officiorum noſtrorum exercitatione; tunc omnes diſſipantur difficultates, quæ nos in virtutis via præpediunt; tunc horrens imago illa, quæ nobis proponitur, pœnitentiæ, mortificationis, auſteritatum, quæ ad ignaviam noſtram excuſandam inſervit, ſenſim tollitur, ac tandem nihil eſt, quod grave, durumque videatur cogitanti magnum illud bonum, quod momentanei laboris præmium futurum eſt: *Momentaneum, & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. ad Cor. 4. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Aſcenſio J. C. ut ita dicam eſt ſignum ceterorum cum ſit omnium noviſſimum.

Cum Aſcenſio Filii Dei noviſſimum ſit Myſteriorum ejus, eorum etiam ſignum eſt. JESUS CHRISTUS mortuus eſt pro noſtra redemptione, & propter noſtram juſtificationem reſurrexit; & propter glorificationem noſtram aſcendit in Cælum. Aſcendit illuc ut nobis ibi ſedes pararet, quemadmodum dixerat Apoſtolis ſuis: *Vado parare vobis locum.* Ipſe in Cælum tulit naturæ noſtræ primitias tamquam primogenitus in multis fratribus; & primus adiit omnium cæleſtia hæreditatis poſſeſſionem, ut ejuſdem ceteros participes faceret. Patriarchæ, Prophetæ, Juſtique omnes veteris Teſtamenti, illum triumphantem concomitantur ad gloriam, quippe qui primi ad gloriam prædeſtinati fuerunt: ſed Novæ legis Sancti ſubſequuntur glorioſum hoc agmen, & nos quodammodo regnamus in Cælo, ubi naturæ noſtræ portio regnat cum JESU CHRISTO, ut S. Maximus inquit. Divinus hic Samſon ubi tenebricoſas inferorum, & mortis portas confregit, detulit illas in montes futuras æternum ſuæ victoriæ trophæum. Sed Caput ſine membris ſuis eſſe non decet, ut JESU CHRISTI felicitati nonnihil deeſſet, ſi ſolus eſſet in gloria. Pertulit vulnera ſua in Cælum, ut noſtræ redemptionis pretium ſemper obverſatum oculis Patris Æterni Cæleſtis Regni portas ſemper reſeratas teneret. *Abbas du Jarry.*

Opus non erat, ut Dei Filius tot haberet oculatos teſtes Aſcenſionis ſuæ ut ejuſdem nobis fidem adſtrueret.

Quamvis Dei Filius non habuiſſet tot oculatos Aſcenſionis ſuæ teſtes, quot illius erant Diſcipuli, qui in Olivarum Monte congregati illum intentis ſubſecuti ſunt oculis, donec nubes, quæ ipſum involvit, illos fefellit; nunquid ratio noſtra non conſenſiſſet cum fide in iis credendis, quæ credit Eccleſia? Sacratum hoc Corpus, victima, & hoſtia expiationis immolata propter ſalutem hominum, quomodo evanuit, niſi per Aſcenſionem, quæ celebratur hodie? Primorum fidelium pietas ſubtrahere potuiſſet ex tyrannorum rabie Reliquias, & oſſa tot Martyrum populorum venerationi expoſita & caput ſecum eorum, ex quo tantam receperunt gloriam, ſi in ſepulcri ſquallore permanſiſſet? Imago hæc poteſt ne occurrere ſpiritui quin tota ratio repugnet. *Idem.*

Oraculũ quod protulit Dei Filius ante Aſcenſionẽ ſuam. Joann. 12.

Neſcio, Auditores, quo pacto adimpleri poſſit oraculum hoc, quod prodiit olim ex ore Domini, tunc inter homines viventis, fore ut ſi ſemel exaltatus fuerit de terra, & in Cælum aſcenderit, ille omnia ad ſe pertraheret: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* Equidem video cetera creata cedere illius poteſtati; cælos, terram, ſydera, & elementa ſimul aliquid conferre ad pompam triumphi ejus, ſed quod illi magis conferre poſſet, & illi eſſet antiquius, videlicet cor hominis non ſequitur ipſum, & nihilominus opus eſt ut de hoc agat triumphum, quamquam tot vinculis alligatum terræ adhæreſcat; nimis eſt repere in pulvere, corda noſtra facta non ſunt pro rebus ita abjectis, atque contemptibilibus; extollamus illa in Cælum, ubi Dei Filius nos præſtolatur. Sed ad ingentem conatum hunc exerendum opus eſt, ut tu Mundi Salvator nos trahas: *Trahe nos poſt te, curremus.* Cant. 1. Immanis profecto ſarcina eſt pondus peccatorum noſtrorum; alterum vero eſt pondus

dus corporis noſtri corruptibilis, quod prægravat animam, prohibetque, ne in Cælum ſuas cogitationes attollat, & vota. Sed cum ejus Propheta teſtetur illum aſcendentem in Cælum captivam duxiſſe captivitatem, orandus eſt, ut fidem præſtet, obſecrandusque ut ſuam erga nos promiſſionem adimpleat, ac vim nobis præbeat infringendi vincula, quæ nos in captivitate detinent, videlicet noſtras cupiditates, inordinata deſideria, pravos habitus, qui efficiunt, ut tandiu in turpi, ac miſera captivitate detineamur: *Trahe nos poſt te, curremus*. Iterum dico: Hominum Salvator trahe nos ad te, & curremus, vel potius volabimus ardentibus votis, viva ſpe, ferventi caritate, & quo? eo, quo nos tua evocat gratia, tua nos manet gloria, tua nobis coronam elargiri vult miſericordia, verbo in Cælum, beatamque æternitatem. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

1. Corinth. 7.

Hortatur nos S. Paulus Apoſtolus, non ſolum ut patienter tribulationes ſuſtineamus, ſed ut vivamus ſemper in lætitia ſperantes nos in Cælum ituros: *Spe gaudentes*, cujus conſilii nobis præbet exemplum, ubi ait: *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*. Quin vincar mœrore in tribulationibus, quibus exagitor, quodammodo vincor copia interiorum conſolationum, quas mihi Deus elargitur, & cor meum ſatis magnum non eſt, ut capere valeat exultantis lætitiæ motus. Quid enim ciere poterat in Apoſtolo ſenſus adeo naturæ oppoſitos, niſi vivens, & animata hæc beatæ æternitatis imago, quæ ſemper quidem ob oculos illius verſabatur, ſed quæ nunquam eidem erat, quam in tribulatione præſentior? *Abbas du Jarry.*

Aſcenſio Filii Dei ex Richardo de S. Victore verum eſt, & dignum objectū ſpei noſtræ.

Ecce magnum, & verum ſpei noſtræ objectum, inquit Richardus de S. Victore. Alii, quoad ipſis placuerit in Mundo creſcant, ibi perutiles contrahant affinitates, honorum ſplendore colluceant, & primos occupare feſtinent recubitus; ego vero, qui ſcio ibi JESUM CHRISTUM non eſſe, & ipſum velle me eſſe, ubi ipſe eſt; non aliam ſedem opto, niſi Cælum, non aliud fœdus, niſi cum Deo, non aliud munus niſi benedicendi illi, neque locum niſi quem ipſe mihi oſtendit. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* ex quo ingreſſus es in illa. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: Cor meum, & anima mea exultaverunt in Deum vivum*, eamque deficientem, atque languentem ſpes hæc una confirmat. *Sermones Morales Tomo 6. parte 2.*

Pſalm. 83.

Apoſtoli terrā deſpiciunt ubi vident Deum aſcendentem in Cælum.

Videntes Apoſtoli optatiſſimum Magiſtrum ſuum in Cælum aſcendentem, terram contempſerunt, incipientes illum ut ita dicam, cumulatius guſtare, eique adhærere fortioribus vinculis, ac ardentius illius amore inflammari. Hujuſmodi noſtra quoque eſſe debent, dummodo parum aliquid nobis adſit ſpei, fideique. Quænam enim eſſet cæcitas noſtra, ſenſuumque carentia erga æterna bona, ſi Deus omnipotens, glorioſus, locuples, magnificus, & ſuavis non poſſet ſua potentia, gratia, magnificentia, pulcritudine allicere cor, quod nonniſi propter ipſum factum eſt, & quod licet Mundo adhæreſcat, voti compos fieri non debet, niſi poſſideat Deum? Quænam eſſet cæcitas noſtra, ſi JESU CHRISTI Sanguine redempti, in partem gloriæ ipſius evocati, intenti ad quotidie precibus Deum fatigandum ut in nos illius Regnum adveniat, omnium votorum noſtrorum terminum in bonis, honoribus, voluptatibus, & vitæ hujus commodis conſtitueremus? Quænam noſtra cæcitas eſſet, ſi quotidiana docti experientia miſeriarum, & corruptionis Mundi hujus, quotidie illum adhuc diligeremus; ſi agnoſcentes magna bona, quibus fruuntur, qui Deum poſſident in Cælo, Deum, ac Cælum negligeremus, quaſi ille Pater noſter non eſſet, & hoc ſedes noſtra futurum non eſſet; perinde ac JESUS CHRISTUS, qui habet unde omnino omnium hominum expleat vota, non mereretur in terris aliquem invenire hominem, qui eodem eſſet contentus? *Ibidem.*

Cælum eſſe debet ſpei noſtræ objectum, ibi enim eſt noſter theſaurus.

Cælum igitur, & ſupremi hujus boni poſſeſſio ſolum eſſe debet objectum ſpei noſtræ, quoniam ubi theſaurus eſt meus, ibi & cor meum eſſe oportet; quoniam ubi erit JESUS CHRISTUS vita mea, ſalus mea, bonum meum, gloria mea, honor meus, pax mea, & quidquid merito ſperare poſſum, ibi etiam fixa eſſe debent deſideria mea. Illum in Cælo ſine fine videbo, ibi ſine tædio illum guſtabo, ibi ſine metu eum poſſidebo, ac ſine intermiſſione laudabo; ergo in Cælum unice mihi tendendum eſt; per ſummi hujus boni poſſeſſionem cetera quæcumque, nonniſi boni ſpeciem habentia, mihi ſunt contemnenda, ideoque indigna ſunt, quæ illa expetam, & conquiram. *Sermones Morales Tomo 6. parte 1.*

J. C. nihil amplius facere poterat ut nos ſanctificaret, & ſpē noſtram attolleret.

Niſi alios merito ſenſus mihi licet concipere; poterat ne JESUS CHRISTUS ampliora facere iis, quæ fecit, ut ita ſpem noſtram ſanctificaret, & attolleret? In paupere, & humili ejus Nativitate gratiam invenio, qua ſuffultus in Mundo contemno bona, & honores, quos ipſe recipere noluit; in morte ejus gratiam nanciſcor, quæ nobis metum injicit pœnarum, propter quas ſe immolavit in cruce; in Reſurrectione ejus gratiam reperio, quæ nobis Mundi ſpiritum auſert, ut nos efficiat novas creaturas meritis ſuis juſtificatas. Denique in ipſius Aſcenſione comperio gratiam, quæ nos a Mundo ſeparat, & quæ nos de terra in Cælum per ſpei noſtræ generoſitatem, & puritatem attollit: ibi cum S. Laurentio Juſtiniani invenio gratiam, quæ nos ad primum adducit principium, quæ nos admonet propter Deum tantum nos creatos fuiſſe, & ex quo JESUS CHRISTUS in Cælum aſcendit, nihil nobis pluris eſſe faciendum, vel optandum quam Cælum: gratiam, quæ attollens ſpem noſtram tanti objecti excellentia, illam fulcit per nova jura, quæ ad gloriam acquirimus, JESU CHRISTO in hoc Myſterio promittente nobis, ſi ipſe adit poſſeſſionem Regni ſui, ſe illam adire, ut nobis præparet locum, quem deſtinat nobis, & quem alioquin nos obtenturos eſſe deſperaremus. *Ibidem.*

Aſcenſio Filii Dei non eſt triumphus ſimilis dominorum Orbis, ſed æternus eſt.

Hæc non eſt pompa perfunctoria, vel dierum aliquot triumphus, ſimilis triumpho imperatorum qui magnifico invehebantur curru, circum quem populorum turba aderat illum in Capitolium uſque lætis plauſibus inſequentium, ſed qui mox eum nullo habebant in diſcrimine, non ſecus ac unum aliquem e populo. Sed hic æternus eſt Dei triumphus, qui Mundo, dæmone, peccato, infernoque devictis procedit dignam recepturus mercedem laborum ſuorum, & in æternum perfruiturus fructu victoriarum ſuarum: Dei, qui poſtquam in mortali carne pugnavit, aſcendit mortalem hanc carnem collocaturus ad dexteram Patris ſui, ibique poſiturus arcam hanc Sanctificationis ſuæ Angelis, hominibuſque circumdatam in honorifico loco, qui illi debetur. *Sermones Morales Tomo 6. parte 2.*

Ex eo, quod Dei Filius in Cælum aſcendit ſequitur, illum ſecum omnia deſideria noſtra ferre debuiſſe.

Ex quo Dei Filius aſcendit in Cælum, nonne ſecum illi auferenda erant omnia noſtra deſideria? Hæc enim inferri debet concluſio ad hujus Myſterii gloriam: & ſi Apoſtolus S. Paulus cenſuit, ſe jure aſſerere poſſe, poſtquam JESUS CHRISTUS reſurrexit, nobis non amplius diligenda eſſe terræ bona, ſed Cæleſtia unice eſſe inquirenda; nonne potiori jure inferre poſſum, cum Deus in Cælum aſcenderit, neque habeat ultra in terra præſentiam ſenſibilem, ad Cælum, & ad ſummum illud bonum omnes cordis noſtri motus eſſe dirigendos? Ita ſane, atque ita S. Auguſtinus, & Richardus de S. Victore argumentantur: De duobus agebatur, inquiunt, primum ut JESU CHRISTO ea tribueretur gloria, quæ ipſi debebatur, ut per ſplendidum hoc Myſterium, quod finem injecit vitæ ejus curriculo, præteritæ illius ignominiæ commendarentur; alterum vero, ut nos intelligeremus præſtantiam, & bona hujus gloriæ, ut unice huic inhærentes objecto inceſſanter votorum noſtrorum pernicitate attolleremur. Ita JESUS CHRISTUS per Aſcenſionem ſuam recepit conſummationem gloriæ ſuæ, ſine qua nunquam eam conſecutus fuiſſet mercedem, quam merebatur, & per hanc Aſcenſionem ſuam nos docuit, ad hanc tantum gloriam contendere; nonniſi ſupremum hoc eſurire, & ſitire bonum (ita enim ſummi illi viri loquuntur) citra quod nihil ſperaremus dignum affectionibus, ac laboribus noſtris. *Ibidem.*

Zelum, quem teſtati ſunt Apoſtoli, ut J. C. in Cælum ſequerentur.

Dei Filius in Cælum coram Diſcipulis aſcendit: *Videntibus illis elevatus eſt*. Diſcipuli illi unice diligebant Magiſtrum, ac Dominum, cum quo tandiu vixerant, cujus qualitates, & perfectiones noverant, & qui illos ſumma caritate fuerat complexus, ita ut illius affici deſiderio non poſſent. Colloquiorum, & ſermonum illius recordatio, cogitatio, ſe in ejus ſchola innutritos fuiſſe, & præſens objectum quo oculi eorum pleni erant, excibant in corde illorum motus adeo vehementis deſiderii, ut mente, atque cogitatione illum ſequerentur, quem non amplius erant viſuri, niſi in Cælo, & quemadmodum S. Bernardus ait futurum fuiſſe ut Eliſeus Propheta cum videret Eliam flammeo curru in Cælum efferri, vellet ipſe quoque corde ſaltem in Cælum rapi; & Eliam diſcipuli *aniverſu ſpectantis deſideria ſecum puriter abſtuliſſe*, hoc ipſum Diſcipulis, atque Apoſtolis ſimul in Monte Sancto collectis contigit ubi viderunt Salvatorem ſuum in Cælum aſcendere, illum corde, ardentibuſque votis ſecuti ſunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De Aſcenſ. ſerm. 6.

Ut Sancti ſimus, ac Cælum promereamur, illuc per tribulationes eſt perveniendum.

Quantumvis irrationabilis, & demens ſit cogitatio Fidelium ſperantium, ſe in Cælum eſſe ingreſſuros, quin hoc ſibi ullis laboribus, aut ſumptibus ſtet; ſi plerorumque agendi ratio ſpectetur, nonne confitendum eſt, his inniti illorum ſpem, vel nullam omnino illis ſpem eſſe ſequendi JESUM CHRISTUM in gloriam? Tandem enim ubinam gentium inveniri poſſunt, qui profiteantur ſe vitam frugi in Mundo vivere vel qui actionibus ſuis oſtendant, ſibi de magna hac veritate perſuaſum eſſe? Nunquid illi erunt, qui adeo impatienter ſuſtinent infortunia, quæ illis JESUS CHRISTUS immittit, ut bonorum jactura, vel inopina mors alicujus, cujus conſilio, vel præſidio fulciebantur, lethali eos mœrore conficiat, & ad deſperationem fere adducat? Nunquid illi, quos levis aliqua adverſitas, quos levis capitis dolor, aut incommodum tenue ita moroſos efficit, & ne domeſticis quidem ſuis ferendos, ut jejunii dies ſit illis ſupplicii loco; illi tandem quorum pietas adeo gravis eſt, ut ubi aliquod illis vel minimum negotium faceſſat, ſit illis legitima cauſſa, qua

ſe ab

ſe ab iis omnibus diſpenſent, quæ leviſſimam eorum ſpiritu, vel corpori crucem inſigunt? *Auctor Recens.*

Admirari nos oportet æternorum Tabernaculorum Magnificentiam.

Dei mentem aſſequamur, cogitemus ſæpe ſpeciem, ac magnificentiam æternorum Tabernaculorum illius. Quidquid hic in terris eſt, ſordet, ac vileſcit animæ ſincere ad beatæ illius ſedis gloriam tendentis. Quos animi impetus non ciet in illis ſuaviſſima hæc cogitatio! Utique, ſpero, & jure ſpero, me aliquando participem fore ſedis illius, quam in Cælo JESUS CHRISTUS conſecutus eſt in eodem Patris ſui ſinu. Tale eſt Chriſtianæ ſecuritatis objectum. Vos igitur, vos ipſi eo contendere poteſtis; neque prohibere vos poſſunt imperfectiones veſtræ; dummodo illas non ſolum non ametis, diligatis, foveatis, verum etiam ex corde eas convellere ac omnino tollere ſatagatis. Quantumvis frequentiſſimæ ſint in Dei Regno Sedes, nulla tamen eſt pro animabus, quæ ea voluntate ſua ſuperbæ ſunt, quæ ultro divagantur, & quæ ultro tepidæ ſunt, & oſcitantes. Hinc cognoſcite, quid vobis conſilii capiendum ſit. *Ex Libro, cui titulus; Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville tomo* 1.

Quos dolores pertulit Dei Filius antequam aſcenderet nobis locum in Cælo paraturus.

Vado parare vobis locum. Bone Deus! quam moleſti, ac doloribus pleni ſunt iſti apparatus! Numquid Domine per mortem tuam, per omnimodam adorabilis Sanguinis tui effuſionem opus eſt, ut mihi præpares locum in regno Patris tui? Heu! fieri ne poſſet, & quamvis poſſet, egone poſſem pati, ut quod tanto ſtetit pretio Filio Dei mihi, mihi ſtaret nullo? Haud ita, Salvator amabilis; volo ſaltem partiri tecum humiliationes, ac dolores tuos. Væ illi, qui caret æquiſſimis id genus ſenſibus amoris, gratique animi! Scrutare igitur cor tuum, ac vide utrum piis hujuſmodi motibus afficiatur; ſed noli in theoretica tantum conſideratione immorari, perge inceſſanter ad praxim, incipe hodie viam crucis arripere; via hæc nunquam nimis ardua, & ſalebroſa videretur tibi ubi memoria recoleras, JESUM CHRISTUM eamdem ſtraviſſe tibi, & adhuc eam Sanguine ipſius imbutam madere. Quantum robur cogitatio hæc tibi debet afferre! quam apta eſt ad ciendum in te amorem crucis, quam ante te, & pro te Filius Dei bajulavit! Illam igitur dilige ex corde, ardenter illam complectere, ſtrenue geſta, neque illam unquam abjicias, etenim ſine illa pervenire non vales ad gloriam. *Idem.*

Dei Filius per Aſcenſionem ſuam nobis hodierna die aditum pandit in Cælum.

Dei Filius hodierna die glorioſus aſcendit in Cælum ejuſque nobis aditum pandit, noſque in gloriæ ſuæ partem arceſſit. Cum hoc Myſterium nihil habeat, quod ſtudiis noſtris adverſetur, ac facile nobiſmet polliceamur aliquando nos ad tantum gloriæ apicem perventuros eſſe, libenter immoramus cogitantes JESUM CHRISTUM Caput noſtrum aſcendentem in Cælum, & nos in ſui ſequelam invitantem. Sed quid fecit JESUS CHRISTUS antequam in Cælum aſcenderet? Quæ nobis præcepta relinquit? qua via nos incedere jubet, ut noſmet ad tantam mercedem recipiendam præparemus? Hæc nos terret. Harum Veritatum meditatio nobis accepta non eſt; ægre patimur, nobis probari, Cæli gloriam pro illis eſſe tantum, qui ſtrenue dimicant, & neminem cum JESU CHRISTO glorificari poſſe, niſi cum JESU CHRISTO crucem ſubierit. Noſmet omnino Salvatori Mundi hujus devovere debemus, vitamque noſtram ſervituti illius conſecrare; Cæli gloria nonniſi hoc pretio poteſt comparari. Hæc illa magni momenti veritas eſt, de qua vos eruditurus ſum, oſtendens vobis, quid nobis exprobrare jure poteſt JESUS CHRISTUS, cum noſmet ipſi non mancipamus; explicans, quid ſit, ſeſe Deo mancipare; ac tandem vobis oculis ſubjiciens, quam mercedem præparet Deus devoventibus illi. *Lambert in Anno Evangelico tomo 6.*

Omnia vota noſtra tendere debent in Cælum; ibi enim eſt theſaurus noſter.

Verbum caro factum, quod oculis ſuis viderant Diſcipuli, quod ſæpe audiverant, manibuſque attrectaverant, ut eorum quidam ait, objectum erat ſenſibile, & præſens, valens figere illorum deſideria, eorumque mentem, & cogitationes in Cælum convertere, quod futurum erat ſedes eorum. Sed hoc efficere debet in Chriſtifidelis mente ſpes fide ſuffulta; nam ſi ubi theſaurus eſt noſter, ibi cor noſtrum eſt, inquit Salvator; cum hic Deus factus homo propter nos ſit theſaurus noſter, & ſit in Cælo, opus eſt, ut cor noſtrum illuc tendat inceſſanter; & fidelium nemo eſt, qui imitari non teneatur Ezechielem Prophetam, poſtquam cum populo Dei adductus fuit Babylonem in captivitatem. Cum enim Deus huic Prophetæ revelaſſet Templi reparationem, mente, & cogitatione ſemper erat in Palæſtina, cum corpore inter Aſſyrios verſaretur. Heu! Ipſe primus non ſum, qui Mundum in quo vivimus, vocaverim Babylonem; ubi omnia ſus deque confuſa ſunt: hic Sanctorum omnium eſt ſermo. Sed quotuſquiſque fertur, ut Propheta laudatus, in locum ubi certi ſumus, Myſticum hoc Templum Sanctæ humanitatis Domini inſtauratum eſſe, ut ubi nos quoque aliquando futuri ſumus totidem viventia templa? Heu! oportet ne, cum Cælum theſaurum noſtrum contineat, cor noſtrum turpibus vinculis in terra detineri? *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Aſcenſio Filii Dei verus eſt triumphus, ſed multo major quam ille Principum Terræ.

Aſcenſio Filii Dei fuit triumphans; triumphans inquam, quoniam hic in Cælum reditus verus extitit triumphus, quamvis alius omnino a vanis illis triumphis, quibus antiquitas gentium victores decorabat. Hi trahebant poſt ſe devictos, debellatoſque populos jugo ſuppoſitos; Et in hoc JESU CHRISTI, Redemptoris, divinique Imperatoris triumpho ſequebantur illum electorum copiæ, quas præſentia ſua gaudio cumulaverat, quas quodammodo per omnipotentiam in laxiorem ſtatum adduxerat, quibus Cæleſtis patriæ januas aperuerat, & quas ad beatum hunc terminum adducebat, ut ibi pleniſſima felicitate perfruerentur. Poſtquam homines ſalvos fecerat, poterat ille jure omnes ſuas cogitationes transferre, ut ſe ipſum glorificaret. Poſtquam nobis mortuus erat, ſibi tantum jure ſuo vivere poterat; ſed ejus caritas diviſionem hanc minime paſſa eſt. Noluit ſupremam poteſtatem quam receperat a Patre, in proprium dumtaxat honorem cedere, ſed eadem uti dignatus eſt in gratiam animarum, quæ in captivitatis ſqualore detinebantur. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem.* Nunc iterum dico, Auditores, hæc omnia Myſteria totidem vobis exempla ſunt, & hæc exempla totidem documenta. In his, non ſecus ac in ceteris, immo etiam in ſexcentis rebus aliis, in quibus vos pietatem veſtram circumſcribitis, adorabilis Salvator noſter eamdem vobis præſcribit regulam, quam Apoſtolis ſuis præſcribebat. In his dicit: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos faciatis.* Facite, quæ ego facio, & caritas veſtra, quoad fieri poterit, meæ reſpondeat miſericordiæ. Videte igitur quomodo hæc applicanda ſint vobis veſtræ agendi rationi erga omnes illos, qui in afflictione verſantur. *Adhortationes Chriſtianæ Patris Bourdalove tomo* 1.

Epheſ. c. 4.

Joann. c. 13.

J. C. in Cælum aſcendens duxit ſecum Animas, quæ tamdiu ipſum concupierant.

Ut Captivos glorificaret, eorumque vota repleret, JESUS CHRISTUS illos ſecum in ſuum regnum adduxit. Triumphi ſui nitor nequaquam immiſit illi oblivionem earum animarum, quæ tandiu ipſum concupierant. Voluit eas prope ſe ipſum recumbere, ibique in felicitatis ſede guſtare eamdem requiem, lætitiam, beatitatem: *intra in gaudium Domini tui.* Nemo invidet opulentiæ veſtræ, veſtris proſperitatibus, opibus. Lætamini, quandoquidem placuit Deo hæc vobis dona gratis largiri. In hac conditionum varietate non deſunt ejus conſilia, & dummodo ab his non recedatis, licet vobis ea quæ decet, mediocritate frui beneficiis illius, ejuſque muneribus uti. Sed inter hæc proſpera vos ne ſoli in hoc Mundo eritis beati? vobis tantum omnia erunt vitæ hujus commoda; & quod olim Propheta dicebat divitibus Jeruſalem, fas erit mihi id vobis dicere: *Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* agri vobis dumtaxat afferent fructum? vobis tantum meſſis congeretur in horrea? Damnati votis eo quod omnia vobis uberrime diffluunt, & quod vobis parcunt temporum calamitates, pium non conjicietis intuitum in eos, quos paupertas ad incitas redigit? Creditis ne Deum ita eos deſeruiſſe fortunæ, libidini, ac ipſorum infelicitati, ut nemini eorum curam crediderit? Sed videte ne erretis. Adeſt ſuper illos etiam providentia: & vos illi non ferentes opem in iis, quæ ipſis ſunt neceſſaria, providentiæ infertis injuriam dupliciter ſontes, & quod non ſequimini exemplum JESU CHRISTI; & quod JESU CHRISTI præceptum infringitis. *Hortationes Chriſtianæ Patris Bourdalove tomo primo.*

J. C. per Aſcenſionem ſuam nobis oſtendit ſtadium noſtrum in Cælo completi.

Dei Filius in ſua glorioſa Aſcenſione nobis oſtendit terminum, ad quem nobis contendendum eſt Cælum eſſe. Poſt reſurrectionem ſuam oſtenderat ſe Diſcipulis ſuis nonniſi identidem, & per intervalla, modo his, modo aliis. Sed noviſſima hac die, cum jam terram hanc deſerere conſtituiſſet, ſimul coegit omnes, voluitque ſe ab omnibus videri de hoc mundo egredientem, & aſcendentem ad Patrem. Quid per hoc illis innuebat? præcipua illius mens fuit illis palam magnam hanc perſuadere veritatem, poſtquam in hac vita mortali quemdam numerum annorum tranſegimus, in Cælo curriculum vitæ noſtræ terminum habiturum eſſe, & ea præſenti hoc tempore illuc ſpem omnem eſſe conferendam. Frequens hac de re illis præcepta tradiderat, ſed de hac re ſatis adhuc illis perſuaſum fuiſſe videbatur. Breviori igitur illis opus erat lectione, quæ majus ad perſuadendum pondus haberet, quam ſimul omnes lectiones; illos enim effecit ſuæ teſtes Aſcenſionis; ac ipſis ſuſpicientibus aſcendere voluit ad cæleſtem illam manſionem, ad quam illos evocabat. Ad hoc ſpectaculum omnis eorum dubietas evanuit. Quidquid illis dixerat de Regno Dei, altius impreſſum fuit in eorum memoria; videlicet regnum hoc veram eſſe illorum patriam; ibi eorum ſingulis ſedes eſſe poſitas, ſe illuc ad eas præparandas abire; ſed tamquam capiti præeundum eſſe, ipſos vero tamquam membra tandem aliquando ſubſecutura. Ideo illos relinquebat in terris tamquam in loco peregrinationis, eoſque exiſtimare debere, tamquam hoſpites, vel inquilinos. Omnes hujuſmodi cogitationes illos excitarunt, ac ita affecerunt,

ut per-

ut perfectum inde Mundi contemptum hauſerint, ac deinceps nonniſi vitam alteram ſpectaverint, cujus jam in Præceptoris ſui certiſſimum pignus acceperant. *Pater Bourdaloue in receſſibus aſceticis.*

Dei Filius in Cælum aſcendens innumeram liberavit Prædeſtinatorum turbam, qui erant in Limbo.

Nemo unus dubitat, utrum glorioſa JESU CHRISTI Aſcenſio decorata fuerit comitatu beatæ illius Prædeſtinatorum turbæ, quam divinus ille Salvator de inferorum caligine cæca deduxerat, ubi redemptionem Iſrael præſtolabantur. Tot Sancti Patriarchæ, tot zelotes Prophetæ, tot homines accepti Deo, & in gratia ex hac vita defuncti, divinum hunc mortis Domitorem ſequebantur, ſimulque conſociati cum univerſa Aula Cæleſti, quæ in occurſum ejus ſe effuderat, honorifico, ampliſſimoque comitatu auguſtiſſimum triumphorum omnium proſecuti ſunt. Si pie, ſi digne glorioſam JESU CHRISTI Aſcenſionem celebrare volumus, S. Auguſtinus ait, aſcendamus cum illo, ex corde ſequamur illum, cum dies promiſſionum acceſſerit, illum ſequamur corpore. Vos qui eſtis JESU CHRISTI membra, Pater laudatus adjicit, ſperate, quod in capite veſtro adimpleri videtis, in vobis quoque adimplendum eſſe. *Hoc ſperate membra, quod videtis in capite.* Aſcenſio JESU CHRISTI noſtra elevatio eſt, S. Leo inquit; corpus enim jure ſperare poteſt gloriam eamdem, quam caput accepit. Sed quodnam æquius lætitiæ argumentum, quam JESU CHRISTI in Cælo triumphus, quandoquidem gloria illius eſt quodammodo noſtra? Natura noſtra licet humilis ſit, Sanctus hic Pontifex addit, in JESU CHRISTO elevata eſt ſuper omnem Cælorum militiam, ſuper omnes Angelorum, & Archangelorum ordines; ſublimior eſt omnibus Poteſtatibus, inſignibuſque ſpiritibus Cæleſtis Jeruſalem, & in ipſo Patris Cæleſtis inſidet ſolio. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 4.*

Aſcenſio Filii Dei eſt complementum, & perfectio ſalutis noſtræ.

In glorioſo hoc Dominicæ Aſcenſionis Myſterio admirari debemus œconomiæ ſalutis noſtræ complementum, & perfectionem. Homines Dei Sanguine erant redimendi. Dei Filius factus eſt homo, & natus eſt, ut haberet unde mortales redimeret; mortuus eſt, ut Sanguine ſuo humanæ redemptionis pretium perſolveret; reſurrexit, ut probaret Deum pro illis obiiſſe, & fructum redemptionis ſuæ futurum eſſe corporis, animæque eorum gloriam æternam. Denique in Cælum aſcendit promerita ſibi gloria perfruiturus, atque electis ſuis paraturus illam, quam mortis ejuſdem fructu, gratiæque ipſius auxilio merebuntur. *Idem.*

Dei Filius non ſibi tantum in Cælum aſcendit, ſed ut electis ſuis debitas paparet ſedes.

Non tibi tantum, Domine, tuum in Regnum reverteris, ſed nobis etiam, inſignis quidam Dei ſervus exclamat. Illuc redis tamquam caput noſtrum, & ſecundum ea, quæ nobis recepiſti, eo tendis, ut electis tuis ſibi deſtinatas præpares ſedes. Aſcendis tamquam Mediator noſter, ac pergis oblaturus pro nobis Patri tuo fructus copioſæ redemptionis, quæ Cælum, terramque reconciliavit. Aſcendis illuc tamquam Dux noſter, nobiſque oſtendens terminum, quo nobis tendendum eſt, nobis indigitas viam, qua nobis eſt incedendum. Caput adorabile militantis Eccleſiæ, quam in terra per mortalis vitæ tuæ labores inſtituiſti; fac nos conſortes gloriæ triumphantis Eccleſiæ, quam in Cælo cogere incepiſti, & cujus futurus es æterna felicitas. Ipſi membra ſumus tua; & ubicumque caput eſt, illic cum eo eſſe debent & membra. Mediator Omnipotens nihil ſine te poſſumus; ſi inceſſanter in te, opus eſt, nos tendere, ad te nonniſi per te poſſumus pervenire. Nobis pollicitus es nunquam futurum, ut nos tamquam orphanos ſuper terram relinqueres memento te ipſum hanc tibi depopoſciſſe provinciam, ut pro nobis Patrem tuum rogares: memento te nos coram illo confeſſum fuiſſe tamquam filios, oves, hæreditatem, acquiſitionem tuam. Tuere acquiſitionem hanc, quæ tanto tibi ſtetit pretio: excole hanc hæreditatem, quam tibi Sanguine tuo comparaſti: age gregem hunc, quem curis tuis collegiſti, & ne permittas ullam ex paſcuis tuis ovem aberrare. Denique protege hos filios, qui tibi adhuc adeo jucundi ſunt, & accepti. *P. Croiſet ibid.*

Quid ultra quærimus; quid ſupereſt, quod in terra diligere valeamus? JESUS CHRISTUS, qui in Cælum aſcendit, illuc omnia deſideria noſtra debet rapuiſſe. Quid invenire poſſumus in terra, quod cor noſtrum occupare mereatur? Propter Cælum factis, nihil ultra cupiendum nobis eſt præter locum hunc quietis æternæque felicitatis, nihil præter Cæleſtem hanc patriam. Terra jam ſquallet, ac triſtis incolatus videtur, & ſane eſt cognoſcenti alterius vitæ felicitatem, & vere diligenti JESUM CHRISTUM. Mihi quidem vivere eſt, eſſe JESU CHRISTI, S. Paulus ajebat; & mori mihi quæſtus eſt. Ita chriſtianis omnibus ſentiendum eſſet, atque loquendum. Mirum! Terra, in qua vivimus, crucibus conſita eſt; tribulos tantum germinat, ac ſpinas. Si quæ ibi roſa naſcitur, vix ſine manus læſione colligi poteſt, & vix eadem fruimur, cum ſiccescit. Quæ ſerena dies? quæ tranquilla? procellis turbines ſuccedunt, nulla ſine nebulis anni tempeſtas; nulla ſine furentibus ventis, ac tempeſtatibus climata. Saltem Mundi commercium ſuavitate ſua repararet amaritudinem paſſim in omnes ejuſdem fructus effuſam; ſed quis neſcit, nihil infeſtius eſſe noſtræ quieti, ac felicitati, quam urbanæ vitæ hujus Commercium? *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Quoniam J. C. in Cælum aſcendit, non niſi in Cælum anhelare debemus.

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE ILLAPSU SPIRITUS SANCTI.

Cælum dat terræ, quod in illo pretioſiſſimum eſt.

IANDAM Auditores inita eſt conſenſio, æternumque ſanciendum eſt fœdus Cælum inter & terram; obſides enim utrinque dati ſunt; Terra in Cælum miſit elapſis diebus id, quo nihil ipſi erat antiquius in Perſona Salvatoris, qui ipſo Aſcenſionis ſuæ die illuc aſcendit; Cælum vero hodierna die in terras mittit, quod habet pretioſiſſimum, Spiritum Sanctum, qui fœderis hujus vinculum futurus eſt. Itaque ſicuti tunc dicebamus, terram tunc ſublevatam fuiſſe ad altiſſimum Cælorum faſtigium, ita modo dicere poſſumus, Cælum nunc in terræ locum deſcendere, cum Spiritus Sanctus cordium noſtrorum poſſeſſionem ingreditur. Hæc mens erat Dei, quemadmodum pollicitus erat per prophetam ſuum, efficiendi terram prorſus novam, efficiendo homines prorſus ſpiritales, & Cæleſtes, qui antea erant terreni, & carnales; quemadmodum Cælis recentem induxerat faciem per glorioſam Dominici corporis præſentiam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Spiritus Sanctus ſecundum munus eſt quod nobis largitur Deus poſt Filium ſuum.

Quis crediďiſſet Auditores, Deum, poſtquam omnes exhauſiſſet theſauros ſuos, nobis Filium ſuum tribuens, viam inveniſſe, qua nobis alterum conferret munus, haud ita priori diſſimile? Neque enim hodierna die munus duntaxat elargitur, ſed mittit ad nos donorum omnium Auctorem; non ſolum gratiam dat, ſed fontem, ac principium gratiarum omnium; non ſolum amoris ſui pignus, ſed ipſum amorem ut ſit vinculum fœderis noſtri cum divinitate, & nos naturæ ſuæ faciat participes: verbo; ſicut ipſe Spiritus Sanctus eſt, & Sanctitas eadem, venit in nos, ut nos Sanctos efficiat, videlicet, ut per ipſum ſanctam, ſupernaturalem divinamque vitam vivamus. Cur non ita beatus ſum, Auditores, ut & ipſe unam recipiam ex linguis igneis, quæ hac ipſa die ſuper Apoſtolos enituerunt, ut incomparabilis hujus beneficii præſtantiam, atque magnitudinem vobis oſtendam? *Idem.*

Idem ſequitur argumentum.

Paſſim dicimus, munera, & dona cordis linguam eſſe, vel ſi mavis, teſtes ſinceri amoris, qui ſeſe prodit per has effuſiones, atque profuſiones: Verum ſi cognoſcere optatis quænam ſit ejus præſtantia, quod hodie nobis cælitus confertur; hoc Dei ipſius cor eſt; hæc Sanctitas increata eſt, quæ ad ſanctificandum terrarum orbem dilabitur; hic perſonalis eſt amor, qui fax eſt, & ignis, quem Dei Filius ad accendendum orbem ſe miſſurum eſſe promiſerat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Hic denique eſt divinus Spiritus, qui venit Salvatoris locum occupaturus, & nobiſcum ad uſque ſæculorum conſummationem permanſurus; ita ut Eccleſia per Mundi Salvatorem inſtituta, miraculis ejuſdem confirmata, doctrina illius innutrita, ac Sanguine illita hodierna etiam die Spiritu illius animetur inſtar auræ levis dilapſo in Apoſtolos non ſolum ad id ſignificandum, quod proprium eſt perſonæ ſuæ per inſpirationem procedentis a Patre, & Filio, verum etiam ad oſtendendum, quemadmodum nemo in naturali vita ſubſiſtere poteſt, quin aerem reciprocet, ſimiliter nos ſanctam, & ſupernaturalem vitam vivere non poſſe ſine Sancto Spiritu, qui illius auctor eſt. Hanc ob cauſſam inter cetera, quibus appellatur, nomina præſertim illud aſſumit Spiritus Sancti: & illi Sanctitas vulgo tribuitur, quia in noſtra illabitur corda ad eam ibi producendam, tamquam primam, ſpectatiſſimamque ſuimet ipſius communicationem. *Idem.*

Luc. 12.

En,

Deſcenſus Spiritus ſancti finis eſt Miſſionis J. C. & complementum promiſſionum ejus.

En, Auditores, complementum promiſſionum JESU CHRISTI, finis miſſionis illius, fructus meritorum ejus, poſtremum documentum miſericordiæ, magnificentiæ, & cum Tertulliano audeo dicere, prodigæ caritatis trium divinarum Perſonarum erga homines. Pater Æternus nobis dederat Filium ſuum, Filius hic ſeipſum pro nobis tradiderat, atque immolaverat: quid reliquum erat, quod faceret niſi quod Spiritus ſanctus, ab utroque in unitate principii procedens, ſe ipſum nobis donaret ad reparandam quodammodo ſterilitatem ſuam per extrinſecas communicationes, & ad liberandam JESU CHRISTI fidem, quam Diſcipulis obligaverat, ut propter ejus abſentiam triſtes, conſolatione afficerentur. *Morales Sermones Tomo 6. parte 1.*

Spiritus ſanctus locuples eſt Dei donum.

Hoc locuples munus eſt, quod hodierna die terræ Cælum impertit, poſtquam terra in Cælum dimiſit illud, quod inde receperat. Hodie de Cælo deſcendit divinus hic Spiritus teſtimonium perhibiturus Divinitati Patris, cumulum additurus acquiſitionibus Filii, beatitudinem noſtram conſummaturus, nobiſque rerum omnium loco futurus. Spiritus puritatis nos ſanctificantis, ſpiritus veritatis nos erudientis, caritatis nos animantis, fortitudinis nos ſuſtinentis, ſapientiæ nos dirigentis, timoris nos corrigentis, pietatis nos cum Deo conjungentis, & cum eodem nos habitare facientis: Spiritus, qui omnibus neceſſitatibus noſtris conſulit affluenter, & qui juſta complet noſtra deſideria. Sumus ne peccatores? nos abſolvit? Alieni? nos adoptat; incerti conſilii? certos facit; orphani? protegit; mœrentes? conſolatur; pauperes? poſtulat pro nobis; ſenſu carentes? gemit pro nobis; procul a patria? viam nobis ad illam indigitat, ejuſque certam facit perfruitionem. *Idem.*

Mirabiles effectus quos parit Spiritus ſanctus in animabus noſtris.

Quid efficit Spiritus ſanctus, cum in animas noſtras illabitur? Inde eas aufert illuſiones, quibus ſuapte natura obnoxia eſt; ibi veritates ab erroribus ſecernit, ſolidas virtutes ab iis, quæ ſpeciem virtutis præferunt; vias oſtendit, quas ſequi opus eſt, eam recta ad ſuum adducit principium, atque ultimum finem, ac leniter ſeſe inſinuans docet eum generalia, tum peculiaria officia, modum, locum, cauſſam, tempus, variaſque rationes illa obeundi. Verbo fit etiam Spiritus noſter (abſit invidia verbo, quod ex bibliis deſumptum eſt.) Quippe in actis Apoſtolorum videmus, licet extrinſecus videatur, & audiatur S. Stephanus cum Judæis diſceptare, eoſque confundere, tamen ubi dicendum erat, Judæos nequaquam reſpondere potuiſſe objurgationibus hujus Diaconi; legimus: *Non poterant reſiſtere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur.* Et JESUS CHRISTUS occupare volens difficultates, quas alii objicere poterant, ut Apoſtoli ſeſe excuſarent ab opere adeo difficili, & arduo, quale erat per omnem terrarum orbem, nonne dixit illis? *Dum ſteteritis ante reges, & præſides, nolite cogitare quid aut quomodo loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in nobis. Ex Moralibus Sermonibus Tomo 6. parte 1.*

Idem ſequitur argumentum.

In ordine gratiæ nihil eſt tam admirabile quam multiplex effectus, quem in animabus parit Spiritus ſanctus; qui tamen ſemper eſt idem, ſimplex, & indiviſibilis Spiritus: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Modo peccatores de vitiorum ſordibus eruit, & de libidinum ſinu revellit: modo mulieres, quarum conclamata eſt nominis fama, & conſcientia, per puritatem, quam illis communicat æque ac lilia candidas efficit. Modo Martyres ad prælium ciet, ſuper quorum ſanguinem ſeſe effundit, ut illum in uberem meritorum ſegetem, ac victoriarum inſtrumentum convertat. Modo impios percellit perſecutores, & infeſtiſſimos hoſtes Evangelii, quos in ipſo furoris, & inſaniæ æſtu ſubvertit, omnibus omnia factus; & in hac gratiarum diviſione evadens principium Sanctitatis eorum ſimul, & gloriæ. Quod autem extremam illis adjicit perfectionem; perficit in illis, id quod ipſe incepit; tunc Spiritus hic dominans, & fortis, quo nomine illum S. Thomas appellat cum Rege Propheta, confirmat illos in praxi virtutis, figens quodammodo eorum libertatem, ſuper illos ſedens, & requieſcens. *Seditque ſuper ſingulos eorum. Ibidem.*

Quomodo Spiritus ſanctus ſedit ſuper Apoſtolos.

Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos *ſedit*, qui illum ſemel ſacra Pentecoſtes die receptum, nunquam dimiſerunt. Summo adhærentes bono, nunquam inde receſſerunt, & quamvis hoc illis eſſet integrum, nunquam libertate ſua abuſi ſunt. Quare? Quia, S. Auguſtinus ait, cum divino hoc animati eſſent Spiritu, ſemper invicte, quantumvis libere, volebant bonum ſibi oblatum, & immobiles erant in conſilio inito de eo nunquam, relinquendo. Anima vero, quæ hinc quidem amat, quod ipſi amandum eſt, ac inde inhæret ei, quod ſibi amandum fuit, certo certius perſeverat, licet libere in virtute, per gratiam, quæ illam ſanat, & roborat, & quin libertas ejus per hunc conſtantem juſtitiæ amorem labefiat, amor ipſe illius felicitatem, majoremque perfectionem conſtituit. *Ibidem.*

Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum

Sed ſuper ſervos meos, & ancillas meas, in diebus illis effundam Spiritum meum. Nuſpiam ſane ullum emicuit prodigium, in quo melius Dei eluxerit omnipotentia, quam quod hodierna die contigit. Nullum profecto prodigium eminentiori fuit charactere hoc Virtutis divinæ. Non ſunt amplius trepidationes illæ, quæ ad ancillæ vocem ita omnium corda pervaſerant, ut omnes jam eſſent exanimes. Illis non ultra metuimus, Sæviſſimi Tyranni omnibus excogitabilibus cruciatibus ſuis eos deterrere non poterunt: brevi facti ſunt ita fortes, ac ſtrenui, ut univerſum terrarum orbem audeant laceſſere. Videte Petri audaciam, qui cum genere ſuo piſcator eſſet, ac vix legere noſſet, prodit coram Doctoribus Jeruſalem probaturus, hominem quem ante quinquageſimum ac tertium diem turpiſſima, ac teterrima affecerant morte, fuiſſe Dei Filium, ſupremum illorum Dominum, Meſſiam verum, ab omnibus Nationis ipſorum Patriarchis expectatum. Ceteri Apoſtoli æque inermes, & pavidi ac ille, non verentur minas, neque tormenta, heroica firmitate, JESU CHRISTI divinitatem annuntiant; Religionem ſuam prædicant, efficiuntque ut intra paucos dies in Judæa tota; & mox intra breve temporis ſpatium JESU CHRISTI fides triumphet. O Deus, quam admirabilis es in operibus tuis! Nos modicæ fidei miracula quærimus? Ullum ne unquam extitit hoc apertius, hoc præſtantius, hoc admirabilius? Ullum ne eſſe poteſt, quod majorem ad perſuadendum obtineat vim? *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Tyrannos laceſſunt, & non metuunt eorum tormenta.

Nulla nobis ſupereſſe poteſt dubitatio de effectibus Spiritus ſancti in Apoſtolis, quos tot populorum millia viderunt.

Hoc non eſt unum ex ſecretis, peculiaribus, obſcuriſque miraculis, ſed publicum, univerſale, patratum in favorem diſcipulorum omnium JESU CHRISTI, quos incluſos continebat metus, & qui ad hoc uſque momentum pares non fuerant, ut minimum Religionis Myſterium intelligerent; qui legem ignorabant, & qui nihil perceperant ex figurato, myſticoque Prophetarum ſermone. Prodigium hoc non clanculum accidit, ſed luce plena, & in ſollemnitate ejus feſtivitatis, quæ Jeroſolymam acciverat plura mortalium millia ex omnibus nationibus, quæ vario loquebantur idiomate, miraculi hujus teſtes futuros. Admirabilis ſonitus vehementis venti, qui per urbem totam exauditus eſt, ſed qui replevit ſolum domum illam, ubi congregati erant diſcipuli Filii Dei, eo compulit omnes advenas, & cives, ut omnes æque miraculi ejus teſtes eſſent. Prodeunt Apoſtoli, diſcipulique; miraculum pandunt; evolvunt Myſterium; ſenſum interpretantur, & in omnibus linguis JESU CHRISTI enuntiant magnalia. Quod tam apertius, validius, ſenſibilius minuſque in dubium revocandum veritatis Eccleſiæ, noſtræque Religionis argumentum? *Idem ibid.*

Spiritus ſanctus eoſdem producit effectus in iis qui parati ſunt ad illius donum recipiendo.

Quod primum in Apoſtolis adimpletum eſt die illo ſollemni, in nobis etiam adimplendum eſt, ſi vere ſumus diſpoſiti, ut erant illi ad Cæleſte hoc Divini Spiritus donum recipiendum; Salvator enim per mortem ſuam illud nobis æque, ac illis promeritus eſt. Mundum ſit cor noſtrum; ſit creatarum rerum amore vacuum; quamprimum divino hoc replebitur Spiritu. Cum Spiritus ſanctus ſit ſemper idem, qui eumdem recipiunt, in ſe præcipuos experiri debent ejuſdem effectus. Spiritus ſanctus eſt Spiritus veritatis, qui nos illuminat; Spiritus ſanctitatis, qui nos emundat; Spiritus fortitudinis, qui nos animat, & per quem omnes ſuperamus obices, omneſque difficultates. Quatenus Spiritus veritatis, errores aufert a nobis; quatenus ſpiritus Sanctitatis noxios nexus omnes infringit; tamquam Spiritus fortitudinis, efficit, ut de omnibus infirmitatibus noſtris victoriam referamus. Spiritus ſanctus non in eo ſubſiſtit, ut aliquas peculiariter veritates non doceat, quod homines facere poſſunt. Spiritus hic indiſcriminatim omnem ſimul docet, & perfundet veritatem. Hanc promiſcue tradit omnium mortalium generibus, & hoc unius tantum Dei eſt. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4. & Pater Bourdaloue.*

Spiritus ſanctus fons eſt omnium donorum, & gratiarum quæ effuſæ ſunt ſuper nos.

Spiritus ſanctus, non ſolum eſſentialiter Sanctus eſt, verum etiam Sanctificator; videlicet fons, & principium Sanctitatis in ſubjectis omnibus, quibus ſe communicat. Et hoc ſignificat myſtica ea loquendi ratio, qua Salvator uſus eſt Aſcenſionis ſuæ die, cum dixit Diſcipulis ſuis fore, ut intra paucos dies baptizarentur Spiritu ſancto. Hic eſt Spiritus ille, qui in nobis eſt immediatum, & ſubſtantiale principium omnium operationum gratiæ. Per hunc in Baptiſmo regeneramur, per hunc in pœnitentia cum Deo in gratiam revenimur. Per Spiritum ſanctum diffuſa eſt caritas in cordibus noſtris. Inde perſpicua hæc cognitio, & perſuaſio veritatum fidei in illis omnibus, qui Spiritum ſanctum recipiunt. Inde puritas, ac fervor pietatis. Inde caritas, & zelus, qui totam eiet generoſitatem in praxi virtutum, ac obtinet perſeverantiam. Ex hujuſmodi effectibus dignoſcere poterimus, utrum Spiritum ſanctum recepimus. Fides noſtra eſtne univerſalis? ferventne eſt pietas noſtra? In vias JESU CHRISTI recentine virtute nos auctos cognoſcimus? Cognoſcimus utrum fides noſtra arctis finibus concluſa ſit, & langueat? Utrum devotio ſemper ſit tenuis? utrum ferventior nobis ſit zelus, quam olim propter ſalutem, & noſtram, & alienam? Heu! Magnum hoc eſt metuendi argumentum, ne donum hoc Cæleſte acceperimus. *Idem ibidem.*

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus ſanctus in animabus in quas deſcendit eoſdem omnes producit effectus quos peperit in Apoſtolis.

Spiritus ſanctus deſcendere nequit in animam, quin illam pretioſiſſimis ornet muneribus. inde magna lux hæc, lumen purum, vividus intellectus, quo repleti fuerunt Diſcipuli ſacro illo, inſignique Pentecoſtes die. Rudes homines, pinguia ingenia, ſpiritus craſſi, & indociles momento fiunt totius terrarum Orbis oracula, doctores gentium, mundi lumen. Nihil eorum penetrationi reſiſtit. Prophetiarum obſcuritas, humanæ Sapientiæ acumina, ſcholarum ſophiſmata, ipſæ etiam humani cordis latebræ, omnia fiunt aperta menti eorum, omnia eorum perſpicacitati, atque cognitionum magnitudini cedunt. Sapientia eorum luminibus ipſarum congruit; eorum acer animus neque perſpicacitati eorum cedit, nec ſcientiæ. Homines illi adeo pavidi, corda ignava adeo, & obtuſa, ubi primum receperunt Spiritum ſanctum, vident ſe indui ea animi magnitudine, quam afferti illi Hiſtoriarum Heroes non noverant. Coram judicum ſubſelliis intrepidos, inter ſæviſſims quævis pericula infractos teterrima quævis ſupplicia, ignes, compedes, cruciatus, equulei labefactare non poſſunt. Fides eorum omnibus inferorum verſutiis ſuperior eſt; eorumque erga Dei Filium caritas, frangi, ac debilitari non poteſt. Fructus admirabilibus hiſce donis reſpondent: mundi totius converſiones videte. Quot populi ad fidem converſi! Quot barbaræ gentes JESU CHRISTO acquiſitæ! Quam immenſæ regiones Evangelio ſubjectæ! En quid valeant piſcatores, homines rudes, ubi Spiritu ſancto repleantur! En quid omnes eſſe deberent fideles? Quid vetat, ne tales ſimus? *Idem P. Croiſet Tome 4.*

Animæ noſtræ ſunt Templa Spiritui dicata.

Cum ſimus ipſi Templa Spiritus ſancti, donec perſeveramus in gratia, num dubio locus eſt, quominus per intervalla quædam oblectetur Deus templa hæc exornare, ibique Divinitatis ejus uberior, ac magnificentior fiat effuſio, ut loquitur Spiritus ſanctus, qui magnam hanc elegit diem, ut divina hac, & eximia ratione in Apoſtolos dilaberetur. Dicere poſſumus illum quotannis inſtaurare Myſterium ſui deſcenſus in Juſtos, & nos hodierna die recolere dedicationem Sacri hujus Templi, quod gerimus intra nos. Quemadmodum Templum Salomonis conſecratum fuit igne Cæleſti, quem *omnes filii Iſrael videbant deſcendentem, & gloriam Domini ſuper domum*. Ita prima conſecratio myſticorum Templorum in Fidelibus peracta eſt per illapſum ignearum linguarum in capita Apoſtolorum, & in Eccleſia cum omnibus divinæ gratiæ profuſionibus primæ illius Dedicationis memoria celebrata eſt: Neque obiter tantum nos viſit, ſed teſte S. Auguſtino, ſedem ſibi ſtabilem figit, ac intra nos permanens domicilium: neque ſatis eſt illi, Pater idem ait, effundere in animabus noſtris odorem, ac pretioſum gratiæ ſuæ thymiama; ſed ut ita dicam, confringit vas, quo ſacrum hoc balſamum continetur, ut omnes ſedes ubi ſpiritaliter inhabitat eodem repleantur, & ſanctificentur. *Abbas du Jarry in Sermone Pentecoſtes.*

2. Paral. 7.

Spiritus ſanctus nos docet Religionis noſtræ veritatem.

Hic Spiritus lucis auferet velamina ab oculis veſtris, atque revelabit vobis Legis miracula; vobiſque oſtendet quidquid Mundi Sapientes ſpecioſius excogitarunt, ſomnia eſſe & chimæras, ſi cum JESU CHRISTI Religione conferantur. Exhibebit vobis Religionem hanc innixam fidei nubis innumeræ teſtium, qui certiſſimi ſunt veritatis ſequeſtres; teſtimonio tot millium Martyrum, qui ſanguinem ſuum ad illam propugnandam effuderunt; luminibus Doctorum numero carentium, qui veritatem ſole ipſo fulgidiorem in ſcriptis ſuis effecere; admirabili huic nexui veteris novique Teſtamenti, in quo videmus Chriſtianam Religionem tot ante ſæcula præparatam, copia tanta miraculorum, figurarum, & prophetiarum quarum ſenſibile complementum nonniſi Dei opus eſſe poteſt. Spiritus Veritatis hæc omnia nobis aperiet, JESUS CHRISTUS inquit. *Mittam vobis Paraclitum veritatis, qui vos docebit omnia. Idem.*

Joann. 14.

Hic Spiritus eſt fortitudinis, qui nobis robur ſummittet confitendi J. C. ejuſque afflatum ſequendi.

Hic Spiritus lucis nobis erit Spiritus fortitudinis, qui replebit nos fide, quæ de Mundo, & cupiditatibus noſtris referet triumphum. Vetabit ille, ne rubore ſuffundamur coram hominibus confitentes Deum crucifixum per vitam fidei noſtræ conformem in periculoſis occaſionibus, in quibus humanæ rationes Religionis noſtræ officiis oppoſitæ, ut olim Judæi S. Petrum prohibuerunt, ne teſtimonium perhiberet Evangelio: efficietque ut cum hoc Apoſtolo reſpondeamus, æquius eſſe obedire Deo, quam hominibus. Ipſe in hujus virtutis praxi oſtendet nobis abſconditum illud manna, quod pollicetur Deus iliis, qui vincere didicerunt. Effundet in animas noſtras gratiarum, interiorumque conſolationum cataclyſmum. Quam felices eſſemus, ſi Spiritus ſanctus intra nos ſibi perhiberet teſtimonium! *Idem.*

Illi ipſi, qui occiderant Filium Dei converſi ſunt, & egerunt pœnitentiam. Actor. 2.

Spiritus ſanctus in eorum corde, qui Salvatorem affixerant cruci, & ſontes erant mortis ejuſdem, dignos pœnitentiæ peperit fructus; *Viri fratres, quid faciemus?* inquiunt; quomodo ſcelus noſtrum expiabimus? Ecce nos; præſto ſumus, ut Meſſiam confiteamur illum, quem tamquam ſeductorem cruci ſuffiximus; parati ſumus ad ſanguinem effundendum reparaturi Sanguinem, quem ipſi fudimus. Septem converſionum millia duorum ſermonum fructus fuerunt. Undique nomen JESU perſonuit. Evangelii ipſius oracula palam nunciantur in Templo, ubi Sacerdotes, & Pontifices in mortem illius conjuraverant; grex Chriſtianorum in dies ſingulos creſcit, & Synagogæ ſepulcrum fit prima ſedes Eccleſiæ. *Abbas du Jarry in Sermone Pentecoſtes.*

Spiritus ſanctus effuſus ſuper aquas in Mundi creatione figura eſt gratiæ quam effudit ſuper aquas baptiſmi.

Spiritus ſanctus, qui in ipſo creationis primordio ferebatur ſuper aquas, præſignabat nobis gratiam Spiritus ſancti effuſam ſuper aquas baptiſmi, & piſcinam pœnitentiæ pro infidelium, & peccatorum converſione. Iden Spiritus ſanctus viſibili ſpecie deſcendit in Salvatorem, cum a S. Joanne baptizatus fuit, ut intelligeremus, ſimul atque ille per adorabilis perſonæ ſuæ immerſionem Jordanis aquas ſanctificabat, oportuiſſe, ut Spiritus ſanctus illis per gratiam imprimeret divinam efficientiam: alioquin aquæ omni virtute caruiſſent, niſi Angelus Domini, qui nobis exhibebat Spiritum ſanctum, illas per pœnitentiam ſalutares effeciſſet. Ideo S. Cyprianus ait, Spiritus ſanctus non loquitur niſi ſub figuris, & ſymbolis miſticam habentibus rationem cum operibus gratiæ ſuæ in peccatoribus, quos convertit, ubi incubat aquis, vel in ignis formam deſcendit, vel apparet ſub ſpecie columbæ; quoniam detergit peccati labes lacrymis contritionis, animis emundat igne caritatis, iiſque præbet alas columbæ, quibus eas ſupra ſenſus, & corruptas ſæculi affectiones attollit. Hæc illa columba eſt, S. Auguſtinus ait, quæ gemit, & in animabus pœnitentibus inſpirat. Opus eſt, ut vox Columbæ, quæ animos inflectit, producat vocem columbæ, quæ gemit, & gratiam Spiritus ſancti elicere lacrymas, quæ mulcent ejus juſtitiam. *Idem.*

Summſne ex eorum numero, qui Spiritui ſancto reſiſtunt?

Vos qui jampridem gratiis Dei inflexibiles hac die repuliſtis Spiritum ſanctum, qui in animas veſtras voluit redire, timete, ne eamdem Judæorum pertinaciam eadem ſubſequatur pœna. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Cæcitas peccatoris in eo ſita eſt, quod oculos claudit luminibus, quibus Cælitus illuſtratur; & obduratio ipſius reſiſtat afflatibus, quos illi immittit Deus: itaque quo plura lumina recipit quin videat, eo magis cæcus eſt, & quo plures recipit afflatus, quin flectatur, eo magis induratur. Cum autem Spiritus ſancti illapſus ſecum deferat vividiora lumina, ac urgentiores afflatus, hac die plerique peccatores ſuæ indurationis Myſterium conſummant, quia die hac majoribus gratiis reſiſtunt. Audire mihi videor Dei Spiritum, ut olim Prophetæ dicentem: *Excæca populi hujus cor, & cor ejus aggrava.* Cur Domine? ut videat ſimul, & non videat, ut audiat, & non intelligat? opus eſt ut Evangelii mei veritate ruteant ſimul in oculis ejus, ſimulque caliginem induant in tenebris peccatorum eorum; ut verbum meum aures eorum tundat, ſimulque in cupiditatum rumore evaneſcat. Hic quippe funeſtus eſt uſus, in quem peccstoris obduratio Spiritus ſancti convertit. *Idem.*

Miracula, quæ Spiritus ſanctus operatus eſt in Apoſtolis ſimul ac illi hunc receperunt.

Noſtis, Auditores admirabiles mutationes, quas Spiritus ſanctus operatus eſt in beatis animabus, quas Providentia ab æterno delegerat ad Eccleſiæ ſuæ fundamenta jacienda; quomodo graciles illi, nutanteſque calami momento in æneas, æreaſque columnas evaſerint, quas neque dæmonum furor, neque carnificum rabies labefactare potuerunt. Apoſtoli olim adeo pavidi, qui poſt Domini ſui mortem ſuſtinere non potuerant adſpectum eorum, qui illum necaverant, exprobrant audacter illis ſcelus, quod contra adorabilem ejus perſonam patraverant. Qua conſtantia S. Petrus, qui ad ancillæ vocem trepidaverat, non multo poſt ait; hic idem JESUS, quem impio latroni, ac ſiccario poſthabitum voluiſtis, ac tandem turpiſſima nece effeciſtis, vere Sanctus erat, Juſtus, & Auctor vitæ: hic ille eſt, quem Deus *ſuſcitavit a mortuis, cujus teſtes ſumus*. Actor. 2. & 3.
Quod portentum? videre virum hunc, qui non ita pridem naviculam, & retia reliquerat, Apoſtolatus ſui muneribus obeundis manus admovere modo adeo admirabili, ſeſe ſupra ſtatus ſui humilitatem, ſupra generis tenebras, exterioris habitus craſſitiem, ſermonis imperitiam attollere, altiſſima religionis Myſteria tradere Doctoribus, Sacerdotibus, ac Pontificibus Jeruſalem! *Stupebant omnes, & mirabantur:* Actor. 2.
Quænam vero veſtra eſſet admiratio, ſi ſpiritu Jeroſolymam acti videretis quo pacto ſacer ignis ille, quo animantur, de cœnaculo migret in compita, in vias, atque plateas, prædicans, & annuntians Evangelium omnium linguarum genere, prout Spiritus Dei, quo repleti erant, illis ſuggerebat! *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.* Ibidem.
Quam primum ex publicis Jeroſolymæ plateis videbimus illos in quaſcumque terrarum plagas migrare. Omnia tribunalia, theatra omnia, omnes academiæ, carceres omnes eorum prædicationibus, catenis, martyrio conſecrabuntur. *In omnem terram exivit ſonus eorum. Idem Abbas du Jarry.* Pſalm. 18.

Apoſtoli extollentur, & effundunt lumina, quæ a divino Spiritu receperunt.

S. Auguſtinus Apoſtolos reſpicit, tamquam animatas faces, ac ſtellas intelligentia præditas, quæ hauſtum ex ipſo fonte lumen fidei in remotiſſimas, ignotaſque Cælorum transferunt plagas; Corda hæc antea præ timore, ac mærore concluſa, hi Spiritus parum apti ad capiendos fluvios veritatis ex divino Magiſtri ſui ore manantes, intumeſcunt, & laxantur hac die ad recipiendam plenitudinem divini luminis, quod aliis

ſunt

ſunt tradituri. *Diſcipulorum pectora dilatata ſunt ad ſuſtinendam plenitudinem divini luminis, & intelligentiam veritatis.* Voluit Deus, ut Eccleſiæ Nativitas magnis hiſce prodigiis inſigniretur, ut characteres digiti ſui palam impreſſi in fundamentis Religionis ad finem uſque ſæculorum nulla unquam oblivione delerentur. *Idem.*

Effectus quos produxit in Apoſtolis illapſus Spiritus ſancti.

Micare viderunt quaſdam veluti linguas igneas, quæ ſeſe diviſerunt, & ſupra ſingulos ſteterunt. Apparuit olim Moyſi Deus in rubo ardenti, & incombuſto; & Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos ſub ignis ſpecie, qui illos illuſtrat, fovet, emundat, quin illos comburat, & illis officiat. Ecce adimpletum Sanctis Joannis Baptiſtæ vaticinium. Dixerat ille, ego baptizo in aqua, ſed qui poſt me venturus eſt, vos in igne, & Spiritu ſancto baptizabit. Aqua deſignat pœnitentiam ſordes eluentem, ignis vero caritatem, quæ ad agendum impellit. Igitur Dei Filius cælitus promiſſum demittit ignem, replet Apoſtolos Spiritu ſancto, & per Spiritum ſanctum in illos caritatis ignem effundit. Seraphim ardenti pruna ex Altari deſumpta Iſaiæ tetigit labia; JESUS CHRISTUS non tangit ſolam linguam Apoſtolorum igni, ſed igneas illis linguas impertit, impertiens eis Spiritum ſanctum, qui per illos erat locuturus; neque enim quidquam erant enuntiaturi niſi per illum, ſecundum ejus nutum, ac impreſſionem, eo zelo, ſapientia, ac verbis, quæ ab illo erant recepturi. Linguæ diviſæ ſunt ad innuendam diviſionem donorum, quorum arbiter eſt Spiritus ſanctus, & ſederunt ſuper Apoſtolos: quia Spiritus ſanctus in eos deſcendit ibi permanſurus, & ſignificaturus ſuam in Eccleſia manſionem, quam ſemper animat, & regit indeſinenter, nunquam ab eadem diſceſſurus. *Tourneaux in anno Chriſtiano tomo 7.*

Bis jam Apoſtoli Spiritum ſanctum receperant; ſed hodie ſeſe copioſius in animam eorum effundit.

Repleti fuerunt omnes Spiritu ſancto, inquit Scriptura, Apoſtoli ante Domini paſſionem una cum Baptiſmo Spiritum ſanctum receperant. Reſurrectionis ſuæ die hunc illis contulerat inſufflans in illos; ſed nondum illum ea copioſa in plenitudine receperant, quæ ipſi promiſſa fuerat, cum dixerat JESUS CHRISTUS fore, ut ex illis aquæ vivæ fontes effluerent. Hodierna vero die prorſus, & ſibi, & aliis replentur; & divinus hic ignis illos ita ſuccendit, ut mox per ſe omnem terrarum orbem inflamment. Replentur omnes, ſinguli juxta captum ſuum, non ſecus ac ex pluribus rivis, qui pleni ſunt omnes, majores plus aquæ continent, quam minores; non perinde ac Spiritus ſanctus ſeſe, liquoris inſtar communicet, ſed ſemet in ſua dona diſpeſcit, hoc eſt illa plus, minuſque ubertim communicat ſecundum captum, ac diſpoſitionem animæ ſuper quam illos effundit, & ſecundum eam provinciam, cui deſtinat eos, quibus ſua dona communicat. *Idem.*

Die Pentecoſtes Salvator Eccleſiam ſuam ſanctificavit, ut eſſet in illa uſque ad finem ſæculorum.

Hac die potiſſimum Eccleſia, antea per JESU CHRISTI Sanguinem redempta, per Dei Spiritum ſanctificata fuit, incepitque cum luce in Mundum prodire. Hodie nova lex evulgatur; hodie efformantur Magiſtri, qui illam tradituri ſunt; hodie ipſi etiam illius inimici jugum ejus ſubeunt, ejuſque præceptis ſeſe ſubjiciunt. Omnia hic Myſteriis, miraculiſque redundant. Antiqua lex Dei digito in lapideis tabulis fuerat deſcripta; ſed Deus per Prophetas ſuos promiſerat, ſe legem aliam daturum, eamque non in lapidibus, ſed in cordibus eſſe inſcripturum. Hodie ſuam liberat fidem; & Spiritus, quem Eccleſia quoque Dei digitum vocat, in imis cordibus, quæ igne ſuæ caritatis inflammat, ſcalpit Evangelium. *Tourneaux in anno Chriſtiano, tomo 7.*

Quid interſit legem ſcriptā, & legem gratiæ.

Inter antiquæ legis, atque Evangelicæ Evulgationem non leve intercedit diſcrimen. Prima lex magna quidem cum pompa lata fuit. Bucinarum clangor, tonitruum fragor, noctis caligo, fulgurum ſplendor talem injiciebat cordibus formidinem, ut Iſraelitæ Moyſen obteſtati fuerint, ut ille ſolus ad eos loqueretur; ſed Deus per ſe nequaquam vellet loqui. Lex altera pari cum luce lata fuit, ſed quia lex amoris eſt, non terroris, irrogata fuit eo cum fulgore, cui nihil formidinis eſſet immixtum. Sonitus Spiritus vehementis excitat ſolum Diſcipulos, eoſque admonet de illapſu Dei, quem præſtolantur. Ignis eorum inſidens capiti non terret eos; ſed e contra animat, efficitque audentiores. Quibus circumſtantiis docet nos Deus quantum gratiæ lex ſcriptam antecellat eo, quod homines, qui ſub iſta vivebant, rudes, ac terreſtres temporalia tantum, & fluxa ſpectabant bona, quod in illis jugem fovebat timorem; ii vero qui ſub gratiæ lege vivunt, æterna ſperantes bona, quæ Salvator Sanguine ſuo illis comparavit, ſine amore vivere nequeunt. *Idem.*

Admirabilis mutatio, quam Spiritus ſanctus in Apoſtolis effecit.

Novæ legis præcones opus ſunt Spiritus ſancti. Homines ignari, ruſtici, pauperes, pavidi deſtinati ſunt Miniſtri per quos illi univerſus terrarum orbis ſubjiciatur. Quod erat imperfectius his piſcatoribus, quos JESUS CHRISTUS ſibi in Apoſtolos delegerat? illos, dum viveret, erudierat: ſed nondum aſſecuti erant cognitionem omnium veritatum, quæ illis erant diſcendæ. Sua illis præcepta tradiderat, ſed nondum imperata faciendi vim adepti fuerant. Nobis oſtendere volebat homines divino indigere Spiritu, ut veritatem cognoſcant atque ſequantur. Satis non fuiſſe illis videtur a Dei Filio ipſa Reſurrectionis ejus die Miniſterii ſui auctoritatem recepiſſe, niſi reciperent etiam a Spiritu ſancto hodie illa dona, quibus pares efficerentur, ut ſumma cum utilitate pro aliis, ſancteque pro ſua ſalute eamdem exercerent. *Idem.*

Statim ac Spiritus ſanctus deſcendit in Diſcipulos, hi ignari eruditi, qui etiam pavidi.

Hodie Spiritus ſanctus affluenter ſeſe in hos rudes, & imperfectos homines effundit, iiſque igneas linguas impertiens, verbum, animumque largitur, ſcientiam & virtutem, lucem, & calorem confert; verbo, gratiam prædicandi, qua ſermonibus, qua exemplis ſuis veritates, quas Dei Filius, dum verſaretur in terris, illis explicuerat; ſed quas non aſſequi, non docere, non exercere, neque eo uſque diligere poterant, ut pro illis vitam etiam in diſcrimen adducerent ſine gratia, quam Spiritus Dei elargitur. Ante hanc Spiritus effuſionem, nulli rei erant idonei; poſt illam in ictu oculi rebus omnibus obeundis fiunt pares. Sed videre quæſo qua vi, ac virtute eos divinus hic Spiritus repleat. Prædicant JESUM CHRISTUM illis ipſis, a quibus nuperrime fuerat crucifixus; & Spiritus idem, qui pavidos diſcipulos in zelotes, ac imperterritos Evangelii præcones convertit, convertit quoque JESU CHRISTI perſecutores in ejuſdem cultores. Non petimus, Domine, ut pluribus linguis loquamur; fac ſolum, ut recens vitæ genus ducamus. Fac, ut te diligamus, ut opera, & verba noſtra ſint veluti ſcintillæ divinum hunc ignem inſerentes cordibus eorum, qui vel ſermones noſtros ſunt audituri, vel opera noſtra viſuri. *Tourneaux in anno Chriſtiano tomo 7.*

Diſcipuli ante hac rudes, ac ignari fiunt repente in omni ſcientiarum genere eruditi.

Quot mirabilia in hodierno Myſterio coruſcant? Spiritus ſanctus, divinus Conſolator, tertia Spiritus ſancti perſona mirum in modum in Apoſtolos, omneſque diſcipulos congregatos deſcendit, & ex rudibus, imperitiſque hominibus repente Doctores facit in omni ſcientiarum genere conſultiſſimos. Momento aſſequuntur infuſam Religionis ſcientiam, perfectam ſublimium Myſteriorum cognitionem. Poſſident legis ſcientiam; verumque Sacrorum Bibliorum ſenſum aſſequuntur, Homines hactenus contemptibiles generis obſcuritate, conditionis humilitate, mentis craſſitie, morumque inelegantia; repente donantur munere Sapientiæ adeo eminentis, atque perfectæ, ac intellectus adeo perſpicui, atque acuti, ut omnis humana ſapientia obmuteſcere, cedere, ac ſe inſipientiam profiteri teneatur. Homines hujuſmodi adeo pavidi, & ignavi ſtatim ita heroicum induunt animum, ac vim, ut ſuperet quidquid Magnificentiſſimum in hiſtoria legitur. *Pater Croiſet in Aſceticis tomo 4.*

Reſpondere debemus internis Spiritus ſancti motibus.

Hoc in nobis operatur Spiritus ſanctus; nos vero quid agimus cum Spiritui ſancto reſiſtimus? Qua vigilantia nobis obſervandæ ſunt viſitationes illius, cum venit ad nos? Qua fide reſpondere tenemur conſiliis ejus ubi recepimus illum; quænam ſunt virtutes idoneæ ad illum in animas noſtras alliciendum, ibique ſervandum! quænam ſunt peccata, quæ illi inferunt contumeliam, & quæ illum ex ipſis extrudunt? Hæ utiles ſunt perquiſitiones, & quæſtiones ad mentes erudiendas, & corda ædificanda neceſſariæ. Cur ab eodem Apoſtolo non diſcemus præcipuam curam noſtram eſſe debere *contemplari ne quis deſit gratiæ Dei*. Benedictus ſit Deus, qui Apoſtolorum exemplis nos docuit rem tanti, qualis eſt cooperari conſiliis Spiritus ſancti, & gratiis ejuſdem eſſe fideles. *Elogia Sanctorum tomo 5.* Hebr. 10.

Sancti Spiritus eſt homines in viis Sanctitatis deducere.

Æquum erat, Fideles, ut Apoſtoli aures præberent Spiritui ſancto, afflatibus ejus obſecundarent, voluntatem ejus conſulerent, illiuſque motus ſequerentur. Cujus nam Spiritus eſt deducere homines in viis ſuis, eoſque de ipſorum officiis erudire, niſi Spiritus ſancti? Spiritus Juſtitiæ, quo ſanctificantur, Veritatis, quo illuſtrantur, Superioritatis, quo diriguntur; intellectus, & bonitatis, qui neque fallere poteſt, neque falli? Quænam eorum extitiſſet calamitas, ſi alterius cujuſpiam Spiritus conſilium ſecuti fuiſſent; & quæ eſſet noſtra ſi ad alios Magiſtros noſmet converteremus? Fallacibus, incertiſque luminibus decepti de illuſionibus in illuſiones laberemur, & ſi aliquot evitaremus inſidias, in alias certiſſime impingeremus, cupiditatem aliquam non ſuperantes, niſi fortioribus ſuperaremur, neque hoſtem proſternentes, niſi ut illius interitu obrueremur ſimiles miſero illi, quem elephans ab ipſo cæſus pondere ſuo evertit, occiditque. Rerum creatarum amore ebrii, & rapti cupiditatum noſtrarum vehementia in ſingula momenta, ne ſentientes quidem funeſta faceremus naufragia. Tu vero, Domine, hæc mala prævertere voluiſti, conferens nobis Spiritum tuum Magiſtrum, & ducem tot inter pericula, quibus in hoc proceIloſo Mundi pelago patemus; Spiritum, qui tamquam aura lenis nos agit in portum bonæ voluntatis tuæ; Spiritum, qui nos in omnibus actionibus, & greſſibus noſtris illuminat; Spiritum, qui nos docet Veritatem cognoſcere, & ſequi illam; bonum, & illud amplecti; errorem, & ab eodem abhorrere; vitium, & hoc cane pejus & angue evitare; Spiritum adeo nobis propitium, ſimulque adeo neceſſarium, ut ſine illius afflatibus, ac monitis nihil facere, nihil dicere, nullum conſilium capere, nihil cogitare valeamus, quod nobis ad ſalutem proficiat. *Ibidem.*

Sed

Fruſtra Spiritus ſanctus ſua præſervat lumina claudentibus oculos, ne videant.

Sed quemadmodum nequicquam lux oſtenderetur oculis aperiri nolentibus, fruſtra etiam Spiritus ſanctus ſuos nobis afflatus immitteret, ſuaque monita offerret, ſi nollemus inde proficere. Quærit ille ſeſe in mentes noſtras, & in noſtra corda effundere: ſed vult has mentes, & corda ſubjecta eſſe, atque docilia, ad recipiendum parata, quidquid illis fuerit infuſum: Dicam melius vult nos ſine mente, & ſine corde, ut ſit mentium, & cordium noſtrorum Dominus, & Deus. *Ibidem.*

Apoſtoli divino repleti Spiritu loquebantur tamquam organa Spiritus ſancti.

Si Apoſtoli tanta vi, & eloquentia loquuntur, ut nihil reddi poſſit iis, quæ ab ipſis dicuntur, inde factum eſt, quia ſunt vocis Cæleſtis, ac ſapientiæ Superioris imagines, coram qua obmureſcat, & ſileat opus eſt, quidquid in terris eſt diſertiſſimum. Hinc Dei Spiritus, quo repleti ſunt, producit in illis effectus longe majores, quam merum parere conſueverit, ubi hauſtum fuerit immodice. Eorum humana ratio eſt veluti abſorpta, & exinanita in divina. *Muſto pleni ſunt iſti*; quo madidi neſciunt quid dicant, & nihilominus loquuntur mirabilia. Nihil norunt per ſe; & nihilominus revelant Myſteria, quæ non noverunt: vix patrium norunt ſermonem, loquuntur tamen omne linguarum genus. Mortales ex variis terrarum plagis collecti audiunt illos quaſi concives ſuos; mirantur, moventur, convertuntur. Unde nam hoc? Inde, quia mens eorum quodammodo alienata eſt, & Deus eſt mentis eorum Deus. *Ex Elogiis Sanctorum Tomo* 2.

Perfunctoriæ ſunt Spiritus ſancti viſitationes; ſi huic aditus non aperiatur, cum ſeſe offert, recedit.

Spiritus ſanctus repente venit ad vos, Fideles, ſed vult, ut ſtatim aperiatis illi. Feſtinat, ut vos ſuis repleat beneficiis, ſed petit, ut vos feſtinetis aperire ſibi corda veſtra ad eum recipiendum. Hic nubes eſt, ventus, torrens, fulgur, ita enim de illo Scriptura loquitur. Nihil nube celerius, vento vehementius, torrente rapidius, fulgure pernicius. Niſi beato hoc fruimini momento, nubem ne hanc morabimini, ventum hunc comprimetis, torrentem hunc, & hoc fulgur cohibebitis? Utamur alia ſimilitudine, quæ magis ſenſus afficiat. Ubi eſt vir adeo patiens, qui cum diu ad oſtium pulſaverit, illi gratificaturus, quem quærit, non recedat, non tædio afficiatur, cum oſtium ſibi non aperitur? Hæccine habetur gratia amico, & benefactori, cum non aleam, non menſam, non fritillos, neque voluptates alias relinquere volumus, illius viſitationes excepturi, ejuſque ſocietate perfruituri? Hinc de vobiſmet judicium ferte, Chriſticolæ? facile agnoſcetis quanta afficiatur contumelia Spiritus ſanctus hoc fatali tepore, quo plerumque illum excipitis. *Ex iiſdem.*

Spiritus ſanctus exprobrat eos, qui ipſi negant aditum in cor ſuum. Iſai. 65.

Quam timeo ne ad vos dirigatur gravis illa exprobratio, qua Deus olim Judæos redarguit; idque potiori jure, quia non miſit illis, ut vobis Spiritum ſuum. *Locutus ſum ad vos mane; & non audiſtis, vocavi vos & non reſpondiſtis.* Locutus ſum ad vos mane, meris miſericordiæ, ac bonitatis meæ motibus excitavi vos, ut diluculo veniretis ad me, atque veſtris neceſſitatibus acti ad beneficia mea recipienda maturato conſurgeretis: *Locutus ſum ad vos mane*, & omni carentes ſenſu ad invitationes meas, & vocis meæ illecebris ſurdi, *me non audiſtis*. Locutus ſum mane optimis cogitationibus, quas vobis immiſi ab adoleſcentia, iis ſeminibus pietatis, atque Virtutis, quæ jeci in animas veſtras, ſupernaturalibus illis luminibus, quibus mentes veſtras illuſtravi, bonis deſideriis, & benedictionibus dulcedinis, quibus vos præveni. *Locutus ſum ad vos mane*; jam meminiſtis, & centies hoc vobis teſtata eſt veſtra conſcientia; & nihilominus pravis habitibus impliciti, cupiditatum veſtrarum vi illecti, capti illecebris creatarum rerum, quarum amore tenebamini *me non audiſtis. Ibidem.*

Sequitur idem argumentum.

Neque ſatis eſſe ratus loqui; *vocavi vos*, ut dicerem vobis, me illum eſſe, qui vos appellabam, *& non reſpondiſtis*. Vocavi quin aliqua me impelleret cauſſa; vos neque utiles eratis mihi, neque neceſſarii? neque enim cum vobis vel major, vel beatior extitiſſem. *Vocavi vos.* Veſtra intererat reſpondere mihi; agebatur enim de beata, vel miſera æternitate veſtra; & nihilominus *non reſpondiſtis mihi. Vocavi vos*, ſi gratiam hanc aliis pluribus contuliſſem, veniſſent ad me, vos ſoli abuſi bonitate mea dedignati eſtis reſpondere mihi, *& non reſpondiſtis. Vocavi vos.* Quamvis hoc negaretis; tragica objecta, quæ oculis veſtris objeci, terrores judiciorum meorum; qui vos perturbaverunt, frequens experientia tot creatarum rerum, quarum infidelitas vos impellere debebat ut de me, ac de vobis ſimul cogitaretis, pericula, ex quibus eduxi vos, morbi, quibus vos percuſſi, lapides domuum veſtrarum, ubi toties me ad ultionem provocaſtis mihi contra vos teſtimonium perhiberent: *Vocavi vos, & non reſpondiſtis.* Memini, eaque fideliter intacta mihi connotata ſunt. Ibi loci, ibi temporis, illis, & his inſpectantibus, ab ipſis rationis veſtræ primordiis ad hæc uſque tempora; nihil me præterit eorum, quæ vel ego pro vobis, vel contra me ipſi feciſtis. Omnes gratiæ meæ, & omnes infidelitates veſtræ numeratæ ſunt, ac in theſauris ultionum mearum reconditæ. *Elogia Sanctorum Tomo* 2.

Hæc autem probra eo magis vobis metuenda ſunt, quia ſine ullis comparatione plures recepiſtis gratias, quam illi, quibus eas contulit apud Jeremiam. Vobis Cæli aperti ſunt, vobis Pater Æternus miſit Filium ſuum in Mundum: quæ igitur vobis ratio eſt non audiendi illum vobis loquentem; & vocanti non reſpondendi? Neque dicatis nimis arduum eſſe, quod petit, neque ita facile eſſe cooperari conſiliis ejus, ex quo illa vobis ſignificat. Mihi ſatis eſſet vobis afferre ad vos rubore ſuffundendos Apoſtolorum exemplum. Si enim hæc admittenda eſſet cauſſa, utrum, illi ne, an vos æquius eadem uti poſſetis? Nunqid vos iiſdem periculis objicit? Num in eadem vos certamina adducit? Num eadem vobis mala portendit? O fortes Apoſtoli, o ignavi Chriſticolæ! O Apoſtoli fideles, ac ſolliciti in ſequendis afflatibus divini Spiritus inter teterrimas perſecutiones! O Chriſtiani infideles, ac tardi in leviſſimis difficultatibus! O Apoſtoli, qui loqui incipitis, ex quo Spiritu ſancto repleti eſtis, contemnentes verbera, ignominias, naufragia, mortem, & cupientes potius ſuſtinere graviſſima ſupplicia, quam vel momento gratiæ acceptæ deeſſe! O Chriſtiani muti, ac ſemiſopiti, qui ne miſeræ creaturæ diſpliceatis, ne levem aliquam irriſiunculam ſuſtineatis, ut importunam, cæcamque cupiditatem leniatis, ne vobis brutalem interdicatis voluptatem, ne injuſto amico incommodetis; ne obicem fragili fortunæ ſtatuatis, mavultis criminoſis moribus Spiritum ſanctum affligere, eumque in nobiſmet ſuffocare, & extinguere. *Ex iiſdem.*

Nulla nobis eſt cauſa præter quam voci Spiritus ſancti non reſpondeamus. Jerem. 7.

Quid ſit Spiritus ſanctus omnibus Fidelibus, & quid Fideles illi?

Tanta intercedit ratio inter Fideles, & Spiritum ſanctum, ut non ſolum perfectionis eorum, ſit verum etiam officii illum peculiari cultu proſequi, & ſeſe totos illi devovere. Ille eorum robur, & fortitudo eſt in ordine naturæ; & in ordine gratiæ Spiritus, & Anima. Verbo ipſe eſt Auctor Sanctificationis eorum. Per ipſum regenerantur in baptiſmo, per ipſum roborantur in Confirmatione, renovantur in Pœnitentia, cum JESU CHRISTO junguntur in Euchariſtia, conſecrantur in Ordine, & in Matrimonio copulantur. Spiritus eſt generalis, & ſecretus, per quem viget Communio Sanctorum; vinculum eſt ſacrum, & inſolubile, quod connectit omnia Eccleſiæ membra cum capite, & quod ideo jure vocari poteſt Anima Corporis myſtici, quod illa conſtituunt; fons eſt gratiarum omnium, Fides, ſpes, amor, intellectus, Sapientia, unctio, pietas, gaudium, pax, patientia, humilitas, bonitas, lenitas, temperantia, Sanctitas fructus ſunt, qui procedunt a bonitate illius, & dona, quæ haurit ex theſauris ejuſdem. Cum ſit animarum Sanctificator, eſt etiam earum ductor. Si orandum eſt, ipſe orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; ſi intelligendæ, ac penetrandæ ſunt divinæ Veritates, ipſe illas docet, atque explanat. Si erudiendi ſumus, ipſe eſt Spiritus Patris, qui loquitur in nobis licet tot ſeptis infirmitatibus, indeſinenter progrediendum eſt in via ſalutis, ipſe languentes confirmat: Si decertandum, & ſuſtinendum, ipſe fortitudo eſt, & virtus Altiſſimi. Denique Sacra Biblia illum appellant Hoſpitem, Sponſum animarum, Magiſtrum, & Rectorem Eccleſiæ. Conjicite ex his titulis, quænam ſit illius ad nos relatio, & quotuplici ratione ipſi ad illum referamur, quid ille nobis, & quid nos illi ſimus. *Ex libro cui titulus Colloquia Abbatis Joannis, & Eugenii Presbyteri.*

Cur Spiritus ſanctus nobis exhibeatur ſub aquæ ſymbolo.

Aqua in Scripturis ſæpe Symbolum eſt Spiritus ſancti, & ubi JESUS CHRISTUS dicit in Evangelio: ſi quis ſitit, veniat ad me & fluent de corde ejus aquæ vivæ: docet Evangeliſta, ipſum intelligere de Spiritu quem recepturi erant illi, qui crederent in Ipſum. Ut ergo Deum nobis large effuſeque nobis communicaſſe Spiritus ſancti dona, S. Paulus ait, ipſum affluenter effudiſſe in nos locupletem effuſionem *per JESUM CHRISTUM*, quia JESUS CHRISTUS nobis ſua morte promeruit gratias Spiritus ſancti. *Tourneaux Tomo* 2. *Anni Chriſtiani.*

Spiritus ſanctus deſcendit ut hominibus novam legem evulgaret.

Hodie Spiritus ſanctus deſcendit in terram ad evulgandam hanc legem amoris; nam antea ipſum ignota erat Mundo; ſed quemadmodum in Sancta Trinitate ipſe eſt amor Patris, & Filii, & in eo terminantur omnes divinæ proceſſiones, ita homines docet, actiones omnes in amore, & Caritate eſſe terminandas. Igitur voſmet diſponite ad hunc Spiritum ſanctum recipiendum, ut inſculpat in cordibus veſtris legem novam, ac ſtatim ad hujus normam voſmet componatis. Ad illum recipiendum imitari debemus Apoſtolos, & ſicuti illi coacti erant in eodem loco: *Erant omnes pariter in eodem loco*; opus eſt, ut vos ſimul conjuncti ſitis per fraternam Caritatem. Nullas eſſe oportet diſſenſiones, lites nullas, & contentiones in vobis, ſed omnes præſto ſint, ut invicem redeant in gratiam, & omnia componant. *Homilia Domini Godeau.*

Eccleſiæ ſtatus antequam Spiritus ſanctus in Apoſtolos dilaberetur.

Quinam erat Eccleſiæ ſtatus, antequam Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcenderet? quo in ſtatu divinus hic Spiritus reliquit Eccleſiam, & quam in ea peperit mutationem per ſuum illapſum? Hoc attentius non licet nobis inſpicere, quin ſimul admiremur infinitam Dei erga homines bonitatem, & inæſtimabile donum, quod contulit illis. Fingite vobis exiguum gregem, qui amiſſo Paſtore videt ſe obnoxium luporum furori, illum vo-

rare

rare quærentium. Gladius, qui Paſtorem percuſſit, diſſipavit oves palantes, & ſine duce; hæ non intelligunt amplius opilionem ſuum ex voce; periculum imminens eas replet metu, & vix in ovile conveniunt; quod ipſum tenue perfugium eſt adverſus tot feras, quæ illas perſequuntur. Talis erat, Fideles, ſtatus Eccleſiæ, & Apoſtolorum poſt JESU CHRISTI mortem, antequam Spiritus ſanctus in illos deſcenderet. Per turpiſſimum, teterrimumque ſuppliciorum omnium Paſtorem, Patremque optimum miſerant, qui eas errore viarum fatigatas non amplius humeris ſuis geſtabat, qui non nutriebat illas eſurientes miraculis ſuis, qui prædicationibus ſuis de officiis earum non erudiebat, qui exemplis ſuis non excitabat eas amplius ad ſuſtinendum, qui eas mœrentes præſentiæ ſuæ illecebris, ac vocis ſuavitate non conſolabatur amplius. *Tourneaux ibidem.*

Multiplex operatio Spiritus ſancti in animabus fidelium.

Divinus hic Spiritus unus eſt, & indiviſibilis in ſe ipſo; & nihilominus multifariam operatur in illis, a quibus recipitur. Hinc appellatur ille modo Spiritus Vitæ, cum de ſinu mortis peccatores educit, modo Spiritus Veritatis, eum illos in ipſorum erudit inſcitia; modo Spiritus Conſilii, cum ancipites conſilii certos facit; modo Spiritus Fortitudinis, cum eos infirmitatibus roborat. Hic ille eſt, S. Bernardus ait, qui nos admonet, docet, excitat, bonum nobis faciendum inſpirat; qui nobis ſimul gratias tribuit, & ſubſidia, quibus egemus, ad illud efficiendum. In nobis eſt veluti Paterfamilias domi ſuæ, tamquam Rex in ditione ſua, tamquam Judex in ſolio. Revertimur ex corde ad Deum? Tunc nobis datur ad ſalutem. Reſiſtimus hoſtibus noſtris? Tunc nobis fert opem. Incedimus in via Mandatorum Domini, etſi tentationes, & vitæ hujus calamitates aliter ſuadeant? Tunc ad fervorem noſtrum augendum ſeſe nobis communicat. Verbo, dicit S. Auguſtinus, ille manens in nobis, replet, animat, regit, vivificat, fundet, ut noſtris perfungamur officiis, non quidem timore ſupplicii, ſed amore Juſtitiæ; adeo plane detegens veritatem menti noſtræ, ut ſciamus, quidquid ſciendum eſt, & effundens in cordibus noſtris adeo ſuavem voluptatem, ut hilariter, ac lætabundi efficiamus, quod faciendum eſt nobis. *Ut ſciendo ſciamus aperiendo veritatem, & facienda faciamus inſpirando ſuavitatem. Idem.*

Apoſtoli expectabant, & petebant omnes, ut Magiſtri ſui promiſſa adimplerentur, qui receperat ſe illis miſſurum Spiritum ſanctum, ac illos ab alto fortitudine roboraturum. Dona Prophetiæ, miraculorum, diſcretionis Spirituum, non erant omnino ea, quæ illis pollicitus fuerat: ſed illis perſonalem promiſerat Sanctificationem, ac robur reſiſtendi inimicis ſalutis ſuæ: *Accipietis Virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos.* Ita poſtquam divinum hunc Sponſum receperunt, illis perſuaſum fuit, ſine his gratuitis donis neminem Deo carum eſſe poſſe, & ſine gratia ſanctificante, neminem illi placere poſſe; pro certo habentes, licet non deeſſet Prophetiæ donum, & perfecta rerum omnium ſcientia; licet Angelorum linguam loquerentur, & de loco in locum montes transferrent; hæc omnia nihil futura, ſi caritas deeſſet, quæ in cor effunditur a Spiritu ſancto. Huc unice ſpectabant omnea illorum preces, omnia deſideria; & cetera divinæ Providentiæ permittentea, in hoc unum erant intenti, ut plenitudinem gratiæ reciperent. *Idem.*

Actu. 1.

Felicitas hominis eſt poſſidere Spiritum ſanctum per gratiam, eumque ad finem uſque retinere gratiâ ejus fartam tectam ſervando.

Magnum hominis in hac vita bonum eſt poſſidere Spiritum ſanctum. Non opes, non honores, non voluptates, non proſpera valetudo, non regnum, immo neque dona gratuita a ſanctificante gratia ſeparata hominem vere beatum efficiunt; & ſi Epicureus docet: felicitas mea ſita eſt in voluptatibus carnis meæ; ſi Stoicus altius paullo ſe attollit, ſuamque conſtituit beatitudinem in perfruendis voluptatibus Spiritus, Fidelis longe ſapientiſſimus inquit cum David; *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Sed quantumcumque ſit, ac inæſtimabile bonum hoc, tamen unum mihi majus adhuc videtur, quale eſt Spiritum ſanctum ſemel acceptum retinere, & ex Virtutis principio id facere, quod veteres Idolorum cultores craſſa ſuperſtitione operabantur, ubi catenis vinciebant numina ſua, ne ab illis desererentur. Quid enim homini prodeſt adhærere Spiritui ad aliquot dies, bene incipere, & male deſinere; magnum poſſidere theſaurum, ejuſque ſtatim facere detrimentum? Quænam major calamitas, quam Virginum fatuarum, quæ accipientes lampades ſuas, obviam factæ Sponſo, illius jacturam fecerunt; dum aliæ ipſis fideliores, ac prudentiores cum evigilaſſent, & paratæ eſſent cum eodem ingreſſæ fuerunt ad nuptias. De induſtria hoc utor exemplo, ut in Sapienti aliarum quidem prævidentia, & fatus aliarum agendi ratione vobis oſtendam, quid cogat Spiritum ſanctum recedere ab anima, & quid illum ibi permanere. Equidem ſcio illum quocumque libitum fuerit, ſeſe conferre; modo in anima poſtquam diutius abfuit, permanere, & modo poſt officioſam præſentiam recedere; verum etiam ſcio, & cum S. Auguſtino, dico, hoc Dei donum licet a nemine pendeat, videri iis conferri magis, qui illud recipere volunt. Primum illius conſilium eſt nobiſcum permanendi ſemper, quæ res nobis eſſe debet ſolatio, & hoc eſt expectationis noſtræ fundamentum, & arrha ſpei noſtræ. Hoc poſito, quænam ergo fuit cauſſa infelicitatis Virginum fatuarum? fuit ſane permiſiſſe, ut lampedes ſuæ extinguerentur; eo quod ſibi oleum comparare neglexerant, quod Virgines Sapientes ante Sponſi adventum effecerant. Et ecce S. Joannes Chryſoſtomus inquit, quod ſæpe accidit animabus juſtis, quæ præ tepore, & negligentia extingui ſinunt lampadem caritatis, quæ in eorum cordibus erat ſuccenſa. *Morales ſermones.*

Quotuplici modo extinguimus Spiritum ſanctum, ut loquitur Apoſtolus.

Spiritus Dei multifariam extingui poteſt, S. Chryſoſtomus inquit. Nunquid terrenis bonis adhæreſcimus? Nunquid inquieta ſollicitudine ſæcularibus negotiis vacamus? ſub hoc terreno pondere Spiritum Dei extinguimus. Amamus carnis voluptates, & ſatalibus ejuſdem illecebris cor noſtrum aperimus? hac velut aqua injecta Spiritum Dei extinguimus. Cedimus ne tentationibus Sathanæ in crimen trahentis? Extinguimus hunc eumdem Spiritum, quem temere objicimus furenti huic vento perflanti, & agitanti lampadem hanc, quam poſuerat Deus in animabus noſtris ad eas ſimul illuminandas, ac inflammandas. Sed licet Spiritus hujus receſſus ex nulla harum rerum proficiſceretur, noſtra ſola negligentia, ac tepor eum tandem nos relinquere cogeret. Non terra, non aqua, non ventus extinxerunt fatuarum Virginum lampades; ſed ſola olei carentia, ac negligentia oleum ſibi comparandi. Non ſemper carnales voluptates, terrenis bonis adhæſio, ac tentationes violentæ in animabus juſtis divinum extinguunt Spiritum; ſæpe etiam in officiis obeundis relaxatio, modica in referendo fructu ex acceptis gratiis diligentia, ſopor voluntarius, Virtutis tædium ſunt cauſſæ propter quas miſere perit. *Ibidem.*

Deus nobis ſuum dedit Spiritum, qui cor illius eſt, ut eum diligamus ſicut nos amore infinito dilexit.

Cum Pater Æternus nobis Filium ſuum dederit, & maximum, quod nobis conferre poterat, donum contulerit, ſimul etiam dedit nobis Spiritum ſanctum, qui cor illius eſt, ut illum diligeremus ſicut dilexit nos, & ut aliquo pacto nos illi par pari poſſemus rependere, infinitum amorem illius infinito amore proſequentes, & ingredientes in cor ipſius, ſicut ille noſtrum ingreſſus eſt. Sed cum ille nobis proprium cor ſuum dederit, pro recenti munere iterum amore infinito eſſet diligendus. Heu, Domine, cum mihi majores contuleris gratias, quam Angelis ipſis, cur non dediſti mihi cor, quod te ardentius amare valeat, quam omnia Seraphim ſimul? *Pater Cauſſin in Rubo ardenti.*

De ſeptem muneribus S. Spiritus Apoſtolis conceſſis, & quæ virtus infuſa fuerit in animas eorum.

Cum Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendens, divinus hic Conſolator replevit animas eorum ſeptem donis, quæ illi accepta referuntur: Illis Sapientiæ donum communicavit, quod quidam guſtus eſt, & ſenſus interior, qui animam divinis rebus adnectit, has illis amabiles præbens, & in illis ſuavitatem, atque ſoliditatem ſimul oſtendens, Divinus hic Spiritus illis communicat intelligentiæ donum, quod perſpicax, & facile acumen eſt efficiens, ut repente aſſequamur ſenſum divinorum Bibliorum, quorum clavim nobis ſuppeditat. Hinc Apoſtoli, diſcipulique poſt hujus Spiritus ſancti dilapſum in ictu oculi acquirunt perfectam cognitionem Legis, Prophetarum, ſub ſenſuum figuratorum involucro, præterita ſimul; præſentia, & futura tegentium. Per Spiritus ejuſdem gratiam in ipſos effuſam, acquirunt Conſilii donum, quod ſupernaturalis eſt inſtinctus nos agens, ac ſemper in iis rebus, quæ nullo in diſcrimine habentur, determinans in eam partem, quæ melior eſt, atque tutior. Illos in partem vocat doni Fortitudinis, quod eſt virtus ſuperior, quæ rebus omnibus pares efficit, aut ſuperiores. Per hunc fortitudinis Spiritum, quidquid naturæ difficillimum eſt, evadit poſſibile, & facile iis etiam, qui antea pavidi erant, ac imbecilli. Hic idem Spiritus Cæleſtis illis ſcientiæ donum confert, quæ infuſa eſt cognitio variarum rerum, quæ mentem noſtram illuſtrare, ac perficere poſſunt. Illis etiam per Spiritum ſanctum communicatum fuit donum pietatis; quæ ſuavis eſt animæ noſtræ propenſio, quæ nos Deo tamquam Patri noſtro adnectit; Sanctis tamquam amicis illius; & proximo tamquam ejuſdem imagini. Idem etiam Spiritus illis donum timoris Domini inſpiravit; qui Sanctus, ac Religioſus pavor eſt, quem parit in nobis conſpectus Dei æque amabilis, atque terribilis. De Cæleſtibus hiſce donis Salvator noſter cum Patre ſuo loquebatur, cum dixit illi: *Confiteor tibi, Pater, Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a Sapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ex merali novi Teſtamenti Tomo 1.*

Matth. 11.

Licet omnia creata nos ad Deum deberent impellere, oportebat Spiritum ſanctum deſcendere, ut nos amoris ſui igne ſuccenderet.

Creata omnia Dei perfectiones annuntiabant nobis, eaque nobis erant veluti totidem Dei beneficia, quæ debebamus, ſicut hodie quoque debemus Providentiæ ſuæ, quæ iiſdem nos cumulare non deſinebat. Ita illa omnia nos ad Dei amorem excitabant. Sed tandem hæc creatarum rerum vox nondum ſatis corda noſtra afficiebat, & nihil videbatur ſatis efficax ad ea alliciendа, & permovenda. Quænam igitur extitit ratio

præſtantior, quam ſecutus eſt Deus, ut amorem ſuum hominibus inſpiraret? Hæc ſane. Miſit nobis Spiritum ſanctum, qui perſonaliter, ac ſubſtantialiter ipſiſſimus eſt amor Dei. Verum quomodo divinus iſte Spiritus deſcendit in ignis formam, ut cognoſceremus, illum totum eſſe amorem per ardorem ſuum, ac deſcendere, ut animas omnes hoc ipſo ardore inflammaret. Neque hic tantum vice Spiritus ſanctus ſeſe communicavit ſuper terram: adhuc ſingulis ſeſe communicat diebus, & præcipua habet tempora, quibus ſe præbet ſentiendum, & quibus divinus hic ignis efficientius agit in animas noſtras. Hujuſmodi illud tempus eſt, quod ſolitudini impendimus, ut ſerio vacemus iis, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, ut emundemus animas noſtras a fermento peccati, ut cum Deo redeamus in gratiam, & ſtemus coram illo. Ita Spiritus ſanctus deſcendit in Apoſtolos, cum in Cœnaculum conveniſſent; tunc ad illos miſſus fuit hic Spiritus amoris. Sed quomodo nos quoque habere poſſumus ſolidum hujus illapſus in nos teſtimonium? Quomodo cognoſcere poſſumus, utrum Spiritus ſanctus in animas noſtras deſcenderit? Hoc ex noſtro erga Deum amore dignoſcere poſſumus. Nam recipere Spiritum ſanctum, & Deum diligere unum, & idem eſt; & nobis diligendus eſt Deus, prout Dei Spiritum receperimus. *Pater Bourdalove in Spiritualibus receſſibus.*

Quemadmodū Spiritus Divinus datur nobis ſine menſura, ita ſine menſura inflammari debemus ejus amore.

Deus ſine menſura ſuum nobis Spiritum dedit; igitur ſine menſura Deus a nobis amandus eſt. Nequaquam Deus meus! nullis finibus conſcribendus nobis eſt amor erga te noſter, qui nullus eſt finis in iis omnibus, quæ te nobis amabilem reddunt. Tuum nobis Spiritum ſanctum dediſti cum quadam infinitate, ut ita dicam; igitur caritas noſtra pro modulo ſuo eſſe debet infinita. Quæcumque eſſe poſſit ejus extenſio; nunquam tua in nos æquabit merita; hoc autem Spiritus tuus, ſi eodem animati ſumus, nobis repræſentat in animabus noſtris. Ibi divinus hic Spiritus nobis repræſentat magnalia tua, omnes virtutes tuas, omnes tuas perfectiones, & inde efficit, ut quam cito arguamus, quicumque fuerit amoris noſtri gradus, nos in te diligendo modum excedere non poſſe. In rebus ceteris exceſſus poteſt inveniri. Poſſumus quibuſdam in circumſtantiis nimia uti cautela, & prudentia; poſſumus nimia cura & vigilantia nobis proſpicere; poſſumus etiam in ipſa mortificationis, & pœnitentiæ praxi abundare; ſed te, Domine, nimis amare non poſſumus. Hoc nos docet Spiritus ſanctus, qui ait inexplebilem eſſe Caritatem, quæ nunquam dicit ſatis. *Pater Bourdalove ibidem.*

Oratio Spiritui ſancto.

Divine Spiritus; Caritas eſſentialis & ſemper ſubſiſtens, fons inexhauſte ignis Sacri, qui beatos incendis Angelos, omneſque Dei electos, deſcende, aperi animas noſtras, eaſque inflamma, quæ ſi reſiſtunt, vim illis infer ſalutarem. Tu quocumque penetras, nec tibi niſi uno opus eſt ſpiculo, ut cor totum incendas, & abſumas. Per te igitur eodem abſumi poſſumus igne, quo in Cœnaculo Apoſtoli, ideoque idem habere conſilium, eamdem actuoſitatem eamdemque virtutem. In decurſu annorum ſuorum nihil unquam potuit ſeparare illos a Caritate JESU CHRISTI, & Dei. Quid unquam nos ab illo poterit ſeperare? Nunc o Spiritus amoris, noſmet penitus devovemus tibi, ut inſolubili vinculo, atque æterno amore Deo noſtro hæreamus. *Pater Bourdalove in Spiritualibus receſſibus.*

Effectus quos parit Spiritus ſanctus in animo quā replet.

Qui Spiritum ſanctum recepit, novam loquitur linguam. Hic Spiritus ſanctus producit in anima lumen adeo vividum, intellectum rerum ſupernaturalium adeo purum, ut ea cogitante longe aliter ab ea ratione, qua hactenus cogitavit, mirum eſſe non debeat, ſi alia lingua loquatur. Quinam eventus magis admirabilis, & quæ major mutatio i manus hominum humili loco natorum, & qui longe humiliorem nacti ſunt inſtitutionem, ingenio vero rudi; & craſſiori, ſine ulla litterarum ope, immo etiam ſine ulla Biblicorum Myſteriorum cognitione in craſſa Legis ignorantia innutriti, quos ipſe JESUS CHRISTUS triennio lectionibus ſuis, atque inſtitutis vix excoluerat: quos tantus doctor poterat quidem efformare, illuminare, expolire; ſed ingenti opus erat miraculo, ut eos mutaret, atque ex iis ſibi faceret diſcipulos minus rudes, & indociles. JESUS CHRISTUS e re non cenſuit hoc operari miraculum; Sed hoc integrum reliquit Spiritui ſancto, ut per hoc extremam admoveret manum operi noſtræ Sanctificationis, ac inſtitutioni Eccleſiæ, quæ præcipuum illius opus erat futurum. Re ipſa vix prodiit Spiritus ſanctus; vix eodem repleti ſunt Apoſtoli, atque diſcipuli, cum ſacer hic ignis, quo ſuccenſi ſunt, nitet, erumpit, fulget modis omnibus; ignari illi ſtatim in arena fiunt altiſſimi doctores, illuminati Prophetæ, celeberrimi Aſceticæ vitæ Magiſtri, & omnium terrarum Oracula. Quæ hac major animi magnitudo! quæ conſtantia! non metuuntur amplius ancillæ criminationes, vel probra; graviſſimis quibuſlibet occurritur periculis, teterrima contemnuntur tormenta, ac ſuaviſſima tribunalia, coram quibus ſine metu proditur, & audacter JESU CHRISTI divinitas prædicatur, non ſecus ac gloria humiliationum ejus, & mortis ejus in cruce, & quidquid in Chriſtiana morum diſciplina, ſenſibus, & cupiditatibus maxime adverſatur. Tali opus erat miraculo, ut inſtitueretur in Mundo Religio prorſus divina; ſed omnia hæc miracula erant neceſſarii fructus Spiritus ſancti. Nunquid his ſimilia in nobiſmet ipſis deprehendimus? Hinc tamen intelligemus, utrum Spiritum ſanctum receperimus. Quod de Apoſtolis latum fuiſſet judicium, ſi die hac poſt illapſum Spiritus ſancti patria tantum lingua fuiſſent locuti; & ſi æque, ac antea ignavi, imperfectique fuiſſent? Quid de nobis cogitandum eſt, ſi in tanta hac feſtivitate neque magis ſpiritales, neque magis pii, neque magis ferventes evadimus? *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo* 4.

Admirabiles effectus, quos in anima parit Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus eſt, ut ita dicam divinus ille ignis, quem Salvator tulit in terras, ut omnia corda eodem conflagrarent. Hic ille ignis eſt, qui mentem illuſtrat; qui omnia in ſua vera luce proponit, & ſimul frigidiſſima calefacit corda, efficitque ut haud ægre maximum quemlibet obicem ſuperent. Nihil ullo ſtat labore illi qui præclaro hoc igne ſuccenſus eſt. Tunc virtus habet illecebras, quæ faſcinant; Evangelium præcepta, & conſilia, quæ placent; nihil levius, nihil ſuavius eſt jugo Salvatoris. Hic ille eſt divinus ignis, qui, ut ita dicam, abſumit noſtrarum imperfectionum æruginem, qui amoris proprii vincula incendit, qui adverſitatum amaritudinem abſumit, qui cupiditates exſiccat, & emundat animam. Cavete ne ſpiritum extinguatis. Nam Spiritus hic extinguitur in flaxis operibus, & effectibus ejus. In anima per peccatum extinguitur, per teporis aſſiduitatem extinguitur, per juges infidelitates, per reſiſtentiam gratiæ pertinacem extinguitur. Quod malum tunc accidit animæ ſibi, ſuiſque cupiditatibus traditæ! Carente tunc illa ope adeo valida, ac lumine ita neceſſario, fides ſemper infirmatur, cum hic deficit Spiritus, & cordis corruptio illum ad extremam uſque ſcintillam ſtatim extinguit. Quæratur cauſa funeſta hujus teporis, hujus negligentiæ, hujus ignaviæ in Domini cultu: quam metuendum eſt, ne Spiritus hujus extinctio fons ejus extiterit! Undenam tantum hoc diſcrimen guſtus, ſenſuum, vitæ inter Chriſtianum, & Chriſtianum? Quo fervore, qua facilitate, qua alacritate alii quidem inſerviunt Deo; quam oſcitanter, quam frigide, quam tepide in ejuſdem ſervitute languent. Quam varia agendi, vivendique ratio inter homines ejuſdem familiæ, ejuſdem religioſæ communitatis, ſocietatis ejuſdem! Adoleſcens Mundi cultor eſt, hujus illi placita ſapiunt, leges ejus habet in pretio, nonniſi voluptates eſurit, cum interim hæc eadem placita ſorori ipſius omni ſapore carentia, amara etiam, ac indigna corde, ac mente Chriſtiana videantur. Hæc ſenſuum varietas proficiſcitur neceſſario ex oppoſitione Spiritus, quo animantur. Mundi ſpiritus regnat in hoc mundano corde, donec illud Dei Spiritu percitum eſt. Quænam igitur ſors erit, æternumque ſtatum duorum horum cordium? *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo* 5.

Finis quem ſibi proponit Spiritus ſanctus ſe nobis communicans.

Quem autem finem ſibi Spiritus ſanctus proponit ita ſe nobis per ſuas gratias communicans? finis eſt inſtaurandi quodammodo in nobis quod accidit in Verbi Incarnatione, quod arcte adeo ſe ſacræ Salvatoris humanitati conjunxit, ut non ageret amplius, niſi per motum, vel impreſſionem, quam ab eadem recipit divinitate. Talis præter propter eſt unio, quam Spiritus ſanctus habere cupit cum nobis. Vellet in nobis quoad vitam Chriſtianam, ſpiritalem, interiorem id efficere, quod ſpiritus, & anima noſtra efficit in nobis ratione vitæ naturalis; videlicet nos regere, nos ita animare, ut ille eſſet unicum principium omnium motuum cordis noſtri, omnium votorum, actionum, cogitationum, judiciorum noſtrorum. Aliter cogitare, vivere, agere hoc non vocatur amplius vita Spiritualis. Voſmet ergo colligite, ad examen revocate, quid ibi agatur corrigite, reformate; perficite, ſpiritui veſtro abrenunciate, ſtudiiſque ejus, & luminibus. Sequimini unice Dei Spiritum, voſmet illi tradite; alioquin nulla eſſe poteſt interior vita. *Moralis novi Teſtamenti Patris la Neuville Tomo* 2.

Quanta ſuerit Apoſtolorum fides poſt acceptum Spiritum ſanctum.

Apoſtolorum fides non eſt amplius nutans, non amplius ſecundum ſenſuum fidem, & miraculorum auctoritatem judicium ferunt de Religionis noſtræ veritatibus. Ex quo requievit ſuper illos Spiritus ſanctus, totum ſuſtinent pondus gloriæ Dei, & Magnitudinis Myſteriorum noſtrorum. Tunc illi ſe attollunt cum audaci quidem ſed humili providentia, ad inacceſſum locum illum, ubi poſuit Deus thronum ſuum. Tunc ibi detegunt naturæ divinæ unitatem, Trinitatem perſonarum, earum proceſſiones, operationes earum tam extrinſecas, quam immanentes, œconomiam gratiæ, prædeſtinationis Myſterium, ac reprobationis, Æternum Hominis Dei Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, ejus in ara Sacrificium, extremum Eccleſiæ fatum: verbo, omnia admirabilia, quæ nobis reliquerunt in actis ſuis, in Epiſtolis, accurata omnium viſionum ſuarum enarratione. Denique fides hæc non iners eſt, neque pavida; ex quo repleti ſunt

Spiri-

Digitized by Google

Spiritu divino Judæis ſimul, & Gentibus ea partiuntur talenta, quæ ad eorum converſionem receperunt. Morales iſti rudes, ac illiterati, ipſoque ferme recto ſenſu carentes Synagogas ingrediuntur, Philoſophos confundunt, turbant peccatores, illiciunt, vel totum Mundum perterrent. Variis loquuntur linguis, & vix patriam norunt; omnibuſque etiam alienigenis ſuos explicant ſenſus. Certiſſima proferunt Oracula circum omnes ſibi propoſitas difficultates, hortantur, prædicant, monent, decernunt, arguunt, obſecrant, minitantur, cupientes mortem ſubire, ut hominem crucifixum tueantur, & figent cruore ſuo Evangelicas Veritates. Ebrii ſunt? Sunt energumeni: hæc eſt calumnia, qua inimici gloriæ illorum labem conantur offundere. Sed ebrii ſunt, ſunt energumeni, qui ſine ſtudio Pſeudoſapientum cerebrum perturbant; qui ſine aſtu, & fuco alios ad ea credenda impellunt, quæ fieri nequaquam poſſe videntur, quin turpi utantur indulgentia, ut corruptam naturam ſeveritati morum ſuorum ſubjiciant, redigunt cupiditates ſub jugum ſeveræ ac rigidæ diſciplinæ. Ebrii ſunt atque Energumeni, qui dicunt hactenus inaudita, pro quibus tuendis moriuntur; patientia ſua fatigant carnifices ſuos, inermes terrorem incutiunt ipſis tyrannis, & plurima omnium ſexuum, & conditionum millia ad moriendum ſuo alliciunt exemplo. Ebrii ſunt, & Energumeni, quos univerſus orbis audiit, & coluit, quorum nova doctrina prædicata, & recepta fuit in omnibus terris, quorum ſcripta probatiſſima quævis ingenia celebrant, atque admirantur, dum Philoſophorum, Ethnicorum Poetarum volumina vel in bibliothecæ alicujus pulvere deliteſcunt, vel in otioſi ſomniatoris alicujus ſcriniis ſervantur. O egregium, præſtantiſſimumque Magiſtrum; qui in iis, quos erudit, tanta operatur, ac in eorum mentem eximias haſce, ac perutiles cognitiones immittit! Hic noſter quoque Inſtitutor eſt, & quomodo veritatem omnem docuit Apoſtolos, ſibi hanc etiam depoſcit provinciam ſpiritualis regiminis noſtri, nobiſque omnia tradit, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria quatenus Doctor, atque Magiſter. *Ex ſermonibus moralibus Tomo 3.*

Spiritus ſanctus in memoriam revocat Apoſtolis, quidquid Dei Filius illos docuerat.

Paracletus autem Spiritus ſanctus, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Paracletus docuit Apoſtolos omnia, quia effecit, ut intelligerent veritates, quæ illis antea enigmata videbantur inſolubilia; effecitque, ut reminiſcerentur eorum omnium, quæ a ſuo Magiſtro didicerant, quia alte adeo Sanctas Religionis Veritates in cordibus eorum impreſſit, ut hæ ſemper præſentes extiterint Apoſtolorum memoriæ in iis etiam occaſionibus, in quibus difficillimum eſt divinas has ſequi Veritates. Ut nobis perſuaſum ſit, Spiritum ſanctum magna hæc in Apoſtolis operatum eſſe admirabilia, ad examen revocare ſatis eſt, quid eſſent Apoſtoli, antequam ſancto Spiritu replerentur, & quid evaſerunt poſtquam in eos Spiritus ſanctus deſcendit. Qui, & quales Apoſtoli? Ante Spiritus ſancti illapſum Apoſtoli omni carebant lumine, ac minime pares erant iis etiam veritatibus intelligendis, quæ maxime patebant. Ante Spiritus ſancti adventum Apoſtoli omni virtute deſtituti erant; leviſſima quælibet tentatio ſatis erat, ut obliviſcerentur eorum omnium, quæ ab Inſtitutore didicerant. Divinus Spiritus illos illuſtravit, roboravitque; illos illuminans omnia docuit; illos roborans in eum ſtatum perduxit, ubi nunquam Magiſtri ſui dogmata obliviſcerentur. *Annus Evangelicus Lambert Tomo 3.*

Quænam requiratur diſpoſitio ad recipiendum Spiritum ſanctum.

Prima ad Spiritum ſanctum recipiendum diſpoſitio, eſt omnem Mundi Spiritum abjicere. JESUS CHRISTUS hoc palam dixit Apoſtolis ſuis, ubi illi promiſit fore, ut ad eos mitteret Spiritum ſanctum; illis enim teſtatus eſt Divinum hunc Spiritum a Mundi ſectatoribus recipi nequaquam poſſe. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis ut maneat vobiſcum in æternum; Spiritum Veritatis, quem Mundus non poteſt accipere.* Quid hic ſibi vult *Mundus?* illi videlicet qui habent ſpiritum Mundi, qui diligunt Mundum, qui ea quærunt, quæ ſunt hujus Mundi, qui Mundo inhærent. Egregie S. Auguſtinus ait, Chriſtianam Religionem amplectentibus illam fontes ſuppeditare, ubi nunquam aquæ deficiunt; ſed ad aquas ex his fontibus hauriendas hydriam vacuam eſſe afferendam. Quænam hæc eſt hydria, qua aquam hinc haurire debes? Eſt cor tuum. Opus eſt, ut cor iſtud terrenis curis ſit vacuum. *Lambert in anno Evangelico Tomo 3.*

Joann. 14.

Apoſtoli non decepti ſunt in Spiritus ſancti deſcenſu.

Cum Apoſtoli nequaquam decepti fuerint in Domini Reſurrectione, atque Aſcenſione; nunquid fieri poterat, ut in adventu Spiritus ſancti deciperentur? Centum ac viginti homines, ſimul tranquille eodem in loco ſedentes potuerunt ne ſimul ſibi videri audire ingentem fragorem tamquam Spiritus vehementis, de Cælo venientis, ac totam in qua erant, domum replentis? Num credere potuerunt, ſe videre linguas igneas ſuper ſingulorum capita ſedentes? Potuerunt ne falſo ſibi perſuadere, ſe ex eo tempore cumulatos fuiſſe dono miraculorum, & altero linguarum, quis extrinſecum illud ſymbolum innuebat? Nam poſtremum hoc donum ex omnibus minime obnoxium eſt illuſioni, & errori. Et ſane quonam pacto fieri poteſt, ut qui propriam duntaxat novit linguam, non delirans, ſed ſui compos repente ſibi perſuadeat, ſe loqui, ac intelligere omnia linguarum genera? Verum eſto homo unus tali morbo afficiatur; fieri ne poteſt, ut centum & viginti ſimul omnes eadem laborent inſania? Tamen hac in re longius procedere opus eſt: nam iſti JESU CHRISTI Diſcipuli non crediderunt tantum ſe miraculorum, linguarumque donum accepiſſe, verum etiam ſe poſſe Proſelytis ſuis hæc dona communicare. Hoc jactitarunt; hoc illi promiſerunt, immo revera ita communicarunt, ut hi minime dubitaverint, quo minus illi hanc facultatem accepiſſent; eujus etiam omnium variarum gentium populi, qui tunc Jeroſolymis aderant, teſtes, atque admiratores extiterunt. *Ex libro, cui titulus: Incredulus ad Religionem perductus, Auctore Patre Lamy.*

Mirum non eſt ſi S. Petrus converterit tria hominum millia una ſimul concione poſt Spiritus ſancti illapſum.

Obſtupeſcimus, ubi legimus S. Petrum cum primum concionem habuit apud Judæos poſt Spiritus ſancti deſcenſum, tria hominum millia ad fidem converti ſſe? Verum mirum ne eſt, S. Auguſtinus ait. Videbatur piſcator hactenus rudis, qui nihil præter artem, quam profeſſus erat, didicerat, Magiſtrali jure explanare altiſſima Regni divini Myſteria, omnia linguarum genera loqui, & non antea audito prodigio, ſenſus ſuos ita depromere, ut intelligeretur ab omnibus nationibus, quas inſignis ſollemnitas ex omnibus terrarum partibus acciverat Jeroſolymam. Miraculum hoc a Sancto Luca narratum fuit, atque tunc temporis narratum, quo Evangeliſta auſus non fuiſſet narrare, niſi de facti veritate apud omnes conſtitiſſet; quippe in ſe non unum, vel etiam alterum teſtem nactus fuiſſet, ſed univerſum terrarum orbem; nam decies centena Judæorum millia, qui tunc temporis vivebant illum de mendacio redarguiſſent; quæ res omnem auctori fidem abrogaſſet, & ipſi obfuiſſet Religioni, cujus præſtantiam, atque Sanctitatem celebrare adnitebatur. Hoc, inquam, poſito miraculo, mirum ne eſt tot Judæos tunc fuiſſe converſos? quin immo nonne e contra admirabilius eſt, ſupereſſe adhuc homines quoſdam adeo duræ cervicis, & ita cæcos, ut in ſua incredulitate permaneant. *Pater Bourdaloue in Tomo 1. Quadrageſima.*

Progreſſus, & mutatio, quam peperit Spiritus ſanctus in corde Apoſtolorum.

Nunquam ſatis admirari poſſumus regnum Spiritus ſancti in corde Apoſtolorum, & inſignem mutationem quam repente in eo operatus eſt: lumina, quæ in mentes eorum infudit, vim, & fortitudinem quam illis inſpiravit, donum linguarum quod illis impertiit, zelum, & fervorem cum quo Evangelium prædicaverunt, & incredibilem ſucceſſum, quem verbo eorum tribuit, & quo uſus eſt ad omnes terrarum gentes convertendas. *Digitus Dei hic eſt.* O Virtus digiti Dei! Quandonam tinges cor meum? quando mutabis infirmitatem meam in fortitudinem, teporem meum in fervorem, & inſcitiam meam in ſcientiam ſalutis? Si mox cogitamus glorioſum divini hujus Spiritus imperium in primos fideles, & gratiæ miracula, quæ operatus eſt in cordibus noſtris, intelligemus illos ſimul conjunctos fuiſſe, ac omnia illis fuiſſe communia. Prædia, ſuaque vendebant bona, conflatamque pecuniam omnibus, juxta ſingulorum egeſtatem, diſtribuebant. Unum illis cor erat, anima una. Quotidie ſe conferebant in Templum in eodem Spiritu, ibique in oratione perſeverabant, & frangentes panem in domibus fidelium cum gaudio, & cordis ſimplicitate veſcebantur. Cari erant populo propter vitæ Sanctitatem, ac morum innocentiam; indeſinenter laudabant Dominum, & omnibus in locis, atque temporibus illum glorificabant. Dominus vero ſingulis diebus augebat numerum eorum, qui ſalvi erant faciendi. *Ex libro, qui inſcribitur; Vir Orationis Patris Novet. Parte 3.*

Spiritus ſanctus ſolus eſt annumerum noſtrorum conſolator.

Divine Spiritus, ad te unice pertinet qualitas Conſolatoris; tu enim unus mali fontem petis, & cupiditatem mortificans, eos tollis malos effectus, quos illa parit. Tu unus cohibes perennem hanc cogitationum, votorumque neceſſitudinem, quæ nos angit, & quæ nos inveniens in creaturarum rerum perquiſitione evagantes, revocat ad Creatoris unitatem. Mundus, ut nos conſoletur, imitatur amicos Job, qui prope illum ſedentes lacrymas ſuas cum lacrymis illius conſociarunt. Videtur ille noſtrorum malorum miſereri; ac dolore noſtro dolere; ſed tandem oneroſus eſt conſolator, ut Sanctus ille vir neceſſitatis ſuis exprobrabat: *Conſolatores oneroſi omnes vos eſtis;* & ſæpe ſe vera bona fide dicere non piget: minus gravis, & moleſtus eſt nobis, cum ſolos nos deſerit cum adverſa fortuna compoſitos, quam cum nobis opem ferre conatur inanibus conſiliis, quibus utitur. *Sermones Morales ex Tomo 3.*

Effectus admirabiles quos efficit Spiritus ſanctus in cordibus noſtris.

Spiritus ſanctus viam inſiſtit a tetricis, ſterilibuſque his nugis abhorrentem. Se nobis inſerit, & illabitur in corda noſtra, inquit Richardus a S. Victore, per gratiam ſalutarem, ac ſuavitatem interiorem, quam ibi infundit, ubi lacrymas noſtras abſtergit, vel ſi illas fluere ſinit, lacrymæ ſunt lætitiæ eo quod non

ſentimus ultra ignem cupiditatis, quo abſumebamur, neque ardores febris illius, quæ cauſſa erat noſtræ perturbationis. Nequaquam ad conſolationem nobis ingerendam cum Mundo dicit: patientiam habete; non ultra ſæviet procella; dicit autem, nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo ſunt; an non cognoſcitis impuritatem voluptatum ejus, injuſtitiam ambitionis, avaritiæ tyrannidem, amicitiæ inconſtantiam, fragilitatem, & nihilum bonorum ejus? Non ſuadet ille cum Mundo, ut per noſtrum dedecus aliquam malis noſtris medicinam quæramus; mala hæc convertit in bona, efficitque, mirum! ut in ipſis ærumnis per patientiam, & generoſitatem, quam nobis inſpirat, voluptatis, & gloriæ fontem inveniamus. *Idem*.

Ubi Apoſtoli repleti fuerunt Spiritu ſancto [illegible] aſſequuti ſunt cognitionem Myſteriorum abſconditorum, & veritatum, quæ latebant.

Apoſtolorum cognitio non eſt amplius alicujus veritatis peculiaris, ſed plena eſt, atque integra cum earum quæ ad Religionem pertinent, tum earum, quæ ad morum diſciplinam referuntur. Penetrant ſecreta, quæ nunquam cognita, vel revelata fuerunt, vel potius, quæ in divinis Scripturis concluſa cognoſci non poterant, niſi Spiritus ſanctus harum admirabilium Scripturarum ſignum auferret. Omnium ſæculorum diuturnitatem complectuntur, ab Adam uſque ad JESUM CHRISTUM loquuntur; promiſſiones, earumque complementum oſtendunt; rerum eventum, & epocam, temporalem nativitatem, ac æternam JESU CHRISTI generationem. Neque hæc ſucceſſiva cognitio eſt; Præceptor qui illos erudit, nequaquam ut ceteri per lentas inſtitutiones, & gradus illos diſponit ad Sanctos recipiendos afflatus, eos motu rapido attrahit ad ſe, mentem eorum ſimul illuminat, ac repente cor illorum inflammat. Vix *repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, cum loqui incipiunt, *& cœperunt loqui!* Nullum intereſt temporis intervallum inter divini hujus Spiritus præſentiam, & ejuſdem operationes; cumque rationalis anima, licet in concretum corpus infuſa, non ideo ſtatim omnes functiones ſuas exerceat, hæc anima univerſalis Eccleſiæ vix animat hoc venerabile Corpus, cum ſtatim illi tribuit motum, incrementum, & intellectum ſimul; talis enim eſt Spiritus ſancti natura, S. Gregorius inquit, ut in operibus ſuis a temporum ſucceſſione minime pendeat. Ex quo manet in anima, illam tangit, erudit: *Mox ut tetigit, docet*. Vividæ impreſſiones, quas efficit, pungunt, nitent, calefaciunt, & ſimul illuminant; atque in divinis emotionibus ſuis unum, & idem eſt tangere, & docere; Illuminare, & ad quæcumque negotia admovere: *& ſolum tetigiſſe, docuiſſe eſt*. In lege veteri deſcendit in Amos, & magnum Prophetam facit: in eadem lege deſcendit in Danielem, & hunc adoleſcentulum conſtituit Judicem ſeniorum, caput domus Nabuchodonoſor, ac principem inter Miniſtros illius. In lege autem nova, ubi umbræ veritati locum ceſſerunt, ejus vis, & actuoſitas magis adhuc eluceſcit. Deſcendit in Petrum, & egenum piſcatorem hunc in Evangelii præconem, & Principem Apoſtolorum convertit; deſcendit in Saulum, & ex Chriſtianæ Religionis perſecutore Doctorem Gentium, & vas electionis effingit: adeo vivida ſunt ejus lumina, adeo celeres, & efficaces operationes illius. *Ex Tomo 3. Moralium Sermonum*.

J. C. relinquere voluit Spiritui ſancto munus erudiendo, quod ipſe in terris exercuerat.

Scio eximium nobis eſſe Magiſtrum, videlicet JESUM CHRISTUM; verum etiam ſcio, quod S. Laurentius Juſtiniani docet, JESUM CHRISTUM cum Magiſtri munus aliquantiſper obiiſſet, relinquere voluiſſe Spiritui ſancto gloriam muneris hujus perficiendi, ſimulque Solem hunc miſericordiæ plures emiſiſſe radios, poſtquam aſcendit in Cælum, quam eo tempore quo cum hominibus converſatus eſt ſuper terram. Verum eſt ipſum abſtuliſſe nobis corporalem, viſibilemque conſpectum ſuum; ſed ſemper nobiſcum manet per præſentiam ſpiritualem, atque viſibilem, videlicet per Spiritum ſanctum, quem reliquit Eccleſiæ ſuæ. Qui nos docet, ſemper eſt JESUS CHRISTUS, ſed modo perfectiore, & qui ſtatum noſtrum maxime decet, non amplius exhibens oculis noſtris Corpus humanum, ſed ſeipſum effundens in corda noſtra per fidem, S. Auguſtinus ait: *Non cernentium oculis ingreſſurus Corpus humanum, ſed ſeipſum credentium pectoribus infuſurus*. Non amplius erudiens nos per doctrinam, quam ſuſtinere non poſſemus, niſi a Patre ipſius, vel ab ipſo emanaret; ſed mittens in nos Spiritum ſuum, qui noſtram adjuvat infirmitatem, & qui quamdam indulgentiam infirmitati noſtræ accommodatam nobis divinas veritates inſinuat. Cum ita loquor cum inſigni hoc viro, ne puretis Patris, Filiique doctrinam aliam eſſe a doctrina Spiritus ſancti; neque arbitremini aliquam eſſe relationem auctoritatis, vel ſuperioritatis, ſive in Patre dante Spiritum ſanctum, ſeu in Filio rogante, ſeu in tertia perſona, quæ ad nos miſſa eſt: Credite hæc omnia in veſtram utilitatem facta fuiſſe, ut haberetis Magiſtrum interiorem, atque inviſibilem, qui Spiritum ſuum in veſtros infereus, vos luminibus illuſtraret, vobiſque officiorum veſtrorum qualitatem, atque extenſionem oſtenderet. *Ex Tomo 3. Moralium Sermonum*.

Aug. Tract. 94. in Evang. Joannis.

Lumina, quæ infundit Spiritus ſanctus animæ, quam inhabitat.

Cum Spiritus ſanctus deſcendit in animam, Richardus de Sancto Victore inquit, tribuit illi veluti duplex oculorum genus, quos ſimul omnes aperire jubet, ut uno eodemque ictu cognoſcat, quid ipſa ſit, quid ipſi faciendum ſit, generalia, & peculiaria officia, legis naturam, illius adimplendæ modum, bonorum operum neceſſitudinem, eorum faciendorum locum, ac tempus, ne deficiens vel ſpiritu, vel officiorum ſuorum diſcretione ſteriles tantum, ac fictitias habeat virtutes. Omnia in illa ſancta ſunt, ac recte inſtituta, ex quo ſe ſubjicit regimini ſancti hujus Spiritus, qui eam docet auream ſervare mediocritatem, in qua vera virtus ſita eſt, quin decidat in alterutrum extremum, quod illi adverſatur. Fortis eſt citra temeritatem, verecunda eſt citra ignaviam, parca citra avaritiam, liberalis citra prodigalitatem, humilis citra hypocriſim, gravis citra ſuperbiam, vigilans citra evagationem, flexilis citra inconſtantiam, conſtans citra pertinaciam, peccati inimica per caſtum amorem juſtitiæ, adhærens Deo per omnium virtutum genera, & vivam ſpem quam habet Illius tandem aliquando poſſidendi in Cælo, ſpem, quam illi Spiritus ſanctus largitur, qui eſt veluti arrha ſalutis, eamque ſuis cumulat gratiis ad perficiendum opus prædeſtinationis ejus, eamque in æternum beatiſſimam efficiendam: *Implens ad felicitatem*. *Ex Tomo 3. Moralium Sermonum*.

Quomodo ſeſe gerant Chriſtiani erga Spiritum ſanctum.

Quemadmodum convenerant Apoſtoli, ut orationi vacarent, opus eſt, ut vos quoque vacetis orationi, & humiliter, atque ardenter Deum precibus fatigetis, qui ad vos mittat Spiritum ſanctum ſuum; & huic dicatis oportet: *Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium*: oblectatur enim orationibus, & enixis precibus noſtris; & lumen, quod ab illo ſperamus, meretur, ut illud petamus, ac ſollicite flagitemus: *Sine tuo numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium*. Sed primum illud, quod in Apoſtolis imitari debetis, eſt, evacuare amorem veſtri, & omnium rerum creatarum. nam ſicut S. Auguſtinus ait, *illi multum pleni* fuerunt, *quia erant multum vacui*. Spiritus ſanctus non niſi cum Dei amore conciliari poteſt; reliquos amores non ſuſtinet, mundi vero amor illi omnino oppoſitus eſt. Hi ſeſe mutuo extrudunt; & fallitur, qui utrumque ſimul conciliari poſſe contendit: Hoc Mundus conatur efficere, ac ſe rationem inveniſſe putat; ſed errat vehementer. Etenim *quæ eſt ſocietas lucis ad tenebras?* Quænam ratio inter JESUM CHRISTUM, & Belial intercedit? Spiritus ſanctus reddet vobis decuplum eorum, quæ propter amorem ipſius relinquetis; & poſtquam vos in hac vita conſolatione repleverit, in altera quoque cumulabit vos gloria. *Homilia Domini Godeau*.

Simon Magus pro impio habitus fuit, eo quod conferre voluerit neſcio quam argenti vim ad Spiritum ſanctum ſibi comparandum; & tot Chriſtiani illum pro leviſſimo quæſtu venundant inſtaurantes Judæ ſacrilegium, ac vendentes Spiritum Dei non ſecus ac proditor ille vitam ejus. JESUS CHRISTUS conſecraverat cor veſtrum, tamquam Templum Spiritus ſancti; vos autem illud polluitis, illud emancipatis cupiditatibus veſtris, quas ibi tamquam idola veneramini, & ex hoc Templo Spiritus ſancti, dicam ne? cur non? quandoquidem Apoſtolus prior dixit: ſæpe facitis domum meretricis. Hæccine gratia eſt, quam gratiæ rependitis? Tantane indignitate Spiritum ſanctum excipitis? Fideles Dei famuli, Fideles eximii Apoſtoli imitatores, ſatagite, ut iterato fervore ſarciatis injuriam, qua peccatores quotidie Spiritum ſanctum afficiunt. *Auctor Anonymus*.

SUP-

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE BENEFICIO EUCHARISTIÆ
QUATENUS SACRAMENTI ET SACRIFICII.

J. C. antequam terram relinqueret, nobis Altaris Sacrificium reliquit. S. Chryſoſtomus homil. 83. in Matth. 5 pag. 8. art. 2.

DEI Filius itineris ſui ſtadium concluſit Altaris Sacrificium inſtituens, & ideo peregrinus fuit ſuper terram, ut per hoc Sacrificium perveniret ad amorem cordis noſtri, quo tanto ferebatur ardore, quanto viator in patriam. Neque ſatis illi fuit, ſacrum hoc inſtituere convivium pridie, quam pateretur, tamquam extremum ſuæ in nos Caritatis argumentum; voluit ſe primum communicare, quemadmodum S. Chryſoſtomus inquit, ut ad Myſteria hujus communionem ſuos invitaret Diſcipulos; voluitque ſimul eſſe conviva, & convivium, comedens, & qui comeditur. non ut inde ulla ſibi fiat acceſſio gratiæ, ſed, ut ſcite animadvertunt Theologi, ut dulcedinem guſtet, antequam amarum mortis ſuæ calicem hauriat. *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo. Pater Nouet Tomo 4. Meditationum.*

Cant. 5.

Miſſæ Sacrificium fons miſericordiæ.

Pſalm. 35.

Sacrificium Miſſæ in Eccleſia Dei eſt tamquam inexhauſtus fons miſericordiæ, quæ quocumque ſe extendit. *Domine in Cælo miſericordia tua.* Domine, ajebat David, miſericordia tua in Cælo eſt; ſed dicere poſſumus hodie illinc deſcendiſſe, & omnino ſuper terras ſe effudiſſe. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Divina Juſtitia, ut ita dicam, guttatim de Cælo labitur, quoniam ſibi in altera vita ſcelerum noſtrorum pœnas reſervat. Sed miſericordia magni fluminis inſtar ſe effundit; nos ſubſequitur in omnem vitæ noſtræ curriculum, non ſecus ac aqua, quam eliciut Moyſes de rupe, Iſraelitas in deſerto ſequebatur. *Interrupit petram in deſerto, & adaquavit eos velut in abyſſo multa.* Fidit Moyſes petram in deſerto, & populo Iſrael bibendas præbuit aquas inſtar fluminis. *Et eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas.* Hæc erat figura affluentium gratiarum, quæ per Miſſæ Sacrificium ex Divina defluunt miſericordia, tamquam a fonte aquæ vivæ, unde omnes Eccleſiæ filii poſſunt haurire. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra; petra autem erat CHRISTUS.* Aqua, quæ ex petra deſerti erupit, miraculoſe ſubſecuta eſt filios Iſrael, uſque ad exitum itineris eorum; & gratia Sacramenti, quæ ex vulneribus JESUS CHRISTI manat, tamquam effectus miſericordiæ ipſius, nos comitatur, & ad mortem uſque ſubſequitur. *Deus meus miſericordia mea.* Deus meus, & Salvator meus mihi es omnia in Sancto Sacrificio tuo, & jure poſſum vocare te gloriam, ſalutem, præſidium, theſaurum, divitias meas; ſed omnia ſimul mihi complecti videor dicens, te meam eſſe miſericordiam. *Idem.*

Pſalm. 32.

Pſalm. 77.

1. Cor. 10.

Pſalm. 58.

Quo in ſtatu, & cum quibus divitiis adſit Deus in divino hoc Sacramento.

Status Filii Dei in Sancto Altaris Sacrificio ſtatus eſt, qui ſuam mortem præſignat, per quam omnes homines ſalvos fecit, & in quam perſonaliter ingreditur, deferens ſecum merita, & theſauros crucis ſuæ per admirabilem mutationem ſubſtantiæ viliſſimæ, quam deſtruit omnino, & quam convertit in proprium Corpus ſuum, cujus infinitum eſt pretium, & quod in ſe continet omnes Cæli divitias illas eodem modo communicaturus. Si vultis a Spiritu JESU CHRISTI repleri virtute ipſius, ut in vobis peragat officium Salvatoris animarum, quo hic functus eſt moriens in cruce, oportet, ut ingrediatur per mutationem perfectam, quæ evertat quidquid vitii, & corruptionis eſt in natura, ibique locum faciat operibus gratiæ. Ratio eſt, quia donec operati fueritis, quemadmodum operamini per naturæ motus, per veſtras adinventiones, ac ſtudia, quodcumque operemini, interibitis, & ne unam quidem animam ſalvam facietis. Salus enim non eſt naturæ opus, ſed JESU CHRISTI, qui numquam replebit vos divino ſuo Spiritu, niſi in vobiſmet amorem veſtrum occideritis. *Idem.*

Inſignis Chriſtianorum ſtultitia, qui cum Dei Filium ſemper habeant præſentem raro illum inviſunt.

Si quis eſſet in Mundo locus, ubi Dei Filius palam ſeſe oſtentaret, ut mihi videtur, omnes certatim illuc confluerent illum oculis uſurpaturi, & ego iter certe licet longiſſimum ſuſciperem. Hoc mihi merito, ac virtuti adſcriberem, neque putarem me poſſe zelum, amoremque meum teſtatum facere. Sed cum nullibi eſſe poſſit præſentior, quam ſit in Templo; quin ille procul ſit inquirendus, illum apud nos, & inter nos habemus. Illum profecto non videmus, verum eſt: ſed fides ſupplet ſenſuum defectus: & quod per fidem cognoſcimus, certius eſt illis, quæ oculis noſtris conſpicimus. Undenam ergo ſit, ut Chriſtiani nullo habeant in diſcrimine Sacramentum, in quo ipſa eſt JESU CHRISTI perſona; dicam melius, Sacramentum, quod ipſe eſt JESUS CHRISTUS? & parum adeo aſſidui ſint in adhibendo illi cultum, quem debent? ſunt, non diffiteor, publicarum ſolemnitatum tempora, quibus ad pedes amabilis hujus Salvatoris accedimus, ſed nonne potius quædam temporis neceſſitas, quam pietas ſincera, nos illuc impellit? Num aliquando ultro illuc me confero teſtaturus eidem ſenſus cordis mei? Num aliquando illuc accedo ſocius illi futurus ea in ſolitudine, ad quam propter me redactus eſt? Vix aliquot momenta illic commoratus ſum, cum me tædet, & quem amor, merces, obſequium ita me detinere deberent, ut mihimet vim facerem, ne illinc divellerer; immo e contra non ſine quadam violentiæ ſpecie illuc adeo; non aditurus, niſi populi exemplum me cogeret. *Pater Bourdalove in ſpiritualibus receſſibus.*

Hendry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. IV.

Idem ſequitur argumentum.

Illud autem magis mirum eſt in infrequentibus hiſce viſitationibus, quas Dei Filio præſtamus in adorabili Euchariſtiæ Sacramento, quod cum derelinquimus, vel ſaltem negligimus obſequia præſtare amabili huic Salvatori, nobiſmet religioni vertimus, ſi quando deficimus in inviſendis Sacellis quibuſdam in aliquorum Sanctorum honorem dicatis; quam non temerandam praxim ſi quando infringimus, inſignem infidelitatem, nullis piaculis reparandam, putamus. Sanctos revereri pia quidem eſt exercitatio, & devotio laude digna: ſed primum nobis colendus eſt Sanctus Sanctorum; & cetera primo huic officio cedant oportet. Davidi nihil optatius erat, quam ingredi in Templum Domini, & ſe beatum cenſuit, ſi inde numquam efferre pedem potuiſſet. Daniel procul a Judæa, & Babylone captivus ter ſingulis diebus aperiebat cubiculi ſui feneſtras, quæ Jeroſolymam verſus ſpectabant, ibique in genua procumbens preces effundebat Deo Iſrael perinde ac eſſet in Templo. Primi Fideles ſemper ſecum habere volebant Sanctum Sacramentum. Non defuerunt Sancti qui omnem fere vitam ſuam tranſegerunt coram illo, & quot ipſi etiam videmus Societates, & Communitates, ubi inſtituta eſt religioſa praxis adorationis perpetuæ? Denique ſi utendum nobis eſt Mundi ipſius exemplo, in aulis Principum, aulici minus, quam fieri poteſt, a Regis aſpectu recedunt. Sed primus Principum omnium, & Regum Rex, cum proculdubio ſit JESUS CHRISTUS, cur adeo infrequenter ad illum accedimus, cum potiſſimum ſemper in Templis adſit? *Pater Bourdalove in Receſſibus Spiritualibus.*

De Inſtitutione Sancti Sacramenti.

Immenſus amor, quo nos complectitur Deus palam in Myſteriis omnibus innoteſcit; verum dicere poſſumus Sanctiſſimi Sacramenti Inſtitutionem eſſe miraculum amoris ipſius, & quoddam veluti ceterorum Myſteriorum compendium; ſive cogitemus cauſſam propter quam JESUS CHRISTUS hoc Sacramentum inſtituit, ſive omnes illius circumſtantias ſpectemus; omnia nobis oſtendunt amorem incomprehenſibilem, omnia incredibilem divinæ Caritatis exceſſum commendant. Magnus profecto viſus eſt hic amor in Incarnationis Myſterio, in qua Verbum hypoſtatice ſe cum humana natura conjunxit; & in Euchariſtia Verbum idem cum Sancta humanitate conjunctum vere, ac realiter cum ſingulis hominibus conjungit. Ineffabilis viſus eſt hic amor in Nativitate ejus in ſtabulo; quæ enim incunabula puero, qui Deus eſt! In Euchariſtia vero hic Homo Deus ſe humiliat, ſeſe coarctat ſub ſpeciebus panis, & vini in ſpatium fere indiviſibile, idque, ut immenſo, quem pro nobis habet, amori ſatisfaciat. Vita ejus pauper, & latens annorum triginta, admirabile Myſterium eſt, ſed quodnam admirabilius Myſterium JESU CHRISTO uſque ad Sæculorum finem commorante in ſtatu omnium humillimo, & obſcuriſſimo, quem mens hominum valeat excogitare? Spiritus confunditur, obruiturque recogitans tragicum illud opus Paſſionis Domini: Mors ejus vere incomprehenſibile Myſterium eſt. Deus licet omnipotens poteſtne præbere nobis ſui amoris majus documentum, cum velit hoc prodigium, quod ſemel tantum in Calvario patratum eſt, in altaribus noſtris perennari in adorabili Euchariſtia, idque ut ſuæ erga nos Caritati ſatisfaciat? *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 2.*

Feſti-

Euchariſtiæ & Sanctiſſimæ Trinitatis feſtivitates ſunt omnium in Eccleſia vetuſtiſſimæ, & quare?

Feſtivitas Euchariſtici Sacramenti non ſolum eſt ex celeberrimis ſolemnitatibus Eccleſiæ, ſed omnium vetuſtiſſima, & princeps. Reliquæ, illa ſaltem quæ ſunt ſolemniores, ſunt Apoſtolicæ Inſtitutionis, ſed hæc inſtituta fuit ab eodem JESU CHRISTO in cœna noviſſima pridie quam pateretur. Ejus inſtitutio eadem eſt ac illa divini Sacrificii, & dicere poſſumus, præceptum a Salvatore Apoſtolis, & in eorum perſona Eccleſiæ univerſæ irrogatum, ut in memoriam illius facerent, quod illis inſpectantibus paullo ante fecerant, effecit dominicæ Cœnæ, & Euchariſtici Sacramenti feſtivitatem ipſa etiam Eccleſia antiquiorem. Feſtivitas enim, quam inchoavit Eccleſia, ortum duxit ab inſtitutione, ac celebratione divini hujus Sacrificii, quod ſubſecuta eſt communio Fidelium ad panis fractionem congregatorum, vel comeſtionem corporis JESU CHRISTI, & orationem. Sine Sacrificio nulla Religio eſt, Eccleſia nulla. Dicere etiam poſſumus Euchariſtiæ feſtivitatem perpetuam in Eccleſia fuiſſe, non ſecus ac illam Sanctiſſimæ Trinitatis, & nullum unquam fuiſſe tempus, quo celebrata non fuerit. Nam ſicut Sancta Trinitas eſt objectum eſſentiale cultus noſtri in omnibus noſtræ Religionis ſolemnitatibus; ita Euchariſtia eſt Sacrificium perpetuum & cultus ſanctiſſimus, qui in omnibus feſtis diebus Deo adhibeatur. Et hæc ratio eſt, propter quam tandiu dilata fuit in Eccleſia peculiaris inſtitutio feſtivitatis ad celebranda hæc duo magna Myſteria, quia totus annus ſemper fuit feſtivitas Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ colebatur, & divinæ Euchariſtiæ, per quam colitur. *Pater Croiſet in Aſceticis tomo 4.*

Euchariſtia obtinet in ſe omnia deſiderabilia bona, & omnia Salvatoris Myſteria.

Sanctiſſimum Altaris Sacramentum, in primæva Eccleſia ſupremum præſentis vitæ bonum appellabatur: *Bonum perfectum*, in quo omnia bona noſtra nanciſcimur: cumque boni ſupremi poſſeſſio in Cælo æternam conſtituat felicitatem; ita poſſeſſio adorabilis Euchariſtiæ in terris conſtituit jugem omnium dierum feſtivitatem. *Hoc facite in meam commemorationem;* dicit Dei Filius. Sacramentum hoc non debet ſolum vobis excitare memoriam mortis Domini, verum etiam reliquorum vitæ ipſius Myſteriorum. Hoc Spiritu Eccleſia poſt illa verba Canonis Miſſæ, *hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis;* addit, *Unde & memores, Domine, paſſionis &c.* Nullum eſt JESU CHRISTI Myſterium, cujus Sacratiſſimum Sacramentum non ſit imago, & memoria; nullum pariter, quod non digne celebretur per divinam Euchariſtiam in Miſſæ Sacrificio. *Idem ibidem.*

Nihil obſequiis votiſque noſtris dignius, quam adorabile altaris Sacramentum.

Religio noſtra nihil habet ſanctius, nihilque divinius, quam Sanctum Sacramentum, quod Sacerdotes celebrant in Altari. Deus ipſe nihil efficere poteſt majus hoc auguſtiſſimo Sacramento, aut venerabilius quam miſſæ Sacrificium: inſtitutio prorſus divina oblatio Sancta, victima pretii infiniti, immolatio Corporis, & Sanguinis adorabilis JESU CHRISTI; Pontificis in omnibus ipſi Deo æqualis! Fingine poteſt aliquid divinius, aliquid dignius noſtris ſollicitudinibus, obſequiis noſtris, & cultu? Hoc potiſſimum eſt opus Sapientiæ, bonitatis, & omnipotentiæ Dei: & hoc eſſe debet præcipuum objectum votorum noſtrorum, adorare Deum in adorabili Sacramento, de quo loquimur. Mirum eſſe non debet, ſi Sancta Eccleſia erumpit in laudum Cantica, in actiones gratiarum, atque lætitiæ; & ſi eodem Spiritu Fideles nihil prætermittunt, ut in univerſo Orbe Chriſtiano conſerant aliquid per zelum, ac pietatem ſuam ad hujus feſtivitatis Magnificentiam, & ſolemnitatem feſtivitatis, quæ de induſtria inſtituta eſt ſtatis anni temporibus ad deducendum triumphali quodam more adorabilis hujus Sacrificii Inſtitutorem inter plauſus, & populorum Fidelium epinicia. Verum fieri ne poſſet, ut dicendo aliquis aſſequeretur quam uberem gratiarum copiam divinus hic Salvator effundat ſuper ſimplices, & fideles animas, quæ tanto ardore gloriam incomparabilis triumphi ſui concelebrant? nequaquam. Non licet humanæ mentis infirmitati iſtud complecti. *Pater Croiſet tomo quarto.*

Dei Filius in hoc Myſterio mediator noſter eſt apud Patrem.

In Altaribus noſtris Dei Filius ſuum Mediatoris munus exercet: petit, & impetrat neceſſaria ſubſidia ad æternam ſalutem noſtram; ſub Euchariſticis ſpeciebus medius eſt Deum inter & nos, ut propius, ut ita dicam, agat pro noſtra reconciliatione, & pace, quam jam per mortis ſuæ merita nobis procuravit, in Cælum ferens hominum preces, & de Cælo referens ad homines Cæli benedictiones, & tamquam divinus, & beneficus nuntius repræſentans Patri ſuo noſtras neceſſitates, & nobis illius nuntians miſericordias: hinc illis poſitus in Eccleſiæ medio tamquam Arbor vitæ in medio Paradiſi terreſtris, inſtaurat Chriſtianæ pietatis fervorem, omnibus malis noſtris medetur, noſtriſque proſpicit neceſſitatibus. *Flechier.*

Sacerdos unus tantum Sacerdos eſt cum J. C.

Verum eſt Sacerdotem unum tantum cum JESU CHRISTO Sacerdotem eſſe; & in Miſſæ Sacrificio non exercere ſuum Sacerdotium, niſi in perſona ipſius JESU CHRISTI; nonne igitur liquet, huic ſacra litandum eſſe hoſtia ſecundum JESU CHRISTI Spiritum, & diſpoſitiones? Offerre debet, ut ille in Spiritu Sacrificii, in amore crucis, in diſpoſitione ſemet ipſum ſacrificandi, ac moriendi propter Deum. Quippe in hujuſmodi ſpiritu, ac mente JESUS CHRISTUS hoc Corporis, Sanguiniſque ſui Sacrificium inſtituit, quod obtulit Patri ſuo, ex quo dedit Apoſtolis ſuis, cum prope erat, & ipſe lictoribus traderetur in cruce moriturus. Hæc diſpoſitio non eſt quadrantis unius horæ opus, neque horæ unius, quod impendi poſſit, ut Sacerdos ſe ad Sacrificium Miſſæ diſponat. Immo neque eſſe poteſt, niſi effectus gratiæ JESU CHRISTI in nobis, & opus plurimorum annorum, qui tranſmiſſi fuerint in ſenſuum, atque cupiditatum mortificatione, in cohibendis omnibus motibus concupiſcentiæ, in carne cum omnibus voluptatibus ejus crucifigenda, ut conformes eſſe poſſimus JESU CHRISTO tamquam victimæ, antequam illi tamquam Sacerdoti conſociemur. Sicuti enim JESUS CHRISTUS tunc ſolum ingreſſus eſt in perfectionem, in omnia jura, ac munia Æterni Sacerdotii ſui, in Cælum ſanctuarium, cum factus in cruce fuit victima; ita qui delecti ſunt futuri participes poteſtatis, & magnitudinis Sacerdotis ipſius ad offerendum terribile Sacrificium Corporis ſui, ſemper illis omni contentione adnitendum eſt, ut in ſe ipſis veterem hominem tollant, & crucifigant. Verbo, ut ſimus Sacerdotes cum JESU CHRISTO, cum eodem victima eſſe debemus. *Ex Sancto Auguſtino.*

Eſſentia, & natura Sacrificii Miſſæ.

In Euchariſtia verum, ac reale Sacrificium habemus; & hoc Sacrificium ſimul eſt in memoriam Sacrificii, quod in Cruce peractum fuit, quandoquidem illud ſupponit, atque complectitur. Sacrificium hoc reale, & verum eſt; fit enim Deo oblatio veræ victimæ, quæ reipſa præſens eſt, ſacrificata per deſtructionem vitæ ſuæ, & per reſurrectionem ſuam conſummata. Sacrificium hoc inſtitutum eſt ad recolendam memoriam illius, quod in Cruce conſummatum eſt; neque enim offertur niſi per relationem ad victimam immolatam, & effuſionem Sanguinis, quæ in Cruce facta fuit; & Miſſæ oblatio illud ſupponit, & neceſſario complectitur, quemadmodum Eccleſia palam indigitat in his precibus, quas ponit in ore Sacerdotis ad oblationem hanc ſignificandam. Hoc idem Sacrificium eſt, ac illud Crucis; quia victima eſt eadem, idem Sacerdos præcipuus, eademque oblatio, quam JESUS CHRISTUS per ſe quidem in Cælo, per Sacerdotes vero ſuos perennat in terra. *Idem.*

Effectus Sacrificii.

Primus effectus Sacrificii JESU CHRISTI eſt peccata noſtra expiare, Dei juſtitiam, eidem ſatisfaciendo, placare; noſtram eſſe redemptionem, & pretium, quo animæ noſtræ redemptæ ſunt a dæmonis, infernique poteſtate. Per Euchariſtiæ Sacrificium applicatur nobis Sacrificium Crucis, quod oblatum eſt Deo *pro redemptione animarum noſtrarum.* Effectus alter eſt nobis mereri gratiam, Sanctitatem, & Spiritum Dei, fidem, ſpem, & caritatem, ut ſiamus Filii Dei, & mox hæredes, & cohæredes JESU CHRISTI. Tertius effectus eſt ſupplere noſtræ infirmitati, qua digne Deum adorare non poſſumus, eique gratias agere bonorum omnium, quæ ab illo recepimus. *Idem.*

Diſpoſitiones ad offerendum Altaris Sacrificium neceſſariæ.

Diſpoſitiones, quæ ad digne communicandum ſunt neceſſariæ, non ſufficiunt ad Miſſam digne celebrandam; Etenim major requiritur Sanctitas ad ſancte conſecrandum JESUM CHRISTUM, quam ad illum recipiendum. Etenim per communionem JESU CHRISTI participes ſumus, tamquam membra; ſed in Sacrificio illum in ipſius perſona conſecramus, quaſi illius vices gerentes. Immo JESUS CHRISTUS conſecrat in nobis, nos vero illi commodamus tantum linguam, manus, ac ſpiritum noſtrum ad tantum hoc, divinumque Opus. Inde vero innoteſcit etiam, Miſſæ celebrationem opus eſſe majus, & ſanctius Communione; quod Communio fit tantum ad creaturæ utilitatem, quæ ibi ſuam invenit Sanctificationem, ſemet conjungens cum Deo in victima; Conſecratio autem, & victimæ hujus oblatio unice reſpicit Deum: & in hac Sacrificii eſſentia conſiſtit, & per hunc Sacerdos conſecratur Sacerdos. Sacrificium enim ſine Conſecratione eſſe non poteſt, neque ſine oblatione, & eſſe poteſt quin creatura victimæ partem abſumat, quemadmodum fia in holocauſto. Inevitabile creaturarum erga Deum officium eſt, illi offerre Sacrificia, ſed gratia eſt, & miſericordia prorſus gratuita Dei erga creaturas, illas admittere ad Communionem victimæ ſuæ, illas excipere menſæ ſuæ participes, ac permittere illis, ut veſcantur Corpore ſuo, & proprium Sanguinem hauriant. *Idem.*

In Chriſtiana Religione unũ eſt Sacrificium & unus Sacerdos.

Hæc veritas eſt, a qua nemo unus diſſentit, unum eſſe Sacrificium, unum Sacerdotium, atque unum Sacerdotem in Religione, ideoque ſemper idem, unicumque eſſe Sacrificium JESU CHRISTI, quod omnibus ſæculis, omnibuſque in locis offertur. Ita idem, ac unum eſt Sacerdotium in omnibus Sacerdotibus, qui poſt illum fuerunt, eruntque uſque ad temporum finem. Quemadmodum omnes Chriſtiani unum duntaxat efficiunt corpus Myſticum cum JESU CHRISTO, cujus ſunt membra; ita omnes Sacerdotes ſunt

unus

unus Sacerdos cum eodem JESU CHRISTO, qui aſſumit illos in ſocietatem Sacerdotii ſui, & qui per illos perennat in terris Sacrificium, quod ipſe inchoavit, & quod in Cælo non ceſſat offerre ſupremæ Majeſtati. *Idem*.

Finis propter quem Altaris Sacrificium fuit inſtitutum.

Sacrificii finis eſt præſtare Deo magna quatuor Religionis officia his verbis expreſſa; adoratio, gratiarum actio, ſatisfactio pro peccatis, & Oratio. Primitiva hæc, & eſſentialia noſtræ Religionis officia variis antiquorum ſacrificiorum ſpeciebus repræſentabantur, eaque erant holocauſta vel meræ adorationis, gratiarum actionis, expiationis pro peccato, impetrationis, & orationis. JESU CHRISTI Sacrificium in unitate ſua perfecte omnes eas ſpecies complectitur; & in eo JESUS CHRISTUS ſe offert Patri ſuo tamquam adorationem, gratiarum actionem, ſatisfactionem, & orationem Eccleſiæ ſuæ; idque Eccleſia nobis conſiderandum proponit in quatuor hiſce verbis, quatuor hæc officia complectentibus, quatuor fines Sacrificii, quatuor res illas, quæ internus hominis Chriſtiani Sacrificium conſtituunt. 1. Cui offertur. 2. Pro quo offertur. 3. Per quem offertur. 4. Res ipſa, quæ offertur. *Idem*.

De Amore quo Dei Filius nobis teſtatus eſt in Euchariſtia.

Si omnes JESU CHRISTI actiones, ejus Incarnatio, prædicatio, paſſio totidem ſunt infiniti ſui erga nos amoris argumenta, dicere poſſumus Euchariſtiam præſertim eſſe Myſterium, Sacramentum, & perfectionum amoris hujus incomprehenſibilis. 1. Mundi Salvator toto vitæ ſuæ ſpatio dilexit ſuos, omnia illis bonorum genera conferens, ſed in exitu vitæ ſuæ illos certos fecit ſingularis amoris hujus per pignus pretioſiſſimum, atque diviniſſimum, quod illis poterat tribuere, quia pignus hoc fuit proprium illius Corpus, & Sanguis. 2. Videbatur, amor JESU CHRISTI nihil majus hominibus præſtare poſſe, quam Hominem fieri, ac videri mortali carne circumdatus, ſimilis noſtræ, exinanire ſe ipſum pro illorum ſalute, juxta illa Apoſtoli verba: *Exinanivit ſemetipſum*; peccatorum noſtrorum onus ſubire, ſanguinemque ſuum pro miſeris peccatoribus effundere. 3. Sed videmus in Euchariſtia exceſſus hujus amoris longe graviores, & magis incomprehenſibiles, Amat ſuos eo uſque, ut illos ſua Carne paſcat, & Sanguine; ut per hanc eſcam unum fiant cum illo. Fit eorum panis, ut illi vita vivant ipſius, & ut ipſe vivat in illis; eos nutrit eſca vere divina, ut prorſus divinam vitam vivant. *De S. Martha Tomo 1.*

Philipp. 2.

Præſtantiſſima Chriſtiani hominis actio eſt ſacro Altaris ſacrificio intereſſe.

Quam parum afficitur Fidelis gloria Dei ſui, cum negligit quotidie intereſſe Sacro Altaris Sacrificio; vel ſi intereſt, offerre negligat Æterno Patri magnum hoc Sacrificium in Spiritu, ac intentione Salvatoris Mundi! Nam ſicuti certum eſt Deum neque reſpicere, neque recipere poſſe perfectius obſequium, quam quod illi in Calvario litatum fuit: certum eſt quoque, nullum in univerſa Chriſtiana Religione eſſe exercitium aptius ad Nomen Dei glorificandum, quam illud ipſum, quod oblatum fuit in Calvario. In Templis noſtris non eſt cruentum, ut fuit olim in Cruce; ſed hoc tantum excepto unum non differt ab altero. Nihil majus hoc Sacrificio; nihil, quod in majorem Dei gloriam cedere poſſit; neque enim melius ſupremum illius Dominium recognoſci poteſt, quam per id, quod Sacrificii eſſentiam conſtituit, quod ſitum eſt in deſtructione rei, quæ immolatur. Sed ex omnibus Sacrificiis nihil dignius eſt Magnitudine Dei, quam Altaris Sacrificium; neque enim creatum ens duntaxat ſacrificatur, ſed Deus mortali noſtra carne indutus ibi immolatur. Heu! Domine, a nobis nuque exigere neque expectare potes oblationem hanc majorem, ac digniorem Te. Vides hic Deum humiliatum, exinanitum, in oculis tuis ſacrificatum. Ipſe offert ſemetipſum: hic ſe immolat tibi. *Ratio recitandi Orationem Dominicam.*

Rationes propter quas reverenter ſacris intereſſe debemus.

Quotidie ſacris intereſſe debemus, ſi participes fieri volumus bonorum, quæ Deus iis elargitur, qui dum ſacra fiunt, aſſiſtunt. Verum cum hæc ſit viva repræſentatio Sacrificii in Cruce peracti; quo reverentiæ, contritionis, gratique animi ſenſu illi adſtare debemus? Si CHRISTUM JESUM confitentes, ut illum Dei Filium eſſe confitemur, Calvario interfuiſſemus, ubi ille animam expiravit; non ne ſummo confecti dolore ad lugubre illud ſpectaculum fuiſſemus confecti? & non ne cenſuiſſemus maximam eſſe impietatem huic Deo morienti inſultare? Hoc tamen facimus ipſi, cum per immodeſtiam non adhibemus obſequium illud, quod decet Sanctitatem Sacrificii. Ad evitandum tantum hoc ſcelus, quod tamen non admodum Religioni nobis vertimus, ſerio cogitemus Majeſtatem illius, qui adeſt in hoc Sacrificio: *Cogita prope quem aſtiteris in ſacro, & horrendo illo Miſſæ Sacrificio.* Ubi cogitabimus, quiſnam ille ſit, quem afficimus contumelia, eumdem videlicet illum, qui cum noſter Salvator extiterit, eſſe debet aliquando Judex noſter; cautius nobiſmet ipſis invigilabimus. Si enim, qui uti deberemus præſtantiſſima medicina ad ſatisfaciendum juſtitiæ Dei æquiſſimo jure in nos irritatæ, eadem abutimur ad illum provocandum, quandoquidem

D. Chryſoſt.

ipſum placare poterimus? *Quando ſalus aderit, quando Deum placare poterimus?* Nunquid de his veritatibus ambigimus? Si illi habemus fidem, cur juxta fidem eamdem non operamur? *Ibidem*.

Ibidem.

Allocutio ad Salvatorē Mundi de immenſa caritate illius in jugi hoc Sacrificio.

Satis non erat Caritati tuæ, Salvator noſter, ſemel in Cruce propter noſtram ſalutem fuiſſe te immolatum: vis adhuc quotidie Sacrificium tuum inſtaurare in altaribus noſtris, offerens te Patri pro hominibus univerſis. Amori tuo primum illud Sacrificium non erat ſatis, illud uſque ad ſæculorum finem perennare voluiſti. Sed heu! Quam male amori tuo reſpondemus! Qui videret quomodo noſmet gerimus in auguſto hoc Sacrificio, arbitrari ne poſſet, nobis perſuaſum eſſe, te in illo immolari? Fatemur, Domine, noſtram agendi rationem fidei noſtræ non eſſe conformem. Firmiter enim credimus Corpus, Sanguinemque tuum in Miſſa offerri quotidie, & nihilominus multo cum tepore, & ignavia eidem adſtamus. Quoties actio adeo Sancta, quæ nobis eſſe deberet fons benedictionis, per noſtram immodeſtiam fuit occaſio peccati? Hoc, quæſumus, nobis dimittas tantam dignitatem confitentibus. Si Dei præſentia propter amorem noſtrum immolati nobis obſequii, & reverentiæ ſenſus non poteſt immittere, quidnam illos in nobis ciere poterit? *Conſiderationes Chriſtianæ.*

Sanctum Altaris Sacrificium non eſt aliud quam continuatio Sacrificii in Calvario peracti.

Singulis diebus Miſſæ offerimus Sacrificium; ſed hoc Sacrificium non eſt aliud quam Crucis, nam idem JESUS CHRISTUS offert ſe Patri, qui in Calvario oblatus fuit; licet modo incruento. Hic eſt hujus Sacrificii Pontifex ſimul, & victima; quoniam ipſe hic offert ſe per manus Miniſtrorum ſuorum. Ipſe nos hoc facere juſſit, ut illius reminiſceremur; & ut mortem illius nuntiaremus donec veniat, nobis reliquit Sacrificium, quod cum ſit continuatio ſui, ſimul etiam eſt jugis memoria mortis ejuſdem. Legis antiquæ Sacrificia quotidie inſtaurabantur, ut cierent cogitationem futuri Sacrificii, quod inſtituturus erat Dei Filius, & cujus erant figura: & quotidie Miſſa celebratur, ad inſtaurandam memoriam Sacrificii Salvatoris, cujus eſt monumentum, *Hoc facite*, inquit ille, *in meam commemorationem*. Sed quia legis Sacrificia non erant, ex Apoſtoli ſententia, niſi imagines nudæ, & minime continebant ea, quæ repræſentabant, per ſe peccatorum remiſſionem minime operabantur; cum e contra Miſſæ Sacrificium continens Veritatem quam repræſentat, videlicet ipſum Corpus JESU CHRISTI, & cum idem ſit Sacrificium ac illud, cujus eſt monumentum; per ſemet confert remiſſionem peccatorum, & ſatisfactorium eſt pro animabus. Igitur JESUS CHRISTUS ſemel cruente obtulit ſe in Cruce, cumque per unicam oblationem hunc Mundum redemerit: non indigemus alio Sacrificio. Sed cur pergit omnibus diebus hanc oblationem efficere? ut ejuſdem fructum Fidelibus applicet. Non enim ſatis eſt JESUM CHRISTUM mortuum eſſe pro nobis, niſi virtus, & efficientia mortis ſuæ nobis applicetur per fidem, & bona opera, quæ dona ſunt gratiæ ipſius, & quæ ab illius bonitate conſequimur per merita mortis ejuſdem. Sed ad gratias has obtinendas vult nos meminiſſe mortis ſuæ, cujus illu memoriam inſtituit in celebratione, & continuatione divini hujus Sacrificii. *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo 8.*

Ad Hebr. 10.

Tepor noſter erga divinam Euchariſtiam quoddam eſt Myſterii genus incomprehenſibilius, quam amor Salvatoris erga nos in illius inſtitutione.

Quantumvis admirabilis, & incomprehenſibilis ſit amor immenſus, quem JESUS CHRISTUS nobis in Sancto Euchariſtiæ Sacramento teſtatum reliquit, in hoc tamen, aliquid inveniri mihi videtur adhuc admirabilius, & incomprehenſibilius, videlicet tepor, frigus, ignavia, & ingratus Fidelium animus erga Salvatorem in hoc auguſto Sacramento. Intelligi non poteſt, nos a Deo huc uſque diligi; ſed tandem hic eſt Deus, qui nos diligit, & quarenus Deus nos diligit. Quod vero nos Dei hujus tædeat, & Deum hunc contemnamus in eo Myſterio, in quo ipſe nobis palam oſtendit ad quem uſque exceſſum ipſe nos diligat; hoc iniquitatis Myſterium eſt, quod facile valeat intelligi? Quis Turca, quis Ethnicus, vel Barbarus, qui teneat ſolum id, quod in hoc adorabili Myſterio credimus, arbitrari poſſet, a nobis JESUM CHRISTUM adeo parum amari? Divinus Salvator opera noſtra non indiget; attamen pro nihilo ducit coarctari intra tenuem hoſtiæ conſecratæ orbem; adeo nos amat, & nobiſcum permanere oblectatur. Homines vero e contra eo carere non poſſunt, & nihilominus nullo habent in diſcrimine gratiam, qua cum illis permanere dignatur; adeo ſuſque deque habent ineſtimabile hoc bonum ad eum pertinendi. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Omnia Dei attributa elucent in Euchariſtia. Bona immenſa quæ procedunt ex præparatione, quam

Præcipua, & maxime eſſentialis omnium præparationum, quæ a nobis ad Communionem afferendæ ſunt, eſt magna cordis, ac mentis puritas; videlicet immunitas ab omni crimine, ab omni inconditio affectu, ab omnibus inutilibus cogitationibus. Puritas in voluntate, in imaginatione, in ſenſibus, cum

ad illum recipiend. in relerle ce mas.

generatim, tum ſingillatim. Dei Filius in hoc adorabili Sacramento non minus ſuam oſtendit potentiam, ſapientiam, bonitatem, quam in aliis Myſteriis. Mutat panem in Corpus ſuum; quæ potentia! tegit fulgorem Majeſtatis ſuæ ſub exiguis ſpeciebus; quæ Sapientia! ſe totum nobis tradit; quæ bonitas! In Incarnatione ſua accipit nomen Emmanuel, quod interpretatur: nobiſcum Deus; ſed perfectio myſtica hujus nominis ſignificationem non replet, niſi in communione Sacrati Corporis ſui, quod nobis exhibetur a miniſtris menſæ ſuæ, ubi ſe ſe totum, ac ſine ulla exceptione ſingulis præbet. Salvator in hoc ſacro Myſterio non ſecus ac in ſœdere, quod cum humana natura percuſſit, non propoſuit ſibi, niſi perfectam Deum inter & homines conjunctionem. Quodnam igitur eſt præcipuum in hac vita circum undique exagitata, tot laboribus, exceſſibus, periculiſque obnoxia munus, niſi perfectam hanc producendi unionem, noſmet, ut ita dicam *incorporantes* JESU CHRISTO, ut in his omnibus ærumnis roboremur? Hoc enixe flagitemus. Quam intime, & quam ſæpiſſime poſſumus noſmet cum illo jungamus, ſi nolumus interire. *Ex Tomo 5. Moralis novi Teſtamenti.*

Statim poſt hæc Salvatoris verba: Hoc eſt Corpus meum; panis fit proprium corpus illius. Ratio, quæ affertur.

Quoniam Verbum dicis, quod ipſa veritas eſt: *Hoc eſt Corpus meum, & aſſentiamur, & credamus*, S. Joannes Chryſoſtomus inquit. Tanta eſt virtus, ac poteſtas verborum Conſecrationis, ut quatenus efficiens cauſſa producant, quod exprimunt. Ut enim id genus propoſitiones veræ ſint, opus eſt, ut res, quam deſignant, exiſtat, ſtatim ac prolatæ fuerunt. Quod manibus ſuis accepit Deus, non niſi panis erat; ſed ſimulac ea protulit verba, *hoc eſt Corpus meum*; tota panis ſubſtantia fuit in nihilum redacta, & nihil amplius ſubſtantiæ remanſit in eo, quod JESUS CHRISTUS Apoſtolis ſuis manducandum præbebat, niſi Corpus ſuum, quod intra paucas horas tradendum erat inimicis ejus, ſaturandum opprobriis, flagris cædendum, & ſuffigendum Cruci. Panis ſolæ ſpecies ſupererant, videlicet color, figura, pondus, guſtus, quæ paſſim ſpecies nuncupantur. Hæc eſt omnium SS. Patrum doctrina, ab Eccleſia Romana definita; Hoc igitur illud eſt, quod Fidelibus omnibus credendum eſt, niſi aberrare velint a Fide. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 4.*

Participem fieri divinæ Euchariſtiæ eſt mortem Salvatoris nuntiare. Indigne autem fieri participem eſt illum iterū crucifigere.

Quotieſcumque manducabitis panem hunc, Dei Filius inquit, & biberitis hunc Calicem, videlicet id quod in Calice hoc continetur; mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Incruentum JESU CHRISTI Sacrificium non differt, niſi quoad modum, a cruento ejuſdem Salvatoris Sacrificio: revocare debet in mentem communicantium peculiariter mortem JESU CHRISTI. Per hæc verba *donec veniat*, S. Paulus oſtendit Euchariſtiæ Sacramentum uſque ad Mundi finem eſſe permanſurum: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc* &c. vel biberit Calicem indigne, reus erit criminis contra Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI: videlicet, qui indigne communicaverit, nihilo erit innocentior, quam ſi occidiſſet Filium Dei, & Sanguinem illius effudiſſet. Nihil apertius, & ad demonſtrationem uſque probat realem Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI præſentiam, quam hæc Apoſtoli locutio; ſimulque oſtendit ex D. Pauli ſententia licere ſub una tantum ſpecie communicare. Si crimen Judæorum, qui Sanguinem Filii Dei effuderunt, perhorreſcimus; nunquid non magis debemus perhorreſcere ſcelus Fidelium, qui illum ſacrilegis communionibus polluunt? Non illi offerunt Sacrificium, S. Chryſoſtomus ait, ſed Deicidium, perpetrant, non eſcam, ſed virus hauriunt. *Idem ibidem.*

Ex verbis J. C. & conſtanti traditio omnem nobis auferre debent de hoc adorabili Myſterio dubitationem.

Accipite, & manducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Ita eſt. Ab eodem JESU CHRISTO recepimus fidem realitatis Corporis, & Sanguinis ſui in Euchariſtia. Conſtans traditio hanc ad nos uſque traduxit. Omnes Evangeliſtæ, & S. Paulus hanc nobis expoſuere. Nemo umquam primis undecim Eccleſiæ ſæculis hac de re auſus eſt dubitare. Cum irrito labore dæmon omnes excogitabiles exhauſiſſet artes ad delendam, abrogandamque fidem præcipuorum Religionis noſtræ Myſteriorum, Divinitatis JESU CHRISTI, unitatis perſonæ, multiplicis naturæ, neceſſitatis gratiæ, auguſtæ qualitatis Deiparæ; tandem inferni malignitas videns omnia tela ſua obtuſa, & deluſas artes, evomit blaſphemias ſuas contra divinam Euchariſtiam, & realitatem Corporis JESU CHRISTI, quæ una Chriſtiana veritas adhuc intentata manebat. Cæcum eſſe opus eſt, ingratum, & impium illum, qui renuat credere hoc immenſi divini amoris Myſterium adeo perſpicue connotatum, adeo invicte conſtitutum; ſed hæreſes non niſi contra probatiſſimas, certiſſimaſque fidei veritates erumpunt. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Sacra Menſa nobis eſt fons gratiarum, atque ſalutis.

Euchariſtia eſt præclariſſimum pignus divinæ erga homines caritatis, & fons ſalutis: mirum igitur eſſe non debet, ſi dæmon tot exerit conatus ad avertendos homines a frequenti Sacri hujus Convivii communione, ad quod nos Dei Filius tanta ſollicitudine, ac amore verbis illis invitat; *Accipite, & manducate; hoc eſt Corpus meum.* Satis igitur non putas, Domine, te a nobis in divino hoc Sacramento adorari, vis etiam epulas noſtras fieri. Vis neceſſitatum noſtrarum cognitione miſeriæ noſtræ cognitionem ſuperari, & amore vinci metum, quo prohibemur. Si error eſt intellectus indignus venia credere nolle realitatem Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI in Euchariſtia; error ſatis craſſus, ac nocens voluntatis eſt, ut ita dicam, ab hac ſacra Menſa abhorrere, & inanes, futileſque cauſſas prætexere, ne divino huic convivio adſiſtamus. *Pater Croiſet ibidem.*

Futiles rationes, & prætextus inanes eorum, qui Sancta hac abſtinent Menſa.

Quam ſatis validam, amabo vos, rationem afferre poſſunt tot homines exploratæ etiam pietatis, ac vitæ frugi, ut ſe diſpenſent, quominus ſæpius quam conſueverunt ad hanc ſacram Salvatoris menſam accedant, illos tanta caritate invitantis, ut divina carne hac ſaturentur? Neque dicant ſe reverentiæ cauſſa non frequentius accedere. Subdola excuſatio, quæ non niſi imperitis os poteſt ſublinire. Neque dicant, quod ad patris familiam convivium invitati: *Villam emi, uxorem duxi. Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo.* Nullum invenio ſaporem niſi in epulis, quas mihi præparat Mundus; condimenta nimis acuunt appetitum meum, ut illa præferre non debeam huic pani viventi: ſed indignus ſum eſca adeo præcellenti. Hæc puritatem poſtulat, quam non habeo; flagitat devotionem, quam ignoro. Spiritus hunc ſibi fingit defectum, ut improbis cordis ſui ſtudiis ſuffragetur. Quantumvis æquo liberior ſis, tenes, nuptiali hac veſte indigere illum, qui Sacro huic intereſt convivio; ſed hac innocentiæ ſtola indui recuſas. Criminoſus hic habitus tibi relinquendus eſſet; bonum illud male partum eſſet reſtituendum; injuria hæc dimittenda: magni reditus illi, qui in ſexcenta ſupervacua, & fortaſſe mala, erogantur, in alios uſus eſſent impendendi, in nudis contegendis, in proximorum egeſtatibus, & morbis levandis: innocue tandem vita ducenda eſſet: ſed hæc intelligere minime vis; & placet tibi in ſordibus, & in peccatis volutari. Hæc genuina ratio eſt, propter quam frequens communio improbatur. At enim, raro communicans majori cum ſanctimonia, atque integritate communicat. Sane ægrotare eſt, tædio affici Corporis, & Sanguinis Domini. Amamus ne vere vitam? fidenter accedamus, ſed accedamus digne ad menſam Filii Dei: ab hac recedere, idem eſt ac ad mortem properare. *Pater Croiſet, & Auctor recens.*

Numer. 21.

Divina Euchariſtia miraculū eſt miraculorū omnium maximum.

Memoriā, quæſo, recolamus omnia prodigia, quæ Deus maxima operatus eſt, ut amoris ſui magnitudinem nobis teſtatam relinqueret; horum miraculorum omnium adorabile Euchariſtiæ Sacramentum quoddam veluti compendium eſt. Hoc omnia in eminentiori gradu complectitur; hoc perpetuum teſtimonium eſt caritatis adhuc excellentioris. Quod Deus dignatus fuerit ſingularem populi ſui curam ſibi vendicare; quod in illius beneficium tot admirabilia ediderit portenta; fluctus ſuſpenderit, ut per medium mare viam illis aperiret, illos in deſerto cæleſti manna nutrierit, illis ſe ducem, ductoremque præbuerit, eorum ſenſibus infinitam ſuam Majeſtatem inter fulgura ac tonitrua ſubjecerit, & præſentiam ſuam in Templo ſignificaverit; hæc equidem fateor, admirabilis bonitatis ſuæ ſunt argumenta; quod vero Dei Filius, quin attenderet & quid ſumus, & quid ipſe eſt, ut ſuum nobis teſtetur amorem, tot operetur miracula in adorabili Euchariſtia; dignetur ſe intra ſpatium fere indiviſibile coarctare, ſimulque in infinitum ſe reproducere; ſuam abjicere Majeſtatem, ac ſeipſum ſub panis, vinique ſpeciebus celare; quod cibus noſter futurus, clauſus dies, noctéſque in pixide maneat, & hæc omnia, ut realiter nobiſcum, & indeſinenter commoretur, quid vobis videtur? Non ne hoc miraculum eſt ipſa etiam Euchariſtia incomprehenſibilius? Quæcumque ſit Principis alicujus viri cum amico ſuo neceſſitudo, numquam tamen ſe Dominum eſſe obliviſcitur. Quidam eſt oris habitus quidam ordo, quædam decentia, quam Princeps ne in ſumma quidem familiaritate abjicit; ſolus amor, quem nobis in Euchariſtia Salvator teſtatur, nullum ſervat modum. Dominus hic infinite magnus ſeſe totum tribuit, ac prodigit ſubditis ſuis; diceres ipſum ſui obliviſci in hoc adorabili Myſterio, ut noſtrum tantummodo reminiſcatur. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Adorabile hoc Sacramentum eſt compendiū prodigiorum omnium præcedentium, & futurorum.

Pſalm. 110.

Propheta jure memorat, Salvatorem in divinæ Euchariſtiæ inſtitutione nobis dediſſe compendium miraculorum omnium, quæ ſæculis ſuperioribus operatus erat, & quæ deinceps uſque ad finem temporum erat operaturus. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum . . . . eſcam dedit timentibus ſe.* Quod revera prodigium! ſed quot in uno tantum miraculo mirabilia? Subſtantia panis, & vini in nihilum redacta, quin tamen accidentia deleantur. JESU CHRISTI Corpus millibus, variiſque in locis reproductum, ac ſemper integrum in ſpatio fere individuo; Deus ſimplicis Sacerdotis verbo obediens: Corpus & Sanguis adorabilis Filii Dei realiter præſens in Altaribus noſtris, expoſitum omnimodis contumeliis,

irri-

trisſionibus, & procacium hominum ſacrilegis prophanationibus; tandem indiſcriminatim omnibus diſtributum Fidelibus. Hoc Salvator facit, ut ſuum nobis teſtetur amorem: hoc eſt objectum fidei noſtræ. Nunquid ſatis non erat, ut Deus homo fieret ad omnes homines redimendos? Satis non erat hunc Hominem Deum Sanguinem, vitamque ſuam pro univerſo Mundo effudiſſe? Hoc procul dubio plus erat quam quod petere fuiſſemus auſi. Quod vero divinus iſte Salvator ſe nobis etiam præbeat in cibum: ingrati! tantum hoc miraculum intelligamus. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

J.C. eſt in ara ut nobis viam aperiat ad reparandas injurias ipſi a Judæis latas. Matth. 28. Ad Cor. 11.

Per amoris, & bonitatis exceſſum JESUS CHRISTUS dedit nobis in adorabili Euchariſtia Corpus ſuum. Hoc ille nobis pollicitus fuerat dicens Apoſtolis: *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Fatetur Corpus eſſe ſuum, quod nobis largitur, ſed addit; Hoc eſt Corpus meum, *quod pro vobis tradetur.* Nunquid ſolum irriſionibus Judæorum ingratorum adorabile Corpus hoc traditur? Non ne Gentilium quoque contumeliis objicitur pretioſum hoc Corpus, in quo corporaliter tota Divinitas habitat? Corpus JESU CHRISTI realiter eſt in Altaribus noſtris; ibi eſt, ut ab omnibus Chriſtifidelibus adoretur; ibi eſt, ut per Fidelium fidem, pietatem, reverentiam, adorationem injuriæ, quibus a Judæis affectus fuit, reſarciantur. Sed Domine, non ne ipſis etiam fidelibus afficeris contumelia? Non ne ab his ſingulis diebus inſtaurantur convicia, quibus a Judæis paſſionis tuæ tempore coinquinatus fuiſti? Et quod tibi acerbius adhuc eſſe debet, non cæci, & pertinaces Judæi, ſed Chriſtiani, qui te cognoſcere profitentur, hi filii te laceſſunt tui. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 3.*

Quot opprobria Filius Dei in Templis noſtris patitur.

Repetamus memoria omnes irreverentias, omneſque irreligioſos actus, quorum nos teſtes fuimus, vel etiam actores in Templis noſtris. Nobiſmet repræſentemus ſuperbos oris habitus, pene dixerim inſultantes, quibus cum homines in Templa ingrediuntur, illos corporis ſtatus, ac geſtus immodeſtos, ac minime religioſos, quibus contemnere videmur patientiam Dei, qui tacet, atque obmuteſcit. Non ne dici poſſet, JESUM CHRISTUM in Altaribus noſtris excipi eodem contemptu, quo theatricus Rex exciperetur; cum ſermones miſcentur, cum in riſus, & cachinnos erumpitur, cum altero quidem poplite in terram demiſſo, altero autem ſublato coram illo inſultatur? Sed quot ſecreta ludibria, quot inviſibiles profanationes? Quot oſcula proditoria in tot ſacrilegis communionibus? Non ne in lege nova plurimi ex Sacerdotibus inveniuntur, qui multo indignius, quam in veteri lege illum excipiunt? Non ne Salvator verba faciens de ingrati animi vitio, ac impietate tot indignorum fidelium, jure dicere poteſt? Tradidi corpus meum percutientibus me. Sed quo jure conqueri poteſt divinus iſte Salvator, Deus hic in noſtris Tabernaculis abſconditus de tot ſacrilegis hæreticis, qui Judæos imitati, tum per defectum fidei, cum per furorem ſuum augent, ut ita dicam, eorum blaſphemias, atque injurias, quibus Salvator hic Deus oneratus, & quodammodo ſaturatus fuit in paſſione ſua? Quid prætermittendum eſt piis animabus ad tot contumelias fervore ſuo reparandas? Præbeamus ergo illi fidei, ac religionis noſtræ documenta per pietatem, & obſequium noſtrum. *Idem ibidem.*

De Indigna Communione. Ad Cor. 11.

Docet Apoſtolus, quod *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit Calicem indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.* Sed quid paucis verbis his docere non vult S. Paulus? Innuit ad digne communicandum afferendam eſſe ad Sacram hanc Menſam fidem, pietatem, reverentiam, & exquiſitam innocentiam. Oſtendit enormem ſceleris gravitatem, quod committitur per indignam communionem, cum ait aliquem reum fieri Corporis, & Sanguinis Filii Dei. Neque quidquam addit præterea, ne debilitet, ac imminuat ideam, quæ nobis tanti ſceleris eſt habenda, Reum eſſe Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI? Quid locutio hæc non complectitur? hoc eſt, peccaſſe contra illius Corpus, & Sanguinem eſt, illud prophanaſſe; eſt, ex SS. Patrum ſententia, ſe ſe eodem ſcelere polluiſſe, quo ille, qui illum vendidit, & qui crucifixerunt, polluti ſunt. Sed quid agendum, ne in tantum ſcelus labamur? Diſcamus id ex eodem Apoſtolo ibidem dicente: *Probet autem ſe ipſum homo;* hoc eſt, videat, utrum ſibi lethalis alicujus noxæ ſit conſcius; atque tunc fidenter accedat. *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo 7.*

S. Paulus ab ipſo Salvatore per revelationé accepit verba Euchariſticæ conſecrationis. Ad Cor. 11.

Ego enim, S. Paulus ait, *accepi a Domino, quod & tradidi vobis*; Dominum JESUM eadem nocte, qua proditus fuit, accepiſſe panem, & gratias agentem fregiſſe illum, ſimulque dixiſſe: *Accipite & manducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Non ab hominibus, immo neque ab aliis Apoſtolis S. Paulus ait, accepi id, quod vos docui de Euchariſtia: Ipſe JESUS CHRISTUS id mihi revelavit. Neque oblitus ſum temporis circumſtantiam; hoc accidit nocte eadem, qua Salvator proditus fuit ab uno Apoſtolorum, traditus in manus inimicorum ſuorum, ac teterrime excruciatus; nocte illa divinum inſtituit Sacramentum, pretioſum amoris ſui pignus, ac inſigne ſuæ in nos benevolentiæ teſtimonium. Hoc proprie fuit amabilis Patris hujus Teſtamentum, per quod dedit ſe totum filiis ſuis paucis horis antequam moreretur; tunc temporis, cum filii ſui illum maxima ignominia afficiebant, cum Diſcipuli, quos unice diligebat, eum deſerebant, negabant, in fugam ſe conjiciebant. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Ad ſacram Synaxim accedentes imitari debemus fidem, & alias Centurionis virtutes.

Licet indignitatem noſtram agnoſcamus, atque ſentiamus, bonitate, ac infinita Salvatoris noſtri miſericordia freti accedamus ad illum; quandoquidem permittit, invitat, vult, immo præcipit, ut eum recipiamus. Ille voti compos erit, dummodo nos conditionis noſtræ non ſimus immemores; dummodo noſmet in profunda humilitate contineamus; dummodo per pœnitentiam expiati bona fide polliceamur, fore ut divina opem ferente gratia adnitamur noſmet reddere dignos eo honore, quem nobis conferre dignatur permittens, ut cæleſtis convivii ſui participes efficiamur. Accurate Centurionis conſilium imitari ſatagamus, nobiſque proponamus veluti exemplar fidem, ſpem, caritatem, humilitatem, qua hoſpes ille a Dei Filio petit Servi ſui curationem. Illum in hoc imitemur. Contendamus, ne nobis exprobrari poſſit harum virtutum, ne ex minima quidem parte, defectus. Salvator enim metietur gratias, quas nobis deſtinat in communione juxta menſuram virtutum, quas ipſi afferemus. *Ex Morali novi Teſtamenti Tomo 1.*

Per hoc Myſterium Salvator invenit modum aſcendendi in Cælum, quin in terris eſſe ceſſaret.

Salvator cum ex hoc Mundo egreſſurus eſſet, ut ad Patrem rediret, & nihilominus cuperet non recedere ab hominibus, amor ſuus illi adorabilis hujus Sacramenti ſuaſit inventum, in cujus inſtitutione ſecretum admirabile invenit adſcendendi in Cælum, quin ceſſaret, quo minus realiter nobiſcum in terra permaneret. Obſequamur igitur amabilis Salvatoris hujus Conſiliis, & de illius præſentia proficiamus. Frequentius quam fieri poteſt ad Altare accedamus, noſtrum illi cultum teſtaturi, vota nuncupaturi, ob inſigne hoc beneficium gratias acturi; & perfectius eidem amorem noſtrum ſignificaturi, noſmet illi per frequentes Communiones uniamus. Hoc illa ſibi propoſuit in inſtitutione Sacramenti Corporis ſui. Voluit, animam noſtram ibi quotidie invenire poſſe cæleſtem cibum, qui poſſet vires noſtras reparare, quæ jugi labore attritæ, frequentibus oppugnationibus inimicorum noſtrorum laceſſitæ ſenſim interirent, niſi ſubinde novum illis robur accederet. O amor incomprehenſibilis. Quonam obſequio ſatis demiſſo, quanam ſatis tenera confidentia, quo ſatis ardenti zelo poſſumus tibi grati animi noſtri affectum teſtari? *Idem.*

Quibus cum privilegiis poſſideatur J. C. in Euchariſtia.

Donationis, vel muneris alicujus perfectio ex tribus rebus deſumitur; ſi poſſeſſio illius immediata eſt, ſi dominium abſolutum, & ſi uſus eſt univerſalis. Tria hæc abunde inveniuntur in munere, quod nobis Dei Filius largitur in Euchariſtia. In hoc Myſterio poſſidemus Salvatorem poſſeſſione adeo intima, & immediata, ut melius eſſe non poſſit; quoniam non fit ſolum per unionem voluntatum, per effectuum, ſenſuumque conformitatem, ſed per intimam unionem phyſicam, & realem Corporis JESU CHRISTI, cum corpore, & anima illud recipientis. Dominium, quod in divinum hoc Corpus acquirimus, abſolutiſſimum eſt; tandem enim de illo abſolute, & prout placuerit nobis diſponere poſſumus; & hæc poteſtas, longius adhuc procedere videtur: Salvator enim ſe ſe æque mortalium omnium ſceleſtiſſimis, ac ſanctiſſimis ſubjicit. Uſus autem illius maxime univerſalis eſt. Salvator omnia nobis eſt in Euchariſtia: *Omnia nobis CHRISTUS eſt.* In incarnatione ſua, ſe nobis fratrem dedit, in Nativitate ſocium, in vita exemplum, in morte Redemptorem, in gloria Remuneratorem: Sed in Euchariſtia nobis eſt aliquid amplius; quoniam ſimul eſt Pater, Frater, Dominus, ſocius, cibus, & paſtor &c. Ita ut cum quodam S. Patre dicere valeamus: *Totus mihi datus, totus in meos uſus impenſus.* *Ex libro, qui inſcribitur; Societas ad petendum amorem Domini Noſtri.*

D. Ambroſ.

D. Bernard.

Vere ac realiter comedimus carnem Filii Dei in ſacra Communione.

Ea in parte, quæ nobis cedit in divino hoc Sacrificio, panis, quem comedimus, vere Corpus eſt Salvatoris ipſius; nam præter apertiſſimam JESU CHRISTI fidem aſſerentis, hoc eſt Corpus meum; Apoſtolus aſſerit, panem, quem frangimus, eſſe communionem Corporis Domini. Agnus Paſchalis comedebatur in memoriam exitus de Ægypto, nos vero comedimus Corpus JESU CHRISTI in memoriam mortis illius, qui liberavit nos de peccato, ideoque de morte. Hic ſe ipſum nobis tribuit, ut illius meminerimus, & ne pereat in nobis memoria cruenti illius Sacrificii, quod in Crucis ara pro nobis obtulit, & per quod totius Mundi crimina expiavit, & ut comedentes corpus illius, & ſacrata illius carne ſaginati vitam habeamus æternam per virtutem ejus quemadmodum ipſe nobis pollicetur: *Qui manducat meam carnem, habebit vitam æternam.* *Tourneaux in anni Chriſtiani Tomo 7.*

Satis

J. C. ardenter deſiderat ſe nobis in Euchariſtiæ Sacramento conjungere.

Satis admirari non licet, quanam ardore JESUS CHRISTUS cupiat ſe vobis conjungere in hoc auguſtiſſimo Sacramento; nunquid ſibi, an vobis conjunctio hæc utilis, & glorioſa futura eſt? Pudeat igitur ignaviæ veſtræ, neque arbitremini vos ſatis feciſſe, quamvis tantam erga ipſum haberetis caritatem, quantam erga vos ille habere dignatur. Contemni ergo æquiſſimum vobis proponere divini hujus convivii conceptum. Heu! ſi ſciretis, quam ſuaves dapes vobis præparatæ ſunt; ſi intelligeretis, quis eſt ille, qui ſe ſe offert venturum in cor veſtrum ad alendum illud, & ſaturandum: haud ita ſane cunctaremini viventem panem hunc eſurire. In id incumbite, ut verum animæ veſtræ ſtatum intelligatis, infirmitatem, miſeriam, egeſtatem, in qua ſemper languebit ſine hoc pretioſo Cæli munere. Sequimini ergo Conſilium, quod Salvator ipſe tribuit vobis, ut omnibus malis veſtris medeamini. Emite ab illo aurum hoc igne probatum, quod non aliud eſt, quam vivus ardor in partem accedendi Sanctorum horum Myſteriorum. Ut mundum hoc aurum obtineatis, emendum vobis eſt. Opus eſt, ut aliquo vobis ſtet pretio; creatis rebus abrenunciate; exinanite cor veſtrum iis rebus omnibus, quibus repletum eſt, & quam primum ſentietis in vobis iterum inflammari ſanctum ardorem, quo olim erga divinam Euchariſtiam flagrabatis. *Ex Morali novi Teſtamenti Patris la Neuville Tomo 3.*

Amor, quo ſanctam Communionem complecti debemus, ardentè in nobis zelum pro J. C gloria debet inflammare.

Quo major in vobis fuit ergo ſanctam Communionem ardor, eo major eſſe debet zelus veſter pro JESU CHISTI gloria. Cor noſtrum illud poſſidere non poteſt, quin diligat; neque poteſt diligere, quin vehementer concupiſcat, illum ab omnibus hominibus cognoſci, amari, in honore haberi. Sed ſi vere peperit in vobis felices hos ſenſus, qua lætitia, qua conſolatione affici vos decet videntes cultum, reverentiam, publica obſequia, quæ fideles omnes hodierna die præſtare feſtinant Filio Dei? Participes eſtote triumphi illius; voſmet ſocios addite ex corde piis omnibus animabus, quæ ad nitorem, ac pompam ejus augendam aliquid conferunt per internos fidei, & caritatis actus, per laudes, & epinicia, per liberalitatem, atque laborem: lacrymis amaris ſortem proſequimini hæreticorum, & peccatorum, quorum cæcitas efficit, ne communi Eccleſiæ gaudio afficiantur. Conſilium inite voſmet in profunda collectione continendi, ac occupandi in cultu adorabilis hujus Sacramenti, ac ſæpe accedendi ad thronum JESU CHRISTI, ut illi veſtra præſtetis obſequis, neceſſitudines veſtras illi ſignificetis, & illius opem aſſequamini. Felix anima, quæ in Sancta praxi hac perſeverat; hæc vere aſſecuta eſt ſpiritum ejus, quam celebrat, feſtivitatis. *Idem.*

Quid conferat ad pietatis, & caritatis teporem.

Non ſatis crebro accedimus ad Sacramentum JESU CHRISTI, ſacramque ſynaxim, & hæc noviſſima cauſſa eſt propter quam pietas, & caritas tepeſcit in animabus. Divinum hoc Sacramentum panis eſt, qui vires noſtras reparare debet, ac nos ſuſtinere; hæc medicina, quæ omnes ſpiritales morbos curare debet; hic fons eſt gratiarum omnium, ideoque etiam pietatis. Cur primi Fideles adeo ferventes erant; unde nam proficiſcebatur imperterrita illorum virtus; hæc lætitia, & alacritas, qua ferebantur ad Martyrium, & propter Deum Sanguinem ſuum effundebant? Quia quotidie communicabant. Sæculis labentibus frequens hic uſus communionis obſolevit. Per negligentiam hanc adeo pernicioſam, iniquitas paullatim percrebuit; & quo magis inolevit iniquitas, caritas obſolevit. Nihil in hoc triſti pietatis labentis occaſu non eſt naturale. Si corpori ſubtrahis alimenta, quibus nutritur, deficit, & corruit: ex quo vero negas animæ cæleſtem eſcam, quam Deus illi præparavit, debet areſcere: cujus rei non deſunt ampliſſima teſtimonia. Satis eſſe ducimus ſemel quotannis communicare; vel ſaltem plurimum nos feciſſe putamus, ſi Paſchali Communioni alias infrequentiſſimas adjicimus. Neque arduum eſt cauſſas excogitare, ut ab Altari abſtineamus; immo eo procedit hæc illuſio, ut id nobis merito, ac virtuti vertamus. Hinc in Eccleſia oritur hæc fere univerſalis deſolatio, quam deflemus, & quæ re ipſa deflenda eſt. *Pater Bourdaloue in Chriſtianis Adhortationibus Tomo 2.*

Diſcrimen inter Catholicum, & Hæreticum in hoc Euchariſtiæ Myſterio.

Quid diſcriminis inter Catholicum, atque Hæreticum interſit ex hoc etiam noſtræ Religionis articulo innoteſcit. Quemadmodum rationalis homo non adhæret mordicus ſenſibus ſuis, qui illum facile in rebus naturalibus fallere poſſunt; ita Fidelis rationi ſuæ fidem non habet, quæ in iis, quæ ad fidem pertinent, falli poteſt; & ſicuti ratio corrigit ſenſus, ita fides utrumque corrigere debet. Catholicus quantumlibet doctus, ac cæleſti lumine illuſtratus ſemper de ſuis opinionibus diffidit, Spiritum Dei conſulit, & ab eo lumina petit; Patrum, atque Doctorum Eccleſiæ ſenſus veneratur, quos divino Spiritu afflatos eſſe cognoſcit, ac ſperat ſe in Eccleſiæ gremio ſalutem ſuam conſecuturum. Hæreticus e contra, ſi rudis eſt, ſuam tantum conſulit rationem, præventionem, libidinem; & mordicus in cæcitate ſua perſiſtit, quin conſulat Deum, atque Doctores; ratus ſe ſalvari poſſe licet ab Eccleſia diſceſſerit. Catholicus extrema Judicii die tuto dicere poterit: Domine, ſi nos decepti fuiſſemus, verba tua, quorum ſenſum maxime naturalem ſecuti ſumus, nos fefelliſſent. *Si decepti ſumus, a te decepti ſumus*, ut quidam Sanctus Abbas loquitur. Sed Hæreticus fateri cogetur, ſe propria deceptum fuiſſe ſuperbia, ſuaque pertinacia in ſequendis interpretationibus ſuorum Pſeudoprophetarum, qui deceperunt illum. Ceterum Eccleſia in hoc Myſterio nihil proponit hæreticis, niſi quod docuit Patres illorum. Quiſnam fuiſſet dolor Parentum, Avorumque Patrum noſtrorum errantium, ſi crediſſent futurum, ut ex eorum ſobole egrederentur filii, qui defererent aras, & Eccleſiæ Catholicæ communionem, & adorabile Sacrificium, quod toties ipſi Domino obtulerunt? *Sermo Manuſcriptus.*

Cur ægrius credendum eſt, Deum latere ſub panis, & vini ſpeciebus, quam Deum hominem factum? duo hæc Myſteris nonne æque rationem noſtram excedunt? Nonne ratio eadem, videlicet auctoritas Scripturarum, ac Traditionis utrumque nobis ad credendum proponit? Itaque de unius veritate ſibi perſuadere, quia hoc facilius fieri potuiſſe videtur, & alterius negare veritatem, quia ſenſibus noſtris repugnat, hoc non eſt amplius habere fidem quæ indiviſibilis eſt, & quæ non debet ratiocinari; ſed eſt potius ſubjicere propris cognitionibus verbum Dei, qui cumulus eſt temeritatis, ac impotentiæ: quoniam fidei, quæ certum eſt *argumentum rerum non apparentium*, proprium eſt omnino ſubmittere noſtram rationem, & haud hæſitanter credere quidquid Dominus Eccleſiæ ſuæ revelavit; quod enim fidei noſtræ objectum eſt, hoc eſſe teneamus æternæ veritatis, quæ nec falli poteſt, nec fallere; & quemadmodum fides Abrahæ fecit, ut ſperaret contra omnem ſpem; ita cum Dominus nobis aſſeruerit, Corpus ſuum abſconditum eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, credere debemus verbo illius, quæcumque aliunde ſuboriri valeant difficultates. *Abbas Monmorel in Sermone habito in Evangelium Dominica ſecunda poſt Pentecoſten.* Ad Hebr. 11.

I N-

INSTITUTIO EUCHARISTICI SACRAMENTI.

MONITUM.

Quamvis Euchariſtia Sacramentum, quod Dei Filius inſtituit pridie quam pateretur, unum ſit ex præcipuis noſtræ Religionis Myſteriis, tamen in prima hujus Operis Editione mihi omittendum eſſe cenſui, tum quia de Communione in prima hujus operis parte locutus fueram, tum quod nobis adhuc agendum ſupererat de eodem quatenus Sacrificio, & Sacramento poſtquam Sermonem habuiſſemus de Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio juxta praxim Eccleſiæ, quæ in tempus illud rejecit adorabilis hujus Sacramenti feſtivitatem. Sed cum iterum prælo ſubjiciendum fuit opus, operæ pretium me facturum duxi ſi uberiorem hujus argumenti copiam in medium proferrem ad octavam exornandam, ubi deeſſe mihi viſum eſt aliquid de reali præſentia Corporis, & Sanguinis Filii Dei, de qua Concionatores verba facere conſueverunt, & arbitratus ſum verum de eadem loquendi locum eſſe Myſterii hujus Inſtitutionem, quam habuit Salvator in Cœna noviſſima cum Apoſtolis ſuis. Hic igitur de hac tantum realitate verba faciam, quin attingam, quæ alibi dicturus ſum; quoniam argumentum hoc ſatis eſt amplum, ita ut pluribus ſufficere valeat Sermonibus, quemadmodum ſatis, ſuperque fuit ad ſpiſſa, & ingentia Volumina adimplenda.

Hæc una mihi reliqua eſt difficultas collectanea hæc mea, non ſecus ac alios Titulos in ſex Paragraphos diſpeſcere, quorum ſinguli eo ſpectent, ut veritatem de reali Salvatoris præſentia in Euchariſtia probent, atque confirment.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum in hoc argumento Synopſis.

I. Maxima naturalis partitio, quæ elegi poſſit ad probandam realitatem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtico Sacramento, mihi videtur connotare multiplices locos, in quibus JESUS CHRISTUS de adorabili hoc Myſterio locutus eſt, ut inde æquiſſimas illationes hauriamus. Primus eſt capite 6. Sancti Joannis; antequam Sacramentum hoc Inſtitueret. Secundus eſt cum illud inſtituit; ut tres reliqui enarrant Evangeliſtæ. Tertius denique poſtquam illud inſtituit, uti habemus in prima Sancti Pauli ad Corinthios Epiſtola. Primum quidem capite 6. Sancti Joannis videmus JESU CHRISTI promiſſionem, qua recepit ſe pretioſum Corpus ſuum traditurum eſſe ad comedendum. 2. In tribus reliquis Evangeliſtis admirabili cum perſpicuitate videmus promiſſionis hujus liberatam fidem. 3. In Sancto Paulo videmus uſum Auguſtiſſimi hujus Sacramenti faciendum. Partitio hæc videtur omnia complecti quæ ſolidiſſima, ac probatiſſima afferri poſſe videntur ad probandam realitatem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtiæ Sacramento. Iidem loci, in quibus non ſatis aperte Salvator locutus eſt, illuſtrantur verbis, quibus uſus eſt in illius promiſſione, vel in ipſa Inſtitutione, vel per uſum, quem fecerunt Fideles hujus Myſterii. Hæ igitur erunt tres partes hujus Sermonis.

Pars prima. Dicere poſſumus promiſſionem a Dei Filio factam, qua ſe nobis daturum recepit pretioſum Corpus ſuum ad manducandum, adeo perſpicuis, energeticis, ſignificantibus verbis expreſſam fuiſſe in prolixo Sermone, de hac re, de induſtria propoſito, ut aſſerti Reformati, qui diutius confeſſi ſunt JESUM CHRISTUM hoc in loco nequaquam verba facere de corpore ſuo, quod in præſentiarum concedunt, nequeunt ullo pacto id intelligere de ſola Corporis JESU CHRISTI figura, neque de Signo, neque, ut loquuntur, de Memoriali. 1. Si in hoc Myſterio non niſi panis, aut vinum eſt; vel ut illi tenent, ſi Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI ibi non ſunt, niſi in figura, quid neceſſe erat mentes eorum, ad quos loquebatur, diſponere ad hujus Myſterii fidem per miraculoſum illud prodigium multiplicationis panum, niſi ut illis indubium ſupremæ potentiæ ſuæ ſpecimen exhiberet, & ut illi intelligerent non eſſe valde operoſum id exequi, quod pollicebatur; cum jam oculati eſſent teſtes earum rerum quas fuerat operatus. 2. Hæc eadem promiſſio alterum ſuppeditat argumentum; id enim, quod nobis pollicetur, anteferendum eſſe affirmat manna ipſi, quod Iſraelitis in deſerto conceſſum fuerat; quod quidem ampliſſimum eſt argumentum ad roborandum dogma de reali Salvatoris præſentia in Euchariſtia. Etenim quomodo aſſerere potuiſſet id, quod promittebat toto Cælo ſore manna excellentius, quod miſerat Deus ad Patres illorum, ſi quod promittebat fuiſſet tantum figura Corporis ſui? ipſum hoc diſcrimen nonne per ſe patet? Manna quidem in productione ſua miraculoſum erat, quippe Angelorum Miniſterio præparatum; Effectus vero illius erant admirabiles, quandoquidem inerat illi omnium epularum ſapor, neque deerant illi qualitates aliæ, quæ illud prætuliſſent ſimplici figuræ Corporis JESU CHRISTI, quod ipſum quoque manna præfigurabat. Oportebat igitur, ut Dei Filius aliquid præſtantius polliceretur, videlicet verum Corpus ſuum, quemadmodum ille affirmabat. 3. Quicumque huic promiſſioni interfuerunt, id in litterali ſenſu ſine ulla exceptione intelligendum cenſuerunt; & quin illis ſuſpicio oborietur ſermonem ullam figuram, vel enigma complecti, inde ſcandali occaſionem nacti ſunt, quia nimis ad litteram intellexerunt, rati ipſum daturum eſſe ad manducandum carnem ſuam in bucellas minutim conciſam, juxta morem dapum aliarum: *Durus eſt hic ſermo: Quomodo poteſt carnem ſuam dare* Joann. 16. *ad manducandum?* At Dei Filio ſatis eſt illis errorem auferre de pingui illa, craſſaque ratione, qua id intelligebant; ſed illos certos facit realitatis Corporis ſui, repetens prima verba ſua, quibus adjiciens jurisjurandi fidem novum pondus addidit: *Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vi-* Ibidem. *tam in vobis.*

Pars altera. Oſtendendum eſt adorabilis hujus Myſterii inſtitutionem perfecte reſpondere promiſſioni, quam Salvator fecerat; etenim primo Teſtamentum, ſecundo Præceptum, tertio Sacramentum inſtituit, unde ſequitur debuiſſe illum voluntatem ſuam prodere verbis perſpicuis, quæ nullis eſſent obnoxia explicationibus, atque interpretationibus; quoniam hæc tria ſunt hujuſmodi, ut minime patiantur obſcuras metaphoras, vel amphibologias, quæ cauſſam ſubſternere poſſint dubitationi. 1. Quod enim ad Teſtamentum pertinet, ſi, qui teſtatur perſpicuis non utitur vocibus, poſt mortem reviviſcere inquit, ut neceſſariam afferat interpretationem, & auferat lites, quæ ex ambiguitate vocabulorum poſſunt oboriri. 2. Hoc ipſum de mandato dicendum eſt; præſertim vero, ubi aliquid graviſſimis propoſitis pœnis imperatur; nullum permittere debet locum excuſationi, vel ignorantiæ prætextum illis, quibus irrogatur. Oportuit ergo, ut mandatum hoc claris, conceptiſque verbis enuntiaretur; & res imperata ita intelligibilis eſſet, ut nulla inde dubitandi cauſſa ſuppeteret. Nonne hoc fecit JESUS CHRISTUS? Etenim quid hoc planius dici poteſt: Hoc facite in memoriam mei? 3. Sacramentum denique, quod eſt gratiæ Inſtrumentum, ita perſpicuum eſſe debet, ut vitiari non poſſit; ſicut in Baptiſmo, ubi nullam videmus figuram, nullam allegoriam, nullum verbum, quod indigeat explicatione. Hinc ſequitur, JESUM CHRISTUM hæc tria in una tantum actione colligentem, Teſtamentum, Mandatum, & Sacramentum, ſimplicilli-

ciſſimis, apertiſſimiſque uſum fuiſſe vocabulis, quibus omnes homines uti conſueverunt.

Pro parte tertia. Poſt promiſſionem, atque inſtitutionem divini hujus Myſterii ad examen revocandus eſt finis, quem Dei Filius ſibi propoſuit, & uſus, quem voluit fieri. Hic affertur a S. Paulo in Epiſtola prima ad Corinthios, unde recentia hauriri poſſunt invicta argumenta ad probandam realem Corporis Domini præſentiam in Euchariſtia. Quandoquidem magnus hic Apoſtolus poſtquam teſtatus eſt, ſe a Salvatore accepiſſe ſecretum, & verba, quæ eadem ſunt, ac illa, quæ a S. Luca afferuntur: addit eos, qui ad Sanctum hoc Myſterium audent accedere ſine diſpoſitionibus ad digne communicandum neceſſariis, reos eſſe Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, eoſque ſibi manducare judicium. Quis ambigere poterit, quominus hoc verum ſit Corpus, veruſque Sanguis JESU CHRISTI, cui teterrima infertur contumelia, quæ de Cælo minus detrahit, & ſæviſſimis eſt expianda ſuppliciis? Videte ergo utrum aſſertorum Reformatorum Doctrina cum illa S. Pauli conſentiat; quis enim ſtatim judicium non feret, ſi Apoſtolus hic non credidiſſet Corpus JESU CHRISTI realiter eſſe in Euchariſtia; & ſi hoc Sacramentum non aliud fuiſſet niſi panis, & vinum, vel ad ſummum figura Corporis JESU CHRISTI, nequaquam judicaturum fuiſſe crimen eſſe adeo enorme levem irreverentiam? Cur enim æternis ignibus damnandus eſſet, qui ſine honore excepiſſet umbram, & figuram JESU CHRISTI? Cur horribile ſcelus vocandum eſſet diſcretionis defectus; dicenduſque ſibi judicium, ac damnationem epotare ille, qui Judicis ſui imaginem veritus non fuerit. Alias prætermitto animadverſiones, quæ fieri poſſent in hoc teſtimonium, & verba Sancti Pauli.

II. Tria dogmatis Chriſtiani argumenta de reali Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI in Altaris Sacramento præſentia, ſermonis partitionem poſſunt ſuppeditare. Argumenta eo fortiora, quod ex Scripturis deprompta ſunt. Profecto quod Catholicum dogma de Euchariſtia ex Scripturarum fide ſit deſumptum, nemo unus dubitare poteſt: ipſi etiam adverſarii noſtri dicunt ibi ad litteram inveniri, ſed ajunt, litteram occidere. Igitur hoc pro nobis ſtare teneamus, litteram quidem nobis favere, illis autem adverſari.

Primum argumentum eſt conſenſus, & uniformitas quatuor Sacrorum Scriptorum in referendis verbis Inſtitutionis hujus Myſterii: *Hoc eſt Corpus meum*, ſine ulla mutatione, ſine varietate, ſine commentariis, ſine explicatione; quamvis aliter ſe ſe gerere conſueverint, & hoc in loco interpretatio magis eſſet neceſſaria, quam alibi. Evangeliſtæ ſunt teſtes Fideles, qui ſimul non convenerunt, ut quid ſibi dicendum eſſet deliberarent. Divinum conſilium eorum adfuit labori, effecitque, ut ſcriberent, quod in mera, ſimplicique veritate ſcripſerunt. Neque teſtes ſunt tantum, ſed etiam ejuſdem Præceptoris diſcipuli, Doctores eodem Spiritus ſancti lumine afflati, qui ad unguem id narrant, quod a Magiſtro didicerunt. Ex his quatuor, tres, videlicet S. Matthæus, Marcus, & Lucas eadem Domini noſtri verba proferunt Euchariſtiam Inſtituentis: *Hoc eſt Corpus meum*. Sanctus vero Joannes non enarravit ſanctam hanc Inſtitutionem, ſed attulit proximum Domini noſtri Sermonem cum Diſcipulis ſuis, ubi hanc ille annuntiat, & pollicetur. Denique quintus accidit Evangeliſta, de induſtria, ut ita dicam accitus, quandoquidem in omnibus operibus ſuis non aliam, niſi hanc Filii Dei actionem deſcribit. Hic autem, de quo loquor, S. Paulus eſt; neque enim refert, quod alii dixerunt Apoſtoli, ſed ait: 1. ad Cor. 11. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus JESUS in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit; & dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum*. Pro hoc primo argumento conſiderari poteſt; 1. Numerus Sacrorum Scriptorum, qui hanc Euchariſticæ Inſtitutionis hiſtoriam ſcripſere; 2. Eorum conſenſus, & uniformitas in referendis JESU CHRISTI verbis ſine varietate, ſine explicatione. 3. Neceſſitas quæ adfuiſſet addendi aliquam explicationem, niſi hæc ad litteram fuiſſent intelligenda.

Alterum argumentum deſumitur ex capite quinto S. Joannis; ubi inſtitutio quidem narrata non invenitur; quoniam S. Joannes, qui omnium noviſſimus ſuum exornavit Evangelium, in id proprie incubuit, ut referret, quod ab aliis fuerat omiſſum: ſed afferere poſſumus duo: Alterum quidem Euchariſtiam ibi vere promitti, portendi, & annuntiari; quod Proteſtantes hodierna die non inficiantur, poſtquam irrito conatu aſſeruerunt, iſtic de Euchariſtia verba non fieri: Alterum vero partes omnes prolixi hujus Sermonis Domini Noſtri ad diſcipulos ſuos, æque ac concluſionem fortiter probare præſentiam realem, potiſſimum vero ſi promiſſionis verba cum verbis eorum adimpletam fidem ſignificantibus conferantur.

Tertium denique argumentum a S. Paulo mutuamur, non quidem ex ſanctæ hujus inſtitutionis narratione, in qua nihil peculiare invenitur, ſed ex eo quod addit de magni hujus Myſterii participatione. Nam poſtquam retulit eadem verba; *Hoc eſt Corpus meum*, hoc adjicit commentarium. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Quibus in verbis licet pauciſſimis, quinque notanda ſunt, quæ elata voce realem Domini præſentiam prædicare videntur. Primum eſt: Quicumque indigne manducat hunc Panem, vel bibit hunc Calicem, reum eſſe Corporis, & Sanguinis Domini. Alterum: antequam aliquis ad comedendum accedat, debere probare, ac ſe ipſum, utrum dignus ſit, excutere. Tertium: Si biberit, vel comederit indigne, ſibi propriam bibere, & comedere damnationem: Quartum: hujus rei cauſſam eſſe, quia Domini Corpus non diſtinxerit. Quintum: multos ægros eſſe, vel languere, vel etiam multos ſomno dormitare, quod illud non ſatis diſtinguunt. Quæ verba bene expoſita, nobis adſtruunt ideam realis præſentiæ. *Peliſſon in Tractatu de Euchariſtia*. 1. ad Cor. 11.

Omnia argumenta fidei noſtræ circa Euchariſtiam ad tria capita referri poſſunt, quæ tres ſermonis partes poſſunt conſtituere. III.

Primum pertinet ad explicitum Dei verbum perſpicuis, ac ſæpe repetitis verbis expreſſum.

Alterum ad conſtantem, & immemorabilem Traditionem ab Apoſtolis profectam, quorum doctrina a nobis accepta de Euchariſtia, in Eccleſia ſemper conſervata fuit.

Tertium ad judicia, & explicitas deciſiones Eccleſiæ, ubi obortæ ſunt opiniones huic oppoſitæ Veritati.

Methodus, quam Concionatores quidam ſervarunt in diviſione, ac partitione ſermonum ſuorum cum de omnigenis moralis diſciplinæ argumentis agerent, utilis eſſe poteſt etiam ad probandam realitatem Corporis, & Sanguinis Filii Dei in Euchariſtia; videlicet probandi hanc veritatem. 1. Per Scripturas: 2. Per Traditionem, & auctoritatem Sanctorum Patrum, & univerſalem totius Eccleſiæ conſenſum omnibus temporibus, & in omnibus locis: 3. Per rationem. IV.

Ad priorem partem probandam, in compendium afferri poſſunt 1. Figuræ novi Teſtamenti, ubi JESUS CHRISTUS præparavit ſpiritus ad divini hujus Sacramenti Inſtitutionem, qualis fuit panum multiplicatio; aquæ in vinum in nuptiis Canæ converſio &c. 2. Explicita verba Filii Dei a tribus Evangeliſtis, & a Sancto Paulo relata. Promiſſio, qua ſe hominibus daturum recepit Corpus, Sanguinemque ſuum in cibum, & potum, quæ a S. Joanne refertur, & quæ nullum dubitandi locum relinquit, quominus de naturali, veroque Corpore ſuo locutus fuerit. 3. Ea, quæ teſtatur S. Paulus Apoſtolus, ejuſque animadverſiones in hoc divini amoris teſtimonium. Videri autem poteſt, & facile intelligi nullum ex his locis admittere poſſe figuratum ſenſum, ut Novatores aſſerunt: ſed illum prorſus excludere.

Ad alteram partem probandam, uti poſſumus præſcriptione, quod plurimi controverſiarum Scriptores fecerunt; quæ quidem via 1. in eo ſita eſt, ut per locos Eccleſiæ Patrum ſecundum ſæculorum ordinem ſumptos probemus, neminem ex illis fuiſſe, qui docuerit Euchariſtiam figuram eſſe; ſed e contra omnes docuiſſe, eam eſſe reale, verumque Corpus JESU CHRISTI. 2. Hæc præſcriptionis via poſita eſt in eo, quod oſtendat Novatores audiendos non eſſe, ſeu quod Eccleſia Catholica eſt in poſſeſſione fidei de reali præſentia, per omnem ſæculorum decurſum; ſeu quod cum Novatores ſint ſchiſmatici, & ab Eccleſia deſciverint, immo rebelles in illam arma converterint, veritatis ſequeſtres eſſe non poſſunt.

Ad probandam tertiam partem, quæ conſiſtit in argumentis ab ipſa ratione petitis. 1. Si JESUS CHRISTUS realiter non eſſet in Euchariſtia, ſequeretur, nos ab illo deceptos fuiſſe; ideoque illum non eſſe veritatem, quia omnia illius verba, ſermoneſque probant, illum vere ibi adeſſe. 2. JESU CHRISTI Eccleſia cui Prophetæ tot polliciti ſunt privilegia, nihil haberet amplius, quam vetus Teſtamentum, ſi Corpus Domini in figura tantum eſſet in hoc Sacramento. 3. Omnes Eccleſiæ Patres conjuraſſe, ut fallerent fideles, quandoquidem omnia eorum opera de reali præſentia loquuntur.

Generalis ratio, qua utimur ad confundendos Hæreticos, & ad roborandum dogma Eccleſiæ Catholicæ ſingillatim adhiberi poteſt ad oſtendendam realitatem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtia, & ad diſſipanda ſophiſmata, quibus utuntur Calviniſtæ ad errorem ſuum confirmandum. V.

1. Realem præſentiam fuiſſe ſæculorum omnium fidem.

2. Fuiſſe Fidem omnium Gentium, quæ Chriſtianam Religionem amplexatæ ſunt.

3. Hæreticos ipſos, qui divinitatem JESU CHRISTI impugnarunt, videlicet Arianos, Neſtorianos &c. de hac re non dubitaſſe; quoniam Patres uſi ſunt eorum confeſſione in hoc argumento ad confundendos eorum errores in reliquis, quæ ad Religionis eſſentiam maxime pertinebant. Hoc docet Vincentius Lirinenſis, ut conſtantes permaneamus in Eccleſiæ fide, & habeamus arma præ manibus ad vim propulſandam ſimul, & inferendam: *Quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus creditum eſt.* Quod ipſum æquipollentibus verbis efferri poteſt: Univerſalitas, perpetuitas, conſenſus unanimis.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque unde hauriri copia poteſt ad propoſitas ſermonum ſtructurae exornandas.

Sæculum I. SAnctus Ignatius Epiſcopus Antiochenus, & Martyr *Epiſtola ad Smyrn.* invicte probat veritatem Corporis JESU CHRISTI, *& in Epiſt. ad Epheſ.*

Sæc. II. S. Juſtinus Martyr in 2. Apologia pro Chriſticolis latius hoc tractat argumentum.

S. Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, & Martyr lib. 4. contra Hæreſes fuſius probat realitatem Corporis JESU CHRISTI in Sacramento.

Sæc. III. Clemens Presbyter Alexandrinus lib. 2. & 4. Stromatum multa habet hujus argumenti.

S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, & Martyr in *Epiſt. ad Cæcilium*; agit de Sacramento Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, præter Tractatum de Cœna.

S. Dionyſius Epiſc. Alexandrinus *Epiſt. ad Fabiam Antioch. Epiſc. apud Euſeb. lib. 6.* fuſe narrat Serapionis hiſtoriam.

Sæc. IV. & V. Idem contra Paulum Samoſatenum.

Euſebius Cæſarienſis in Palæſtina.

S. Athanaſius Epiſc. Alexandrinus *Tractat. in illud Evangel. Qui dixerit verbum contra filium Hominis* probare conatur realitatem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtia.

S. Hilarius Pictavienſis Epiſc. *lib. de Trinit.* in lucem profert veritatem hujus argumenti.

S. Baſilius Magnus *l. 1. de Baptiſmo* duos integros habet Sermones de Euchariſtia.

S. Optatus Milevitanus in Africa Epiſcopus contra Donatiſtas lib. 1. Multa habet, quæ nullam relinquunt de veritate Myſterii hujus dubitationem.

S. Cyrillus Epiſcopus Jeroſolymitanus *Catech. Myſt. 5.* unus eſt ex Patribus, qui magis perſpicue, & eloquenter de hujus Myſterii veritate diſſerat.

S. Gregorius Nazianzenus hoc in prima ſuarum Orationum pertractat argumentum.

S. Gregorius Nyſſenus Orat. Catech. cap. 37. late de hoc diſſerit argumento.

S. Ambroſius Epiſcopus Mediolan. *in Lucam lib. 6. & lib. 3. de Spiritu ſancto, c. 18.*

Idem Epiſt. 38. & 19. *& alibi fuſius.*

S. Iſidorus Peluſiota *l. 1. Epiſt.* 109. late de hoc agit argumento.

S. Cyrillus Alexandrinus *l. 4. in Joann.* integros habet hujus argumenti Sermones.

S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Epiſc. in *Ancorato* probat ſæculi ſui Traditionem de Euchariſtia.

S. Ephrem Edeſſæ Diaconus in libro de natura Dei curioſe non ſcrutanda fuſe, & perſpicue agit de hoc argumento.

S. Nilus Epiſtola ad Epiſcopum Anaſtaſium relatus in Tomo V. Bibliothecæ Patrum probat veritatem de Fide in hoc Sacramento.

S. Innocentius PP. *in 2. ad Exuperiam Epiſt.* adfert, quid de hac realitate narret Eccleſia.

Elias Cretenſis in Commentariis in S. Gregorium Nazianzenum utitur vocibus tranſmutationis, & tranſelementionis.

S. Hieronymus *Epiſtola 150. ad Hebidiam* fuſius agit de corporali Salvatoris præſentia in hoc Sacramento.

S. Paulinus *Epiſt. 32. ad Aptum* luculenter de eadem pertractat.

S. Aſterius *Homil. in Prodig.* ſimiliter late rem eamdem perſequitur.

S. Joannes Epiſc. Jeroſolymit. *Serm. de Euchariſtia* plane ſenſum ſuum de hac re promit.

S. Auguſtinus *Homil. in Pſalm. 98.* ait divinam hanc Carnem adorandam eſſe, priuſquam manducetur.

Idem *Conc. 2. in Pſalm. 33. & 34. 39. 89.*

Idem *l. 20. de Civ. c. 20. & lib. 3.*

Idem *in Pſalm.* 21. probat adhærendum eſſe teſtamento JESU CHRISTI plane, & ſine ambiguitate expreſſo.

Idem Epiſt. 23. ad Boniſacium, ubi ait, JESUM CHRISTUM, qui ſemel tantum immolatus fuit in ſe ipſo quotidie immolari in Sacramento.

Idem *Epiſt. 162. ad Epiſcopos Donatiſtas.*

Idem *Epiſt. 27. ad Dardanum.*

Idem *contra Adverſarios legis, & Prophet.*

Idem *Tract. in Joannem.*

Idem *l. 22. de Civ. c. 8.*

Idem *lib. 9. Confeſſ.* ubi verba facit de obitu Sanctæ Matris ſuæ, quæ flagitavit, ut ſtatim fieret mentio ſui in Altari, in quo oblata fuit victima ſalutis noſtræ.

Idem *lib. de meritis, & Confeſſ.*

Idem Serm. 8. & 13. de diverſis, & Sermone 57.

Idem *Serm. 2. de verbis Apoſt.*

Idem *contra Fauſtum l. 10. & 20.*

Idem S. Auguſtinus paſſim de re eadem verba facit, ſed obſcurius, & ex dimidio, operæ pretium minime ratus loqui palam ſeu propter Ethnicos, quorum ingens adhuc numerus erat in Africa, ubi concionabatur, quibus hoc Myſterium ſcandalum pepeniſſet, ſeu propter Catechumenos, quibus ſumma cura illud tegebatur, quemadmodum Auguſtinus ipſe profitetur. Proteſtantes Calviniſtæ partim ex hac reticentia, partim ex allegoricis, obſcuris, & ænigmaticis locutionibus, quibus nonnunquam ſanctus hic Doctor uſus eſt, occaſionem arripiunt ſibi perſuadendi, & prædicandi S. Auguſtinum cum ipſis ſentire, licet tot alii loci perſpicui, formales, expliciti ne ſuſpicandi quidem locum præbeant. Profecto ſi Calviniſtæ facti Zuingliani in Euchariſtiæ argumento, bona fide agere vellent, non ne potius de incomparabilis hujus Doctoris ſententiis judicium ferre deberent ex locis apertiſſimis, & in dubium non revocandis, quam ex locis quibuſdam in pravum ſenſum detortis, & ubi S. Pater adſectat non loqui plane, licet nihil unquam aſſerat contra veram Eccleſiæ ſententiam; & hi loci, quos allegant plerumque refutati ſint a Lutheranis ipſius Confratribus ſuis; ſed multo ſolidius ab Eruditiſſimo Cardinali Perronio, qui illos in medium profert, & quibus ita reſpondet, ut meridiana luce clarius innoteſcat pertinacia, & mala fides adverſariorum noſtrorum, qui hoc in argumento, æque ac in argumento de gratia, S. Auguſtini auctoritate abutuntur.

S. Proſper *in Pſalm.* 103. complura adfert pulcherrima ad auguſti hujus Sacramenti veritatem ſpectantia.

S. Fulgentius *Epiſt. ad Ferrandum* hujus Myſterii veritatem probat.

S. Chryſoſtomus *Homil. 2. in S. Euſtachium* quæſtionem aggreditur de veritate Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia.

Idem *Homil. 51. & 83. in Matthæum, & Homil. 45. & 51.*

Idem *Homil. 45. in Joannem. Homil. 7. & 24. in 1. ad Corinth. Homil. 15. in 2. ad Corinth.*

Idem l. 3. de Sacerdotio c. 4.

Idem *Serm. 52. in eos, qui in Paſchate jejunant.*

Idem *Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſ.*

Idem *Homil. 25. in 1. ad Timoth.*

S. Petrus Chryſologus *ſerm. 67.* non loquitur niſi de Altaris Sacramento.

S. Leo Papa *Epiſt. 40. ad Anatolium.*

Theophylactus *Enarr. in Matth.* loquitur de reali præſentia conceptiſſimis, apertiſſimiſque verbis.

Salvianus *l. 2. ad Eccleſ. Cathol.* declarat quænam ſit illius fides in hoc Myſterio.

S. Avitus Viennenſis Epiſcopus Sermones habet hujus argumenti.

Sophronius Jeroſolymitanus Epiſcopus in vita S. Mariæ Ægyptiacæ.

S. Joannes Climacus *Grada 17.* fuſius loquitur.

S. Joannes Damaſcenus de fide Orthodoxa integros habet Sermones.

S. Eligius Noviodunenſis Epiſcopus *Homil. 4. de Cœna Domini*, non loquitur, niſi de realitate.

Venerabilis Beda *Homil. in Feriam 3. Palm.* unice immoratur loquens de Corporis, Sanguiniſque Dominici in Sacramento realitate.

Alcuinus in Confeſſione Fidei *parte 3.* plane, & luculenter ſuum hac de re ſenſum explicat.

Algerus quoque prolixum habet tractatum hujus argumenti.

Petrus Damiani *Epiſt. ad Deſiderium* Eccleſiæ fidem de Euchariſtia explicat.

Hugo Epiſcopus Lugonenſis in Tractatu de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini adverſus Berengarium.

Durandus in Tractatu de Corpore, & Sanguine CHRISTI.

Lanfranchus de Euchariſtiæ Sacramento adverſus Berengarium.

Guimundus Tract. de veritate Corporis, & Sanguinis CHRISTI in Euchariſtia.

Sanctus Stephanus Auguſtodunenſis Epiſcopus Tractatu de Sacramento Altaris in Bibliotheca Patrum *Tome 2.*

Paſchaſius de Sacramento Corporis, & Sanguinis CHRISTI adverſus Berengarium alioſque realitatis inimicos.

S. Bernardus *Epiſt. 69. ad Guidonem* prolixius explicat Eccleſiæ fidem de Euchariſtia.

an-

Sanctus Thomas *Opuſc.* 57. & compoſuit Officium, præter ea, quæ docet in Summa, videlicet in Supplemento.

Theologi, & Interpretes non ſunt nominandi.

Cum Theologi, qui de Euchariſtiæ Sacramento, Controverſiſtæ, qui ſcripſerunt adverſus Hæreticos, Interpretes, qui edidere Commentarios in Evangelia, & S. Paulum; cum, inquam, omnes Auctores tanto ſint in numero, ut illos conſulere minime poſſunt Concionatores, inutilis labor eſſet eorum texere nomenclaturam. Nonnullos offeram celebriores qui ex ordine collegerunt fortiſſima præſentiæ realis JESU CHRISTI in hoc Sacramento argumenta.

Cardinalis Bellarminus, qui mea quidem ſententia præ omnibus Controverſiſtis ſolide pertractavit realitatem Corporis, & Sanguinis Salvatoris in Sacramento Altaris, controverſiam, quam hujus argumenti elucubratus eſt in ſex libros diſtinxit. Horum primus eſt, de præſentia JESU CHRISTI in Sacramento per Dei verbum probata. Alter: Veritas hujus præſentiæ probata SS. Patrum teſtimonio per ſingula ſæcula. Tertius de modo, quo Corpus Salvatoris eſt in hoc Myſterio. Quartus probat, Corpus, & Sanguinem permanere poſt Conſecrationem extra etiam uſum, & manducationem. Quintus, & ſextus agunt de Miſſæ Sacrificio. Cum in hac controverſia agat adverſus hæreticos, non ſolum confirmat dogma Catholicum, ſed refert, ac refellit opinionem hæreticorum, diluit ea, quæ objiciuntur contra Eccleſiæ ſententiam, & omnes reſolvit difficultates, quæ hac in re poſſent ſuboriri. In eruditiſſimo Auctore hoc invenietur, quidquid neceſſarium erit ad polemicum ſermonem habendum hujus argumenti, quod non prohibet, ne inde aliæ plures utilitates percipiantur.

Cardinalis Perronius nequaquam minus ſolide, ac luculenter idem argumentum pertractat.

Cardinalis de Richelieu in libro 4. Tractatus pro convertendis illis, qui ab Eccleſia receſſerunt, ubi loquitur de reali præſentia, tranſubſtantiatione, & adoratione JESU CHRISTI in Euchariſtia.

Cardinalis de Berule, qui plurima cum eruditione hoc pertractat argumentum contra Miniſtrum Moulin, præcipue inhæret ſententiæ Patrum, & locis S. Pauli, & refellit malos ſenſus, in quos illi ab Hæreticis detorquentur. Inter Interpretes Salmeron, & Maldonatus prodeſſe poſſunt, ubi agunt de Inſtitutione divini hujus Myſterii, & de circumſtantiis loci, ac temporis, quod ad id elegit Filius Dei.

Ex Scholaſticis præter S. Thomam, qui de hoc agit argumento in parte tertia, Suarez, & a Valentia lucem non modicam attulerunt difficultatibus, quæ in hoc Myſterio inveniuntur, uſi rationibus deſumptis ex verbis JESU CHRISTI, & auctoritate Patrum cujuslibet ſæculi; ac tandem omnibus Calviniſtarum objectionibus reſponderunt.

Alios Theologos & Controverſiarum Scriptores prætereo, non quod ſolide argumentum hoc non pertractaverint, & accuratiſſimo munere ſuo perfuncti non fuerint; ſed quod neceſſe non eſt plura iſtibus congerere, & Concionator non niſi egeat compendio argumentorum, quæ in paragrapho quinto proferemus.

Libri Polemici agentes de realitate Corporis Filii Dei in hoc Myſterio.

Liber cui titulus; Perpetuitas Fidei de reali præſentia JESU CHRISTI in Altaris Sacramento. Item ſpiſſum volumen quod eodem titulo circumfertur.

Pater Novet in libro, qui inſcribitur: Præſentia JESU CHRISTI in SS. Sacramento, & qui eſſe poteſt reſponſionis loco Miniſtro illi, qui ſcripſit contra perpetuitatem fidei Eccleſiæ Catholicæ de Euchariſtia.

Liber Peliſſonii de realitate Corporis JESU CHRISTI in Sacramento.

Liber ejuſdem, qui inſcribitur; Animadverſiones in Religionis diſcrimen cum Eccleſiaſticæ traditionis probationibus.

Gobinet in libro cui titulus: De veritate Sancti Sacramenti, Tomi 3.

De Monchus Prior, & Curatus S. Cheronis Carthuſiani in libro cui titulus: *Chriſtiana dogmata de Euchariſtia.*

Ablias Petit in libro, qui inſcribitur: Religionis Veritates probatæ, ac propugnatæ adverſus antiquas hæreſes pro Euchariſtiæ Veritate.

P. Fenis in confutatione Claudii Miniſtri, qui noſtris hiſce temporibus Myſterii hujus veritatem impugnavit.

P. Adam in libro, qui inſcribitur: Calvinus a ſe ipſo confectus, probat hujus Myſterii veritatem.

Concionatores Concionatores.

Pater Caſtillon Sermone 2. Octidui ſui, quo oſtendit JESU CHRISTI conſilium fuiſſe relinquendi Eccleſiæ ſuæ repræſentationem, ac memoriam mortis ſuæ.

Pater le Jeune ex Oratorio Tomo 3.

Treuvè Meldenſis Eccleſiæ Canonicus Theologus, inter ſermones aſceticos habet Octavam pro SS. Sacramento, in cujus primo ſermone Euchariſtia conſideratur tamquam Myſterium, quod ſub panis, vinique ſpeciebus continet verum Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in peculiaribus argumentis, Tomo 5.

Qui collectanea ediderunt.

Lohoner }
Labatha } *Titulo Euchariſtia.*
Rayneuſis de Piſis }
Carthagena *Homil.* de Sancto Sacramento.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic argumento.

Dixit ergo eis JESUS, amen, amen dico vobis: Non Moyſes dedit vobis panem de Cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de Cælo verum. Joann. 6.

Panis enim Dei eſt, qui de Cælo deſcendit, & dat vitam Mundo: dixerunt ergo ad Deum: Domine ſemper da nobis hunc panem. Ibidem.

Dixit autem eis JESUS: Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam. Ibidem.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ; patres veſtri in deſerto manducaverunt manna, & mortui ſunt. Ibidem.

Hic eſt panis de Cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi. Ibidem.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mundi vita. Ibidem.

Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum. Ibidem.

Dixit ergo eis JESUS; Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ibidem.

Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Ibidem.

Caro enim mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo. Ibidem.

Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe vivet propter me. Ibidem.

Hic eſt panis qui de Cælo deſcendit, non ſicut patres veſtri manducaverunt manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem vivet in æternum. Ibidem.

Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus dixerunt, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Sciens autem JESUS, dixit eis: Spiritus eſt, qui vivificat, Caro non prodeſt quidquam; verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt. Ibidem.

Cænantibus autem eis, accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait accipite, & comedite, Hoc eſt Corpus meum. Matth. 26.

Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex eo omnes; hic eſt enim Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Ibidem.

Et manducantibus illis accepit JESUS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, ſumite: Hoc eſt Corpus meum. Marci c. 14.

Et accepto Calice gratias egit, & dedit eis; & biberunt ex eo omnes, & ait eis: Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Ibidem.

Deſiderio deſideravi manducare hoc Paſcha vobiſcum, antequam patiar: & accepto Calice gratias egit, & dixit, accipite, & dividite inter vos. Luc. 22.

Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt Corpus meum *quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Ibidem.

Similiter Calicem poſtquam cænavit dicens: hic eſt Calix novum teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Ibidem.

Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite & manducate, hoc eſt Corpus meum, *quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* 1. Cor. cap. 11.

Similiter, & Calicem poſtquam cænavit dicens, hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine; hoc facite, quotieſcumque bibetis in meam commemorationem. Ibidem.

Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Ibidem.

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis CHRISTI eſt; & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt? 1. Cor. 10.

Figu-

Figuræ, Exempla, ſimilitudines ex Scripturis deprompta ad Myſterium hoc exprimendum.

Figuræ veteris Teſtamēti probant realitatem Corporis J. C. in Euchariſtia.

ANtiquæ legis Scripturæ probant neceſſario realitatem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtia. Ex quo enim ſupponitur figura, conſtare debet de re per hanc figuram adimplenda. Lex vetus non niſi umbras habebat; Lex illa obſolevit: Opus eſt ergo, ut lex nova poſſideat realitatem, & omnes figuræ Euchariſtiæ, puta Sacrificium Iſaac, Agni Paſchalis comeſtio, oblatio Melchiſedech locum fecerint Sacramento Corporis JESU CHRISTI: Vel nullum erit diſcrimen inter legem veterem, & novam, ſi utraque figuras tantummodo poſſideat. Status Chriſtianorum medius eſt inter ſtatum Beatorum, & Judæorum. Beati poſſident JESUM CHRISTUM realiter ſine figuris, & ſine velamine. Judæi nihil de JESU CHRISTO habuerunt niſi velamina, & figuras: Chriſtiani vero poſſident vere, & realiter JESUM CHRISTUM in Euchariſtia, ſed ſub velaminibus. Hoc exprimit S. Eucherius, alio modo, ſed eodem in ſenſu. Deus, Sanctus ait, fecit ſibi tria Tabernacula; Synagogam umbras habentem ſine re; Eccleſiam umbras, & rem habentem; & Cælum rem habens non umbras. Eſſemus ne igitur in eo ſtatu in quo ſumus, ſi poſſideremus umbras, & figuras, quin JESUM CHRISTUM poſſideremus? Hoc eſſet nos cum Judæis ſus, deque permiſcere; quia Legis proprium erat umbram tantum habere, non autem rerum ſubſtantiam. Egrederemur nos quoque de ſtatu noſtro ſi perfrueremur perſpicua viſione; hoc enim eſſet Fidei ſtatum evertere, quæ S. Paulus ait non eſſe de rebus illis quæ videntur. Itaque Euchariſtia perfectiſſime convenit ſtatui noſtro fidei, quia vere continet JESUM CHRISTUM, ſed velatum; ita ut ſtatus hic deſtrueretur, ſi illum reciperemus aperte, & ſi JESUS CHRISTUS non eſſet realiter ſub ſpeciebus panis, & vini, quemadmodum contendunt Hæretici. Deſtrueretur etiam, ſi aperte reciperemus illum, qualis in Cælo eſt; hoc enim eſſet ſtatum noſtrum, cum gloriæ ſtatu permiſcere. Quamobrem figuræ nudæ a Judæis poſſeſſæ argumento ſunt, a nobis poſſideri figuras plenas, hoc eſt, Corpus JESU CHRISTI ſub ſpeciebus, & ſymbolis; ideoque ſub myſticis his verbis Eccleſia ibi & Sanctam Humanitatem, & Domini Divinitatem adorat.

Prophetia Jacob innuebat Euchariſtiam ex ſententia S. Gaudentii. Tract. 2 de ratione Sacram. Bibl. Pfalm. Tom. 4.

Patriarcha Jacob non ne JESUM CHRISTUM reſpiciebat, cum filiis ſuis benedicens dixit, Joſeph lavaturum indumenta ſua in vino, & ſanguine uvæ? Figurata hæc locutio non ne invenit ſuam realitatem, & complementum in JESU CHRISTO, qui noſtra amictus humanitate, tamquam veſte lavit eam proprio Sanguine? hic enim Deus Creator, & Dominus rerum omnium, qui facit, ut creſcant ſemina ut neceſſariam nobis eſcam ſuppeditent, & panem quotidianum, non ne ſecundum promiſſionem ſuam mutavit panem in Corpus ſuum, & vinum in Sanguinem, ille, qui olim aquas in vinum mutaverat? Itaque invitamur, ut eluamus ſtolam noſtram, & dealbemus animas noſtras, per Sanguinem divini hujus Agni effuſum in Cruce, & in altari, quod alterum nobis Calvarium eſt, ſed incruentum, fordes noſtræ abluuntur, & emundantur. *Dealbaverunt ſtolas ſuas in Sanguine Agni.* Non ne videbatur JESUS CHRISTUS ſibi applicare Prophetiam Jacob, ubi dicebat: Ego ſum vitis vera; non ne innuebat, vinum omne, quod illi offertur in altari in ſuæ Paſſionis memoriam eſſe vere Sanguinem ſuum? *Satis declarat Sanguinem ſuum eſſe omne vinum, quod in figura Paſſionis ejus offertur*, S. Gaudentius inquit. Exclamemus ergo beatos eſſe oculos noſtros, qui viderint quod ipſi videmus, & audierint quæ ipſi audimus. Quot Reges, quot Sancti Prophetæ concupierunt videre admirabilium harum Prophetiarum complementum? quoties a Deo quæſierunt, ut ſibi Deus revelaret, quandonam hæc erant eventura? Sed reſpondit illi Dominus ipſos tantum Miniſtros eſſe, ut eminus nobis oſtenderent, quod diebus noſtris tandem erant futura. *Quibus revelatum eſt, quia non ſibimet ipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunciata ſunt, per eos, qui evangelizaverunt vobis.* Exhibeamus igitur nos dignos inſignibus gratiis, quas Dominus nobis noviſſimis temporibus his reſervavit, præferens nos Patribus noſtris; tueamur dignitatem divinorum Myſteriorum noſtrorum per morum dignitatem, & ſanctimoniam; & vitæ ſanctioris uſu oſtendamus fidem noſtram erga divinum hoc Myſterium eſſe ſinceram: quin infirmemus nantem infirmorum fidem, roboremus fratres noſtros deerrantes, qui nobis exprobrant, modicam reverentiam noſtram erga hoc adorabile Sacramentum probare hoc non niſi figuram eſſe. Primos certos faciamus Myſteriorum noſtrorum veritatem a particularium moribus non pendere, & Eccleſiam ſemper bonas ſervare fruges inter paleas, juſtos videlicet inter pravos Fideles.

Apocal. 12.

S. Gaudentius loco citato.

1. Petri 1.

Sancti Patres, atque inter alios Eutichius Conſtantinopolitanus Patriarcha, quem magnum Eccleſiæ lumen vocat hiſtoria, ad exprimendam multiplicatam dominici Corporis præſentiam duabus uſi ſunt comparationibus. Altera quidem ſigni, quod unum eſt in ſe ipſo, & multiplicatum per multiplices ejuſdem impreſſas imagines, quarum ſingulæ continent tantum, quantum in ipſo continetur. Comparatio altera eſt humanæ vocis; quæ una eſt in ore loquentis, multiplex, & ſemper eadem in auribus multorum audientium. Hæ quidem valde imperfectæ ſunt ſimilitudines; ſed præterquam quod tales eſſe debent ſimilitudines, quippe quæ ſimilitudines tantum ſunt, non autem exempla, atque identitates, ut loquuntur Philoſophi; naturæ miracula non poſſunt eſſe niſi leviſſimæ, & imperfectiſſimæ adumbrationes miraculorum, quæ ſupra naturam ſunt poſita. Primi Fideles, non ceſſarunt quo minus alerent, ac roborarent fidem ſuam comparationibus etiam imperfectis in Trinitatis argumento, utilioribus hominum infirmitati, ut inquit S. Hilarius, quam ad exprimendam Magnitudinem, & Majeſtatem Dei. Ecce alia comparatio, qua quidam utuntur. Licet noſtrum ſinguli unam habeamus præſentiam in loco, quem occupamus, cum non poſſimus præſentes eſſe alibi ſimul, & eodem modo, nihilo minus habere poſſumus præſentiam in quinquaginta ſpeculis, quæ nobis objici poterunt, immo etiam in quinquaginta partibus uniuſcujuſque ex his ſpeculis confractis ſimul æque præſentes eſſemus in parte majori, & minori. Videmus etiam reliqua Mundi corpora ſimiliter habere cum unica præſentia ſua præſentiam multiplicem, quæ pendet ab unica eorum præſentia; & præſentia hæc multiplex appellatur imago, ſed non eſt imaginatio qualem efficere vobiſmet poteſtis in mente veſtra. Hoc eſt aliquid reale, & realiſſimum, immo etiam corporeum, quod Philoſophi noſtri *ſpecies* appellant quin adhuc inter ipſos poſt inſignes diſceptationes convenerit, utrum hæ ſpecies ſint effuſio ſubſtantiæ corporum, an ſimplex impreſſio, quam efficiunt in ea omnia, quæ illis circumſtant; an denique utrum ſint aliquod aliud corpuſculum ſubtilius, veluti lumen, quod recipit omnes haſce varias impreſſiones omnium corporum, & quod multifariam configuratur. Quomodo hoc fiat, ignoramus; ſit tamen.

Similitudines quibus uſi ſunt ad exprimendam multiplicem præſentiam Corporis in Euchariſtia.

Neque mirum cuiquam eſſe debet, quod Sancti Patres crebro Euchariſtiam appellaverint *Signum Corporis CHRISTI, Sacramentum, Typum, Antitypum, & etiam figuram Corporis JESUS CHRISTI*. Scio equidem præſentiæ realis inimicus has nobis objicere loquendi rationes tamquam Eccleſiæ dogmati oppoſitas; ſed falluntur, quia nolunt agnoſcere duo ſignorum genera, quæ Scriptura, & ratio nobis ſuppeditant. Alia rem abſentem, alia rem præſentem repræſentant. Alia rem remotam, alia proximam. Alia ſimpliciter ſignificant, & minime continent rem quam ſignificant. Ita Paſchalis agnus adeo cognitus in Scripturis, erat figura JESU CHRISTI pro humana ſalute immolati: manna erat Euchariſtiæ figura; Petra deſerti, quæ aquas miraculoſe fluentibus ſitim levavit Iſraelitarum, figura erat gratiæ auferentis Electis bonorum terreſtrium ſitim; ſed hæc tria non continebant, neque conferebant rem figuratam. Agnus Paſchalis non erat verus Agnus ab initio Mundi jugulatus: manna non erat verus panis de Cælo deſcendens ad vitam Mundo conferendam. Petra deſerti tantum abſuit, ut gratiam conferret aquas præbens, quin immo Dei iram excitavit in eos, qui eaſdem petierant. Hæc omnia infirma erant elementa ad innuendum Salvatorem, non ad illud communicandum, habentes, S. Paulus ait, umbram duntaxat futurorum bonorum. Sed præter hæc ſigna a re, quam ſignificant ſeparata, quædam adſunt rei conjuncta, eamque continentia. Ita Columba, quæ viſa eſt ſuper JESUM CHRISTUM poſt baptiſma, erat figura, & imago Spiritus ſancti, ſed imago repleta præſentia, atque ſubſtantia illius, quæ non repræſentabat ſolum Spiritum ſanctum, verum etiam continebat. Similiter Euchariſtia eſt ſignum Corporis JESU CHRISTI, ſed ſignum, quod rem continet ſignificatam. Hoc enim diſcriminis adeſt, inter antiquæ, novæque legis Sacramenta, quod priora illa ſigna erant vacua, noſtra vero ſunt ſigna plena; videlicet prima illa nequaquam continebant rem, quam ſignificabant, altera vero illam continent, ac largiuntur. Itaque Euchariſtia ſignum eſt veritate repletum; ita ut ſimul ſit ſignum, & veritas; ſignum quidem ex parte ſui ipſius, veritas autem ex altera. Veritas ex parte cæleſti, & inviſibili, ſignum autem ex parte terreſtri, & viſibili.

Cur Euchariſtia vocem ...

Animum quæſo advertite ad Salvatoris promiſſionem, ipſum videlicet daturum eſſe in Euchariſtia Corpus, Sanguinemque ſuum, & ad prælationem, quam contulit illi præ manna, quod Judæis in deſerto fuit datum; quæ quidem palam probat realem ſacri Corporis ſui in Euchariſtia præſentiam. Amabilis ille Salvator, cum Apoſtolis enixe flagitantibus reſpon-

Figuræ & prælatio Salvatoris Corpori ...

reſpondere deberet, utrum id, cujus ſpem in illis ciebat aliquid eſſet præſtantius manna, quod Deus cælitus miſerat Patribus ſuis in deſerto, cum Moyſes illos in terram promiſſam ducebat: *Patres noſtri manducaverunt manna, & mortui ſunt*; reſpondit duo hæc munera ſimul conferri non poſſe; Euchariſtiam tantum excellere, quantum id quod vitam tribuit præferendum eſt ei, quod mortem prohibere non poteſt; Patres eorum, qui poſtquam manducaverunt manna, naturæ debitum perſolviſſe; ſed illum, qui carnibus ſuis veſceretur, æternam vitam aſſecuturum. Quæ veſtra ſententia eſt de duplici hoc munere, utroque magno, utroque eximio, utroque diverſis tamen temporibus perutili? Equidem fieri nequaquam poſſe arbitror, prærogativam, quam Deus confert huic Sacramento, in hoc ſubſiſtere poſſe, ut in Sacramento mera ſigna admittantur, quin eealitee Corpus, & Sanguis Filii Dei ibi contineatur. Patet per ſe ratio; manna quidem miraculoſum erat in productione ſua, quippe Angelorum Miniſterio erat factum; nonnihil ſingulare in illius conſervatione aderat, reſiſtebat ignis calori, & iis omnibus quæ illud vitiare, & corrumpere poterant. In effectibus ejus nihil erat non prodigii loco habendum. Epulatum omnium guſtu præditum erat, & ex corporibus omnes extrudebat morbos; cum panis & vinum ex terra nata, & formata, vel ſaltem præparata hominum manu, obnoxia ſint corruptioni, & nullum miraculum operentur: cum quidquid commune habent cum manna, hoc ſit, ſignificare Corpus JESU CHRISTI in Euchariſtia. Quis ergo non arguet quandoquidem Salvator teſtatur Euchariſtiam toto Cælo nobiliorem, ac præſtantiorem eſſe manna, & hoc melius repræſentari Corpus Filii Dei, quam ſolo pane propter admirabiles ejus effectus: Euchariſtiam ergo eſſe aliquid præſtantius & pane ſimul, & manna. Quid autem habere poteſt præſtantius, niſi Corpus, & Sanguinem Hominis Dei? Non urgeo amplius hanc ſimilitudinem; ſatis liquet, niſi Salvatoris verba in ſenſum oppoſitum detorquenda ſint, inferendum eſſe ab illo nobis datum fuiſſe, quod ab eodem fuerat nobis promiſſum. *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mundi vita*.

Joan. 6. | Ibidem.

Mutatio panis & vini in Corpus, & Sanguinem Salvatoris figuratum, & probatum variis mutationibus, quæ in veteri Teſtamento contigerunt.

Ante conſecrationem, S. Ambroſius ait, Corpus CHRISTI non erat, poſt conſecrationem eſt Corpus ſuum, quia ipſe dixit. Ita Virga, quam Moyſes tenebat manu, in anguem mutata eſt, & mox ex angue rediit in id, quod erat; aqua in Sanguinem converſa, & in aquam, ut antea, reverſa eſt. Nunquid JESUS CHRITUS id facere non potuit, quod fecit Moyſes? Non potuit panem convertere in Corpus ſuum, quemadmodum in nuptiis Canæ aquam in vinum converterat? Non potuit multiplicare præſentiam Corporis ſui, quemadmodum in deſerto panes quinque multiplicaverat? Poterat ſane, S. Gregorius Nyſſenus inquit. Divinus hic Salvatoe mutare poteſt Euchariſticum panem in Sanguinem ſuum, quemadmodum mutabat illum, quem in vita ſua comedebat per naturalem ſtomachi ſui calorem; hic panis, quo veſcebatur, in carnis ſuæ ſubſtantiam convertebatur; & credemus, omnipotentem Verbi ſui virtutem efficere non poſſe, quod calor naturalis quotidie in corporibus noſtris operatur? Ne inferamus tantam injuriam illi, quem credimus omnipotentem. Nihil certius eſt mutatione ſubſtantiæ, quæ in hoc Myſterio peragitur. De hac Patrum auctoritas, traditio, Concilia, Eccleſiæ fides, populorum conſenſus vetant ambigere.

Figura Arcæ fœderis ejus ad Euchariſtiam relatio.

Cum Moyſes ad populum Legis Tabulas attuliſſet, ſtatim ædificari juſſit Tabernaculum, & Arcam fœderis, in qua condidit illas tamquam pretioſum theſaurum. Hoc Tabernaculum ex plurimorum Patrum ſententia erat inſignis Eccleſiæ figura; & Arca figura eſt adorabilis Euchariſtici Sacramenti, quod eſt veluti centrum Chriſtianæ Religionis, objectum cultus noſtri, & in hunc finem a Deo inſtitutum, quemadmodum Arca teſtamenti erat præcipuum objectum venerationis Judæorum. Rationes autem, quas deprehendunt Patres inter figuram, & veritatem, nimis graves ſunt, ideoque non prætermittendæ. Præcipue autem hæ ferе ſunt. Arca iſta erat ex ligno incorruptibili intus & extra laminis aureis circumdata. In Eucharistia Corpus Salvatoris non ſolum incorruptibile eſt, verum etiam a corruptione præſervat corpus, & animam comedentium. Aurum, quo Arca hæc circumdata erat, eſt ſymbolum caritatis, quo cor illius æſtuat in hoc Myſterio, & quo actus divinum hoc Sacramentum inſtituit nobis amoris ſui magnitudinem teſtaturus. Singularis veneratio, qua Iſraelitæ Arcam hanc proſequebantur, illam deſignat, quam veri Chriſtiani habere debent erga hoc adorabile Sacramentum, quod habere debent tamquam rem illam, qua nulla eſt ſanctior, vel pretioſior. Iſraelitæ non audebant hanc arcam inſpicere, niſi eo involutam velamento, quo tegebatur. Præclara, S. Bonaventura inquit, hujus Sacramenti figura, quod continet quidquid ſanctius eſt, & auguſtius in terris. Sed quod ipſi non videmus, niſi per fidem ſub accidentibus quibus tegitur; tamquam velamina illi obtenduntur. Denique dederat Deus arcam hanc populo ſuo, ut in ipſorum neceſſitatibus eſſet illorum perfugium, aſylus in periculis, præſidium contra omnes eorum inimicos, oraculum in rebus dubiis, ac in urgentiſſimis eorum egeſtatibus adjutorium. Quid fingi poteſt, quod melius in Euchariſtici Sacramenti inſtitutionem repræſentet, quam Deus poſuit in Eccleſia ſua, ut per præſentiam, quam ſub infirmis accidentibus tegit, ſit protectio noſtra, oraculum, conſolatio, ſubſidium in periculis, in certaminibus, & in omnibus vitæ hujus anguſtiis.

Corpus Filii Dei vere eſt theſaurus abſconditus. | Sap. 7.

Jure optimo ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum nobis exhibetur ſub imagine theſauri abſconditi in agro Eccleſiæ, & æquiſſime illi applicari poſſunt hæc Sapientiæ verba: *Infinitus theſaurus eſt hominibus*. Theſaurus hic continet bona omnia, quæ cogitari poſſunt, continet etiam Deum ipſum bonorum omnium auctorem; ita ut dicere poſſimus, ipſum nobis pretioſum hoc munus largientem omnia nobis donaſſe, vel ſi mavis, permiſiſſe nobis, inde omnia hauriremus bona, quibus indigeremus. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Omnes Cæli divitiæ hoc pacto ſunt in noſtra poteſtate, ac noſtrum eſt illis locupletari. Hoc ipſo pacto, voluit etiam ita communes omnibus fieri, ut nemo ſit, cui iiſdem perfrui non liceat. Meminerimus tamen hunc eſſe theſaurum abſconditum, quia ſicut Divinitas latet in humanitate JESU CHRISTI; ita humanitas in hoc latet Myſterio, & fallit oculos noſtros, ut illam ardentius quæramus per fidem, ut certius illam inveniamus, & majori habeamus in pretio. Hominum avaritia theſauros occulit ne inveniantur; ſed Sapientia Caro facta theſaurum hunc abſcondit in Euchariſtia, ut illum objiciat, ac det quærentibus illum.

Ad Roman. 8.

Actiones, & miracula, quæ hoc Myſterium præceſſerunt, eorumdem videntur fuiſſe ad illud diſpoſitiones.

Difficile non eſſet oſtendere omnes fere Salvatoris actiones, quæ præceſſerunt promiſſiones, & donum, quod fecit nobis Corporis ſui, fuiſſe apparatus, qui ad extremam actionem hanc referebantur, quæ eorum erat quodammodo conſummatio. Dici poſſet ideo locum ipſum, ubi natus eſt, Bethlehem vocatum fuiſſe, videlicet domum panis; omnia miracula præparaſſe hominum mentes ad credendum magnum illud miraculum, quod in mutatione panis in Corpus ſuum peragitur, primum ex his miraculis, ubi aqua in vinum convertitur, incipere præbere nobis exemplum, vel ſaltem ſpecimen tranſubſtantiationis: Sed ne immorer in diſquirendis relationibus, quæ licet remotiores, non tamen minus veræ ſunt, unam eligamus ex illis, quæ majorem habent ſimilitudinem, & propius accedunt; videlicet panum multiplicationem, quæ ſemper a Patribus habita fuit tamquam figura, in qua Salvator nobis præbebat imaginem illius, quam facturus erat in Euchariſtia. Hoc exemplum re vera omnes aufert difficultates, quas mens ſibi fingere poterat in promiſſione, quam deinceps fecit dandi nobis Corpus ſuum ad comedendum, & Sanguinem ad bibendum. Quod enim magis negotium faceſſit in divini hujus Myſterii conceptu illud nimis curioſe ad examen vocantibus, eſt intelligere quomodonam Corpus ſimul eſſe poſſit in pluribus locis; & ecce nobis præbet exemplum in hac multiplicatione. Nam hi fuerunt illi quinque panes, qui realiter, & ſubſtantialiter manducati fuerunt a quinque millibus hominum; ideoque ſinguli panes reproducti, vel multiplicati fuerunt pluſquam millies, & pluſquam in locis mille ſimul: cum eſſent non ſolum in illis omnibus, qui illos manducaverant, ſed ſimul etiam replerent ſpatium duodecim calathorum, qui pleni reperti ſunt: quod fieri non potuiſſet, niſi quinque panes illi plura ſimul ſpatia occupaſſent; hi enim iidem erant, juxta Scripturarum fidem, quibus repleti erant calathi, poſtquam omnium famem ad ſaturitatem uſque expleviſſent.

Applicatio quorumdam locorum Scripturæ ad hoc argumentum.

Tenebræ hujus Myſterii inveniunt Magnitudinem illius, qui in iis latet.

S*icut tenebræ ejus ita & lumen ejus*. *Pſalm.* 138. Eccleſiæ Patres duo in divina Euchariſtia animadverterunt; alterum quidem perſpicuum, alterum vero obſcurum. Verba Conſecrationis perſpicua ſunt; ſimpliciſſimi Spiritus intelligunt, quid dicere voluerit JESUS CHRISTUS inſtituens Sacramentum ſui Corporis. Cum Religio ipſius ſit pro Simplicibus, Sacramentum, quod centrum eſt hujus Religionis, illam ſuſtinens, & ſine quo nulla eſſet Religio, quia nulla ibi Religio eſt, ubi nullum verum eſt Sacrificium: Hoc inquam Sacramentum concipi debebat verbis ita perſpicuis, ut ab omnibus poſſent intelligi. Sed modus quo Sacramentum hoc adimpletum eſt, obſcurus fuit. Hoc Dei opus eſt; hoc Patres confeſſi ſunt ſe nequaquam intelligere poſſe; hoc nunquam ſuſcipere auſi ſunt populo explicandum, hortantes ſolum illum ad credendum verbo Dei, quod erat perſpicuum. Eſſet ne Deus id, quod eſt in divino hoc Sacramento, ſi non eſſet incomprehenſibilis? Mirabilia ejus non eſſent hoc nomine appellanda, ſi mens humana illa aſſequi potuiſſet. JESUS CHRISTUS

magis

magis adhuc abſcondit ſe in Euchariſtia, quam in Incarnatione, & in paſſionibus ſuis. Si igitur Prophetæ de Myſterio Incarnationis ipſius exclamarunt:

Iſaiæ 45.

Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael, Salvator; non ne nobis etiam conſiderantibus denſa velamina, ſub quibus JESUS CHRISTUS in Altaris Sacramento deliteſcit, potiori jure exclamandum eſt; vere tu es Deus abſconditus. Sed quo magis invia ea ſunt velamina, quibus contegeris, eo magis illa nos admonent te præſentem eſſe, & caligo, quæ mihi ſtuporem ciet, mihi eſt veritatis argumentum. *Deum te in his, quorum intelligentiam non complector, intelligo.* Et ipſa quæ non aſſequor, efficiunt, ut intelligam, Divinitatem, & humanitatem tuam in adorabili hoc Sacramento continere. Verus colendi te modus, eſt credere tibi dicenti; *Hoc eſt Corpus meum.* Tunc enim intelligo aliquam proportionem futuram inter humilem fidem meam, & Magnitudinem tuam.

S. Hilarius l. 10. de Divinit.

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Joann. 1. Hoc, Chriſtiani Auditores, vobis dicere poſſum quod olim Magnus S. Joannes Judæis: Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Ille, quem tot ſæcula expectatis, quem Patres veſtri, & omnes antiqui Patres concupierunt, & cujus adventum maturare auſi ſunt tot votis, ac precibus Cælum fatigantes, ut in terram mitteretur: ille inquam de Cælo deſcendit, medius eſt inter vos, illum præſentem habetis; ſed hic theſaurus eſt, quo non fruimini eo quod illum neſcitis; felicitas eſt, quam non guſtatis, quia ad illam ne animum quidem advertitis. Bonum eſt infinitum, quod vos beatos poteſt efficere, ſed quod vobis eſſe poteſt nullius utilitatis, eo quod non ſatis pretium ejus cognoſcitur. Denique bonum hoc cogitationibus veſtris ſublimius, ac veſtris deſideriis majus vos beatos non efficit, quia eodem uti ignoratis. Inde eaſdem vobis licet utilitates percipere, ac illi, qui ejuſdem viſibili præſentia perfruuntur; cum enim æque liberalis ſit in utroque ſtatu, cur non perfruemini? Si voſmet dignos præſliteritis qui recipiatis gratias, quas effundebat in illos, qui ad ipſum confugiebant in neceſſitatibus ſuis, miraculoſas converſiones, admirabiles curationes, beneficia, quæ plenis manibus ut ita dicam, fundebat; ſi vobis non eſt, ut illis, cum quibus verſabatur, felicitas videndi ſanctam humanitatem ſuam, cæci, qui per illum videbant diei lucem, ipſum adorare non ceſſabant, & in tenebris, in quibus vos relinquere voluit, vobis eſſe debet ſolatio; ad fidei veſtræ exercitationem vobis utilius eſſe hoc credere, quam videre.

Vis verbi J. C. mutavit ſubſtantiam panis, & vini. Ad Rom. 11.

Dixit & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt. Pſ. 32. En vis Dominici verbi. Nihilum obtemperat, & loquenti Domino reſpondet, quaſi ſubſiſteret; cum creavit ſtellas, reſponderunt *Adſumus;* quia S. Paulus ait: *Vocat ea, quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt.* Ita ex me quæritis, quæ ſint dona, quæ offeruntur in Altari, & reſpondebo vobis cum S. Ambroſio, ante conſecrationem oblata dona nequaquam fuiſſe Corpus JESU CHRISTI, ſed poſt conſecrationem eſſe Corpus JESU CHRISTI. Ipſe dixit, & factum eſt, mandavit, & creatum eſt. Eſca, quam præbebat Deus Judæis magnum erat prodigium; ſed utrum majus eſt, numquid manna de Cælo deſcendens, an Corpus JESU CHRISTI veniens de Cælo. Cur hoc accipiens dicis *Amen?* Nonne id fit; S. Ambroſius ait, ut ex corde profitearis, te Corpus JESU CHRISTI recipere:

S. Ambr. lib. 4. de Sacr. c. 5. Unio, quæ eſt inter Fideles, & J. C. non ſpiritualis tantum ſed realis & naturalis eſt.

Ergo non otioſe tum accipis, dicis amen, jam in ſpiritu confitens quod accipias Corpus CHRISTI; dicit tibi Sacerdos: Corpus CHRISTI, & tu dicis, amen, hoc eſt verum; quod confitetur lingua, teneat affectus.

Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo, Joann. 6. De divinis non loquamur amplius ſecundum cogitationes, & ſermonem hominum. Legamus, quod eſt in libris Sanctis, & quod legimus, intelligamus. Itaque cum dicimus JESUM CHRISTUM vere in nobis eſſe, & nos in illo; loquimur temere, & ſine pietate, niſi ab illo didicimus, Carnem ejus eſſe vere cibum, & Sanguinem illius vere potum, & eum qui manducat ſuam Carnem, & bibit ſuum Sanguinem, in illo manere, & Chriſtum in eo: hæc enim verba nullum relinquunt locum dubitandi de veritate Carnis, & Sanguinis ſui in adorabili Altarium noſtrorum Sacramento, quemadmodum inquit S. Hilarius. Quando quidem vero hinc quidem ſcimus, quod cum manducaverimus Carnem, & Sanguinem JESU CHRISTI, nos ſumus in illo, & ille in nobis eſt; inde autem illum nobis conjunctum eſſe per divini hujus Sacramenti manducationem, oritur, unionem inter JESUM CHRISTUM, & fidelem realem eſſe, & naturalem. Ipſe locutus erat de unione ſpirituali, & naturali, cum dixerat, quemadmodum Pater ſuus, a quo miſſus erat, vivens erat, illum etiam qui Carnem ſuam comederet, vitam habiturum in illo; & ſicuti Patrem inter & Filium naturalis eſt unio; inde ſequi, ut per hujus Sacramenti virtutem, idem privilegium conſequamur.

S. Hilar. l. 8. de Trinit.

Quod autem in nobis hæc unitas ſit, ipſe CHRISTUS teſtatus eſt, cum dicit, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo.

Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire. Joann. 6. Talis eſt primus ſermo Hæreticorum; qui rebelles fuerunt vivis fulgoribus verborum Filii Dei; tales quoque locutiones recentiorum Capharnaitarum, qui ſcandalum acceperunt ex promiſſione, qua Dominus receperat, ſe illis daturum Carnem ſuam ad manducandum.

Hæretici loquuntur, & locuti ſunt de divino hoc Sacramento ut Capharnaitæ.

Hoc vos ſcandalizat. Hæretici ab Euchariſtia abſtinent ſe, eo quod non confiteantur Euchariſtiam Carnem eſſe Servatoris noſtri JESU CHRISTI, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, & quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit. Verba ſunt S. Ignatii Epiſtola ad Smyrnenſes. Senſus habent oppoſitos huic Dono Dei, & contradicentes bonitati Salvatoris in hoc divino Sacramento, pereunt . . . . . Apage ſenſus horum Capharnaitarum, & eorum, qui illorum Sectam ſequuntur. Tantum abeſt, quod Sermo JESU CHRISTI promittentis ſe nobis daturum Corpus ſuum ad manducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum, durus nobis videatur, ut nos moveat, illiciat, corda noſtra conciliet; ibi enim palam videmus amorem JESU CHRISTI erga nos . . . Tu ergo Domine, qui nos efficis unicæ, & ſupremæ divinitatis tuæ participes per diviniſſimi Sacramenti hujus commercium, quod offerimus tibi, & ipſe recipis a nobis, largire per gratiam tuam, ut ſicut cognoſcimus veritatem, illam poſſidere mereamur vitam ducentes illi conformem, quam docet.

Euchariſtiæ Sacramentum recognitum per traditionem omnium ſæculorū & in Eccleſia celebratum.

Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt Sermonis. Luc. 1. Scriptura, & Traditio præcipua ſunt fidei noſtræ fundamenta: Omnia labefectantur in politica etiam, in rebus publicis, & ubique ſi duo hæc fulcra evertantur. Hæc nobis perhibent teſtimonium veritatis Auguſtiſſimi Sacramenti Euchariſtici. Conſulamus ergo Traditionem, & docebit modum quo divinum hoc celebrabatur Myſterium primis Eccleſiæ temporibus, quæ nullatenus immutata eſt quoad eſſentiam, & quod ſpectat ad ritus, preces, intentiones, per quas offerebatur Sacrificium, modum, quo ſacrum hoc convivium diſtribuebatur, aliaſque circumſtantias, quas legimus in primis Chriſtianis Auctoribus, qui ea didicerunt a deceſſoribus ſuis, quamquam hujuſmodi ritus alii fuerint, non ſecus ac celebrandi modi, fides incolumis, at integra de realitate Myſterii, & veritas præſentiæ Salvatoris ſemper viguit eadem inter vices temporum, licet tot hæreſes omnibus ſæculis graſſatæ fuerint, & varii Eccleſiarum particularium ritus, & propriæ ſingularum Liturgiæ fuerint inventæ. Quod non niſi acceptum referendum eſſe videtur curæ illius qui pollicitus eſt fore ut error, omneſque conatus inimicorum Eccleſiæ nunquam prævaleant contra ipſam, & contra fidem hujus Myſterii, quod efficit, & continet potiſſimam doctrinæ illius partem, quam hauſit ab eodem Salvatore, qui Sacramenti hujus Inſtitutor eſt, & ab iis qui hujus Inſtitutionis teſtes fuerunt: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio fuerunt, & ipſi viderunt.* Hinc S. Juſtinus unus ex primis Chriſtianis Auctoribus, annixus Traditioni, quam ævo ſuo jam numerabat, hæc habet: *Non enim, ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei; Caro factus eſt CHRISTUS Salvator noſter, & Carnem, & Sanguinem ſalutis noſtræ cauſſa habuit . . . Incarnati JESUS Carnem, & Sanguinem eſſe docti ſumus.* Hoc memorium invenimus in Sanctis Evangeliis, & JESUS præcepit Apoſtolis ſuis ut id facerent, poſtquam accepiſſet panem, & gratias agens Patri ſuo dixiſſet, hoc eſt Corpus meum; & hic eſt Calix Sanguinis mei: *Nam Apoſtoli in Commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi JESUM &c.* Concede quæſumus Domine, ut firmi permaneamus in fide, quam a Patribus noſtris accepimus.

S. Juſtinus Martyr Apol. 2.

Idem ibidem.

Accipite, & dividite inter vos. Luc. 22. Hoc unum eſt ex divinis hujus Sacramenti Miraculis, quod mens hominis adorare debet, quin illud ſcrutetur, videlicet enim, qui recipit partem ſpeciei Panis, & vini ſub qua continetur Corpus, & Sanguinis JESU CHISTI, totum recipere JESUM CHRISTUM. Fruſtra Paulus Samoſatenus, ejuſque Sectatores conantur os aperire ad evomendas blaſphemias, aſſerentes, Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI in Euchariſtia comprehenſi corrumpi. Blaſphemias autem ſuas probantes his JESU CHRISTI verbis, quæ non intelligunt: *Accipite, & dividite inter vos.* Impius hic, & qui adhærent illi, ignorat ſe inſurgere contra veritatem, quæ prodiit ex ore S. Pauli dicentis, quod majus ſupplicium non meretur ille, qui pedibus conculcat Sanguinem novi Teſtamenti, per quem ſanctificatus eſt. Nonne ut dæmoni placeret, hæreſiarca ille æque intulit contumeliam Sanguini vivificanti JESU CHRISTI, & Spiritui ſancto?

Recipiens partem ſpecierum panis, & vini recipit totum Corpus, & Sanguinem.

S. Dionyſ. Alexandr. contra Paulum Samoſatenum.

Surrexit contra Sanguinem vivificum, & contra Spiritum ſanctum. Si enim Sanguis JESU CHRISTI corruptibilis eſt, quia diviſus, & effuſus; idem igitur erit de Spiritu ſancto, quod de hoc Sanguine adorabili, qui nobis vitam largitur. *Si enim Spiritus ſanctus, ſicut Sanguis vita:* nam Spiritus ſanctus nonne diviſus fuit, ſuper Apoſtolos? Nonne effuſus eſt ſuper omnem carnem? Nemo igitur dicet Spiritum ſanctum eſſe corruptibilem

Idem ibidem.

quia effuſus eſt ſuper Diſcipulos, nec dicentur hi unam duntaxat acceptiſſe divini hujus Spiritus partem, quia divinus eſt. Hoc ipſum dicamus de Corpore, & Sanguine vivificante JESU CHRISTI in ſacris Myſteriis, licet utrumque in plures partes diviſum ſit, utrumque æqualiter totum ab omnibus ſumitur, & corruptioni obnoxium non eſt, quia nos efficit incorruptibiles. Amortuus, Domine, & potentia tua minus eniſuiſſent, ſi temetipſum nobis per partes ſolum, & non integrum tradidiſſet. Firma fide credimus, te nutrientem populum tuum hac Angelorum eſca teſtatum fuiſſe Filiis tuis magnitudinem magnificentiæ tuæ, & amorem, quo illos complecteris, dando temet integrum illis, ut ſe totos tibi tribuant, cum id adimplent, quod iis præcepiſti: *accipite, & dividite inter vos. Accipite, & manducate; Hoc eſt Corpus meum. Matth. 26.* Terribilia ſunt divina Myſteria, quæ in Altari adimplentur. Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi, ibi vero immolatur comedendus. Sanguis Agni hujus divini vere funditur a Fidelibus bibendus. Adorabile hoc Sacrificium reddit Filium Dei objectum in quo Pater Æternus bene ſibi complaceat; neque enim immolatus fuit per Judæorum ſævitiam, ſed per amorem ipſius. Talis erat cibus Filiorum Eccleſiæ; hoc poſtu utebantur ad menſam Domini. Hic Deus eſt, qui creavit illos, hic Redemptor, qui illos redemit, & ipſe convivium eſt, ad quod invitamur. Caro illius vere cibus eſt, & Sanguis vere eſt potus; opus eſt eſſe Deum, & Hominem, ut id cogitet, & exequatur. Per admirabilem hanc Inſtitutionem JESUS CHRISTUS æque ſuam probat Divinitatem, & Humanitatem; ſi enim Homo tantum eſſet, quomodo ſanctus hic cibus vitam æternam produceret? Et ſi tantum Deus, quomodo eſſe nobis poſſet realis, & ſenſibilis eſca? Si homo non eſſet, quomodo Sanguis illius ſuper Altare effunderetur? *Sanguis, qui pro vobis effundetur.* Et ſi Deus ſimul non eſſet, quomodo ibi eſſe poſſet ſub ſacris ſymbolis, & ubique? Quomodo manducari poſſet, & non abſumi? *Homo nudus quo paſta prædicatur iis, qui ad ſacram menſam accedunt? Quomodo rurſus dividetur, cum hic, cum ubique, nec tamen minuitur. Simplex enim Corpus vitam nequaquam infundit participantibus.* Communicemus ergo Corpori JESU CHRISTI, tamquam fonti vitæ per Divinitatem inſeparabiliter cum Humanitate conjunctam. Bibamus Sanguinem ejus, qui poſtquam noſtra eluit crimina, beatam nobis procurat immortalitatem, firma, & inconcuſſa fide tenentes ipſum ſimul Sacerdotem eſſe, & victimam, hunc eſſe offerentem, & qui oblatus eſt, comedentem Corpus ſuum in Sacra Cœna ſub aliena ſpecie, & eum qui comeditur a Fidelibus. *Credentes ſimul ipſum & manere Sacerdotem, & hoſtiam; ipſum qui offert, & oblatus eſt, qui accipit, & traditur.* Credamus manu quidem frangi Signum, ſed JESUM in hoc Myſterio eſſe immortalem; & integrum ad nos venire ſine diviſione; & ab omnibus recipi, quin minuatur, vel abſumatur.

S. Cyrill. Alexandr. Homil. in myſticam cœnam.

Idem ibid.

Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Joann. 6. Apoſtolorum Princeps hiſce verbis uſus eſt, cum loqueretur de auguſto Altaris Sacramento, quia continebat auctorem vitæ, & Myſterium hoc per verba vitæ conſummatum erat. Fides, quæ principium vitæ eſt, dux erat huic Apoſtolo; hæc efficit, ut penetremus myſticas tenebras, quæ regunt JESUM CHRISTUM in hoſtia divina. *Magna in Sacramentis eſt eminentia, inæ igentia quorum fide potius experienda, quam adinventione humana:* quæ ex pravitate ſua dimetiens Omnipotentis opera damnat quod non intelligit. Videte, & admiramini hanc profunditatem in abyſſo Sacramenti Euchariſtici, ubi cum panis, & vinum tranſubſtantientur per virtutem, & efficaciam cæleſtium verborum in Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI: accidentia, quæ antequam verba proferentur, innitebantur naturæ panis, & vini, divinitus ſuſpenſa innitantur per omnipotentia verba Conſecrationis. Nonne novum prodigium eſt, quod cum Corpus JESU CHRISTI ſit caro, & non ſpiritus, nihilominus alat Spiritum, non corpus, & illum nutriens, vitam illi communicet? Poteſtne ratio horum mirabilium altitudinem penetrare? Sed fides eo pervenit, quo ratio non poteſt. Deficit illa ſub pondere; fides vero vires mutuatur ex rationis infirmitate, quia tunc exclamamus: *Domine ad quem ibimus?* Nonne tu ſolus *verba vitæ æternæ habes.*

Enumeratio miraculorum quæ in divino hoc Myſterio conſequentur, & cogunt nos ad Dei Verbum confugere, quia ſuperant rationem.

Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis CHRISTI eſt? Calix, cui benedicimus, nonne participatio Sanguinis CHRISTI eſt? 1. ad Cor. c. 11. Cum manducamus panem Domini, & pretioſum illius Sanguinem bibimus, delineamus imaginem mortis Domini, quam ſubiit in Cruce. Sed ut imago hæc ſit fidelis, opus eſt, ut in Altaris Sacramento hæc eadem ſit Caro, & idem Sanguis. *Non alia, ſed eadem, quæ eſt præſens Caro Domini; non alius, ſed idem, qui fuſus eſt Sanguis.* Spiritus magis animatur reali præſentia Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, quam ſimplici memoria, ad quam nos redigunt Novatores. Amor magis inflammatur, credit videre, credit tenere, credit ampleſti objectum ſuum; adſtare ſibi videtur cœnæ cum JESU CHRISTI diſcipulis, & panis, quem comedit eſt communio Corporis JESU CHRISTI; in quo non fallitur, niſi fortaſſe quoad tempus, & locum. Non poteſt ultra oblivisci pretioſi monumenti amoris JESU CHRISTI qui oculis videtur, manibus attrectatur, & ore recipitur. Sibi quilibet dicit, ut Apoſtoli, loquimur de Myſterio, ubi verbum ſubſtantialiter reſidet, & loquimur confidenter, quia oculi noſtri viderunt, manus noſtræ attrectarunt, atque audivimus auribus noſtris tamquam ſpectatores acteties. *Quod audivimus, quod vidimus, quod manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ.* Profecto ad eliciendam ex cordibus noſtris ampliorem perſuaſionem præſentiæ JESU CHRISTI in diviniſſimo hoc Sacramento, noſmetipſos interrogemus, utrum magis moveamur, cum dicimus, JESUM CHRISTUM eſſe adhuc nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi in Euchariſtico Sacramento, quam cum taciti recolimus ejus humiliationes in ſtabulo: utrum vividior ſit noſtra fides, cum attendimus, JESUM CHRISTUM adhuc nobiſcum verſari, quam cum cogitamus illum jam converſatum fuiſſe in terris: utrum amor noſter ſit ardentior, ſpes acrior, cum videmus JESUM CHRISTUM quotidie immolari pro nobis in ſacris Myſteriis, quam cum reminiſcimus ipſum olim pro nobis in Cruce oblatum fuiſſe. *An quando dicitur, olim in Cruce pependit, an quando dicitur, nunc in altari offertur.* Numquid præſens beneficium non movet magis, quam præteritum? Ita loquitur S. Paulus de hoc divino Myſterio tamquam præſente, & quod inſpectantibus nobis videtur: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis CHRISTI eſt?* Quæ enim prætetita ſunt, fere non imprimunt ideam præſentem, oblivioni traduntur; ſed præſentia non ſinunt mentem ambigere, eamque cogitare cogunt. *Quia eſt in plerumque non creditur, de illis vel in medico dubitare animus non ſinitur.*

Idem Petrus Cluniacenſis ibidem.

Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo. Intelligite Fratres, ſummum bonum, quod fides aperit nobis in divina Euchariſtia. Si JESUS CHRISTUS in hoc adorabili non eſt, nullus inter illum, & nos eſt nexus: Veritas non invenitur amplius in verbis illius, qui auctor eſt veritatis; qui aſſerit, nos manducantes Carnem ſuam, Sanguinemque ſuum bibentes in illo eſſe, & illud in nobis. Sin autem JESUS CHRISTUS in hoc divino adeſt Myſterio, quemadmodum Verba cogunt rebelles etiam confiteri; nonne fatendum eſt etiam inter JESUM CHRISTUM & nos adeſſe non ſolum unionem conformitatis voluntatum, ſed etiam naturalem unionem? Nam cum Verbum vere Caro ſit factum, nos vere ſumimus Verbum Carnem factum per cibum hunc, quem Dominus dedit nobis in divino hoc Sacramento. *Si enim Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico ſumimus.* Quomodo vero divinum hoc Verbum non permanebit in nobis per naturalem unionem; cum enim acceperit naturam noſtram, quam ſibi conjunxit per inſolubile vinculum, nobis comedendam præbet in Sacramento divinæ Carnis ſuæ veram naturam adorabilis carnis hujus, quam cum natura ſua in hoc Myſterio conjunxit. Hæc eſt S. Hilarii argumentatio.

Per manducationem Carnis J. C. datur unio realis, & naturalis inter J. C. & Fideles.

S. Hilarius l. 8. de Trinitate.

Caro non prodeſt quidquam, verba mea ſpiritus & vita ſunt. Joann. 6. Non me latet quanta ſit adverſariorum noſtrorum hoc in loco objectio. Filius Dei, inquiunt, palam nos docuit his verbis ſenſum ſuum, promittens ſe nobis daturum Corpus ſuum ad manducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum. Tanti faciunt hanc objectionem, ut poſtquam aſſeruerunt in toto capite hoc de Euchariſtia verba non fieri, ſi illa excipias verba: *Hoc eſt Corpus meum,* reſpondere non ceſſabunt per hunc locum ipſum: *Caro non prodeſt quidquam?* Sed objectio hæc ſi propius ad examen vocetur, evaneſcit, ac ſe ipſam evertit. Nam certum eſt in his verbis, *Caro non prodeſt quidquam,* nomen carnis non ſumi ad litteram, pro reali, & vera Carne Salvatoris, de qua dicere neque illi poſſunt, neque nos, quod *Caro non prodeſt quidquam;* cum illa ex omnium Fidelium conſenſu unicum ſit ſalutis noſtræ fundamentum. Neceſſe eſt, per hæc verba Filium Dei dicere voluiſſe, vel *explicationem, quam caro, & ſanguis vobis ſuggerunt non prodeſſe quidquam: hic agi de ſpiritu, & vita:* Vel ut ipſe Calvinus intellexit: *Mea caro, qualem ipſi concipitis, ſeparata a Divinitate mea nihil vobis prodeſſet:* Vel, ſi mavis; *Fruſtra participes fietis carnis meæ; hæc non proderit quidquam: erit potius damnatio, ac mors veſtra, niſi efficiamini participes ſimul per ſpiritum veſtrum, Carnis, & Spiritus mei, qui ſons eſt vitæ veſtræ.* Quælibet ex tribus hiſce explicationibus eligatur, ulla ne eſt, quæ perfecte cum reali præſentia, & Chriſtiano dogmate non congruat? Nonne fatemur communionem carnis Domini noſtri per carnem noſtram, nihil prodeſſe, niſi communicemus etiam ſpiritui, & carni ejus per ſpiritum noſtrum, noſmet corporaliter, & ſpiritualiter cum illo conjungentes? Nonne confitemur carnem hanc per ſe non eſſe vivificantem; ſed talem

Quo in ſenſu intelligenda ſint verba illa: Caro non prodeſt quidquam.

eſſe

Digitized by Google

eſſe per unionem Divinitatis? Nonne dicimus carnem hanc carnali modo conceptam, tamquam laceratam, ac membratim conciſam, & conſumptam ab illis, qui eam vulgari modo manducant, nihil prodeſſe? Nunquid Auctores Catholici, & maxime Orthodoxi dixerunt, Corpus Filii Dei non eſſe corporaliter præſens in Euchariſtia, videlicet more corporum, ſed ſpiritualiter, hoc eſt more ſpirituum: quamvis hodie abſtinendum ſit ab id genus locutionibus; ne anſam præbeamus æquivocis, & hæreticorum ſubterfugiis: Calviniſtæ quippe in inanibus contentionibus ſuis, putant, ubi ſpiritualiter aliquid dici audiunt, id dici tantum in ſpiritu, & figura.

Explicatio eorum verborum: reum eſſe Corporis, & Sanguinis Domini.

Qui manducat, & bibit indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini &c. Reus Corporis, & Sanguinis Domini ſignificat reum violati, atque per ludibrium contempti Corporis Domini, Quomodo autem poterat Apoſtolus nobis apertius, ac ſignificantius aſſerere, Corpus hoc, pretioſumque Sanguinem reipſa eſſe in Euchariſtia, quam dicendo, illud a nobis violari, coinquinari, lædi, cum indigne ad Euchariſtiam accedimus. Sacramentarii dicent, eum qui Principis imaginem lædit, Principem lædere; quod ſane S. Paulus dixiſſet, ſi, ut illi, cogitaſſet. Dixit hoc eſſe Corpus, & Sanguinem: ſi intellexiſſet figuram Corporis, & Sanguinis, ſaltem ibi ſubſtitiſſet, neque addidiſſet, vos contemnitis Corpus, & Sanguinem; vos rei eſtis Corporis, & Sanguinis. Itaque adverſariorum noſtrorum plerique confugiunt ad quaſdam vagas, & genericas reſponſiones, quæ minime ſatisfaciunt. Poſita enim eorum ſententia, in Sacramento videlicet adeſſe tantum figuram Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI: quid prodeſt magnum hoc, diſtrictumque examen noſtrummet ipſorum, quod nobis Apoſtolus præcipit propter id, quod nobis licet facere in ſingulas diei horas, ſine aliquo examine? Quando enim jubemur noſmet probare, noſmet diligenter excutere, antequam Dei verbum audiamus, antequam oremus, vel meditemur, vel aliquem fidei actum eliciamus? Et nihilominus in omnibus his occaſionibus, ex Doctorum ſententia manducari poteſt, & re ipſa manducatur Caro Domini, tamquam in Euchariſtia: tamen quod diſcrimen a nobis inter utramque hanc manducationem fieri jubet Apoſtolus? Poſt hæc ambigitis adhuc de ſenſu horum verborum, Hoc eſt Corpus meum? Ambigitis, utrum contumelia afficiatur verum Domini Corpus, ubi indigne in Euchariſtia recipiatur? Ambigitis, utrum hoc fiat; eo quod non habitum fuerit diſcrimen Corporis Domini vere præſentis? De hoc ultra non eſt ambigendum. Vobis ſecretum aperit, quod nonniſi ab ipſo Deo potuit didiciſſe. Nam eo quod ita contumeliis affecerunt Corpus Domini, quod illud non diſtinxerunt, plures languent, vel infirmantur, & dormiunt multi. Hic nulla eſt amplius figura, hæc maxima eſt omnium realitatem: Divina Virtus manavit ex divino hoc Corpore ad eos puniendos, qui non diſtinxerunt illud, vel per languorem arti humanæ ignotum; vel per morbum inſignem, vel per ipſam mortem. Spiritus Evangelii Spiritus eſt manſuetudinis, veniæ, pacis; ſed non deſunt noxæ adeo impotentes, ut Evangelii a iſta patientia irritata furor evadit. Omnia ergo S. Pauli verba nobis adſtruunt ideam præſentiæ realis, ubi Divina Majeſtas pati non poterit, ſe inquinari illorum audacia, qui parum reverenter ad ſacram Synaxim accedunt.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententia Sanctorum Patrum hujus argumenti.

H*Æretici Euchariſtias, & oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Euchariſtiam eſſe Carnem Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* S. Ignatius in Epiſtola ad Smyrnenſes citata a Theodoreto.

Non ut communem panem, neque ut communem potum hæc ſumimus; ſed quemadmodum per verbum Dei incarnatus JESUS CHRISTUS Salvator noſter, & carnem, & Sanguinem pro ſalute noſtra habuit: ſic etiam per preces verbi Dei, ab ipſo Euchariſtiam factum cibum, illius incarnati JESU, & carnem, & Sanguinem eſſe edocti ſumus. S. Juſtinus in Apologia ad Antoninum Imperatorem.

Apoſtoli in commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt, præcepiſſe ſibi JESUM; eum enim, pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe, hoc facite in mei recordationem. Hoc eſt Corpus meum: *& poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis, dixiſſe.* Hic eſt Sanguis meus. Idem.

CHRISTUS, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit dicens: Hoc eſt Corpus meum, *& Calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti, novam oblationem quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo Mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat.* Sanctus Irenæus adverſus Hæreſes, lib. 4. cap. 18.

Quomodo conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, Corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinem ejus, ſi non ipſum fabricatoris Mundi filium dicant, id eſt verbum ejus; quomodo autem rurſus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore Domini & Sanguine alitur. Idem ibidem c. 34.

Quando ſanctum Cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temet ipſum imitare hunc Centurionem, & dic Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Homil. 5. in diverſa loca Evangelii.

Quis poteſt manducare Carnem, & Sanguinem bibere? Hæc erant, quæ audientes ii, qui ex Judæis Dominum ſequebantur, ſcandalizati ſunt. Sed populus Chriſtianus, populus fidelis, audit hæc, & amplectitur, & ſequitur eum qui dicit: niſi manducaveritis meam Carnem, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quia Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus. Eſt ergo ipſe vulneratus, cujus nos Sanguinem bibimus &c. Idem hom. 6. in Numeros.

Caro Corpore, & Sanguine CHRISTI veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur. Tertullianus lib. de Reſurrectione Carnis.

Panis iſte quem Dominus porrigebat diſcipulis, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro. S. Cyprianus ſerm. de Cœna Domini.

Veritatem præfiguratæ imaginis implevit. Idem Epiſtola 63.

Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus, eumdem ſine Sacramento manifeſtius edemus in Cœlo. Idem, ibidem.

CHRISTUS ait; Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo. De veritate Carnis, & Sanguinis Domini, non eſt relictus ambigendi locus. Sanctus Hilarius lib. 8. de Trinitate.

Nunc & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere Caro eſt, & vere Sanguis eſt: & hæc accepta atque hauſta id efficiunt, ut & nos in CHRISTO, & CHRISTUS in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat plane his verum non eſſe, qui CHRISTUM JESUM verum eſſe Deum negant. Idem ibidem.

Cum omni certitudine Corpus, & Sanguinem CHRISTI ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur Sanguis, ut ſumpto Corpore, & Sanguine CHRISTI efficiaris ei comparticeps Corporis CHRISTI. Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 4. Myſtag.

Chriſtophori erimus, hoc eſt CHRISTUM ferentes, cum ejus Corpus, & Sanguinem in membra noſtra receperimus. Idem ibidem.

Pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtui panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus CHRISTI, & vinum, quod a nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum ſed Sanguinem eſſe CHRISTI. Idem ibidem.

Cum CHRISTUS de pane pronuntiaverit, ac dixerit: Hoc eſt Corpus meum: *quis audebit deinceps ambigere? & cum idem ipſe tam aſſeveranter dixerit:* Hic eſt Sanguis meus: *quis unquam dubitaverit, ut dicat non eſſe ejus Sanguinem?* Idem ibidem.

Aquam olim vinum convertit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum Sanguine propinquitatem; & eum parum dignum exiſtimabimus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem tranſmutaverit? Idem ibidem.

Quamobrem non ſic hæc attendas velim, tamquam ſint nudus & ſimplex panis, nudum & ſimplex vinum: Corpus enim ſunt & Sanguis CHRISTI: nam etiamſi ſenſus illud tibi renuntiet, fides te confirmet. Ne judices rem ex guſtu, ſed te citra ullam ambiguitatem fides certum reddat quod ſis dignus factus, qui Corporis & Sanguinis CHRISTI particeps fieres. Idem ibidem.

Ne dubites, an hoc verum ſit, eo manifeſte dicente, Hoc eſt Corpus meum: *ſed potius ſuſcipe verba Salvatoris in fide, cum enim veritas ſit, non mentitur.* S. Cyrillus Alexandr. Epiſt. ad Caloſirium.

Quæ locutus ſum vobis, inquit CHRISTUS, Spiritus, & vita ſunt, quod proinde eſt, ac ſi diceret, Corpus meum quod oſtenditur & datur pro Mundo, in cibum dabitur, ut ſpiritualiter unicuique tribuatur, ut fiat omnibus tutamen, præſervatioque ad Reſurrectionem vitæ. Sanctus Athanaſius in illum Evangelii: Quicumque dixerit verbum contra filium hominis &c.

Abſit, ut de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui

Apoſtolico gradui ſuccedentes, Corpus CHRISTI Sacro ore conficiunt. Sanctus Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliodorum.

Præsbyteri ad quorum preces CHRISTI Corpus, Sanguiſque conficitur. Idem Epiſt. 85. ad Evagrium.

Nos audiamus panem quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis, eſſe Corpus Domini Salvatoris. Idem Epiſtolà 150.

Ipſe (CHRISTUS) conviva & convivium; ipſe comedens & qui comeditur. Idem Epiſt. 150. ad Hedibiam.

Quid eſt altare, niſi ſedes Corporis & Sanguinis Domini? .... Quid tam ſacrilegum quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis, frangere? Fregiſtis etiam Calices Sanguinis Domini portatores. Optatus Milevit. contra Parm.

In Sanguinis mentione (CHRISTUS) teſtamentum conſtituit Sanguine ſuo obſignatum. Tertullian. lib. 4. contra Marcionem.

Conſidera utrum præſtantior ſit panis Angelorum (nempe manna) an Caro CHRISTI, quæ utique Corpus eſt vitæ.... Forte dicas aliud video: quomodo tu mihi aſſeris quod CHRISTI Corpus accipiam &c.? S. Ambroſius lib. de initiandis cap. 9.

Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, CHRISTI ſermone conficitur. De totius Mundi operibus legiſti, quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt. Sermo ergo CHRISTI, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Idem Ibidem.

Quid hic quæris naturæ ordinem in CHRISTI Corpore: cum præter naturam ſit ipſe Dominus JESUS partus ex Virgine. Idem ibidem.

Caro Dei, & Sanguis Dei. Idem in Pſalm. 118.

Idem Sacerdos (CHRISTUS) Idem & hoſtia. Idem lib. de Fide c. 5.

Quantis utimur exemplis, ut probemus non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit? majoremque vim eſſe benedictionis quam naturæ; quia benedictione ipſa natura mutatur. Idem lib. de initiandis.

Sermo CHRISTI hoc conficit Sacramentum ... Non erat ante Conſecrationem Corpus CHRISTI, ſed poſt Conſecrationem dico tibi, quod Corpus CHRISTI eſt, quia ipſe dixit & factum eſt. Idem lib. 4. de Sacram. cap. 4.

Si Verbum Dei efficax eſt, omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo & in terra, non poterit panem Corpus ſuum facere, & vinum Sanguinem. Idem lib. 4. de Fide cap. 14.

Suſcepit JESUS de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne. Hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam Carnem manducat, niſi prius adoraverit. S. Auguſtinus Homil. in Pſalm. 98.

Panis ille, quem videtis in altari, Sanctificatus per Verbum Dei, Corpus eſt CHRISTI, Calix ille, immo quod habet Calix ſanctificatum per verbum Dei, Sanguis CHRISTI eſt. Per iſta voluit Dominus commendare Corpus & Sanguinem ſuum, quem pro vobis fudit in remiſſionem peccatorum. Idem Serm. de diverſ.

Loco Sacrificiorum cruentorum, CHRISTUS JESUS dedit nobis Sacrificium rationabile, myſticum, incruentum in mortis ſuæ commemorationem. Idem lib. 10. de Civit. cap. 20.

Summum, verumque Sacrificium, cui cuncta Sacrificia falſa ceſſerunt. Idem ibidem.

CHRISTUS qui ſemel immolatus eſt in ſe ipſo, in Sacramento quotidie populis immolatur. Idem Epiſt. 23. ad Bonifacium.

Ut panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus eſt homo, Idem in Pſalm. 34.

Verbum illud quo paſcuntur Angeli, quod eſt æquale Patri, manducavit homo. Idem conc. 2. in Pſal. 33.

Incarnatur panis, & trajicitur per mamillam, ut veniat ad infantem: Incarnatur Verbum, & trajicitur per Euchariſtiam, ut veniat ad hominem. Idem in Pſ. 33. conc. 1.

Victima qua triumphatur hoſtis. Idem lib. 9. Confeſſion.

Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis CHRISTI. Idem lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.

Tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſideravit, unde ſciret diſpenſari victimam Sanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis. Idem lib. 9. Confeſſionum ubi de Matre ſua loquitur.

Et ferebatur manibus ſuis. *Hoc quomodo fieri poſſet in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram non invenimus, in CHRISTO autem invenimus. Ferebatur enim CHRISTUS in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait* Hoc eſt Corpus meum. *Ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis.* Idem in Pſalm. 33.

Nemo Carnem illam manducat, niſi prius adoraverit; inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum, & non ſolum non peccetur adorando, ſed peccaretur non adorando. Idem in Pſalm. 89.

CHRISTUS ſinit Judam inter innocentes Diſcipulos accipere, quod fideles norunt pretium noſtrum. Idem Epiſt. 162.

Corpore, & Sanguine quo quotidie in Eccleſia paſcimur & potamur, participes unius ſummæ tactionis efficimur. Idem lib. de merit. & remiſſ. c. 14.

Adoravit CHRISTUM MARIA, adoraverunt & Apoſtoli, adoraverunt & Angeli Dei, de quibus ſcriptum, & adorent eum omnes Angeli ejus. Adorant autem non ſolum divinitatem ejus, ſed etiam ſcabellum pedum ejus, quia ſcriptum eſt; & adorate ſcabellum pedum ejus quoniam Sanctum eſt. *Itaque per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem Caro CHRISTI, quam hodie quoque in Myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino JESU, ut ſupra diximus, adorarunt.* Sanctus Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 12.

Sicut Verus eſt Dei Filius Dominus noſter JESUS CHRISTUS: non quemadmodum homines per gratiam, ſed ſicut Filius ex ſubſtantia Patris, ita vera ejus Caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus ejus Sanguis, quem potamus. Idem lib. 6. de Sacrament.

Tangamus etiam nos fimbriam veſtimenti ejus, vel potius ſi volumus ipſum totum habeamus; non enim veſtis ſolum, ſed Corpus ipſius nobis propoſitum eſt, non ut tangamus ſolummodo, ſed ut comedamus, & ſaturemur. Gregorius Magnus lib. 4. Dial. c. 17.

Victima ab æterno interitu animam ſalvans. Idem Ibidem c. 58.

Immolatio ſacræ oblationis pro mortuis. Idem ibidem cap. 55.

Hoſtia placationis. Idem homil. 34. in Evangel.

Sacrificium quod Angeli venerantur. Idem homil. 13. in Epiphan.

Per externum ſacrificium illud, quod per panem, & vinum peragitur, intellige, quæ quidem in ſacra Menſa propoſita ſunt per ineffabilem quamdam Omnipotentis Dei vim, & facultatem in CHRISTI Corpus, & Sanguinem commutantur. Elias Cretenſis in Comment. in S. Gregorium Nazianzenum.

Oportet autem ſicut exitiale, ita etiam ſalutare medicamentum admitti inter viſcera hominis; quid ergo hoc eſt? nihil aliud, quam illud Corpus, quod & morte oſtenſum fuit eſſe potentius, & noſtræ vitæ fuit initium. S. Gregorius Nyſſenus Epiſt. cathec. 37.

Recte ergo nunc quoque Sanctificatum panem in Dei Verbi Corpus credo tranſmutari; hic enim panis, ſicut dicit Apoſtolus, ſanctificatur per Verbum Dei, & Orationem, non eo quidem, quod cibo mediante in Verbi Corpus evadat, ſed quod ſtatim in Verbi Corpus tranſmutetur, ſicut dictum eſt a Verbo, Hoc eſt Corpus meum. *Hoc autem dat virtute benedictionis in illud, tranſelementata eorum, quæ apparent, natura.* Idem ibidem.

Corpus noſtrum conſequitur immortalitatem Corporis CHRISTI immortali conjunctum. Idem orat. cathec. cap. 37.

Præoccupans impetum Judæorum, ſeipſum victimam offert, idem ſimul Sacerdos & agnus. Idem orat. de Reſurr.

Sacrificium Deo dignum. Idem ibidem. *Cibus cæleſtis.* Ibidem.

Quia Corpus aſſumpturus erat in oculis noſtris, & ſyderibus illaturus, neceſſarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui conſecraret, ut coleretur jugiter per Myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium. Euſeb. Emiſſen. Homil. 5. de Paſchate.

Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe etiam teſtis veritatis. Ibidem loquitur de Euchar.

Perpetua Redemptoris oblatio. Ibidem.

Agnus incruente a Sacerdotibus immolatus. Concil. Nicænum Secundum.

Panis factus in Virgine Cæleſtem cibum quotidie ſubminiſtrans in altari. Petrus Chryſologus Sermone 67.

Quomodo dum cæleſte illud donum ſumo, ſupplex adoro. Joannes Climacus Grad. 17.

Hoc quod videtis in altari Dei, panis eſt, & calix: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt Corpus CHRISTI, Calix Sanguis CHRISTI. S. Fulgentius ad B. Terrandum.

Quod pro nobis CHRISTUS aſſumpſit, totum nobis in Sacramento reliquit: alii hæredibus ſuis ſua tribuunt, ille ſemetipſum, id eſt Carnem & Sanguinem Corporis ſui. Sermo Sancti Aviti Viennenſ. Epiſcopi.

Ignis

Ignis ſpiritualis de Cœlo deſcendit, Sanguis in cratere in tuam Purificationem, ex Immaculato latere hauſtus eſt, & non confunderis, num vides panem? num vinum? vadunt num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum? Abſit, nec ſic cogites. Pura Myſteria conſumi Corporis ſubſtantia. Joann. Epiſcop. Jeroſol. Serm. de Euchariſtia.

Fidei oculum qui poſſidet, manifeſte ac lucide intuetur Dominum, & tota pleniſſimaque fide, Sanctiſſimum agni Immaculati, Unigeniti filii Cœleſtis Patris Corpus manducat, & Sanguinem bibit, haudquaquam curioſe divinam ſanctamque fidem perſcrutans. Sanctus Ephrem de natura Dei non curioſius ſcrutandi.

Quotquot hujus Corporis participes efficimus, & quotquot Sanguinem degaſtamus, cogitare debemus quod illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur, degustamus. Chryſoſtomus Homil. ad popul. Antiochen. & variis aliis locis.

Credamus Deo, nec repugnemus ei, etiam ſenſui & cogitationi abſurdum eſſe videatur. Idem homil. 24. in Matth.

Non fide tantum, ſed reipſa, non tantum per Caritatem, verum reipſa in illam miſcemus Carnem. Idem Homil. 83. in Matth. & Homil. 45. in Joannem.

Quot nunc dicunt, vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta; ecce nunc vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Idem Homil. 60. ad Populum Antiochenum.

Vere, inquit Dominus, Caro mea vere eſt cibus: ne obſcure locutum, & in parabolis, audientes arbitrarentur. Idem hoc loco.

Ne animo concidamus: neque lamentemur, neque difficultatem temporum timeamus; qui enim Sanguinem ſuum pro omnibus effundere non recuſavit, & Carnem ſuam, & rurſus ipſum Sanguinem nobis communicavit, quid pro noſtra ſalute facere recuſabit? Idem Homil. in Sanctum Euſtachium.

Unicuique Fidelium CHRISTUS ſemetipſum per Myſterium commiſcet, hoc rurſum ſibi perſuadens, quod Carnem tuam aſſumpſit. Idem homil. 83. in Matth.

Quis Paſtor oves proprio paſcit cruore? Ipſe autem (CHRISTUS) nos proprio paſcit Sanguine, & nos ſibi per omnia coagmentat. Idem homil. 83. in Matth.

Caro non prodeſt quicquam, non de Carne ſua dicit, abſit; ſed de carnali intelligentia. Idem Homil. 6. in Joannem.

Myſterium, quo terra nobis eſt Cœlum. Idem Homil. 24. in 1. Epiſt. ad Cor.

Sacrificium quod ſtupent Angeli. Idem Homil. 13. in Epiſt. ad Epheſios.

Sacrificium ſumme venerandum. Idem in Pſalmo 95.

Hoc Corpus nobis ad comedendum dedit, quod fuit immenſæ dilectionis. Idem Homil. 24. in primam ad Corinth.

Scitote firmiter & credite veraciter, quod ſicut Caro CHRISTI quam aſſumpſit in utero Virginis verum Corpus eſt, ita panis quem quotidie conſecrant Sacerdotes, verum eſt Corpus CHRISTI. S. Eligius, qui florebat mille ab hinc annis.

Sancta Sanctorum ſunt proprie CHRISTI Myſteria, quia ipſius eſt Corpus de quo Gabriel ad Virginem dicebat: quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. S. Eſychius Presbyt. Jeroſolymit.

Qui licet ſit in Patris dextera conſtitutus in eadem tamen Carne, quam ſumpſit ex Virgine Sacramentum propitiationis exequitur. Sanctus Leo Papa Serm. 6. de Jejunio.

Judæi manna manducaverunt, nos CHRISTUM. Judæi carnes avium, nos Corpus CHRISTI. Judæi pruinam Cœli: nos Deum Cœli. Salvianus lib. 2. ad Eccleſ. Cathol.

Panis ille incorruptibilis, qui de Cœlo deſcendit, ut Verbum Dei eſſet eſca hominum, ſicut cibus eſt Angelorum. S. Proſper.

Integra replerentur volumina, ſi quis omnes vellet colligere locos Patrum perſpicue, ac diſtincte loquentium de reali Corporis Filii Dei præſentia. Satis rati ſumus celebriores afferre eorum, qui omnibus Seculis vixerunt, licet non ita ad unguem temporum ordo ſervatus fuerit. Invenientur etiam alii loci in *Tomo Secundo Myſteriorum*, ubi de Euchariſtia agimus, quatenus Sacrificio, & Sacramento.

PARAGRAPHUS V.

Quid depromi valeat ex Theologia, pertinens ad Realitatem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtia.

Duæ præcipuæ veritates, quæ in S. Sacramenti Inſtitutione continentur.

PRæcipuæ veritates duæ ad Euchariſtiæ Myſterium ſpectantes ſunt præſentia realis Corporis, & Sanguinis Filii Dei in Sacramento, & mutatio ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, Sanguiniſque ejuſdem Filii Dei, quæ Tranſubſtantiatio appellatur. Duæ hæ veritates in hoc Sacramento ſeparari non poſſunt; & ſecunda priorem neceſſario conſequitur; juxta vim, & ſignificationem verborum per quæ Dei Filius illud inſtituit. Utraque in Eccleſia tamquam invicem inſeparabiles habitæ ſunt, quod liquet ex Scriptis Patrum plurimorum, qui tamquam certum principium poſuere, præſentiam Filii Dei in Euchariſtia fieri per converſionem panis, & vini in Corpus & Sanguinem ejus; quam converſionem tranſmutationem, atque tranſelementationem vocarunt, & quam comprobarunt exemplis plurium converſionum, quas operatus eſt Deus de una in aliam ſubſtantiam:

Verba Inſtitutionis Euchariſtiæ palam probant realitatem Corporis, & Sanguinis Domini.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.
1. Cor. 11.

Verba Inſtitutionis divini hujus Myſterii palam probant quod credimus de Euchariſtia. Verba hæc referuntur a S. Matthæo, S. Marco, S. Luca, S. Paulo. Accepit panem, inquiunt, benedixit, deditque diſcipulis ſuis: *Accipite, & manducate, hoc eſt enim Corpus meum:* & mox accepto Calice gratias egit & dixit: *Accipite, & bibite, hic eſt enim Calix Sanguinis mei &c.* Nemo autem negare poteſt hæc verba eſſe perſpicua, cum concepta ſint terminis ſimplicibus, facilibus, atque unicuique intelligibilibus. *Accipite, manducate, Hoc eſt Corpus meum.* Poterat ne clarius loqui JESUS CHRISTUS, ut intelligeremus ipſum dediſſe Apoſtolis ſuis verum Corpus Sanguinemque ſuum ſub ſpeciebus, & figura panis, & vini? quibus clarioribus verbis uti poterat, quam dicens: *Hoc eſt Corpus meum: hic Sanguis meus*, utque oſtenderet ſe intelligere de reali, ac vero Corpore ſuo, non autem ſolum de figura, addit apud S. Lucam, *quod pro vobis traditur.* At dedit ille nobis verum Corpus ſuum, non autem figuram Corporis ſui; & quod ſpectat ad Sanguinem addit in S. Matthæo: *Hic eſt Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum;* quibus verbis vult ab Apoſtolis intelligi, id, quod in calice ipſis bibendum exhibet effuſum iri in remiſſionem peccatorum. At Sanguis illius effuſus eſt pro hac remiſſione, non vinum; ideoque intelligendum eſt illum dare Sanguinem, non vinum. Quæ veritas magis adhuc illuceſcit in verbis Conſecrationis Calicis, quæ a S. Luca ita referuntur: *Hic eſt Calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur;* ubi notandum eſt verbum illud (*qui pro vobis fundetur*) non referri ad Sanguinem, *ſed ad Calicem*, ut ſenſus ſit: *qui Calix funditur pro vobis.* At Calix vinum duntaxat continens pro nobis non funditur, neque in remiſſionem peccatorum; & vehementer erraret, qui id diceret; ergo Calix, qui pro nobis effuſus eſt, vere continet Sanguinem Filii Dei.

Compendium eorum, quæ credit, & credi jubet Eccleſia in Euchariſtia.

Docet Eccleſia poſt Conſecrationem JESUM CHRISTUM Dominum noſtrum verum Deum, verumque Hominem vere, & ſubſtantialiter contineri ſub ſenſibilibus panis, & vini ſpeciebus. Panem fieri Corpus, & vinum Sanguinem ejus inviſibili mutatione, quam tranſubſtantiationem dicimus, quæ eodem in ſtatu relinquit id, quod ſpecies vocamus; videlicet quidquid extrinſecus in pane, & in vino videtur, puta colorem, guſtum, magnitudinem, figuram. Panis, & Vinum ibi non ſunt amplius, quia JESUS CHRISTUS non dixit, hic eſt Corpus meum, *ſed hoc eſt Corpus meum.* Conſecratio mutat panem in JESU CHRISTI Corpus; & quia Corpus hoc eſt vivens, & Corpus Hominis Dei, ideo eſt cum Sanguine, anima, & divinitate, hoc eſt, ibi eſt JESUS CHRISTUS totus, & integer; & ſimiliter vini ſpecies mutata eſt per Conſecrationem in Corpus JESU CHRISTI, quia hic ſuper Calicem dixit: *Hic eſt Sanguis meus;* ſed cum Sanguis hic ſit Sanguis hominis viventis, & Hominis Dei, ibi eſt etiam cum Corpore, anima, & divinitate JESU CHRISTI; itaque totus eſt integer ſub utraque ſpecie: cumque poſtquam panem fregerat, dixerit, *hoc eſt Corpus meum*, credimus etiam poſt fractionem hoſtiæ, ſingulas illius partes Corpus integrum continere, cum diviſio facta fuerit tantum in ſpeciebus panis, non autem in Corpore, quod continent. Hoc ipſum dicendum eſt de vino converſo in Sanguinem Filii Dei. Redeamus modo ad Apoſtoli textum. *Hoc eſt Corpus meum, quod traditur pro vobis;* in S. Luca legimus; quod traditur, & in Græco S. Pauli textu; quod frangitur pro vobis. Corpus CHRISTI tunc morti tradendum erat, atque cruciatibus diſcerpendum, ſed ex eo tempore JESUS CHRISTUS dabat illud Apoſtolis, & frangebat illis Cœleſtem hunc panem per fractionem ſpecierum, ſub quibus illud iis diſtribuebat, hoc enim adhuc quotidie dicitur in Miſſa. Corpus JESU CHRISTI ibi vere da-

tur vobis, quia eſt Sacrificium, ubi Filius Dei offertur & in quo ipſe offert ſemetipſum Patri ſuo pro noſtra ſalute. Sacerdos ibi etiam frangit hoſtiam, quam communicaturus eſt ob ſervandos ritus omnes, quos ipſe JESUS CHRISTUS in hujus Myſterii Inſtitutione ſervavit; & olim frangebatur Fidelibus, quod illis diſtribuebatur; unde factum eſt, ut Sacramenti hujus celebratio ævo Apoſtolorum *fractio panis* appellaretur; neque dicatur, hunc dicendi modum innuere panem tantummodo frangi, non autem Corpus JESU CHRISTI; nam præter Corpus JESU CHRISTI, qui dixit, hoc eſt Corpus meum; teſtatur Apoſtolus, panem, quem frangimus, eſſe Communionem JESU CHRISTI; adeo realiter, & ſubſtantialiter eſt in hoc Sacramento.

Facite in meam commemorationem. Hæc verba non ſunt figurata.

Cum JESUS CHRISTUS inſtituit Sacramentum Corporis ſui, juſſit Apoſtolos ſuos eadem facere per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Comedebatur agnus Paſchalis in memoriam exitus de Ægypto, & JESUS CHRISTUS verus agnus comeditur in memoriam ejus, & mortis ejuſdem, qui nos a peccato liberavit. Ipſe dat ſemetipſum nobis, ut meminerimus illius, & ne excidat nobis Sacrificii cruenti, quo noſtra expiavit peccata, recordatio, illud ſingulis diebus incruente perennat in Miſſæ celebratione. Hæc igitur non aliud eſt, quam figura, inquiunt Hæretici, & repræſentatio quandoquidem fit in memoriam; ſed eſt repræſentatio, continens rem repræſentatam. Recipitur JESUS CHRISTUS ſub ſpeciebus panis, ad repræſentandum nobis JESUM CHRISTUM in Cruce patientem, & pro noſtrorum criminum remiſſione morientem; animadvertendum quippe eſt Deum cum hominibus agere in triplici diverſo ſtatu, ac triplici diverſo modo, quotum ſinguli ſingulis ſtatibus illis reſpondent. In veteri enim Teſtamento dat ſolum figuras, quæ veritatem repræſentant; in æterna vita dat ſolum veritatem apertam, nullis integumentis involutam; in novo autem Teſtamento velaminibus tectam nobis exhibet veritatem. JESUS CHRISTUS cibus hominis omni tempore, in veteri Teſtamento ſolum per fidem comedebatur; poſt Mortis ſuæ pervigilium comeditur, & reipſa, & per fidem; recipitur Veritas antiquis Sacrificiis præfigurata, & modus, quo recipitur, licet realis ſit, tamen ſignum eſt, ſi ratio habetur modi illius, quo poſſidebitur in gloria, qui quidem modus paſſim in Scripturis exprimitur ſub imagine pretioſi convivii. Hinc Eccleſia Euchariſtiam vocat convivium, in quo recipiendo reabter JESUM CHRISTUM, memoria Paſſionis ejus recolitur, & futuræ felicitatis pignus recipitur. In Cælo nulla erit amplius fides, quia nulla amplius erit obſcuritas. Chriſtifidelis poſſidet illum, cujus nonniſi figuram habebant Judæi. Beati poſſident illum, quem habemus, ſed poſſident ſine velis; nos vero inter Judæos & Beatos medii ſumus utrorumque participes; habemus enim velamina, quæ Judæorum erat portio, & veritatem, quæ eſt pars Beatorum.

Inſtitutionis verba probant non ſolum J. C. præſentiam, ſed etiam panis, & vini in Corpus illius mutationem.

Magni momenti veritas eſt, & hoc in argumento non prætermittenda: Verba Conſecrationis cum panis, tum vini, ubi in proprio ſenſu accipiuntur, uti accipienda ſunt, non autem in ſenſu improprio, & figurato, ut adverſarii contendunt, non ſolum probant realem Corporis, Sanguiniſque Dominici in hoc Sacramento præſentiam, verum etiam converſionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem ejuſdem Filii Dei. Et ratio eſt, quia hæ propoſitiones, *Hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus*, veræ non eſſent, ſi panis, & vinum in ſubſtantia ſua permanerent; hic enim earum ſenſus eſſet: *hic panis eſt Corpus meum: & hoc vinum eſt. Sanguis meus* .... Sed hic ſenſus fallax eſt, & haberi non poteſt; quia nequit verum eſſe dicere, quod panis, panis eſſe perſeverans, ſit Corpus CHRISTI .... & aperta eſt contradictio, dicere, panem, qui ante Conſecrationis verba non erat Corpus JESU CHRISTI, evadere, & fieri Corpus JESU CHRISTI poſt verba prolata, quin mutatus fuerit vere in Corpus JESU CHRISTI: hoc enim eſt mutari, & non eſſe. Neque prodeſt dicere, fieri mutationem per verba in hoc, quod Corpus Filii Dei ponitur ſimul cum pane; quia mutatio iſta non ſufficit, ut vere dici poſſit, panem eſſe Corpus Filii Dei. Ita Filius Dei vere dicere non potuiſſet: *Hoc eſt Corpus meum*, ſed ſolum *hic*, hoc eſt in pane hoc, *eſt Corpus meum*. Præter quam quod omnes Sancti Patres, & Eccleſia univerſa, ſemper Inſtitutionis verba explicuerunt, quemadmodum nos illa hic explicamus.

De mutatione panis & vini in Corpus, & Sanguinem J. C.

Fieri neceſſe eſt mutationem in pane, & vino per vim verborum, & per Omnipotentiam Dei per illa operantis, ita ut eo, quo prolata ſunt momento panis mutatus ſit in Corpus Salvatoris, & vinum in Sanguinem; & iſte ſit ſenſus eorum. Hoc, videlicet, quod vobis exhibeo, *eſt Corpus meum*; quæ verba non theoretica ſunt, ſed practica, & efficientia, ac producentia id, quod ſignificant. Si hæc verba Inſtitutionis minus eſſent perſpicua, & ſi quam relinquerent obſcuritatem, ut de hac mutatione dubitandum eſſet; nobis certa adhuc ſupereſſet ratio ad verum illorum ſenſum intelligendum, & ea, quæ inde conſequuntur; videlicet ad antiquitatem confugere, & videre, quo in ſenſu priſci acceperint illa; & quid inde fuerint argumentati; juxta præclarum illum Vincentii Lirinenſis canonem; *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus* creditum eſt, id eſſe tenendum. Sed recenſere hoc in loco, quod nobis antiquitas tradidit, operis eſt infiniti; & ſatis, ſuperque eſſe poſſunt ea, quæ ſuperiore Paragrapho a nobis dicta ſunt.

Vincentius Lirinenſis comm. cap. 3.

Quænam ſit forma Sacramenti Euchariſtici.

Evangeliſtæ S. Matthæus, & S. Lucas, immo etiam S. Paulus Apoſtolus docent, hujus Sacramenti formam in his verbis conſiſtere. *Hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus*. Legimus enim in Evangelio, illis manducantibus: *Accepit, JESUS panem, benedixit, fregit, deditque illum Diſcipulis ſuis dicens, accipite, & manducate; hoc eſt enim Corpus meum*. Cum ergo Salvator uſus fuerit hac forma panem conſecrans, Eccleſia Catholica deinceps ſemper hoc facere conſuevit. Ubi Theologi quidam ita argumentantur; quod innuit, & ſignificat, & operatur in Sacramento, pro illius forma neceſſario habendum eſt: ſed verba hæc innuunt, ſignificant, & operantur in Euchariſtia, converſionem videlicet panis in verum Corpus Filii Dei; ideo opus eſt, ut hujus Sacramenti forma in his verbis conſiſtat. Et licet Evangeliſta præmittat verba illa: *accipite, & manducate*; liquet tamen illa non indigitare formam Conſecrationis materiæ, ſed uſum tantum faciendum illius.

Monita circa [illegible] Sacramenti.

Operæ pretium eſt noſſe, in præſenti uſu Eccleſiæ & adorabilis Sacramenti hujus inſtitutione plures variare circumſtantias ab illis, quas JESUS CHRISTUS in ſua Inſtitutione ſervavit; nihilominus nobiſmet perſuadere debemus, 1. Eccleſiam Catholicam non ſolum errare non poſſe, immo neque reprehendi cum Dei Spiritu acta quin Sacramentorum ſubſtantiam attingat, quædam mutat in eorum adminiſtratione, quæ cenſet neceſſaria, ſeu propter reverentiam, & venerationem, quæ iiſdem Sacramentis debetur, ſeu propter ſpiritualem fructum eorum, qui illa recipiunt pro varietate temporum, & locorum; ſed e contra hujuſmodi in occaſionibus prudentiſſime uti jure ſuo. 2. Nobis etiam perſuaſum eſſe decet, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento non ſolum JESUM CHRISTUM totum integrum contineri ſub qualibet ſpecie; ſed etiam quoad fructum, atque utilitatem Sacramenti nullam deeſſe gratiam neceſſariam ad ſalutem eorum, qui illud ſub una tantum ſpecie recipiunt, ideoque fideles omnes qui adhærent unitati Eccleſiæ rejicere debere illos, qui dicunt, non recipi totum JESUM CHRISTUM ab illis, qui unam tantummodo ſpeciem recipiunt. 3. Mirum non eſſe ſi poſt Conſecrationem Euchariſtiæ panis adhuc nomen tribuatur: quia id fit tantum quod ſervat adhuc ſpecies panis, ac retinet proprietatem, ac virtutem alendi Corpus, quæ propria eſt virtus panis; præter quam quod hæc eſt Scripturarum conſuetudo res appellandi, prout extrinſecus eſſe videntur; ut liquet ex Geneſi, ubi legimus tres viros apparuiſſe Abrahæ, licet tres eſſent Angeli.

Quæ mutatio fiat in Euchariſtia, & cur Tranſubſtantiatio vocetur?

Quantumvis arduum ſit explicare modum, quo fit miraculoſa mutatio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Filii Dei; hoc tamen explanari poteſt iis, qui aliquantulum profecerunt in cognitione divinarum veritatum; timendum enim eſſet, ne qui imbecilles ſunt adhuc, ac minus eruditi ad aſpectum veritatis adeo admirabilis ſuccumberent. Hoc igitur miraculum in hoc ſitum eſt, quod ſubſtantiæ panis, & vini mutentur per effectum Omnipotentiæ Dei in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, quin in illo aliqua immutatio contingat. Nam JESUS CHRISTUS non iterum generatur, neque ullam patitur mutationem, neque ullum recipit augmentum in hoc Sacramento; ſed manet integer, qualis eſt in ſeipſo. Hinc jure admirabilis illa mutatio ab Eccleſia Catholica Tranſubſtantiatio vocatur, quod Sacra Tridentina Synodus animadvertit. Nam ſicuti naturalis generatio vocari proprie, & vere poteſt transformatio, quia fit formæ mutatio; ſimiliter quia in Euchariſtiæ Sacramento ſubſtantia unius rei tranſit in ſubſtantiam alterius, Patres noſtri ſcite, ac prudenter adinvenerunt nomen Tranſubſtantiationis ad mutationem hanc innuendam. Cavendum eſt tamen quemadmodum S. Patres ſæpe commendaverunt: ne nimis curioſius perquiramus modum, quo fit hæc immutatio, hoc enim mente ſatis aſſequi non poſſumus, & omni caremus exemplo æque in mutatione naturæ, æque in creatione. Ita ſufficit cognoſcere per fidem, quid ſit iſta mutatio, nec unquam curioſius inveſtigare modum quo fit.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. & can. [illegible]

Quomodo J. C. contineatur in Sacramento.

Tenere etiam opus eſt modum, quo JESUS CHRISTUS continetur in hoc Sacramento, neque enim ibi eſt eo modo quo Corpus eſt in loco; res enim in loco eſſe dicitur, cum aliquam habet extenſionem. Nos autem non dicimus JESUM CHRISTUM eſſe in hoc Sacramento tamquam magnum, vel parvum, hoc enim pendet a quantitate, ſed quatenus eſt ſubſtantia. Etenim Subſtantia panis mutatur in ſubſtantiam, non autem in magnitudinem, vel in quantitatem Corporis JESU CHRISTI. Cum ergo Corpus Domini noſtri ſubeat in locum ſubſtantiæ panis, ad quam nihil pertinet, utrum in magna, vel modica ſit quantitate; ita indifferens eſt Corpori Salvatoris majorem minoremve extenſionem occupare.

Cum

Digitized by Google

Per hæc verba: Hic Calix novi Teſtamenti eſt in meo Sanguine, oſtendit ſe loqui de vero illius Sanguine.

Cum dixit JESUS CHRISUS, *Hic eſt Sanguis meus*, nobis dedit Sanguinem ſuum ſub ſpecie vini, quemadmodum ſub ſpecie panis dederat Corpus ſuum: quoniam non bene repleſſet figuram, ſi Apoſtolis ſuis dediſſet tantum Sanguinis ſui ſpecies, quin rem ipſam addidiſſet. Et ſane eo in Convivio Dominus replebat omnes veteris Teſtamenti Figuras, quemadmodum per cruentam mortem repleturus erat id, quod figurabant victimæ, quarum Sanguis effundebatur. Cum autem Iſraelitæ egreſſi ſunt de Ægypto, Deus illis legem irrogavit, eiſque imperatum fuit, ut offerrent Sacrificia ſanguinis, quorum pars ſuper altare effuſa eſt, & pars reliqua ſuper populum ad ſignandum fœdus reciprocum Deum inter & illos. Et Moyſes cruorem hunc ſuper illos effundens dixit eis: hic Sanguis eſt fœderis, quod cum vobis Dominus iniit. Hoc autem fœdus non erat niſi alterius longe præſtantioris figura, cujus leges futuræ erat perfectiores, merces uberior, & cultus maxime ſpiritalis. Vetus deſiturum erat, recens ſemper permanſurum; illud a Moyſe Dei ſervo inſtitutum fuit; ſed Deus novi hujus fœderis miniſtrum eſſe voluit JESUM CHRISTUM filium ſuum. Illud igitur confirmare debebat non ſecus ac vetus, non autem brutorum cruore, alioquin nullum interceſſiſſet diſcrimen: oportebat ergo, ut fœdus hoc adeo perfectum confirmaretur, atque conſecraretur Sanguine ipſius, quemadmodum ipſe dixit non autem per Sanguinem in figura: *Calix novi Teſtamenti in Sanguine meo*. Quibus verbis cum adjiciuntur alia Salvatoris, quæ capite 6. S. Joannis referuntur: *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*, duo ſimul videntur: primum quidem promiſſio dandi Corpus, & Sanguinem ſuum: promiſſio quæ quidem ita perſpicuis terminis facta eſt, ut quælibet explicatio illi offundat caliginem; alterum vero ſuam exequitur promiſſionem; *Calix novi Teſtamenti in Sanguine meo*. Nonne igitur inferendum eſt hic verum JESU CHRISTI Sanguinem dari, & promitti?

Exod. 24.

In Euchariſtiæ Sacramento fides tantum audienda eſt, non vania Philoſophiæ argumenta.

Joann. 6.

Fides ſimplex omnis curioſitatis inimica Chriſtianum in JESU CHRISTI verbo confirmat, omnes aufert dubitationes, animam ſedat. Ita S. Petrus per fidem hanc in qua alios erat confirmaturus, illos in hanc in adorabili Myſterio confirmavit, dicens JESU CHRISTO divina hæc verba, a nobis adoptanda, quia Caput dixit illa pro membris omnibus: *Domine, ad quem ibimus? quoniam tu verba vitæ æternæ habes*. Fides igitur in divina Euchariſtia ſatis vigilare non poteſt ad inquietam hanc Philoſophiam coercendam, quæ explicatura quod credit, ſæpe ad nihilum redigit id, quod credendum eſt. *In ſimplicitate fides eſt*, S. Hilarius inquit, *non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat*. Novatores poſtquam canonem hunc contempſerunt in ſcopulum alliſi ſunt, & naufragium fecerunt, omnia redigentes, ad quæſtiones Philoſophicas, omnia intelligere volentes, omniaque ſecundum ſenſum ſuum explicantes amiſerunt fidem, & rati ſe diſſipaſſe Myſticas tenebras, quibus magnum hoc Sacramentum involutum eſt, nobis ſuppeditarunt invictum contra ſe ipſos argumentum, ſe a veritate aberraſſe, quia opus eſt, ut Euchariſtia omnium ſæculorum decurſu ſit Myſterium fidei, videlicet noſtræ rationi incomprehenſibilis. Sed fatendum eſt nihil dignius eſſe pietate fidelium, quam arbitrari ſatius eſſe colere, & revereri auguſtum hoc Sacramentum, quin velint nimis perſcrutari veritates adeo ſublimes, atque difficiles, ſimulque profitendum divino Providentiæ, atque Sapientiæ Dei conſilio inſtitutum fuiſſe, ut ſacra hæc Myſteria ſub ſpeciebus panis, & vini adminiſtrarentur, qui quidem vulgaris cibus eſt noſter, & quo uti oblectamur; quia nullus eſt homo, qui ſuapte natura non perhorreſcat veſci humana carne; & humanum ſanguinem bibere.

S. Hilar. l. 10. de Trinit.

Quo mutationis genere ſubſtantia panis, & vini non permaneat amplius poſt Conſecrationem.

Si verum eſt poſt Conſecrationem verum JESU CHRISTI Corpus eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, ſequitur neceſſario ſicut ibi antea non erat, hoc contingere debere vel per loci mutationem, vel per novam creationem, vel per alterius ſubſtantiæ mutationem, & converſionem in ſubſtantiam ſuam. Sed certum eſt fieri nequaquam poſſe ut JESU CHRISTI Corpus ſit in hoc Sacramento per mutationem loci, videlicet ut ab uno in alterum locum accedat; alioquin oporteret, ut Cælum relinqueret; nihil enim de uno in locum alterum tranſire poteſt quin deſerat locum, in quo eſt: ac minus adhuc fidei conſonum eſt, neque in mentem cujuſquam venire poteſt, id fieri per novam creationem Corporis JESU CHRISTI in Euchariſtia; reliquum eſt ergo id per ſubſtantiæ mutationem fieri; cum panis ſubſtantia mutetur in Domini Corpus, & poſt Conſecrationem non amplius ſubſiſtat. Quæ res impulit Patres Generalis Concilii Lateranenſis, ac Florentini, veritatem hanc declarare, & confirmare, Decretis perſpicuis, apertiſque, effecitque ut Synodus Tridentina clarius per hæc verba ſtatueret: *Si quis dixerit in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini una cum Corpore, & Sanguine Domini noſtri JESU CHRISTI .... anathema ſit.*

Concil. Lateranenſe cap. 2. Conc. Trident. Seſſ. 13. Can. 2.

J.C. in Euchariſtia eſt tamquam homo, & Deus.

Non ſolum verum JESU CHRISTI Corpus, quidquid proprium eſt humani Corporis, ſed ipſe JESUS CHRISTUS totus integer in hoc Sacramento continetur. Itaque cum JESUS CHRISTUS ſit nomen perſonæ, quæ ſimul Deus & homo eſt, videlicet in qua Divina ſimul, & humana natura conjunctæ ſunt, & quæ utramque complectitur ſubſtantiam cum proprietatibus ſuis, credendum nobis eſt, Divinitatem, & omnem humanam naturam, quæ conſtat anima, omnibuſque partibus Corporis, & Sanguine, in hoc Sacramento contineri. Ita ut ſicuti in Cælo humanitas tota conjuncta eſt cum Divinitate in una tantum perſona, ambigere nefas ſit, quominus JESU CHISTI Corpus conjunctum ſit Divinitati in hoc Sacramento. Nihilominus obſervandum eſt hæc omnia non eodem modo in Euchariſtia contineri. Alia enim ibi ſunt, vi verborum Conſecrationis ejuſdem; cum enim hæc verba operantur quidquid ſignificant, ex Theologorum ſententia opus eſt, ut quod per illa exprimitur, vi eorumdem verborum in Sacramento inveniatur. Alia vero ſunt, quæ licet expreſſa non ſint verbis Conſecrationis, tamen ſunt in Euchariſtia, quia ſeparari minime poſſunt ab illis, quæ formaliter per eadem verba exprimuntur. Ita cum Sacerdos profert: *Hoc eſt Corpus meum*, in quo conſiſtit forma Conſecrationis panis, Corpus ipſum JESU CHRISTI ſit in hoc Sacramento vi verborum; cum interim Sanguis, anima, & divinitas JESU CHRISTI cum formaliter expreſſa non ſint, ſunt tamen, ſed per concomitantiam, ut loquuntur Theologi, videlicet quatenus hæc omnia conjuncta ſunt cum Corpore JESU CHRISTI. Hinc patet JESUM CHRISTUM totum in Euchariſtia contineri. Cum enim certum ſit, cum duo ſimul inſeparabiliter conjuncta ſunt, ubi alterum fuerit, alterum quoque pariter inveniri debere; inde ſequitur totum JESUM CHRISTUM neceſſario ſub ſpeciebus panis, & vini contineri.

Cur ſeorſim panis, & vinum conſecrentur.

Nihilominus perſuaſum eſſe debet fidelibus, merito ſervari conſuetudinem ſeorſim conſecrandi panem a vino; primum enim duplex hæc Conſecratio melius exprimit, & repræſentat Paſſionem Salvatoris, in qua Sanguis ejus ſeparatus fuit a Corpore; quapropter in Conſecratione recolitur effuſi Sanguinis memoria. 2. Cum hoc Sacramentum futurus eſſet cibus animarum noſtrarum, ratio poſtulabat, ut in formam cibi, & potus inſtitueretur, in quibus certum eſt conſiſtere perfectam Corporis alimoniam. His addendum eſt non ſolum JESUM CHRISTUM totum in qualibet ſpecie, verum etiam ſub qualibet minima utriuſque ſpeciei particula; quod probatur per ea, quæ de Sacramenti hujus Inſtitutione narrant Evangeliſtæ. Certum eſt enim Dei Filium non protuliſſe verba Conſecrationis ſuper quamlibet buccellam panis Apoſtolis datam, ſed ſimul conſecraſſe tantum panis, quantum erat diſtribuendum; & potiſſimum hoc in Calice factum, cum dixerit Apoſtolis ſuis: *Accipite, & dividite inter vos.*

Luc. 22.

Conſenſus Theologorum Catholicorum in hæc verba: Hoc eſt Corpus meum.

Proteſtantes nonnulli exprobrarunt Catholicis ſententiarum varietatem in hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, atque arbitrati ſunt ſe ſatis reſpondiſſe iis, quæ ſcripſit Bellarminus, ſupparem ejus Doctoris Scriptorem ducentas recenſuiſſe opiniones æque ac verborum eorum depravationes. Sed illi Theologi animadvertere debebant, cum omnes Catholici in re ipſa conſentiant, variam ejuſdem veritatis explicandæ rationem nequaquam efficere ſchiſma, neque opinionum varietatem, in iis, quæ ad fidem pertinent, niſi Eccleſia de iiſdem judicaverit. Hujuſmodi eſt Innocentii III. opinio, quam ſecutus eſt Eraſmus, aliique nonnulli, ac præſertim Catharinus, cujus tractatus Romæ editus fuit, dum Tridentinum celebraretur Concilium. Hæc opinio in eo ſita eſt, licet Conſecratio fiat per hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*: nihilominus JESUM CHRISTUM hoc Sacramentum inſtituentem, non ut miniſtrum, ſed uti Dominum ſecreta benedictione conſecraſſe panem, ac tandem loquentem de pane jam Conſecrato dixiſſe Apoſtolis ſuis: *Hoc eſt Corpus meum*. Ita ut quemadmodum mutatio facta jam fuerat cum protulit verbum *hoc*, auctores iſti aſſerunt vocem illam ſignificare Corpus JESU CHRISTI; & propoſitionem integram eſſe explicandam non ſecus ac alias propoſitiones Theoreticas, per quas affirmatur de ſubjecto, quod eſt. Ita illi inquiunt de propoſitione conſiderata in ore JESU CHRISTI. Sed ad explicandum ſenſum, quem habet in ore Sacerdotum: addunt, cum JESUS CHRISTUS nunquam illis dederit ſupremam hanc auctoritatem, quam ipſe habebat in Sacramenta, illos ſolum juſſiſſe hæc proferre verba; ideoque ea in Sacerdotum ore non alium habere ſenſum, quam quem habent in ore JESU CHRISTI, quandoquidem ab illis tantummodo recitantur. Hinc ſequitur illa non eſſe practica, dum effectum ſuum ſignificant, ſed dum illum producunt. Suarez opinionem hanc temeritatis nomine inſimulat, & alii putant cenſura aliqua dignam: verum cum nequaquam illam damnent tamquam hæreticam, & alioquin Catharini liber editus fuerit dum Concilium haberetur; atque fidei profeſſio de hac opinione non loquatur, quæ non officit veritati præ-

ſentiæ realis, quæ Catholicam fidem conſtituit, Calviniſtarum Objectio de ſententiarum noſtratum varietate in verba inſtitutionis, in irritum cedit. Prætes quam quod opinio, quæ locum præbuit aſſertæ huic veritati evertit omnia eorum ſophiſmata in verba illa, *Hoc eſt Corpus meum.*

Sententia Theologorum Catholicorum in hæc verba: Hoc eſt Corpus meum.

Catholici Theologi nullo habent in diſcrimine has ſubtilitates, vel potius logicas nugas in verba hæc. *Hoc eſt Corpus meum*; licet aſſerti Reformati illis innitantur ad errorem ſuum fulciendum. Nam quin ullam habeant ſuperioris opinionis rationem, Catholici explicant verba JESU CHRISTI quatuor modis, qui & realis præſentiæ dogma, & alterum Tranſubſtantiationis complectuntur. Qui aſſerunt ſignificari confuſe id quod ſub ſpeciebus continetur, ſingularem ſubſtantiam, & præſens objectum; rationem habent ita exprimendi, non objectum reale, ſed modum ſignificandi ideam, quæ illud repræſentat; nam ſive applicetur pani, ſive Corpori JESU CHRISTI, ſignificat utrumque ſub idea generali, & confuſa objecti præſentis, & rei, quæ ſub ſpeciebus illis continetur. Et tandem qui dicunt *hoc* ſignificare Corpus JESU CHRISTI, nequaquam falluntur, conſiderantes permanentem hujus verbi ſignificationem, quæ eſt eum ſpiritus conjungit attributum *Corporis* cum ſubjecto. Nonne deplorabile eſt, Calviniſtas Europam univerſam perturbaſſe, ae tot filios ab Eccleſiæ ſinu abſtraxiſſe his ſubtilitatibus, quæ ſunt mera ſophiſmata, & effectus ignorantiæ ſcientiæ ipſis, qua adeo perperam abutuntur in examine Myſteriorum noſtræ Religionis?

Accidentia Panis, & Vini ſubſiſtunt ſine ſubjecto in Euchariſtia.

Unum ex præcipuis miraculis in Euchariſtia, quod etiam omnium maximum eſſe videtur; eſt, ſpecies panis, & vini, quas paſſim accidentia vocamus, in hoc Sacramento ſine ullo ſubjecto ſubſiſtere: nam ſicut Corpus, & Sanguis Salvatoris vere ſunt in hoc Sacramento, ita ut panis, & vini ſubſtantia ibi minime inveniatur; & nihilominus accidentia panis, & vini ſubſiſtere nequeant in Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI, ſequitur illa ibi ſubſiſtere per ſe contra ordinem naturæ, quin alicui inhæreant ſubjecto. Hanc veritatem ſemper docuit Eccleſia, & iiſdem confirmari poteſt auctoritatibus, quibus probatur nihil ex ſubſtantia panis, & vini in Sacramento hoc permanere.

Quo in ſenſu intelligendum ſit id, quod Dei Filius dixit in inſtitutione hujus Myſterii; Sanguinem ſuum effuſum iri pro multis.

Cum Dei Filius dixit: *Hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur*; horum verborum alia deſumpta ſunt a S. Matthæo, & alia a S. Luca, ſed illa ſimul divino Spiritu afflata conjunxit Eccleſia, ad innuendum fructum, atque utilitatem Paſſionis JESU CHRISTI. Si enim conſideramus virturem, ac meritum paſſionum ejus in ſemetipſis, confitendum eſt Salvatoris Sanguinem effuſum fuiſſe propter ſalutem hominum, ſed ſi reſpicimus fructum, quem homines inde recipiunt, facile intelligamus ipſum non omnibus prodeſſe, ſed multis duntaxat. Cum Salvatos igitur dixit: *qui pro vobis effundetur*, eos indigitavit, qui aderant, Judi excepto, eos, quos elegerat e Judæis ſututos Diſcipulos ſuos; cum vero addidit *pro multis*, innuere voluit Electos alios ſive ex Judæis, ſive ex Gentilibus. Atque, ita, quandoquidem non loquebatus tunc niſi de fructu Paſſionis ſuæ, quæ nonniſi ſolis Electis ſalutis effectum procuravit, dicere non potuit *pro omnibus*; quo in ſenſu Apoſtolus dixit, JESUM CHRISTUM oblatum fuiſſe ſemel, ut in ſe multoſum ferret peccata.

Hoc in Myſterio ſtandum non eſt ſenſuum judicio, ſed mens attollenda eſt ad contemplationem mirabilium, quæ fides nos docet.

Si quis ſibi perſuaderet in hoc Sacramento nihil contineri, niſi quod ſenſibus percipitur, certiſſime hic in maximam laberetur impietatem credendi ibi nihil eſſe niſi panem, & vinum; quandoquidem oculis, tactu, olfactu, guſtu nihil niſi panis, & vini ſpecies percipitur. Hinc excitandus eſt ſpiritus noſter, ut ſenſuum noſtrorum judicio neglecto ſeſe attollat ad contemplationem admirabilium effectuum, quos Dei omnipotentia in hoc Myſterio operatur, ubi catholica fides nos docet, tria præſertim omnino admirabilia in hoc agi Sacramento per verba Conſecrationis. Primum eſt verum Corpus Filii Dei, hoc eſt, Corpus idem quod natum eſt ex Virgine, & quod ſedet in cælo ad dexteram Patris Æterni in hoc Sacramento contineri. 2. Nihil ibi remanere de ſubſtantia panis, & vini, componentium illud, quamvis hoc ſenſibus adverſetur. 3. Quod facile arguitur ex prioribus duobus, videlicet ea, quæ videntur accidentia, & ſub ſenſibus cadunt, admirabili modo ſubſiſtere, quin alicui inhæreant ſubjecto.

Calvini ſententia ſuſtineri non poteſt, & manifeſtam involvit contradictionem.

Nihil hyperbolice dicimus, cum aſſerimus Calvini opinionem omnino impoſſibilem eſſe; conſiſtit enim in verbo & poſitione realis manducationis Corporis ſine ulla reali præſentia Corporis; ita enim ſenſum ſuum ille ubique explicat, quod formalem efficit in cogitatione noſtra, & Dei voluntate oppoſitionem; videlicet nihil unquam eſſe poſſe, quin Deus velit, & nolit id ipſum, & ſimul. Patet in ſermonibus omnibus, qui fuerunt unquam, ſed præſertim in omnibus linguis vernaculis, quæ hodie vigent: *qu'etre mange, che eſſere mangiato* complectitur eſſe, & *qu'etre mange en un lieu*, e che *eſſere mangiato in un luogo*, complectitur eſſe in loco, & id præſentiam vocari; unum ſine altero concipi nequit. Calvinus igitur, ſi ad litteram accipiatur, efficit quod Deus velit, & nolit rem eamdem, eodemque tempore. Ille ſatis erat callidus, neque ſemet ipſum fallere poterat, ita ut crederet quod dicebat. Quod ille manducationem vocabat, poterat quidem ſecundum illius mentem aliquid eſſe reale; & hoc ille procuIdubio intelligebat; ſed ſecundum mentem ipſius realiter non erat manducatio; quemadmodum hominis imago in ſe quidem aliquid eſt reale, ſed reipſa non eſt homo. Satis notat animas proprie non manducare. Verbo quod ille innuebat, & intelligunt Calviniſtæ, eſt Corpus Salvatoris facere veram aliquam, realemque operationem, licet abeſſet, & eoſdem gignere effectus, quos optima alimenta, cum manducantur, efficiunt in Corporibus noſtris; quam operationem placuit ipſi appellare *manducationem*. Quia Patres in allegoria ſua ſæpe locuti ſunt de Spiritali manducatione cum corporali conjuncta, eique inhærente, adnitebatur ille his vocibus Manducationis realis, quæ ſuapte natura præſentiam realem continent, ſibi conciliare Lutheranos, qui hanc realem præſentiam credunt, & non avertere Zuinglianos, qui illam non credunt, ſed quæ eſſe non poteſt, niſi figurata manducatio, qualis ſua eſt: videlicet virtutem vivificantem adjunctam Carni Domini noſtri actu, & phyſice ad nos uſque venire, quin tamen veniat caro per miraculum, quod naturam ſuperat, & quod ipſe quoque incredibile appellat. Verbo Calviniſtæ hodierna die Magiſtri ſui ſententiam deſeruerunt, & facti ſunt Zuingliani; & Doctores omnes fatentur Calvini opinionem, qualem ipſe explicuit ſuſtineri non poſſe, & manifeſtam contradictionem involvere.

Reſpondetur objectionibus contra realem præſentiam in [illegible] quæ ex Scripturis deſumptæ ſunt.

Cum omnia argumenta, quæ probant realem Corporis Dominici præſentiam in Euchariſtia ex Scripturis deprompta fuerint, id conceptis, perſpicuiſque verbis aſſerentibus, & nullam interpretationem admittentibus; cum reliquæ rationes nihil ſint aliud quam veritatis hujus confirmatio: ſimiliter unice habenda ratio eſt objectionum, quas aſſerti Reformati innixi quibuſdam Scripturæ verbis perperam intellectis comminiſcuntur, quibus coactas, ac improbabiles Explicationes appingunt. Hæ autem objectiones ad hos ferre præcipuos articulos rediguntur. 1. Sacramentum hoc eſt commemoratio mortis Domini. Ergo, inquiunt; non eſt ipſe Dominus noſter. 2. Panis eſt, & vitis fructus quo nomine Scriptura vocat illum poſt Conſecrationem. Ergo, argumentantur, non eſt Corpus, & Sanguis Domini. 3. Salvator dixit, nos ſemper habere pauperes nobiſcum, ſed non ſemper illum nobiſcum eſſe habituros. Ergo verum non eſt nos illum ſemper haberi a nobis in Euchariſtia. 4. Mors ejus annuntiatur, donec veniat judicaturus vivos, & mortuos; ergo non venit quotidie in noſtra Altaria. Glorioſum Corpus ejus in cælo eſt; ergo nequit eſſe in terra. Ecce præcipuas objectiones ad quas ceteræ referuntur; & ſi quæ ſunt aliæ, non merentur nos in illis morari. Quamvis enim nemo ſit, qui per ſe non videat, quid reſpondendum ſit hiſce objectionibus, in iis, quæ de Catholica ſide a nobis expoſita ſunt: non prætermittendum duximus reſponſiones ſuggerere illis, quibus non ita facile occurrunt.

1. Eſt commemoratio Domini &c. ita ſane commemoratio eſt, vel annunciatio Domini donec veniat; ſed nihil obſtat, quod id, quod ciet in nobis memoriam mortis, & paſſionis illius per ſigna viſibilia, non contineat inviſibili pacto Corpus, & Sanguinem ejus. Diximus jam, figura, & commemoratio ſunt externa, veritas, & realitas interna ſunt. 2. Sacramenta, dicunt, non conſueverunt continere quod repræſentant; continent ſolum virtutem, & effectum. Facilis eſt reſponſio. Numquid Deus hanc ſibi neceſſitatem irrogavit, efficiendi omnia Sacramenta æqualia, ac ſibi ſimilia? Numquid jus, ac facultatem objecit inter alia unum efficiendi, quod contineret, & complecteretur, quod repræſentaret? Niſi aliquid nobis peculiare dixiſſet de Auguſtiſſimo hoc Sacramento, fateremur de eodem ac de ceteris ferendum eſſe judicium; ſed cum tot variis modis ſeſe explicuerit, noſtrum eſt indiſcriminatim, & ſine ulla exceptione ea credere, quæcumque dixit. 3. Quod Euchariſtia poſt Conſecrationem panis vocetur, mirum eſſe non debet, neque inde inferendum aliquid contra realem præſentiam Corporis Domini noſtri; quod ipſum dicimus de locutione illa *de hoc genimine vitis*, ſi verum eſt Salvatorem bis eadem uſum fuiſſe ſeorſim, de quo poteſt dubitari. Euchariſtia vocatur panis, & vinum; etenim quis ignorat in uſu communi quotieſcunque datur mutatio, vel converſio unius ſubſtantiæ in aliam, rem indiſcriminatim appellari nomine illius rei, quæ facta eſt, modo vero illius, quæ erat antea? Præterquam quod cum Euchariſtia in Scripturis dicitur panis, ſemper adeſt aliquod verbum, vel epithetum, quod innuitur panem diſtingui a communi pane, quo veſcimur, vulgo, quia vocatur panis Cæleſtis, panis Euchariſticus, panis Angelorum, quod nonniſi Euchariſtiæ quadrare poteſt. 4. Objectio vero, quam conantur depromere ex verbis illis: *Pauperes ſemper*

per habetis vobiſcum ; me autem non ſemper habetis, inepta eſt omnino. Quis enim non videt verba illa, quæ adverſarii apud ſimplices, rudeſque jactitant, nihil aliud ſignificare, niſi nos non habituros ſemper Dominum noſtrum viſibili modo præſentem, ſicuti habemus pauperes, apud quos ſemper caritatis officia exercere valeamus. 5. Quod præterea nobis adhuc objicitur: *annuntiabitis mortem meam donec veniam .... Sedet ad dexteram Patris, unde venturus eſt judicare vivos, & mortuos*, quæ verba contradictionem videntur involvere; ſed quæ fides optime novit conciliare per diverſitatem præſentiæ, de qua jam locuti ſumus; & cum dogma Catholicum callemus, objectio hæc, aliæque id genus ſexcentæ nihil officiunt huic Sacramento, quod eſt divinæ potentiæ miraculum. Quod ſi cupis objectiones has fuſius pertractatas videre, eas legere eſt, apud Cardinalem Bellarminum, Cardinalem Perronium, & Cardinalem *de Richelieu*, nec non in Patre Novet, libro de præſentia JESU CHRISTI in Sancto Sacramento, in Peliſſonii tractatu de Euchariſtia, aliiſque pluribus Controverſiarum Scriptoribus, qui iiſdem fuſe, ſolideque reſponderunt. Sufficit ergo dicere, divinum hoc Myſterium omnes naturæ leges ſus deque vertiſſe, ideoque illas etiam Philoſophiæ, & opus eſt, ut in hoc argumento, non ſecus ac aliis pluribus humana ratio ſit prorſus fidei ſubjecta.

De præſentia ejuſdem Corporalis ſubſtantiæ in pluribus locis; quæ una eſt ex difficultatibus, quam Sacramentarii objiciunt Myſterio Euchariſtiæ.

De ea difficultate, quæ oboritur ex præſentia ſubſtantiæ corporalis in variis locis, quin ceſſet eſſe una, eademque ſubſtantia, Calviniſtæ, qui inceſſanter contra veritatem hanc exclamant, erudiendi ſunt de vera Eccleſiæ fide: Eorum quippe complures ſibi perſuadent, nos credere Corpus Domini Noſtri in Euchariſtia eodem modo, quo in Cælo eſt, vel erat in Cruce. Tantum abeſt, hanc eſſe Eccleſiæ ſententiam, ut illa damnaret has propoſitiones, vel locutiones, ſi ex ore imperiti alicujus Catholici elaberentur, eumque inter Hæreticos amandaret, ſi mordicus illas auderet propugnare. Damnaret etiam illos, qui hoc tribuerent privilegium Corpori Filii Dei, ita ut diverſis eſſet in locis tamquam *glorificatum*, vel tamquam *divinæ naturæ conjunctum*. Quia nec gloria, nec unio cum Divinitate obſtant, quominus ſit Corpus humanum, quale noſtrum eſt, ideoque præſens uno tantum in loco præſentia communi, corporali, & viſibili; videlicet tali, qualem corpora habere conſueverunt; præſentia limitata, & circumſcripta, ut ita dicam, ab eodem loco, in quo corpus poſitum eſt. Sed ſimul concipimus adjuti, & ſuffulti fide, divinum hoc Corpus, & noſtrum, & alia quævis mundi corpora, ubi Deo placet naturæ fines tranſilire, habere poſſe aliud genus præſentiæ veriſſimæ, ac realiſſimæ, quæ ſemper appellata fuit Sacramentalis, & Spiritualis, non quia credatur, illa in figura tantum, & in Spiritu conſiſtere, ſed ut exprimatur a nobis nonniſi in Sacramento hoc cognoſci; & corpora ibi eſſe poſſe per ſolam ſubſtantiam ſuam, ſine ulla re, qua circumdata eſt, & quæ illam noſtris ſubjicit ſenſibus eo modo, quo ſpirituum præſentiam concipimus, & ſicut anima, de qua vulgo dicimus, totam eſſe in corpore, totamque in qualibet corporis parte, quin ulla adſit contradictio; quia neutrobique circumſcripta eſt & arctata, ut ſunt corpora in naturali, & corporea præſentia ſua; Miraculum hoc rationem ſuperat, nec diffitemur, ſed quin primorum Chriſtianorum, & præcipuorum Eccleſiæ Patrum fidem labefactet, qui ad miraculum hoc credendum ſeſe erexerunt per alterum illud multiplicationis panum, quod ridiculum eſſet exemplum, ſi in Euchariſtia ageretur ſolum de multiplicatione Corporis Salvatoris facta per imaginationem, & cogitationem hominum ſingulorum, quemadmodum uſuvenit in omnibus rerum generibus, ubi plures de illis cogitant.

Ut divina fide credamus hoc Myſterium, innixi debemus revelationi factæ in Scripturis, vel traditioni, quam nobis interpretatur Eccleſia.

Cum Deus nobis Fidei veritates revelaverit, potiſſimum vero illam præſentiæ realis Corporis ſui in Euchariſtia duplici via, Scripturis videlicet, ac traditione: ſequitur, ut ad credendum divina fide veritatem hujus Myſterii, alterutri harum rationum innitamur, & veritatem hanc credamus, quia Deus illam nobis revelavit per Scripturas, & traditionem. Sed quia in utraque harum viarum occurrere poſſunt difficultates, neceſſe eſt certum habere ducem, ne fallamur; & judicem certum, qui aſſerat, veritatem alterutro modo eſſe nobis a Deo revelatam, & qui ejuſdem ſenſum ſpiritumque certa, ac infallibili ratione nobis aperiat. Hic autem Judex eſt ſola Eccleſia Catholica, quæ columna eſt, præſidiumque veritatis, quemadmodum alibi oſtendimus. Illius intereſt duplicis hujus medii veritatem cognoſcere, ac interpretari revelationem, quæ nobis per alterutrum facta eſt. Illa ſecernit verum Scripturæ ſenſum, ac veram traditionem a mendaci. Ita quæcumque tribui aliunde valeat explicatis, cum judicium vel noſtrum, vel alienum, vel etiam doctiſſimorum hominum falli poſſit, illa ſemper erit incerta, immo etiam errori obnoxia, ut accidit in hoc ipſo Euchariſtiæ Sacramento, ubi eo quod certam regulam ſecuti non ſunt, tot homines alioquin eruditiſſimi erraverunt; ac in varias inſanas, hæreticaſque ſententias impegerunt. Hoc poſito, quod adverſarii noſtri velint, nolint, admittant opus eſt, liquet, rejiciendas eſſe omnes explicationes, quæ his verbis appinguntur: *Hoc eſt Corpus meum*, & ſenſus omnes, qui Eccleſiæ Catholicæ ſenſibus adverſantur.

De cultu huic Myſterio debito.

Quod pertinet ad cultum, quem huic Sacramento adhibemus, fatemur hunc veram, perfectamque eſſe adorationem uni Deo debitam; ſed declaramus adorationem hanc nonniſi ad JESU CHRISTI perſonam referri, quam indubitanter eſſe in Sacramento Euchariſtico aſſerimus, & quæ adorabilis eſt, ubicumque ſit, quemadmodum Calvinus ipſe fatetur, qui per hoc oſtendit quam procul abhorreat ab æquitate Lutheranorum ſententia, qui credentes non ſecus ac Catholici realem JESU CHRISTI in hoc Sacramento præſentiam, non ideo tamen illum adorant. Ceterum idololatriæ crimen, quod Catholicis exprobrant Calviniſtæ, injuſtum eſt; cum enim tot atque tam perſpicuis rationibus convicti ſimus de hac JESU CHRISTI præſentia non ſolum illum adorantes non peccamus, ut Sanctus Auguſtinus ait, ſed illum non adorantes peccaremus.

S. Auguſt. in Pſ. 98

Diverſa nomina quibus SS. Patres Euchariſtiæ Myſterium appellant.

Omnino neceſſe eſt animadvertere a SS. Patribus multifariam conſideratum fuiſſe hoc Sacramentum; quapropter varia illius nomina excogitanda illis fuerunt, ut illud cognoſcendum traderent, atque de eo loquerentur juxta veritatem conceptuum ſuorum. 1. Modo illud conſiderant ratione rei ſignificatæ, & propterea illud ſignum memorativum, atque demonſtrativum appellant. 2. Modo habita ratione Dei, & hominum, & ſecundum hanc qualitatem duas illis tribuunt prærogativas, alteram Sacramenti, alteram Sacrificii: Sacramenti quod inſtituit Deus in Electorum ſuorum gratiam, & in quo omnium gratiarum ſuarum fontem ipſe conſtituit, quas iiſdem communicat: Sacrificii vero, quod offerimus Deo, & quod per ſupremam ejus fatemur excellentiam, ac ſupremum imperium, quod habet in omnia creata. Modo illud in ſeipſo conſiderant, atque tunc diſtinguunt duo, ſignum, & rem ſignificatam, Myſterium, quod latet, & velum ſub quo latet, quod in Sacramento continetur, & quod continet Sacramentum; verbo ſpecies panis, & vini, quæ ſenſus noſtros afficiunt, & Corpus JESU CHRISTI, quod eſt objectum fidei noſtræ. Ex hac rationum varietate oboriuntur tot modi loquendi, quibus Patres æque utuntur, & ex quibus adverſarii noſtri anſam arripiunt tegendi veritatem, tribuentes Corpori JESU CHRISTI, quod dicunt de ſpeciebus, & ſpeciebus conſecratis, quod dicunt de pane, & vino ante conſecrationem; & ſumentes, quod docent de ſigno commemorativo ad deſtruendum ſignum demonſtrativum miſcentes cæremonias eſſentiales cum iis, quæ tales non ſunt, & mutantes, ac promiſcue involventes omnes Sanctorum Patrum ſenſus, ut in tanta perturbatione ſibi conſulant, & imbecillis ſpiritibus negotium faceſſant. Ad expediendum, atque extricandum caos hoc, & Sanctorum Patrum dicta in deteriorem ſenſum minime detorquenda, ſupponendum eſt, cum illi conſiderant Euchariſtiam tamquam ſignum memorativum, illos Domini Paſſionem vocare ſacrificium illud, quod offerimus in altari. Ubi illam reſpiciunt tamquam ſignum demonſtrativum, dicere, hoc ſignum eſſe Corporis JESU CHRISTI, figuram, antitypum, vivum Sacramentum Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI, ac ſimilibus locutionibus uti, quæ ſignificant, ſpeciebus tegi, ac celari Corpus Salvatoris, & ubi repræſentandi vocabulo utuntur, innuere, præſentem efficere juxta vim latini verbi, quo nonnunquam notæ melioris Auctores utuntur.

Argumenta realis præſentiæ ex Patrum dictis deprompta S. Hilarius l. 8. de Trinitate. S. Chryſ. Hom. 61. ad popul. S. Auguſt. in Pſ. 98.

Primum argumentum. Palam docent, carnem, quam accipimus in menſa Domini eamdem eſſe, ac illam quam ſumpſit in ſinu Deiparæ. Ita loquuntur S. Hilarius, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Auguſtinus, aliique plures. Secundum, ut majus robur tribuant ſententiæ ſuæ, ajunt, Dei Filium reliquiſſe nobis in Sacramento Carnem eamdem, quæ in Cruce immolata fuit, eumdemque Sanguinem, quem ibi effudit: quæ locutio familiaris eſt duobus Summis Græcæ, Latinæque Eccleſiæ Scriptoribus, S. Chryſoſtomo *Homil. 51. in Matth.* & S. Auguſtino *Tract. 31. in Joann.* Tertium argumentum ad Sacramentariorum errorem excludendum, explicite monent Euchariſtiam non eſſe ſolum ſignum Corporis JESU CHRISTI, ſed ipſum Corpus. Legite quantumcumque vobis placuerit, inquit ſecundum Nicænum Concilium, nunquam invenietis, ait, Dominum Noſtrum, vel Apoſtolos, vel Patres imaginis nomine vocaſſe Sacrificium incruentum, quod offertur a Sacerdote; ſed Corpus idem, eumdemque Sanguinem JESU CHRISTI. Quartum Fidei articulum eſſe docent realem præſentiam, de qua non licet amplius ambigere, non ſecus ac de JESU CHRISTI divinitate, aliiſque veritatibus Religionis. Ita loquitur S. Hilarius laudato loco, qua in re conſentit cum ceteris Patribus, & potiſſimum cum S. Ignatio Martyre, qui Saturnianos recenſet inter hæreticos ævi ſui, non enim credebant Euchariſtiam eſſe Carnem JESU CHRISTI. Quintum ad roborandum dogma de reali præſentia, illam probant verbo JESU

CHRI-

CHRISTI, ar dicunt pro certiſſima eſſe habendam; cum enim ille ſit ipſa Veritas, nec fallere nos poteſt, nec fallit. Sextum aſſerunt verba hæc, *hoc eſt Corpus meum* ad litteram eſſe intelligenda, eorumque veritatem eſſe dimetiendam non ex naturæ viribus, ſed ex Dei Omnipotentia. Septimum, verbis Conſecrationis vim tribuunt ſecretam, per quam panis, & vinum mutantur in Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI, & ne dubitetur de qua mutatione loquantur, conceptis, apertiſque verbis id enuntiant, ut nonniſi ſubſtantialem mutationem ſignificent.

Alia præterea ſuperſunt argumenta, non minus valida, ſed quæ huc afferre operæ pretium non eſſet. Videri poſſunt apud Novetum lib. 4. cap. 1. articulis 2. & 3. de reali JESU CHRISTI præſentia in Sacramento.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque Concionatoribus loci in hoc argumento.

Poſt Arianiſmū nulla extitit hæreſis, quæ Eccleſiam in re magis præcipua oppugnaverit quam hæreſis Sacramentariorum.

POſt Arianiſmum, qui Salvatori divinitatem, & qualitatem Filii Dei, conſubſtantialis Patri, eripere conatus eſt, liquet nullum extitiſſe errorem, qui Religionem Chriſtianam in re magis eſſentiali oppugnaverit, & qui major cum pertinacia propugnatus fuerit, quam ille, qui auſus eſt in dubium arceſſere realem, & veram præſentiam Dominici Corporis, Sanguiniſque in Euchariſtia. Sed affirmare licet etiam nullam unquam veritatem majori cum zelo fuiſſe propugnatam, & in qua veri Eccleſiæ Filii rem ſuam agi magis arbitrati fuerint, quam in optimi Patris ſui teſtamento vindicando; nullamque fuiſſe controverſiam, vel quæſtionem, in qua tuenda ſolidiora adhibuerint argumenta, & plura ediderint volumina; nullum denique fuiſſe articulum Fidei, pro quo libentius Sanguinem effuderint, quam cum decertandum illis fuit pro poſſeſſione ejuſdem Sanguinis, qui propter eorum ſalutem in Cruce effuſus fuit, & qui quotidie adhuc pro nobis funditur in hoc Incruento Sacrificio. *Auctor ſermonum in omnia Ethica Chriſtiana argumenta, Tomo 1. argumentorum peculiarium.*

Si Filii Dei mens fuiſſet dare nobis ſolum Corporis ſui ſignum, cur ad hujus miraculi fidem tot miraculis nos præparaſſet.

Si in Auguſtiſſimo hoc Sacramento panis tantum eſſet, & vinum, ut noſtri docent Adverſarii, vel ſi Corpus, & Sanguis Salvatoris ibi eſſent tantum in figura, quid neceſſe erat diſponere mentes eorum, ad quos loquebatur, ad hujus Myſterii fidem per inſigne illud miraculum multiplicationis panum? Niſi ut præberet illis apertiſſimum argumentum ſuæ omnipotentiæ, & illis fidem adſtrueret ejus facilitatis, qua promiſſi fidem præſtare poterat, per ea, quæ jam propriis oculis uſurpaverant? Ita videmus antequam hoc illis polliceretur, ad illos ſublimem habuiſſe ſermonem de fidei præſtantia, quæ mentem ſubmiſſam poſtulat, æternamque vitam pollicetur illis omnibus, qui oculos claudentes humanis ratiociniis, illos aperiunt ſupremæ auctoritati Dei, qui majora efficere poteſt iis, quæ noſter intellectus intelligere valeat. *Hoc eſt opus Dei*, inquit illis, *ut credatis*. At ſi in hoc Altaris Sacramento nonniſi panis adeſt, & vinum, cui bono tot præmiſit ſermones, ut illorum animos ad hanc promiſſionem diſponeret? Cur petenda erat tanta docilitas, & adeo ſubmiſſa fides? Cur opus erat miraculis; cur æterna vita illis erat promittenda, quibus ſatis ineſſet fidei, ut crederent, panem ſignificare Corpus, & vinum Sanguinem illius repræſentare? Profecto ſi hoc modo Sacramentum iſtud accipiendum eſt, non eſt amplius tantum Myſterium; commune aliquid eſt, quod neque hominum facultatem excedit, neque mentis eorum captum ſuperat; licet enim illis ſumere panem, vel aliud quodlibet in ſignum cujuslibet rei. Quid ille tam magnum, atque admirabile fuiſſet pollicitus, ut ad id mentes noſtras adeo prolixa præparatione diſponeret; quandoquidem jam in lege veteri panes, quos Melchiſedech obtulit, & ipſi propoſitionis panes erant figura Corporis ſui ex communi Patrum ſententia. Præterea adjiciens manna non eſſe niſi leve quoddam ſpecimen illius rei, quam facturus erat: nonne oportebat, ipſum ſignificaſſe, ſe mira operaturum, & quæ ſenſus, atque rationem ipſam averterent? Quod vero aliud pollicetur, quam ſe daturum illis in hoc prorſus Divino Myſterio Corpus, & Sanguinem ſuum? Profecto opus eſt, ut pertinaciſſimus quiſque ex adverſariis fateatur, ſublimem hunc de fide ſermonem, deſiderium, quod Diſcipuli ejus teſtantur novi miraculi, promiſſionem, qua ipſe pollicetur ſe illis donum præſtiturum longe majus, & admirabilius eo, cujus Patres eorum teſtes fuerant in deſerto: fateatur, inquam, neceſſe eſt hæc omnia congruere non poſſe cum Sacramento, quod panem duntaxat, & vinum contineret. Quæ enim vis rationi eſſet inferenda, ut crederemus Euchariſtiam ſignum eſſe Corporis Domini? Opus eſſet miraculo, ad homines ad fidem hanc diſponendos; vel tot ſermonibus ad ſpiritus illorum præparandos actioni, quam quilibet alius æque, ac ille poſſet efficere; neque ſatis fuiſſet addere hanc figuram eſſe Corporis ſui, quin, ut in adagio eſt, ex formica faceret elephantum?

Omnes qui adfuerunt promiſſioni Dei, qui recepit ſe daturum illis Corpus ſuum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum acceperunt ad litteram verba illius. Joann. 6.

Operæ pretium eſt animadvertere; cum Dei Filius pollicitus eſt ſe daturum Corpus ſuum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum, neminem inter adſtantes fuiſſe, qui hæc verba ad litteram intelligenda non eſſe arbitraretur, & quin ulla in illis oboriretur figuratæ locutionis, ænigmatum, vel ſignorum ſuſpicio; nemo credidit verba illa obſcura eſſe, licet aliqui dubitarent, utrum eſſent vera; ac inde occaſionem ſcandali ſumerent, & cauſſam ab eo recedendi: *Litigabant ergo Judæi ad invicem, quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum? Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Quid igitur hinc inferendum eſt? Infero, Fideles, ſi in Euchariſtia nihil eſſe debuiſſet niſi panis datus in ſignum Corporis Domini, & ſi hoc Myſterium fuiſſet impoſſibile quemadmodum nonnulli arbitrabantur: *Quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum?* Dei Filium nequaquam diu illos in errore fuiſſe relicturum; & dubitare non licet, eum qui venerat in Mundum ad mendacii tenebras diſſipandas, ac efficiendum, ut veritas triumpharet, eum, inquam, allaturum fuiſſe lucem omnem quam poſtulabat promiſſio nova, & ante diem illam inaudita, dandi videlicet Carnem ſuam ad manducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum, præſertim vero cum videret ſcandalum in auditoribus oboriri. Sed o triumphum veritatis verborum Dei de hominum duritia! Non dicit, verba hæc eſſe metaphorica, neque accipienda in naturali ſenſu, quem re adhuc integra præſeferunt; ſed prima iterat verba, iiſque novum adjicit pondus jurejurando loquens ad eos, qui de ſua potentia dubitaverant: *Amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* Caro enim mea vere cibus eſt, & Sanguis meus vere eſt potus. Hæc verba, Fideles, nonne totidem ſunt fulgura, & viventia lumina? quandoquidem apud infideles prolata, qui de JESU CHRISTI virtute dubitabant, quin illorum errorem excutiat, ſi illa aliud quidquam ſignificaſſent ab eo, quod illi intelligebant, illos in ipſorum opinione relinquit, atque etiam confirmat, ſatis eſſe ratus errorem ab illis auferre de modo, quo ſibi perſuadebant ſibi dandas eſſe carnes ad manducandum in fruſta conciſas, quomodo cum aliis dapibus fieri conſuevit. Hi ergo non ſunt æque increduli, ac Capharnaitæ, qui de hujus Myſterii poſſibilitate ambiunt, de qua ille certos nos facit iis verbis, quæ infideles illi intelligere non poterant. Si figuratis uſus eſſet verbis, vel ænigmaticis in promiſſione facienda, nonne illa explicuiſſet aliis verbis, quæ omnem illis abſtuliſſent dubitationem, & omnem caliginem? Sed quin explanet ea, quæ dixit, & ex quibus Capharnaitæ ſcandali occaſionem acceperant, illa roborat aliis verbis apertioribus, magiſque energeticis; neque enim dicit tantum Carnem ſuam eſſe cibum; ſed quaſi vereretur ſe non ſatis perſpicue ſenſus ſuos explicuiſſe, addit illam vere cibum eſſe; & Sanguinem ſuum vere eſſe potum: Antea uſus erat nomine panis, ſed ne illis anſam præberet ex hoc nomine in errorem aliquem incidendi; omnem illis aufert occaſionem, adjiciens, hunc eſſe panem Cælitus demiſſum, panem Dei, panem vivum, verbo Carnem ſuam; atque ut omnibus occurreret contentionibus, atque interpretationibus in quas detorqueri poterant verba ſua dicens Carnem hanc non eſſe ſuam, non dicit amplius, qui manducat Carnem meam, ſed qui manducat me, ipſe vivet propter me. Liquet igitur, quandoquidem dubitatio eorum efficit, ut idem repetat argumentum, quin ullam modificationem, correctionem, vel explicationem adjiciat, liquet, inquam, ipſum intelligere hæc verba, quemadmodum auditores ſui ipſa intellexerant; videlicet de vera ipſius Carne, & vero Sanguine. *Idem.*

Ibidem.

Alia animadverſio de idea a Capharnaitis habita ejus modi, quo Salvator illis daturus erat ſuam Carnem ad manducandum.

Quandoquidem de Capharnaitis incidit ſermo, operæ pretium eſt animadvertere, quod hoc ipſum, in quo adverſarii noſtri figuratum ſenſum conſtituunt, quem veluti clypeum objiciunt telis omnibus, quæ in eos contorquentur, illis errorem auferre deberet; cum enim Capharnaitæ falſo arbitrati fuerint, JESUM velle ipſis dare ad manducandum Carnem ſuam, non ſecus ac alios cibos, eoſque ſimiles Antropophagis facere: prima cogitatio de reali manducatione divinæ Carnis hujus non fuit caſtigata, neque explanata, ſed confirmata, & quinquies repetita, additis etiam minis mortis æternæ in eos, qui divini hujus Myſterii participes fieri negligerent. Quod vero attinet ad modum, quo promiſſionem ſuam erat adimpleturus, videns illos in hoc errore poſitos, Carnem ipſius ſecandam eſſe, & ſicut dapes alias manducandam, illos monitos voluit, intellectum ipſorum non ſatis eſſe ſpiritalem, ſe inventurum modum tradendi ipſis Corpus ſuum, minus craſſum, ac rudem: Carnem ſuam ab illis eo, quo intelligebant modo manducatam nihil ipſis profuturam; verba ſua ſpiritum eſſe, & vitam ad vivificandas eorum animas, non autem ad corpora alenda. Hinc accidit, quod cum auditoribus ſatisfeciſſet quidem quoad modum, non autem quoad rem, quam illis præbebat manducandam, ab eo receſſerunt, tamquam ſibi impoſſibilia, & chimærica promittente, quod ſane minime feciſſent, ſi Dei filius illis ſignificaſſet, quod volunt Sacramentarii, hoc, quod illis

præ

præbebat panem tantum, ac vinum eſſe, quæ Corpus, & Sanguinem repræſentabant, eiſque illorum merita applicabant. Tunc enim ipſo nihil dicente, quod illorum ſenſum, ac rationem averteret immerito dixiſſent verba illa dura eſſe, & citra ſcandalum audiri non poſſe. *Idem.*

Argumentum realitatis quod educi poteſt ex facto J. C. cum Capharnaitis.

Quæri modo poteſt ex illis, qui horum infidelium incredulitatem imitantur, cur Dei Filius declaret pluribus, quam viginti formalibus, atque affirmativis propoſitionibus, ſe velle dare vere Corpus ſuum; & cur illos erudierit eo modo, ut jure illos potuiſſet avertere, ſi eoſdem in errore ſuo reliquiſſet? Cur adhibuit ipſa ſuæ Aſcenſionis miracula hoc Euchariſticum probaturus? Cur uſus eſt ſimilitudine unionis, quam ipſe habet cum Patre ad illam explicandam quam cum illo habituri ſumus in hoc Myſterio, ſi in figura tantum cum illo conjungeremur? Si nobis tradere duntaxat voluiſſet ſignum, atque repræſentationem Corporis, & Sanguinis ſui? Cur Auditores ſuos reliquit, quin traderet illis neceſſariam hac in re explicationem, ex qua ſcandali occaſionem ſumebant, quandoquidem hoc illi paſſim accipiebant in iis rebus, quæ tanti momenti non erant? niſi ille de vero Corpore ſuo loquebatur, & Auditores nihil aliud intelligere poterant per verba, quæ toties illis iteraverat? Etenim hac de cauſſa requirens, quis eſſet ſenſus. Apoſtolorum, qui in ejus ſequela permanſerunt, utrum & ipſi ab eo eſſent receſſuri; S. Petrus reſpondit pro omnibus: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Idem.*

Joann. 6.

Quouſque error excæcaverit Sacramentarios ea in occaſione verborum Salvatoris.

Poſt verba adeo perſpicua, ac ſæpe repetita, quibus Salvator aperit voluntatem ſuam dandi nobis ad manducandum ſuum Corpus, & Sanguinem ſuum ad bibendum, nec non poſt intentatas minas, niſi hac in re ſibi obediretur: nonne omnibus non fidei ſolum, verum etiam recti ſenſus luminibus abrenuntiaſſe dicendus eſt ille, qui poſt hæc aſſerat, quod non ita pridem neſcio quis ex proteſtantium miniſtris aſſeruit, non conſtare ex Evangelio; Filio Dei fuiſſe intentionem dandi aliud, quam ſignum, & figuram Corporis ſui? Vix, & ne vix quidem id credere poſſem, niſi ſcirem hunc proprium eſſe erroris effectum excæcare illos, qui in eodem ex mera voluntate verſantur; ita ut minime credant ſe videre quod vident, & quod inſilit in oculos eorum; & per obſtinationis portentum ad eludenda tot tam valida, ac manifeſta teſtimonia nihil habentes, quod objiciant, niſi verba aliquot in pravum ſenſum detorta; ut plurimum propriæ ſignificationi oppoſitum, qualia ſunt illa, quibus Dei Filius utitur ad auferendam cogitationem, Corpus illud craſſa, & carnali ratione eſſe manducandum. *Verba, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Idem.*

Ibid. Joann. 6.

Nemo ex SS. Patribus aliter a nobis intellexerit Salvatoris verba, ut Calviniſtæ intelligunt illa.

Ad negandam cum aliqua rationis ſpecie Dominici Corporis realitatem, nonne ſaltem opponere deberent verba contraria, quemadmodum pluſquam viginti loci aſſeruntur, poſitive illam aſſerentes: Quod autem attinet ad verba quæ aſſerunt ipſi, provoco illos, ut vel unum omnibus ſæculis Patrem inveniant, qui non explicet illa eo modo, quo a nobis explicantur; adeo hic naturalis eſt ſenſus eorum. Ego vero duo tantum eligo teſtimonia, quæ ne ipſi quidem adverſarii detrectare poſſunt; quorum alterum eſt S. Auguſtini, quem Calvinus ipſe ſæpe tamquam fideliſſimum teſtem antiquitatis, optimumque Scripturæ Interpretem vocat. Capharnaitæ, ait ille, ſtulte, & carnaliter acceperunt JESU CHRISTI verba, rati illum fruſtum aliquod Carnis ſuæ abſciſſurum, eiſque præbiturum ad manducandum. Alterum vero deſumptum eſt ex Epheſino Concilio, quod Calviniſtæ ratum habent æque ac nos, & quod unus ex eorum Miniſtris bona fide vertit, cujus hæc verba ſunt. „ Non credimus, Corpus, quod eſt
„ coram nobis in Sancto, & incruento Sacrificio, cor-
„ pus eſſe hominis communis, & ordinarii, ſed tam-
„ quam Corpus proprium Verbi omnia vivificantis.
„ Communis quippe Caro vivificare non poteſt; atque
„ ut idem Salvator ait, Caro non prodeſt quidquam.
„ Spiritus autem vivificat: quia cum facta fuerit Caro
„ Verbi, in hoc eſt vivificans. „ Cedendum eſt ergo tot teſtimoniis, vel abrenuntiandum eſt Sententiæ univerſalis Eccleſiæ, & hoc pacto indignum fieri, qui in partem accedat promiſſionum, quibus Salvator adeo ſollemniter nobis pollicitus eſt, ſe nobis verum Corpus, verumque Sanguinem ſuum eſſe daturum. *Idem.*

Ex omnibus Religionis noſtræ Myſteriis nullum eſt de quo apertius & majori cum uniformitate locuti fuerint Evangeliſtæ.

Ex omnibus Religionis noſtræ Myſteriis ne unum quidem eſt, de quo Evangeliſtæ apertius, & majori cum uniformitate loquantur, quam de Euchariſtia. Alia non explicant, neque iiſdem verbis, neque eodem pacto; & ſæpe in illis occurrunt ſpecies quædam contradictionum, quæ locum præbuerunt Hæreticis fulciendi errores ſuos. Veluti cum S. Joannes ait, Verbum factum eſſe carnem, & in nobis habitaſſe. Marcionitæ, qui bellum indixerant Incarnationi Verbi, opponebant verba S. Pauli; illud accepiſſe formam ſervi, in hominum ſimilitudinem factum fuiſſe, unde argumentabantur, illi phantaſticum duntaxat Corpus fuiſſe, non autem verum, & humanum. Si omnia elapſa repetimus ſæcula, nullam innoteſcet hæreſim extitiſſe, quæ innixa fuerit aliquibus textibus Scripturarum, qui in ſpeciem quidem adverſabantur illis, quibus veluti fundamentis Eccleſiæ incumbit doctrina; quod manifeſtum eſt argumentum, verum Scripturæ ſenſum deſumendum eſſe ex conſenſu generali Patrum ſæculorum omnium, quem ipſi vocamus traditionem, & ex definitionibus Conciliorum, non autem ex peculiari ſpiritu noſtro, qui excæcatur, cum propria ſequitur lumina pro regula fidei, vel eum vult Scripturas interpretari juxta ſenſus, quos illis privatus affectus ſtudet appingere. Sed quomodonam locum aliquem in Evangelio reperient noſtri adverſarii, qui illis in Euchariſtiæ argumento ſuffragetur, quandoquidem ne unum quidem invenire potuerunt, qui eorum inter ſe ſententias conciliet, vel qui prohibuerit ne in ſexcentas varias interpretationes diſtorquerent hæc verba, *hoc eſt Corpus meum*, & in corde ſectæ ſuæ tot ſecum pugnantes partes efficerent, ſibi invicem internecinum bellum inferentes. Caligo autem, vel perſpicuitatis adeo apertæ defectus, qui deprehendi poſſet in aliis Myſteriis, in hoc locum non habet: Evangeliſtæ omnes iiſdem verbis, eademque ratione loquuntur. Omnes dicunt: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus.* Nullus metaphoricis utitur verbis, vel a communi ſermone remotis. Neque mirum eſt: Teſtamentum erat ſcribendum; *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti*, & nemo ignorat Teſtamentum eſſe extremam naturæ, & rationis vocem, per quam homines declarant poſtremas voluntates ſuas ea, qua poſſunt, perſpicuitate ad tollendas lites, & contentiones, quæ oboriri poſſent inter hæredes ex verborum obſcuritate, vel ambiguitate. Idcirco nihil adeo ſacrum apud omnes populos eſt, quam Teſtamenta. Ea reformare, vel immutare fas eſt nemini. Omnes ſyllabæ venerabiles ſunt & S. Auguſtinus ait, illa nullum admittere gloſſema, niſi quod ſecum gerunt. Filius autem Dei dat Corpus, & Sanguinem ſuum hominibus in hoc Teſtamento; hoc dicit perſpicuis, conceptiſque verbis, & volunt ipſum intellexiſſe tantum figuram Corporis ſui; & quod in hominum Teſtamentis non licet, in Teſtamento Filii Dei interpretationes licebit admittere. *Idem.*

Math. 26.

Marc. 14.

Probatur Euchariſtiæ veritas per viam diſcuſſionis, vel per viam præſcriptionis.

Sive utamur methodo diſcuſſionis contra noviſſimos hæreticos ad probandam realitatem Corporis JESU CHRISTI, ſeu methodo præſcriptionis, probatio utrobique invicta eſt. Nam in methodo diſcuſſionis, quæ ſita eſt in eo, ut facta veluti catena auctoritatum Patrum Eccleſiæ divini Myſterii realitatem probantium, occurratur objectionibus, quæ contra conſtitutas auctoritates ingeri poſſunt: Eccleſia infinitas habet prærogativas præ Hæreticis; omnis enim antiquitas ſtat ita pro hoc Myſterio verbis adeo explicitis, atque perſpicuis, ut realitatis inimici eorum vim, ac pondus ſentiant. Audiatur ſane præcipua noviſſimæ hujus hæreſis Capita: Quotieſcumque lego Evangeliſtas, Æcolampadius ait, mihimet dico; Vis tu ſapientior eſſe, quam alii? De hoc Sacramento credendum eſt, quod alii credunt: *Tu ne ſolus tam abjectus es a facie Domini, ut illic repugnes, ubi nemo?* Conabatur, Hoſpinianus ait, vincere hanc ſpiritus imbecillitatem veterum Patrum lectione; ſed initio nihil inveniebat, quod illi ſuffragaretur, ac ſæpe occurrebat illi Corpus Domini, Sanguis Domini. *Sæpe antiquorum Doctorum lectione infirmitatem ſuam vincere conabatur: ſed principio non occurrebat quo juvaretur.* Ita convictus fuit examine locorum, qui in S. Patribus reperiuntur; quicumque adhibet conatus ad illos impugnandos in articulo de realitate Corporis CHRISTI. Lumen, quod ex eruditis eorum operibus emicat, voluntariis tenebras pervadit; & Scaliger, quem critica tamquam idolum, & Novatores veluti Herculem ſibi proponunt, non aliud ſibi capiendum putat eſſe conſilium, quam impudentiam, omnes Patres incuſans, quod realitas fefellerit univerſos. Miror, ait ille, Patres omnes crediſſe Cœnam eſſe Conſecrationem, & panem fieri verum Corpus JESU CHRISTI. Caſaubonus ex eruditiſſimis viris, quos in ſecta ſua jactitant Religionarii, in Epiſtola quadam fatetur Cardinalem Perronium ſibi magnos injeciſſe ſcrupulos, aſſerendo illi Patrum auctoritates, quibus neſciebat quomodo reſponderet, ſe rubore ſuffuſum eſſe, & ægre diluere poſſe objectiones hujus adverſarii, quem *fulmen hominis* vocat. Hæc eſt confeſſio, quam methodus diſcuſſionis extorquet ex ore Miniſtrorum, qui ſectæ illius anteſignani, principeſque fuerunt. Hæc ſeries Doctorum, qui ſemper cogitaverunt, & locuti ſunt ſicut nos de divina Euchariſtia, vallum eſt, quod ſuperare non potuerunt, niſi confitentes cladem ſuam, & poſtmodum ſemetipſos excæcantes. Via præſcriptionis, quam inſiſtere poſſumus ad Euchariſtiæ realitatem oſtendendam, nonne & ipſa eſt maximæ utilitatis? Methodi hujus ratio eſt ad examen revocare quædam controverſiæ capita, quæ decidunt quin ad diſcuſſionis enumerationem deſcenſus fiat. Inſignis Tertulliani liber Præſcriptionum adverſus Hæreticos eximium eſt methodi hujus exemplar. Diſputationes in compendium redigit Providentiæ munus eſt tradidiſſe Eccleſiæ ſuæ viam brevem, ac facilem, quæ a laborioſo examine eximit ſimplices, ac infirmos, & eos, quos vitæ hujus neceſſitates

Lavaterus hiſtoria Sacram. de cœna Domini. Hoſpinian. 2. parte.

Scaligerana p. 1d.

impi-

Digitized by Google

impares facir methodo diſcuſſionir. Ita conſtituta auctoritate, ac infallibilitate Eccleſiæ Catholicæ in iis, quæ de fide ſunt, oſtendendo hanc unam ſequeſtrem eſſe veritatum Dei, jure exigere poſſumus, ut recipiatur quidquid illa docet; quin immoremur in diſcutiendir ſingillatim articulis omnibur. Hac vias quam Religionarii ſemper vitarunt, Fideles roborati ſunt, & convicti Eccleſiæ inimici. Ita, Domine, Eccleſiæ tuæ tamquam acri complura armorum genera aſſaiſti ad pugnandum, triumphandumque. *Mille clypei pendent ex ea:* ita qui inter filior tuos ſunt maxime ſimplices ſine diſcuſſione confundere poſſunt magni Sacrificii ſui inimicos: *ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos, ut deſtruas inimicum & ultorem.* Credimus quod crediderunt Patres noſtri: pro certo habemus cum illis, panem, qui videtur, panem non eſſe; licet guſtus panem eſſe judicet. Sed nos credimus, eſſe Corpur JESU CHRISTI; & vinum, quod videtur, non eſſe vinum, licet guſtus vinum eſſe confirmet; ſed credimus eſſe Sanguinem JESU CHRISTI. Hoc nos Catholica docet Eccleſia; hoc illa ſemper docuit in univerſo terrarum orbe per os Doctorum ſuorum ad hæc uſque tempora. *Quod ſemper, quod ubique, quod ab omnibus,* ait Vincentius Lirinenſir. Unicum hoc telum quod eſt ſimplicibus accommodatum, errorem exarmat, eumque confundit. *Auctor recens.*

Cant. 4.

S. Cyrillus Catech. Myſtag. c. 5.

Probatio deſumpta ex precepto Domini in Myſterii hujus inſtitutione. Joann. 6.

Dei Filius in hujur Myſterii inſtitutione palam præcipit, ut accipiamus, & manducemur Corpus ſuum, & ut accipiamur, & bibamus Sanguinem ſuum: *Accipite, & manducate;* ſimulque cum illud ſe nobis daturum promiſerat; comminatur erat, eor qui eodem veſci renuerent, nequaquam æternæ vitæ futuros participes: *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Opus eſt ergo, ut perſpicue loquatur; alioquin ſi fallimur, alterum ex duobur malis certiſſime contringet; vel enim defuturi ſumus illi reverentiæ, quam debemus, ſi Corpus ſuum realiter præſens eſt in hoc Sacramento; & nos panem duntaxat accipere fuerimus arbitrati; vel ſi ibi in figura tantum eſt, adhibeamus pani, vinoque cultum; & obſequium illud, quod illius duntaxat perſonæ debetur. Profecto tanti momenti Myſterium faciendum eſt per ea vocabula, quæ omni careant ambiguitate, ac nulla indigeant explicatione. Si herur ſenſum ſuum famulo nequam novit ſignificare, omnem illi aufert anſam tegendi inobedientiam ipſius, cum illi tradit præcepta ſua, ſibique ad unguem morem geri deſiderat; & credendum nobis erir Salvatorem nobis tanti momenti præceptum irrogantem, æternamque mortem nobis minigantem, ſi parere noluerimus, figurate ſolum, & metaphorice locutum fuiſſe, ita ut præceptum illius egeat explicatione? Sed cuinam præcipit? Omnibus hominibur in perſona Apoſtolorum, qui cupidi intelligendi verum ſenſum verborum ejus, ſi vel minima adfuiſſet obſcuritas, ab illo interpretationem eapetiiſſent; vel ille per ſe præceptum ſuum interpretatus fuiſſet, quemadmodum ab eo factum videmus in parabolis, quas illis proponebat. Sed ubinam legimur divini hujus Magiſtri diſcipulos exquiſiviſſe, quid ille intelligeret per verba adeo mirabilia; quamvis alibi paſſim auderent illum interrogare, immo etiam eum fatigare quæſtiones minur difficiles, ac minoris momenti proponentes? præter quam quod paullo ante illor admonuerat, ſi non amplius locuturum ad eos in parabolis, vel in proverbiis. *Idem.*

Probatio perſpicuitatis verborum Filii Dei ex eo deſumpta quod Sacramentum inſtituit.

Quid autem ſi addimus præter quam quod Dei Filius efficit teſtamentum, & præceptum in hoc adorabili Myſterio, in eodem etiam inſtituere Sacramentum? Id fatentur Adverſarii, neque hac de re nobiſcum contendunt, ſed de re, quæ in eo continetur. Immo neque agitur, utrum Dei Filiur potuerit ibi concludere Corpur, & Sanguinem ſuum eo modo, quo ipſi credimur: nulla ratio, nulla contradictio hanc evincere poteſt impoſſibilitatem: & Calvinus aſſerit, ſi ibi Corpus Dei continetur, id fieri per tranſubſtantiationem, quemadmodum Catholici credunt. Id igitur quæritur tantum, utrum hoc diaerit Deus; patebit enim id a Deo factum fuiſſe, quandoquidem eadem eſt veritas. Sed verba, quibus utitur in hujus Sacramenti conſtitutione ſunr hujuſmodi. *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur: hic Calix eſt Sanguis meus, qui pro vobis fundetur;* quæ verba adeo explicita ſunt, atque perſpicua, & quæſtionem ita evolventia, ut de illis non verear dicere, quod S. Auguſtinus dicebat de alio Scripturæ loco adverſus Pelagianor; Teſtum hunc adeo apertum eſſe, ut minime indigeat interpretir explicatione, ſed oculis lectoris, & ad illum intelligendum ſatis eſſe verba ejuſdem proferre. Etenim illi appiogendo ſenſum figuratum Proteſtantium Calviniſtarum, inferendum eſſet nos ſalvatos fuiſſe per Corpur figuratum, & redemptos per Sanguinem in memoriam duntaxat, atque repræſentationem. Ipſa etiam actio Filii Dei inter manus ſuas accipientis panem, & vinum, eumque porrigentis Diſcipulis ſuir cum verbis illis: *accipite, manducate, bibite;* hæc, inquam actio ſola nonne perſuadere debet, ipſum illir non figuram dediſſe, ſed corpus? Nam cum ait, ſe vitem eſſe, ac ſimilibur metaphoris uſus eſt, nunquam hæc manibus ſuis accepit; quia hæc loquendi ratio omnino oppoſita eſt metaphoræ, & omni figuratæ locutioni. Si tantum dicere voluiſſet, Corpus ſuum animas noſtras alere, quemadmodum panis alit corpora noſtra; & Sanguinem ſuum roborare illar ipſis virtutem gratiamque ſuam applicando, diaiſſet, Corpus meum eſt panis, & Sanguir meua vinum eſt; & quemadmodum reciproce dici nequit, vitis eſt JESUS CHRISTUS, dici non poſſet quod palam dixit: *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*... unde patet diſcrimen manifeſtum harum locutionum metaphoricarum quibus Salvator nonnunquam uſus eſt efficiens parabolar perſpicuas, & congruas, quas ad Sacramentum inſtituendum adhibuit. *Idem.*

Viva fides quam SS Patres expetierunt in fidelibus in hoc Myſterio probat, eos ibi conſideraſſe aliquid majus, quam figuram Corporis Domini.

Homil. 83 in Matth.

Hæc ſemper fuit ſententia, & praxir SS. Patrum, hortandi Fideles ad hujur Sacramenti fidem, quod antonomaſtice vocant, *Myſterium fidei.* Magnam autem exquiſiverunt fidem non ad recipiendum duntaxat hoc Sacramentum, ſed etiam ad credendum. Exaggeraverunt Myſterii hujur profunditatem, & fidei difficultatem; dixerunt abrenuntiandum eſſe ſenſibus, & rationi, & credendam hanc veritatem, licet unum alteri videatur pugnare, quemadmodum animadvertimus per hæc Sancti Chryſoſtomi verba: *Credamus Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur.* Quæſo quam rationem habuiſſent Eccleſiæ Patres, quor teſtes, ac fidei propugnatores colimur, & quorum ſententiæ in eorum libris expreſſæ oſtendunt conſtantem traditionem fidei Eccleſiæ Catholicæ in hoc Myſterio, non ſecus ac in aliir. Quæſo, inquam, cur conſtanter a fidelibus exegiſſent firmam, & inconcuſſam fidem, ſi in hoc Sacramento intuiti tantum fuiſſent figuram Corporir, & Sanguinis JESU CHRISTI: commemorationem mortis ejur, & ad ſummum applicationem virtutis Sanguinis ipſiur, & paſſionum ejus inhærentis ſymbolis panis, & vini? Quid hac in re fuiſſet tam difficile ad credendum? ut renuntiandum ſit ſenſibus, & ratio ſubmittenda, ac efficiendum Myſterium humanis mentibus impenetrabile? Hæc igitur fides adeo viva ſenſibus, & rationi repugnans, quam exigunt Patres in hiſce Articulir, nonne palam oſtendit ipſos majur aliquid credidiſſe? & jure dicere non poſſumus, Religionariis non eſſe eam fidem, quam habuerunt ſummi illi viri, qui teſtes ſunt veræ ſententiæ, quam ſemper fovit Eccleſia? *Bireat in Sermone 1. Octava.*

S. Patres ad Myſterium hoc explicandum confugerunt ad miracula a Dei omnipotentiam. Ergo illis erat perſuaſum panem, & vinum mutata fuiſſe in Corpus, & Sanguinem Salvatoris.

Serm. de Cœna Catechef. 4 Myſtag.

Altera probatio ex Patrum ſententiis deſumpta de Realitate Corporis, & Sanguinis Domini in hoc Sacramento, eſt, illos ad mulcendam hanc fidem, atque illius veritatem confirmandam confugiſſe ad Omnipotentiam Dei, & produxiſſe miracula, quæ operata eſt illis ſimilia, quæ in hoc Myſterio operatur. *Panis iſte non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Dei factus eſt Caro:* S. Cyprianur inquit. S. Cyrillus Jeroſolymitanus allegat aquam in vinum mutatam, in nuptiis Cana, & S. Ambroſiur producir Mundi creationem, mutationem virgæ Moyſis, & alii Patres aliar ſimiler miraculoſas mutationes proferunt. Sed ſi in hoc Myſterio nihil eſt præter figuram Corporis, & Sanguinis, cur Patrer allegarunt miracula, & prodigia admirabilium mutationum, quar in natura operatus eſt Deus? Profecto præſupponunt, ibi fieri aliquid, quod Dei egeat omnipotentia, & quod nonniſi hoc poſito fundamento credere valeamus. Credant igitur opur eſt, ibi admirabilem aliquam fieri mutationem, quæ aliquam habeat ſimilitudinem cum illir, quas in medium proferunt, ut huio adſtruant fidem. At non alia eacogitari poteſt præter illam, quam credimus fieri de panis, vinique ſubſtantia in illam Corpora, & Sanguinis JESU CHRISTI. In hoc applicanda eſt omnir Dei Omnipotentia ad illam operandam, atque credendam, non autem ad efficiendum, atque credendum his ſignis ſolum repræſentari Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI. *Idem.*

Secretum, quod ſervabant S Patres in hoc Myſterio erga Ethnicos, & Catechumenos, argumento eſt hoc ab illis non habitos fuiſſe dignos, quibus illud aperirent. & quare?

Ad hæc S. Patrer in piis Eccleſiæ primordiis Myſterium hoc ſumma celabant diligentia, ac illud non Ethnicis tantum, verum etiam Cathecumenis abſcondebant, quaſi illos non ſatis pares iis credendir cenſerent. Emittebantur de Eccleſia, cum Sacerdos ad conſecrandum accederet; & ſi quando Patres aliquid tenebantur ſermocinare de hoc Sacramento, cum aderant Catechumeni, obſcuriur loquebantur, ut liquet ex Sanctis Auguſtino, & Chryſoſtomo, qui paſſim locutiones ſuas his verbis involvebant. *Norunt Fideles.* Nihil dicimur præterea, fideler intelligunt, de quo loquimur. Quæro autem ex vobis, cur hoc Sacramentum celabantur Catechumeni? Nihil eſt, quod illis ſcandalum poſſet afferre, vel nimis arduum illis videri, ſi in illo tantum figura dominici Corporis extitiſſet. Habebant jam inchoatam fidem, alia Religionir noſtræ Myſteria credebant; intelligebant Evangelium, & verbum Dei, quæ erant JESU CHRISTI ſigna; quorſum autem hoc illis erat abſcondendum, ſi hoc etiam non aliud erat, quam ſignum, vel figura? Facile erat illis dicere panem, & vinum repræſentare Corpur, & Sanguinem JESU CHRISTI, ſi totum hoc Myſterium in ſola repræſentatione conſtitiſſet. Cum igitur Patrer nequaquam illos pares crediderint ad intelligendam hujus Sa-

cramenti

cramenti difficultatem, aliquid ulterius latebit, videlicet realis præſentia Corporis JESU CHRISTI. Hinc liquet hanc fuiſſe primorum Eccleſiæ Patrum ſententiam, realiter JESUM CHRISTUM ſub panis ſpeciebus contineri. Conſentiunt tamen adverſarii, primorum ſæculorum Patres, cum Eccleſia adhuc in ſua puritate, ut inquiunt, vigeret, eſſe poſſe normam fidei noſtræ, ac legitimos Scripturarum Interpretes. Quid ergo his teſtimoniis, atque argumentis reſpondere poſſunt? *Idem.*

Adoratio, quam Patres iidem a primis fidelibus exigebant, argumento eſt illis perſuaſum fuiſſe de reali præſentia filii Dei.
Chryſoſt. hom. 61 ad populum Antiochenum.

Inficias ire poteſt nemo, Patrum ſententiam, & conſtantem Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe Sanctum Sacramentum adorare, non tunc ſolum, cum recipiendum erat, ſed etiam in Altaribus, ubi Hoſtiæ Conſecratæ jam aſſervari conſueverant. Et iidem S. Patres hortabantur Fideles ad hunc cultum, atque adorationem, ut ex his S. Chryſoſtomi verbis, *Adora, & Communica.* Sancta hæc, & neceſſaria praxis ex pluribus locis oſtenditur, quorum nonnullos ſuo loco citavimus; ſed hic duos affero celeberrimos, quibus nullibi video Proteſtantes reſpondiſſe. Primus eſt S. Ambroſii in hæc Pſalmi 98. verba. *Adorate ſcabellum pedum ejus;* ubi laudatus Doctor inquit egregie: *Per ſcabellum terra intelligitur, per terram caro CHRISTI, quæ hodie quoque in Myſteriis adoratur, quam Apoſtoli in JESU adoraverunt.* Et S. Auguſtinus in eumdem locum: *Nemo Carnem illam manducat, niſi prius adoraverit. Inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum: & non ſolum non peccetur adorando, ſed peccetur non adorando.* Hi ergo teſtes hujuſmodi ſunt auctoritatis, ut nequeant recuſari, neque alium ipſis ſenſum attribui. Praxim hanc Ethnici ipſi noverunt, ita ut inter cetera, quæ primis fidelibus exprobrabant, hoc erat quod videlicet panem, vinumque adorabant, vel potius Cererem, & Bacchum, teſte eodem Auguſtino. Unde ſic arguo: Liquet ex Patrum teſtimonio, Eccleſiam ſemper coluiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, & Chriſtianos illi ſemper præſtitiſſe cultum ſuum, non ſolum in uſu communionis, ſed antequam illam reciperent, & poſtquam illam in Altaribus aſſervarunt; & expoſuerunt Fidelium adorationi. Crediderunt ergo JESUM CHRISTUM ibi realiter, & effective adeſſe; niſi enim illis perſuaſum fuiſſet de hac reali præſentia, illam non adoraſſent, neque ad illum adorandum hortati fuiſſent fideles, & idololatriæ nomine eſſent inſimulandi, quo nomine a Proteſtantibus reipſa accuſamur. *Idem in 2. Sermone Octavæ.*

S. Ambr. de Spiritu ſancto c. 12.
S. Aug. in Pſ. 89.

Veritas Sacrificii Euchariſtici probat realem, & veram Salvatoris præſentiam in hoc Myſterio.

Euchariſtia non ſolum inſtituta fuit quatenus Sacramentum, ſed etiam quatenus verum novæ Legis Sacrificium; quemadmodum Patres omnes crediderunt, & docuerunt; ut nos oſtendemus in Tomo altero, ubi fuſius loquimur de altaris Sacrificio: hoc loco ſupponimus illud tamquam veritatem in dubium non revocandum; & inde ſolum hanc elicio illationem contra negantes realitatem. Si ipſe JESUS CHRISTUS non eſt in perſona in hoc Myſterio, nullum jam eſt Sacrificium in Religione Chriſtiana, quæ adeo inferior eſt antiquæ legi, immo etiam legi Idololatriæ. Omnes enim veræ, falſæque Religiones ſua habent Sacrificia, & Chriſtiana Religio, quæ omnium eſt auguſtiſſima, figuram habens tantummodo, ut Novatoribus placet, nullum omnino Sacrificium haberet. Igitur probanda tantum eſt veritas Euchariſtici Sacrificii ad probandam realem præſentiam. Si enim JESUS CHRISTUS incruento modo immolatur; ſi ille quotidie offert in ara Sanguinem ſuum pro peccatorum noſtrorum remiſſione, ſequitur neceſſario ad implendum hoc Mediatoris munus, & ut ſe in hoc victimæ ſtatu conſtituat, præſentem eſſe debere. At dubitari ne poteſt, quominus JESUS CHRISTUS antequam in Cælum aſcenderet, reliquerit Eccleſiæ ſuæ Sacrificium, quod eſſe debet dignum magnitudine Dei, cui jam diſplicebant holocauſta; Sacrificium dignum eminentia hujus Religionis, cujus Auctor eſſe volebat? Quæ alia victima erat digna ſupremi rerum Domini majeſtate, & magnitudine Religionis, quam ipſe JESUS CHRISTUS oblatus in Sacrificium? Nonne hujus Sacrificii inſtitutio, reperitur in verbis, quæ ſubſequuntur Conſecrationem in prima cœna peractam? *Hoc facite in meam commemorationem.* Quaſi diceret, facite id, quod a me fieri vidiſtis: ſacrificate, quemadmodum me ſacrificare eſtis intuiti; quod ſuo loco oſtendemus, cum ſeorſim de divino hoc Sacrificio loquemur. Sufficit modo dicere, realem JESU CHRISTI præſentiam in Euchariſtia conſtitutam eſſe per neceſſitatem Sacrificii, cujus victima ſit Homo Deus; atque ita Patribus loquentibus pariter, & ſimul de Euchariſtia quatenus Sacrificio, & quatenus Sacramento, alterum ex altero neceſſario probatur: & ſicuti in Religione prorſus divina requiritur Sacrificium, quod ſit Homo Deus, conſequitur, vel unum & idem eſt, quod hic Homo Deus ſacrificatus ſit realiter præſens. *Auctor recens.*

SS Patres per exceſſum amoris, quem Dei filius nobis teſtatus eſt inſtituens hoc Sacramentum ſatis innuunt ipſum ſeſe nobis realiter tradere, & non in figura.

In divini Sacramenti hujus Inſtitutione S. Joannes teſtatur nos a Mundi Salvatore dilectos fuiſſe ad exceſſum uſque, & dilectione perfectiſſima. *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.* Verba quæ adeo valida viſa ſunt ad realem Filii Dei præſentiam in hoc Sacramento conſtituendam, ut S. Chryſoſtomus affirmare non dubitaverit in hac Inſtitutione potiſſimum ſuum erga nos amorem ſignificaſſe: *In eo ſuam noſtri curam oſtendit; & ardentem in nos caritatem.* Alii vero in hoc amoris ſui magnitudinem oſtendunt, quod illi ſatis non fuit ſuum propter homines cruorem effundere, & velle, ut hoc Sacramentum in illis memoriam excitaret mortis, quam propter illos ſubiturus erat; ſed etiam illis tradere Corpus, Sanguinemque ſuum in cibum, ac potum, ut cum illis arctiſſima conjunctione jungeretur; *quod vehementer amantium eſt*, S. Chryſoſtomus inquit. Hinc generalem hanc concluſionem infero, JESUM CHRISTUM realiter eſſe in hoc Sacramento. 1. Si enim ſolam nobis reliquiſſet figuram Corporis ſui, hoc nequaquam eſſet tantum amoris ſui erga nos teſtimonium, neque tanta noſtræ in ipſum caritatis cauſſa, quemadmodum Patres docuerunt. Amoris ejuſdem magnitudo in Cruce tantum enituiſſet, ſed adeo ſingulare fuiſſet in Myſterii hujus Inſtitutione, nec video quænam eſſet cauſſa tantopere celebrandi illius caritatem, eo quod nobis reliquiſſet imaginem mortis ſuæ, nec quomodo magnificentius egiſſet nobiſcum quam cum hominibus veteris teſtamenti, quibus dederat Deus præſtantiores JESU CHRISTI figuras, quam panem & vinum, cujuſmodi erant Agnus Paſchalis, & Manna. Tamen S. Paulus, aliique Patres dicunt hanc legem non aliud habuiſſe quam umbras, & figuras; nobis autem eſſe Corpus, & veritatem. Igitur in hoc Sacramento aliquid præſtantius eſt umbra, & imagine. 2. Niſi re ipſa, & effective Dei filius nobis tribuat Corpus, Sanguinemque ſuum, S. Chryſoſtomus, aliique nonnulli jure dicere non poſſunt, Salvatorem in hoc Myſterio dilexiſſe nos eo modo, quo homines alii ſeſe minime poſſunt diligere. Hunc JESU CHRISTI amorem ſupra Paſtorum caritatem amplificant, quo ipſi oves ſuas non paſcunt proprio ſanguine, quomodo Salvator agit. 3. Si Salvator nobis conjungitur realiter, effective, corporaliter, ut omnes inquiunt, nonne oportet illum ſub Sacramenti ſpeciebus adeſſe? quandoquidem fieri nequit, ut vera adſit conjunctio inter duas ſeparatas ſubſtantias, quarum una in terra eſt, altera autem in Cælo; neque dicere ſufficit nos adhærere JESU CHRISTO per fidem, & caritatem: nam præter quam quod Patres explicitis, conceptiſque verbis hanc adverſariorum noſtrorum reſponſionem rejiciunt, poſitive docent, illum realiter, & effective, non autem ſolum per fidem, & caritatem nobis adhærere. *Biroat ſermone 3. Octavæ.*

Patres probaverunt Corporum reſurrectionem per veritatem præſentiæ realis Domini in Euchariſtia.

Nonne ſatis manifeſta probatio eſt ſententiæ Patrum de realitate, qui per fidem JESU CHRISTI in hoc Sacramento præſentis probarunt veritatem Reſurrectionis corporum in particulari, & pignora gloriæ ipſorum; idque non ſolum ubi cum Catholicis loquebantur, verum etiam cum diſputabant adverſus hæreticos reſurrectionem impugnantes, ſed Myſterii hujus veritatem confitentes. Ita S. Irenæus utitur Sacramento, quod credunt, ad probandam reſurrectionem, quam negant. Ita ille ratiocinatur. Quomodo illi dicere poſſunt, Chriſtiani carnem non reſurrecturam ad vitam, quandoquidem alitur Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI. Addit enim, ſicut panis, qui oritur ex terra poſt invocationem Dei, vel conſecrationem, non eſt amplius panis communis, ſed Euchariſtiæ Sacramentum ex duabus rebus compoſitum, altera terreſtri videlicet accidentibus panis, altera Cæleſti, nempe Corpore CHRISTI: Simili pacto corpora noſtra Euchariſtiam recipientia, ſpem, & germen reſurrectionis recipiunt. Alii vero Sancti pignora gloriæ generatim, & probationes reſurrectionis ſingillatim conſtituunt in unione, quam cum JESU CHRISTO in hoc Sacramento contrahimus. Unde nobis quoque licet generatim arguere, JESUM CHRISTUM realiter, & effective in Euchariſtia inveniri. Si enim Patres probant veritatem reſurrectionis corporum per hujus Myſterii veritatem; ſupponunt ergo tamquam baſim argumentationis ſuæ, JESUM CHRISTUM illis adhærere, ideoque neceſſaria illatione realiter eſſe præſentem. *Biroat ſermone 5.*

Diſpoſitiones, quas S. Paulus, & Patres requirunt ad hoc Sacramentum recipiendum probant realem Filii Dei præſentiam in hoc Myſterio.
1. ad Cor. c. 11.

Poſt S. Paulum Apoſtolum Patres tamquam Oraculorum ejus interpretes magnas requirunt diſpoſitiones in illis, qui ſunt horum Myſteriorum participes, eoſque hortantur ad eximiam puritatem non ſolum quoad illorum animas, verum etiam quoad corpora. *Probet autem ſe ipſum homo*, inquit Apoſtolus. Quod ſignificat non ſolum accuratum examen peccatorum, quæ quiſque patravit, verum etiam peculiarem curam adjiciendi habituali huic diſpoſitioni actus, & ornamenta virtutum, quæ hac in occaſione ſunt neceſſariæ. Quam puritatem, S. Chryſoſtomus inquit, ad hoc Sacrificium afferre debet, qui dignus habitus eſt, ut ad Sacrum hoc convivium accedat? Opus eſt, ut manus Sacerdotis hujus, qui divinam hanc Carnem attrectat, ut os ſpirituali hoc igne replendum, ut hæc lingua terribili hoc Sanguine imbuenda puriora ſint Solaribus radiis. Videte mox invectivas, quibus S. Paulus, omneſque cum eo Patres irrumpunt in eos, qui indigne

com-

Digitized by Google

communicant? Apoſtolus eos reos vocat Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI. Addit tamquam certiſſimam criminis eorum pœnam; illos ſibi judicium ſuum manducare, & bibere, videlicet condemnationem ſuam. S. Ambroſius ait: *Hoc peccato conculcatur Corpus CHRISTI*, & S. Cyprianus addit: *Vis infertur Corpori Domini*. Denique ad exaggerandam hujus ſacrilegii magnitudinem, Patres illud comparant cum peccato Judæorum, qui crucifixerunt Salvatorem; unde generatim inferendum eſt, S. Paulum, & primævæ Eccleſiæ Patres credidiſſe, JESUM CHRISTUM vere, & realiter eſſe in Euchariſtia. Si enim illius tantum figuram recipimus, cur tot probationes expoſcerent? cur adhibenda eſſet tanta hæc cura ad dignoſcendum panem hunc a communibus cibis? Cur tot, ac tam eximiæ diſpoſitiones non in anima ſolum, verum etiam in corpore communicaturi? Profecto ſi ibi panis eſſet tantum, præter quam quod hujuſmodi tam ſeduli apparatus adhibendi non eſſent, ſatis eſſet ſpiritum duntaxat diſponere, quia hic unus recipere poſſet, quidquid Sancti in hoc Myſterio inveniretur. Opus eſt ergo, ut hæc noſtri Corporis membra attingant, & recipiant aliquid Sacrum, quod non aliud eſſe poteſt niſi Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI latentis ſub ſpeciebus Sacramenti, quæ illis immediate applicantur. Ad hæc ſicuti Patres in adhortationibus, & invectivis ſuis ſupponunt ſacrilegas communiones contumelioſas eſſe Corpori, & Sanguini JESU CHRISTI, fieri nequit, ut Corpus JESU CHRISTI peculiariter hoc ſcelere coinquinetur, niſi realiter a noſtris corporibus recipiatur. *Idem in Sermone ſexto.*

S. Ambroſ. in c. 10. Hebræor. S. Cyprianus de Lapſis.

Argumentum ad realitatem probandam deſumitur ex honore, quem corpora noſtra recipiunt ex conjunctione cum Corpore J. C. ſecundum Patrum ſententiam.

S. Chryſ. homil. 60. ad populum Antiochenum.

Hoc in argumento operæ pretium eſt animadvertere, Patres exhibere nobis Myſterii hujus Communionem tamquam ſingularem honorem, quem non in animabus tantum recipimus, ſed qui reddit etiam corpora noſtra Deo pretioſa, & jucunda. Suadent, ut ſæpe recolamus memoriam hujus gloriæ, potiſſimum vero in peccandi occaſionibus, ut hæc cogitatio ſit veluti frænum ad cohibendas cupiditates, & ratio præſtantiſſima ad nos excitandos, ut bona opera efficiamus. *Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris*, & præcipue rationem hanc, & officium deſumunt ex honore, & conſecratione, quam ex hujus Sacramenti contactu corpora noſtra illud accipiendo perceperunt. Unde licet argumentari: Ergo JESU CHRISTI Corpus realiter præſens eſt in hoc Myſterio. Si enim figuram duntaxat reciperemus, non ſatis video, quem honorem reciperemus, nec quam cauſſam haberemus abſtinendi a peccato, & bona faciendi opera propter has communiones: omnis enim actionis hujus utilitas conſiſteret in bucella panis comedenda, & actu fidei eliciendo. Fateor, hunc actum, ubi fieret, pietatem fortaſſe excitaturum; ſed quæ tanta eſſe poſſet efficientia in ſimplici cogitatione, & hujus actus memoria? Credendum eſt ergo tamquam certiſſimum principium, nos aliquid aliud facere præter actum fidei, & nos aliquid præſtantius recipere, quam JESU CHRISTI figuram. *Idem in Sermone ſeptimo.*

Verba Inſtitutionis Euchariſtiæ ſemper eſt mirum ſatis argumentum ad fidelium fidem probandam.

Sacra Inſtitutionis verba ſunt potiſſimum argumentum ad probandam in Euchariſtico Sacramento realem JESU CHRISTI præſentiam; & ſolidiſſimum ſunt medium ad Fidelium fidem erga hoc Myſterium alendam, & hæreticorum infidelitatem confundendam. Explicationes, quæ tribui poſſunt in hæc Divina verba minus luminis afferunt menti, & minus unctionis cordi, quam verba ſimpliciter relata. Ita videmus Patres omnes ad id redactos eſſe, quin aliquis inter illos habitus fuerit conſenſus, præter eum, qui ex divinis his verbis procedit, ut omnes in hoc argumento conſpiraverint. Nuntiaverunt fidelibus magna cum ſimplicitate ordinem verborum CHRISTI cum dedit illis pretioſum Corpus ſuum in cibum, & Sanguinem in potum; dixerunt tantum, hoc verum eſſe Corpus, quod erat in Cælo, illud ipſum, quod in caſto Mariæ Virginis utero clauſum fuerat, hunc eumdem Sanguinem, quem ab eadem acceperat, eumdem, quem in ara Crucis in redemptionem noſtram effuderat; hoc illi verbis aliis, aliiſque repetierunt, ſed æquipollentibus divinis hiſce verbis: *Hoc eſt Corpus meum*. Quod vere ſpectat ad difficultates quas ratio, & ſenſus inveniunt, & obicem ſtatuunt fidei, quæ nobis perſuadet ſecundum JESU CHRISTI verbum, Corpus ſuum præſens eſſe in hoc adorationis objecto, cum interim ſenſus e contra ibi panem duntaxat eſſe annuntient, Patres nonniſi fidem oppoſuerunt; & oppoſitionem hanc ſuſtulerunt conſideratione omnipotentiæ Dei, cui nihil eſt impoſſibile per Divinum verbum ſuum, quod efficax eſt, & quod ubi placuerit, mutat rerum ſubſtantiam, quin aliquid illi obluctetur, omniaque vi invicta ſuperat: ipſum dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum*, & panem hunc amiſſa natura panis, & vinum amiſſa natura vini illico fieri Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI. Luſtrentur omnes omnium ſæculorum Patres, quid videbitur? Liturgia primæ Miſſæ in Cœnaculo celebratæ, jugis repetitio verborum JESU CHRISTI. Si quid plus, minuſve fuerit in precibus harum liturgiarum, omnes ſimul conveniunt quoad ſubſtantiam, ac ſemper rediguntur ad ſecreta verba, quibus in ultima cœna uſus eſt JESUS CHRISTUS. *Auctor recens.*

Animadverſio in hæc eadem verba, quæ confirmant veritatem realis præſentiæ.

Cum JESUS CHRISTUS ultimam cœnam cum Apoſtolis ſuis celebrabat, cum manducabat cum illis noviſſimum legale Paſcha eo tempore, quod vehementer concupierat, *deſiderio deſideravi*; eo pretioſo tempore de quo dixit: & *quomodo coarctor*, in hac circumſtantia Patris, qui relicturus eſt filios ſuos, & qui nihilominus vult ſemper permanere cum illis, quid ſibi volebat JESUS CHRISTUS verbis iſtis: *Hoc eſt Corpus meum*. Tempus, in quo erat, ſatis ſignificat. Dicere volebat, vel potius dicebat; & Apoſtoli ſenſum ſine ullo gloſſemate intellexerunt. Agnus Paſchalis quem hactenus comediſtis, figura tantum erat Corporis, quod pro vobis in mortem ſum traditurus: quod autem hic vobis tribuo Corpus meum eſt ſub ſenſibilibus ſpeciebus panis, quem fregi vobis: Ecce effectus, & complementum ejus, quod vobis pollicitus ſum, me ſcilicet daturum vobis panem de Cælo dilapſum manna ipſo pretioſiorem: nunc præſto fidem, quam dedi vobis, me videlicet vobis traditurum Carnem meam ad manducandum; accipite, & comedite, *hoc eſt Corpus meum*: Ecce agnus verus in locum Agni, a quo figurabatur. Me ſemper habetis vobiſcum facientes quod me videtis facere, *hoc facite in meam commemorationem*. Apoſtoli intellexerunt ſenſum, qui in verbis hiſce adeo perſpicuis latebat: ipſi erant Eccleſia, ipſi primitias illius poſſidebant, illi crediderunt cum ſimplicitate; nullam interſeruerunt quæſtionem, quia verba hæc nullam quæſtionibus anſam relinquebant, & Eccleſia ſemper hæc verba accepit, uti Apoſtoli in naturali ipſorum ſignificatione, & credidit, quia verbum hoc dixit, per potentiam hujus, quod plura facere poteſt, quam ipſi concipere valeamus, panem, quem Salvator accepit in manibus ſuis, factum fuiſſe Corpus illius. Qui igitur in Euchariſtiæ Sacramento nihil admittant niſi figuram Cotporis JESU CHRISTI, jactitare deſinant ſe Scripturam ſequi pro norma fidei ſuæ. Filius Dei dixit; *Hoc eſt Corpus meum*, nos id credimus, non credunt illi. Myſterium hoc nonne teſtantur tres Evangeliſtæ, ac S. Paulus? S. Matthæus ſcribit quod ipſe oculis ſuis uſurpavit. S. Marcus, & Lucas ſcribunt, quod ab iis, qui viderant, audierunt; S. Paulus denique id, quod ſibi ab eodem Salvatore fuerat revelatum. Omnes hi quatuor teſtantur Dei Filium dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum*; nemo teſtis eſt illud dixiſſe, hoc eſt ſignum, & figura Corporis mei. Undenam ergo mutuantur hunc articulum fidei, Corpus Filii Dei non eſſe realiter in Euchariſtia, panem in Corpus ejus immutatum non eſſe, vel nonniſi per fidem manducari? Scriptura ſancta ſemper vallum erit inſuperabile, ſemperque roborabit fideles in fide; quam veluti de manu in manum traditam receperunt. *Idem.*

Luc. 22.

Senſus pietatis quos in nobis ciere debet realis præſentia Corporis Domini in Sacramento.

Quid non faceremus, vel quid nobis faciendum non eſſet, ſi nos Catholici viva fide crederemus, Dei filium reliquiſſe nobis proprium Corpus, Sanguinemque ſuum in hoc Myſterio, quemadmodum nos credere profitemur? Hoc dixiſſe ſatis olim fuit magno, ſanctoque Concionatori Antonio Patavino in Concione, ut Auditores ſuos impelleret ad omnes pietatis, reverentiæ, & adorationis ſenſus erga ſacrum hujuſmodi Myſterium. Hoc illud ipſum Corpus eſt, inquit, quod in Virginis ſinu effectum eſt, quod lineis involutum pannis poſitum fuit in præſepio; hoc illud Corpus eſt, quod vulneribus in Calvario confoſſum, mox propter amorem veſtri tamquam victima fuit immolatum: hoc denique illud quod mox luminibus renidens de Sepulcro egreſſum eſt, & modo ſedet ad dexteram Patris; & eodem tono pergens, hic idem Sanguis eſt, addidit, qui manavit de membris omnibus Corporis ſui in mortali agone, quem in Horto paſſus eſt; Sanguis, qui effluxit ex vulneribus ejus in triſtiſſima Paſſione illius, & quem prorſus effudit in Cruce propter veſtram ſalutem; Sanguis hic, cujus vel minima gutta ſatis erat ad Mundum univerſum redimendum. Hoc denique Corpus eſt, & Sanguis Divinitati conjunctus, quæ modo ſunt objectum cultus, & adorationis Angelorum, & hominum: Vos id creditis Chriſtiani, eaque in conſpectu vobis poſita ſunt. Sed quos vobis ſenſus inſpirat tantæ felicitatis cogitatio? Jure magnus hic Sanctus ſuſpendit ſermonem ſuum poſt hæc verba Dei ſpiritu animata, ut inde Auditores ſui poſſent inferre, & argumentari; qua in re ipſum ſpes ſua non fefellit... Mihi non eſt, Auditores, vel eloquentia, vel zelus Magni hujus Viri, ut robur tribuam his iiſdem verbis: ſed quid intereſt, a quo proferantur, quandoquidem eamdem continent veritatem, & veſtrum eſt illa meditari? *Auctor Sermonum in omnia argumenta &c. in primo Sermone Octava.*

Ejuſdem argumenti.

Credamus, ſed viva fide, Salvatorem ipſum inveniſſe modum, quo inter nos uſque ad ſæculorum conſummationem commoraretur. Nil ultra poſtulo, ut vos cohorter ad debitum illi cultum adhibendum. Vivens hæc fides ceteras ad agendum virtutes acuet. Illum ex toto corde diligemus memoria repetentes, quomodo ipſe nos amavit, ut ad nos hoc in ſtatu veniret; Illum ſummo venerabimur obſequio, credentes firmiter hunc eſſe Deum

noſtrum;

noſtrum; Honori nobis vertemus illum inviſere, ac revereri in Altaribus noſtris quieſcentem; Illum de ſubſtantia noſtra, ut loquitur Scriptura, honorabimus, aliquid bonorum noſtrorum elargientes, ut habitet magnificentius, vel ut frequentius a Miniſtris ſuis in Sacrificium offeratur. Denique quid non faceremus, ſi hac fide crederemus, filium Dei nobis proprium Corpus, Sanguinemque ſuum reliquiſſe? *Idem*.

Hæc Eccleſiæ prærogativa eſt præ Synagoga, & lege veteri, poſſe habere præſentem Deũ in omnibus mundi locis. S. Chryſ. H. 95.

Incomparabilem hanc prærogativam præ lege veteri Eccleſiæ tribuit S. Joannes Chryſoſtomus, ferendi, ac inveniendi ubique Deum ſuum, qui miniſtris ſuis reliquit facultatem ubique altaria extruendi non ſolum, verum etiam illum ipſum de Cœlo deducendi, præſentemque efficiendi in quocumque loco ipſis placuerit, eumque illic inveniendi. *Eccleſia ubique CHRISTUM circumfert, nullo loco prohibente, ſed in omni loco ſunt altaria.* Populus Deo carus in lege veteri unum duntaxat habebat Templum, ubi liceret illi victimas immolare, quod tamen non vetabat, quominus gloriaretur, quod eſt in Deuteronomio; *non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Sed quid hodierna die dicendum nobis eſt de Eccleſia? Quænam eſt noſtra in Chriſtiana Religione felicitas, ubi neceſſe non eſt amplius in terræ angulum concedere ad quærendum Deum noſtrum, quandoquidem hic ipſe Deus ad fideles conveniendos accedit, & videtur unum tantum ex univerſo Mundo facere templum, ubi non ſolum adeſt ſuæ protectionis præſentia, vel titulo Conſecrationis, ſed in perſona ſua in iis templis ipſis, ubi illum adoramus: ita ut quamvis Judæis hunc honorem contulerit, ut ex eorum genere naſceretur, viveret, & non ita modico tempore cum illis converſaretur, potiorem nunc conferat nobis, modo longe præſtantiori in hoc Myſterio nobis Corpus ſuum, & Sanguinem tribuens. *Idem*.

Deuter. 4.

Languida probatur fides noſtra, qui ſlocci facimus videre Dei noſtri præſentiam.

Heu quam infirma, & languens eſt fides noſtra, quæ ita modicum præ ſe fert ardorem ad recipiendum hunc Deum ad hunc ſtatum redactum, ut ſe nobis largiatur, & ita frigidum deſiderium perfruendi hoc bono, quod Reges conſpicere concupierunt: *Amen dico vobis, quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, & non viderunt.* Magi ab Oriente venerunt, ut illum adorarent in ſtabulo: Ethnici quoque ad illum videndum feſtinabant, cum vivebat in terra, & ad illius Diſcipulos confugiebant, ut tanta perfruerentur felicitate; & in Evangelio videmus, homines ſibi præclare actum exiſtimaſſe, ſi fimbriam veſtimenti ejus poſſent attingere: nos vero non afficimur bono, quod poſſidemus, & vix de eo cogitamus! Fruſtra, S. Chryſoſtomus exclamat, plurimi inutilia fovent deſideria videndi hunc Deum Hominem, & veſtes illius attingendi: Vos illum videtis, hic Pater ait, vos illum attrectatis, vos illum amplectimini; vos illum in vobiſmetipſis recipitis, & beatitudinem veſtram non guſtatis? Verum eſt proprie loquendo ipſum a nobis neque videri, neque tangi; latet enim ſub ſpecierum integumentis: & nonniſi ſub mutuata veſte videtur. Sed quoniam ſcimus ipſum eſſe, quid eſt, quod ita poſſit explere, vel extinguere deſiderium illius poſſidendi, ut oportet, ut plurimi ſibi vim faciant ad recipiendum illum & Eccleſia minis utatur ad fideles cogendos, ut ſemel ſaltem quotannis ad illum accedant, & comminetur ſe de ſinu ſuo avulſuram illos, qui renuerint recipere bonum, quod omnium aliorum bonorum pretio eſſet redimendum? *Idem*.

Per fidem fruimur bonis præſentiæ Salvatoris in hoc divino Myſterio.

Si fuit unquam occaſio dicendi cum S. Paulo Apoſtolo, oportere, ut accedens ad Deum viva fide credat, hæc procul dubio eſt ratione hujus Myſterii; nunquam enim propius, ac verius ad illum accedimus, quam cum accedimus ad Aras, ubi ille eſt, & ubi intra noſmetipſos illum accipimus. Verum cum ille delitefcat ſub impenetrabilibus accidentium, quibus velatur, integumentis; nonniſi per vivam fidem iis fruimur bonis, quæ ipſius nobis largitur præſentia. Alia Myſteria noſtros quidem ſenſus, ac rationem exſuperant, ſed hoc ſenſibus ipſis, rationique ſimul adverſari videtur. Alia excedunt profecto intellectus noſtri lumina, ſed illis contraria non ſunt; hoc vero omnia ratiocinia noſtra videtur confundere. Unicum Dei verbum captivare poteſt intellectum noſtrum ſub jugo fidei; ſi enim conſulimus ſolum infirma rationis noſtræ lumina, nunquam detegemus illum, qui in hoc Myſterio noſtram conſtituit beatitudinem; ſed fides noſtra nos docet, Deum ibi latentem cum omnibus divitiis ſuis, in harum poſſeſſionem nos perducturum. *Idem*.

Euchariſtiæ veritas olim argumento fuit ad alias Religionis noſtræ veritates probandas.

Quamvis in præſentiarum nullæ ſint veritates minus in dubium revocandæ, quam tres magni fidei noſtræ articuli, qui in Symbolo continentur, videlicet divinitas JESU CHRISTI, divinitas Spiritus ſancti, & Reſurrectio; videtur tamen realis JESU CHRISTI præſentia in Sanctiſſimo Sacramento, veritas fuiſſe ab omni dubitatione remotior primis Eccleſiæ ſæculis: veritas enim de qua dubitatur, nunquam probari poſſet: per aliam, niſi hæc extra omnem dubitationis aleam eſſet poſita. Itaque nulla haberi poteſt de Euchariſtiæ veritate dubitatio, cum liquet hanc argumento fuiſſe ad probandos præcipuos fidei noſtræ, & Religionis articulos.

Facile autem oſtendere eſſe Sacramentariis ea ipſa, quæ nobis objiciunt ad impugnandam præſentiæ realis Dominici Corporis in hoc Sacramento veritatem, validiſſima fuiſſe argumenta ad præcipuos fidei noſtræ articulos probandos. Quoties nobis dictum fuit ridiculum eſſe, credere panem fieri Corpus Filii Dei, & vinum Sanguinem ejus. Fieri non poſſe, ut corpus ſit ſimul in pluribus locis, & hoc infinitis perſonis diſtribui, quin minuatur? Sed illis oſtendere poſſumus perſpicuis Diſcipulorum, Apoſtolorum, primorumque Eccleſiæ Patrum teſtimoniis, hæc, quæ ridicula vocant, & impoſſibilia, ea eſſe miracula, quibus probata fuit JESU CHRISTI divinitas, & unitas perſonæ in duabus naturis. Facile eſt aſſequi vim hujus argumentationis, quam fideles ſecundi Eccleſiæ Sæculi Valentinianis objiciebant. Panis, qui fit Corpus Domini, & Vini, quod fit Sanguis ejuſdem, tantum eſt miraculum, ut Deus unus illud facere valeat. Vos nobiſcum fatemini a JESU CHRISTO grande hoc miraculum in Myſteriis noſtris fieri; nobiſcum etiam vobis confitendum eſt JESUM CHRISTUM vere eſſe Dei filium. Similiter fideles Arianis, atque Neſtorianis hoc ſenſibile objiciebant argumentum. Simplicis hominis corpus eſſe non poſſet in pluribus locis ſimul, neque infinitis propemodum perſonis diſtribui, & opus eſt hoc eſſe Dei Corpus. Vos nobiſcum fatemini JESU CHRISTI Corpus eſſe pluribus in locis, in Cœlo, in terra, & ubi Sacra celebrantur Myſteria, ac in omnibus communicantibus; vos nobiſcum fatemini ipſum infinitis diſtribui perſonis, quin ullam patiatur imminutionem; vobis quoque nobiſcum fatendum eſt, JESUM vere Deum eſſe, Carnem ejus vere Carnem eſſe Dei, & Corpus ejus Corpus Dei. Aliæ argumentationes æque validæ, & apertæ ſunt, quas ſi quis vel leviſſime infirmare vellet, quin probaret Eccleſiæ Catholicæ veritates adverſus antiquas hæreſes, certius his pondus adjiceret. *Veritates Religionis contra antiquas hæreſes probare, ac propugnare per Abbatem Petit.*

Teſtimonium Eccleſiæ quæ ſequeſter eſt verbi ſenſum verborum Salvatoris manifeſtã e'o pro reali præſentia.

Nunquid adhuc dubitandum eſt de hujus Myſterii veritate poſt Eccleſiæ teſtimonium, quam Dei filius conſtituit ſui Evangelii ſequeſtrem, & ſicut illius intereſt hoc nobis in manus tradere, ita illius eſt etiam verum ejus ſenſum indigitare. Senſus autem quem tribuit locis Evangelicis de reali JESU CHRISTI præſentia in Euchariſtia adeo apertus eſt, & rectus, ut qui diſſentire velit vim faciat oportet verbis maxime ſignificantibus. *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et rurſus, *Accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus, qui effundetur pro vobis.* Fingine poſſunt textus clariores? Nunquid ſexcenties provocati ſunt Calviniſtæ, qui aſſerunt, Scripturas ſemper ad litteram eſſe intelligendas, ut hic inveniant ſenſum magis litteralem; vel proponant verba magis explicita ad exprimendam realem Corporis JESU CHRISTI præſentiam, qualem credimus? ad cujus argumenti vim eludendam in tercentum ferme ſententias abierunt, quæ ſeſe mutuo confodiunt, & quarum ne una quidem poteſt ſuſtineri; Immo accidit etiam, ut objectiones, quas huic opponunt Myſterio, illius veritatem confirment. Realis præſentia illis, ajunt, videtur impoſſibilis; talis videbatur etiam Capharnaitis, ubi veritatem hanc ex ipſius JESU CHRISTI ore audiverunt. Sed quam impoſſibilitatem illi nacti eſſent, credentes non ſecus ac Calviniſtæ JESUM CHRISTUM hominibus ad manducandum dare panem, qui figura eſſet Corporis ſui? Igitur quia Myſterium eſt incomprehenſibile, inde judicium ferendum eſt, JESUM CHRISTUM id feciſſe, & dixiſſe, quod credimus. *Pater Buffier in libro, cui titulus: Verus Spiritus, & Sanctus uſus dierum feſtorum ſol annuum per annum.*

Joan. 6.

Eccleſiæ traditio de reali Salvatoris præſentia in Euchariſtia nunquam fuit interpellata.

Repetentes traditionis veſtigia per decem priora ſæcula, ne minimus quidem deprehenditur dubitandi locus, utrum interpellata fuerit unquam poſſeſſio, quam ſemper retinuit Eccleſia, docendi, quod in hoc tradit Articulo. Et minus adhuc intelligitur, quomodo fides ſenſibus, humanæque rationi adeo oppoſita invehi potuerit, quin omnium mentes averterentur, quin Hiſtorici mentionem facerent novitatis adeo inauditæ, & multo magis quin Orientis Eccleſiæ adeo ſollicitæ in objicienda Romanæ Eccleſiæ vel minima novitatis, vel falſitatis ſpecie, quidquam illi hoc in argumento exprobrarent. E contra utraque hac in re ſine ulla varietate conſenſit, licet aliis in argumentis longiſſime diſſentirent. Denique inter recentes hæreſes quæ prima vexillum ſuſtulit, nunquam auſa eſt præſentiæ realis fidem labefacere. Lutherus, qui illam impugnare quærit, ut ille ipſe profeſſus eſt majori vi illam aſſeruit; & Calviniſtæ, qui crimini vertunt Catholicæ doctrinam hanc, illam in Lutheranis cenſent æqui, bonique faciendam. Adeo error confunditur, ac loquitur pugnantia. Ita Lutheranis nobiſcum pro reali præſentia in Calviniſtas pugnantibus, Calviniſtæ cum nobis pugnant adverſus Lutheranos de omnimoda mutatione ſubſtantiæ panis, quæ efficienda eſt, poſita reali præſentia; ita ut duæ ſectæ iſtæ, quæ vellent alioquin quælibet pro ſe tuenda in aciem deſcendere, hoc illis minime liceat, niſi

Digitized by Google

niſi Catholicæ Eccleſiæ fidem in hoc argumento de Euchariſtia antea probaverint. *Idem.*

Cur Patres in Eccleſiæ principiis non auderent palam, & clare loqui de hoc Myſterio?

Ceterum cur in veteri Eccleſia Euchariſtia habebatur veluti Myſteriorum Myſterium? Cur non erudiebantur Catechumeni? Cur tanta adhibebatur cura, ne id cognoſcerent infideles? Hæc totidem moralia ſunt argumenta probantia Myſterium hoc difficillimum eſſe ad credendum, & aptiſſimum ad excitandos ſenſus, exercendamque fidem credentium. Per hoc ipſum auferuntur difficultates deſumptæ ex quibuſdam locis Patrum de Euchariſtia; neque enim audebant paſſim loqui de illa, niſi obſcuris, involutiſque locutionibus uterentur, ne manaret in vulgus, quod ſoli fideles ſcire debebant, quod ſoli audire poterant, & de quo utilius erat vivæ vocis oraculo eos erudire, quam ſcriptis. *Idem.*

Cur SS. Patres uſi ſunt vocabulis ſigni, & Sacramenti in hoc Myſterio.

Tantum abeſt, quod vocabula *ſigni*, *Sacramenti*, *&* *Myſterii*, quæ inveniuntur in Patrum operibus officiant dogmati Eccleſiæ de Euchariſtia, ut illud roborent, atque confirment. Hoc enim maxime congruit ſtatui Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ ſuperior eſſe debet Jeroſolymæ terreſtri per veritatis poſſeſſionem, & inferior Cæleſti per modum illius poſſidendæ. Quomodonam hoc eſſet Sacramentum, ſi ibi palam ſine integumentis JESUS CHRISTUS videretur? Sed ſi hic ibi eſſet tantum in figura, quomodonam eſſet Sacramentum novi fœderis, & Eccleſiæ Chriſtianæ? Audacter ergo dicimus, hoc ſignum eſſe continens rem ſignificatam; velum cooperiens propriam JESU CHRISTI perſonam, Sacramentum, typum, antitypum, in quo, & ſub quo Corpus immortale, & incorruptibile, Sanguis adorabilis, & vivificans continentur. Dicimus in Cæleſtis hujus panis fractione veros fideles eos, qui æque ac duos Diſcipulos in Emmaus proficiſcentes, quotidie JESUM CHRISTUM confitentur; fides aperit oculos eorum; certi ſunt Salvatori non fuiſſe mentem eos decipiendi, cum dixit illis; *Accipite, manducate, hoc eſt Corpus meum.* At enim, inquiunt increduli, cur in Euchariſtia panis tantum videtur, ſi Corpus JESU CHRISTI ibi eſt? Reſpondeo hoc eſſe de Sacramenti natura, non oſtendere rem ſignificatam, & præſentis eſſe ſtatus Eccleſiæ non videre, quod credit; alioquin ſi videret, omni careret merito credens. Fides ſupponit caliginem, ſed quæ eſſet caligo, ſi videretur? Ceterum non poterat Dei Filius dare nobis manducandum in propria figura Corpus ſuum, hoc enim nobis horrorem intuliſſet; neque poterat illud dare nobis in ſplendoribus gloriæ ſuæ, neque enim accedere potuiſſemus; tamen illud nobis largiri decreverat, ut loquitur S. Ambroſius, cum eſſet cibus, & animarum noſtrarum alimentum. Quid igitur ſapientius facere poterat, ut miſericordiæ ſuæ conſilia adimpleret, niſi ſeſe transformare, ut S. Ambroſius loquitur? Cum non poſſit dare ſeipſum in figura propria, ſe nobis dat in aliena; cumque non poſſit gloriæ ſuæ radios oſtendere, eos ſub panis, vinique ſpeciebus abſcondit. Hoc pacto nobis oſtendit finem quem ſibi propoſuit in Myſterii hujus Inſtitutione, qui eſt ſpiritaliter nutriendi animas noſtras, ſicuti panis, & vinum nutriunt corpora noſtra. *Liber cui titulus: Sermones Aſcetici.*

Euchariſtia Myſterium eſt ex duabus rebus conflatum altera viſibili, altera inviſibili. Viſibilis tantū pertinet ad ſenſus.

Conſiderandum eſt Euchariſtiam divinum eſſe ſecretum, Ænigma admirabile, Myſterium incomprehenſibile ex duabus rebus compoſitum juxta Canones Eccleſiæ, quarum altera exterior eſt, interior altera. Altera viſibilis, altera inviſibilis; Altera exterior, interior altera, illa palam ſe videndam præbet, hæc ſe tegit, ac latet. Quæ latet, eſt Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI, reſidens ſub ſpeciebus inviſibili modo. Si Sacramentarii volunt ſpecies ſenſibus eſſe ſubjectas, aſſentimur; manus illa attrectat, guſtus ſaporem ſecernit, oculi colorem, figuramque conſpiciunt; ſenſus omnes dicunt hæc eſſe panis, vinique accidentia, nec falluntur. Sed ſi hos tranſilis cancellos, ſi tibi ſatis non eſt videre illud ſub integumento Sacramenti, ſi ut credis, ibi eſſe, poſtulas ut ſenſus ipſas penetrent ſpecies, Sanctuarium ingrediantur, æque judicent de interiori, ac exteriori, de viſibili, & inviſibili, dico tibi cum S. Paulo, fidem non per oculos quidem, ſed per auriculas ingredi. *Fides ex auditu:* & ſi Apoſtoli auctoritas non ſufficit, dico tibi cum Magiſtro Apoſtolorum, ad hoc, ut ſis fidelis, non requiri ut videas, ſed ut credas. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Poſt hæc ut olim S. Thomas, animum obfirmare, & nolle credere Corpus JESU CHRISTI eſſe in Sacramento, niſi illud videris, atque tetigeris; hoc non eſt eſſe Chriſtianum. Immo nec eſſe quidem rationis compotem cogitare, ſe per ſenſus comprehendere poſſe, quod ratio aſſequi nequit, niſi illuſtrata fuerit fidei lumine; hoc eſt ſemet implicare inexcuſabilibus abſurditatibus, & in manifeſtam contradictionem ruere. *P. Nouet in libro, cui titulus, de præſentia JESU CHRISTI in ſancto Sacramento lib.* 1. *cap.* 2.

Joann. 20.

Myſterium hoc non Cælo ſenſus noſtros excedit.

Cum omnes quæſtiones, quæ inſurgunt de reali Corporis JESU CHRISTI præſentia ad duo Capita redigantur: Videlicet utrum ille potuerit illud ponere ſub ſpeciebus, & utrum reipſa voluerit; quis non videt, effectus potentiæ illius infinite ſuperare ſenſus noſtros; oculorum noſtrorum aciem nimis infirmam eſſe, ut eo pervadat, & dubitandum eſſe, utrum negare liceat quidquid illos offendit. Si enim ſenſus eſſent conſulendi, & rejiciendum, quidquid illis videretur abſurdum, quis crederet Deum concluſum fuiſſe in Virginis ſinu, indutum corpuſculo ita exiguo quale eſt apiculæ in ipſo ſuæ Conceptionis articulo, natum in ſtabulo fuiſſe poſitum, & in vitæ exitu Cruci ſuffixum? Nonne jure ſuo Ethnici nobis objicere poſſent, quod objiciunt, nos colere Deum puerum, Deum duorum, vel trium dierum, atque tot proponere difficultates de Myſteriis vitæ ſuæ, quot Hæretici in hoc Euchariſtiæ Sacramento comminiſcuntur? Tandem enim liquet, in Euchariſtiæ Sacramento nihil invenire poſſe judicio ſenſuum ita oppoſitum, quod ipſum; vel amplius etiam, dici non poſſit de Myſterio Paſſionis, & Incarnationis, in quibus tamen a nobis diſſentire minime vellent. Si Hæreticus, ex. gr. dixerit, ſenſibus incredibile videri, Corpus idem ſimul eſſe viſibile in Cælo, & inviſibile in hoſtia: dicet infidelis non minus eſſe incredibile Deum ſimul in Mundo inviſibilem eſſe, & in carne viſibilem. Si dixerit incredibile ſenſibus videri, hominem habentem æquam magnitudinem ſub panis mica contineri: dicet infidelis, non minus eſſe incredibile, Deum, qui immenſus eſt; in puerili corpore concludi, & coarctari. Si dixerit ille ſenſibus incredibile videri, corpus incorruptibile, & glorioſum ſub corruptibilibus ſpeciebus deliteſcere, dentibus incidi poſſe, manu frangi, ſtomachi calore vitiari, & in alimentum converti: infidelis dicet non minus incredibile eſſe, Deum eſſe impaſſibilem, & dolorum magnitudinem pati, gloria eſſe circumdatum, & opprobriis laceſſitum, immortalem, & inter mortis æque violentæ, ac turpis ſupplicia animam efflantem: quorum alterum ſi credit Sacramentarius contra ſenſuum teſtimonium, cur alteri fidem negat adhibere? Si adorat Verbi majeſtatem ſub carnis imbecillitate, quantumvis hæ difficultates objiciantur, cur non adorat Verbi carnem ſub infirmitate ſpecierum, & ſub ſimplici velo Sacramenti? *Idem.*

Tantum abeſt, verba Filii Dei, ſenſuum noſtrorum illuſionem parere, cum nobis Corpus ſuum tribuit ſub panis ſpecie, ut immo nos contra eorum inſidias munierit præſidio ſuo apertiſſima verbi ſui ſignificatione: *Hoc eſt Corpus meum.* Illud ex ipſius ore exceperunt Apoſtoli, qui nobis tradiderunt. Patres omnes profitentur nullum eſſe dubitandi locum de veritate Corporis in Euchariſtia, quandoquidem per proprium Salvatoris declarationem, Corpus illius vere cibus eſt, & Sanguis vere potus. Sanctum Sacramentum non eſſe ſymbolum inanis Myſterii, ſed verum Corpus JESU CHRISTI. Poſt hæc monita adeo explicita, ſincera, ac toties repetita, ſi noſtri falluntur adverſarii, ſi opinantur, id, quod Dei Filius nobis præbet in Sacramento, eſſe tantum figuram Corporis ſui, ne ſibi blandiantur; Dei Filius non eſt cauſſa illuſionis eorum; ipſorum incredulitas directe adverſatur conſiliis ejuſdem, pro judicibus præſentiæ ipſius aſſumentes ſenſus, quibus propter rationes prorſus divinas id abſconditum voluit. Si Patrum doctrinam magis vererentur, minuſque proprio adhærerent judicio, facile poſſent errorem abjicere, ac diſſipare tenebras mentis ſuæ lumine, quod ex ſcriptis illorum poſſent mutuari. Hi fideles noſtrorum Myſteriorum interpretes unanimi voce dicerent Dei Filium latere voluiſſe per admirabilem bonitatis ſuæ diſpoſitionem, qua voluit nobis adimere naturalem horrorem, qui nos deterruiſſet ab eſu Carnis ſuæ, & a potu Sanguinis ſui, niſi utrumque celaſſet ſub panis, & vini ſpeciebus, quæ vulgo noſtra ſunt alimenta, & quibus omnino minime averſamur. *Idem.*

Verba Filii Dei non illudunt ſenſus noſtros.

Quod attinet ad S. Patres arduum non eſt invenire locos, qui Catholico dogmati faveant. Omnia plena ſunt, & ex illis collectis integra prodierunt volumina. E contra perpauci ſunt, qui tamquam nobis oppoſiti objiciuntur; ſed fictum adeſt, in quo utraque pars conſentit, & quod omnia conciliare poteſt, omnemque dirimere controverſiam. Hoc autem eſt, Patres cum apud Infideles, & nondum baptiſmate regeneratos, & ſacris initiatos Myſteriis loquerentur, vel pro illis ſcriberent, nequaquam totam explicuiſſe palam Eccleſiæ doctrinam, ſed illis ſatis viſum eſſe aliquam tantum attingere veritatis particulam; ſed cetera involviſſe quodam veluti integumento, quod alieni penetrare non poſſent. Hoc poſito, quod liquet, loci, qui in ſpeciem ſibimet adverſari videntur, etſi re ipſa nequaquam ſecum pugnent, non debent amplius negotium faceſſere. Non eſt igitur, cur in ſingulorum examine immoremur, neque appendamus in fallaci humanarum ſubtilitatum ſtatera omnes locutiones, verba, & apices litterarum, quod infiniti laboris eſſet. Diſtinguere ſatis eſt, ſi fieri poteſt, & id aliquo ſatis bono argumento, quinam ſint ex locis hiſce illi, in quibus integra adeſt veritas, & illi ubi veritas eſt tantum ex parte, & ut ita dicam, perſonata, ne ab omnibus agnoſcatur. Ad id duplex nobis ſuppetit ratio, quarum altera generalis eſt, peculiaris altera. Prior eſt conferre locorum horum numerum, & qualitatem; poſterior vero hæc eſt, quod Providentia nobis reſervavit rudimenta, quæ tradebantur illis, qui vel initiati erant, vel jamjam initiandi

Patres celebrant hujus Myſterii veritatem aliquibus locis quos juſtitiæ Sacramenti ... ſed non deſunt longe plures perſpicui, & indubii.

ſacris

ſacris Myſteriis. Bonus ſenſus non patitur, nos dubitare, quominus omnia integumenta, ac velamina fuerint ablata. Sed Eccleſia loquitur ad novos præſertim fideles, uti nos loquimur ad fratres noſtros uſque ad ſæculum quartum; ſecundum objectiones, quas nobis ingerunt ſæculo decimo ſeptimo; quomodo autem hinc affirmare poſſunt, tunc illam non credidiſſe, quod credimus hodie? *Peliſſon in ſuis Animadverſionibus in Religionis diſſidia.*

Lutheri teſtimonium pro ſententia Patrum de realitate contra Sacramentarios.

Mirum profecto eſt, ne unum quidem ex Patribus, quorum infinitus eſt numerus, locutum unquam fuiſſe, quemadmodum Sacramentarii loquuntur; neminem quippe invenire eſt, qui his terminis uſus fuerit, hic eſt panis, & vinum duntaxat, vel Corpus, Sanguis JESU CHRISTI præſentia non ſunt. Re vera credibile non eſt: neque poſſibile, hoc argumentum toties tractantibus, & refingentibus, elapſa illis non fuiſſe aliquando, vel ſemel tantum hæc verba: Hic eſt panis merus, vel Corpus JESU CHRISTI non eſt corporaliter præſens, vel aliis his ſimilia: idque eo magis quod quam maxime intereſt homines in rebus hujuſcemodi minime falli. Tamen Patres omnes ita palam loquuntur, quaſi nemo ex illis de Corporis, Sanguiniſque Dominici præſentia dubitaret. Et profecto ex tot Patribus, ac tot voluminibus, quæ nobis ſcripta reliquerunt, nonnulli, vel ſaltem unus, negativam opinionem exprimere potuiſſent; ſed omnes unanimi, conſtatoque conſenſu proferunt affirmativam. Sacramentarii vero noſtri non niſi negativam magno cum clamore pronuntiant... Ipſi tenemus perſpicue, quod aſſerunt verba: Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI eſſe præſentia, cum ille ait: Accipite, & manducate: *Hoc eſt Corpus meum.* Sed adverſarii palam aſſerunt, ſolum panem, & vinum eſſe præſentia, non autem Corpus, & Sanguinem JESU CHRISTI. Si illi falluntur id credentes, atque docentes, certum eſt illas blaſphemias evomere in Deum, mendacii redarguere Sanctum Spiritum, proditores eſſe JESU CHRISTI, & Mundi totius ſeductores. *Lutherus in defenſione verborum Cœnæ. Tomo 7. pag. 391. Editioni VVitembergenſis.*

Tranſubſtantiatio innititur unanimi Patrū omnium conſenſui.

Realitatis inimici dicunt mutationem panis in JESU CHRISTI Corpus eſſe incredibilem. Fatetur equidem tranſubſtantiationem Myſterium eſſe quod ſuperat ſenſus, ſed innititur argumentis adeo validis, & quæ & ita palam Bibliorum locis incumbunt, et innituntur traditioni, & quæ toties, & explicite a SS. Patribus comprobata ſunt, ut impoſſibile ſit illam non credere, ubi nonnihil bonæ fidei, ac Religionis ſuperſit. JESU CHRISTI verba non ſinunt nos dubitare, panis ſubſtantiam delatam fuiſſe, & ſubſtantiam corporis ſubſtitutam. Omnium ſæculorum, & nationum conſenſus in illis explicandis eodem in ſenſu, in quo ab Eccleſia explicantur, palam oſtendit, aliter explicari non poſſe. Cura quam Patres ſuſceperunt in illorum explanatione, & fide ſtatuenda, & refellendis argumentis, quæ objici poſſent, ne minimem quidem in hoc argumento difficultatem relinquunt. Etenim ad oſtendendam hujus mutationis poſſibilitatem confugeont ad infinitam Dei potentiam, & ad miracula, quæ variis temporibus operatus eſt, atque ſimilitudines, quæ non niſi id quod de tranſubſtantiatione credimus, poſſunt ſignificare. Audite quomodo argumentantur. Qui per verbum ſuum creavit ex nihilo omnia, & cui ad ea creanda dicere ſatis fuit; Fiant, non poteſt naturam hanc in aliam convertere? Terra, & mare non erant, & hodie ſunt: quis poſt hæc dubitare quominus mutare poſſit aliquid quod jam erat in id quod non erat? *Auctor recens.*

Si Patres credidiſſent J. C. verba intelligenda eſſe in ſenſu figurato, non admodum ſolliciti reſpondiſſent omnibus hujus argumenti difficultatibus.

Si SS. Patres credidiſſent hæc JESU CHRISTI verba, *Hoc eſt Corpus meum*, in figurato ſenſu eſſe intelligenda, haud illi quidem curam omnem impendiſſent diluendis difficultatibus, quæ obſtant, ne aſſequamur, quo pacto poſſimus recipere Corpus JESU CHRISTI in Euchariſtia; neque enim arduum eſt intelligere quomodo recipi valeant in figura tantum, ſeu per fidem. Sed ſenſus, & ratio adverſari videntur, credendo illum realiter eſſe præſentem. Hoc tamen Sancti Patres fecerunt, ac operam ſuam collocarunt ad populos in hujus Myſterii fide confirmandos, & diluendas difficultates, quæ illos deterrebant, ne ſe ſubjicerent; igitur credebant realitatem. Id eos feciſſe facile probari poteſt per locos, quos attulimus. Neque enim de communi re dicitur, quæ nullam gravem contineat difficultatem, quod ex S. Cyrillo protulimus: *Cum CHRISTUS de pane pronuntiaverit, ac dixerit*, hoc eſt Corpus meum, *quis audebit ambigere?* Nonne hortantur ad id credendum, quod facit S. Ambroſius per illa verba: Spiritus intus confiteatur, quod os profert, ſcilicet verum eſſe, quod hoc *eſt Corpus JESU CHRISTI.* Non dicitur, cum S. Gaudentio; hæc eſſe credenda, neque enim veritas mentiri poteſt. Quid facilius erat quam has omnes dubitationes evertere, dicendo; quandoquidem licet hominibus ſigna conſtituere, id a fortiori licuiſſe Deo, oſtendendo quam plurima ab eo conſtituta fuiſſe in veteri teſtamento, & dubitari non poſſe, quin minus panis, & vinum ex hoc numero ſint? His rationibus adjicite eas locutiones; quæ adeo frequentes, ac familiares ſunt apud SS. Patres dicentes, Euchariſtiam *veram eſſe JESU CHRISTI, Carnem, vere Corpus eſſe JESU CHRISTI*, proprium eſſe *Corpus illius; ipſum Corpus JESU CHRISTI.* Quæ loquendi rationes oſtendunt, verba illa, hoc eſt Corpus meum, non eſſe in figurato ſenſu accipienda. *Idem.*

Cum prodiit hæreſis Berengarii, nemo meminit alias ab aliquo prædicatum fuiſſe hanc eſſe figurā Corporis Filii Dei.

Undecimi ſæculi initio, cum prodire cœpit hæreſis Berengarii, nemo ex omnibus, qui tunc erant in Mundo meminit, olim jam extitiſſe, qui docuiſſet, hoc in figura tantum contingere: & univerſos terrarum orbis ſententiam realitatis profitebatur. Tunc enim omnes ſimul quaſi dato ſigno contra hanc hæreſim inſurrexerunt, & qui contra eamdem ſcripſerunt totius Mundi fidem appellarunt, quæ illi adverſabatur, aſſerentes nihil antea ſimile auditum fuiſſe. Quomodo autem Mundus univerſus potuiſſet mutare fidem tanti momenti? Agitur enim de Sacramento, quod ſatis frequenter primis Eccleſiæ temporibus recipiebatur, & quod omnes neceſſario callere debebant; & ſi videmus, ubi mutatio aliqua invehi cœpta eſt in aliquo articulo fidei, hoc te adhuc integra ingentes ſtrepitus excitatos fuiſſe; quomodonam fieri potuiſſet in re tanti momenti mutatio aliqua, quin intelligeretur? Non liquet, aliquem unquam inſurrexiſſe in eos, qui credunt realitatem, non videtur aliquis extitiſſe liber contra Concilium ullum coactum ad ſententiam hanc proſcribendam: immo e contra videmus omnes inſurrexiſſe in Berengarium, hunc in pluribus Conciliis damnatum fuiſſe, tamquam auctorem doctrinæ contrariæ dogmati Eccleſiæ omnium ſæculorum. *Idem.*

Antiquitas veritatis novitas erroris argumentum.

Primi Auctores Religionarii nonne Catholici erant ab origine? Nonne Catholica Eccleſia illos JESU CHRISTO pepererat? Nonne ab illa hauſerant fidei veritates? Quis dederat illis Sacramenta? quis in manibus eorum Scripturas tradiderat? Nonne Eccleſia, quæ Evangelicum Miniſterium poſſidebat, & quæ hoc veluti per manus traditum ab Apoſtolis per Paſtorum ſuorum ſucceſſionem acceperat? Nonne hæc Eccleſia omnium ampliſſima eſt ſocietas radicalis, & originalis, a qua reliquæ omnes ſeceſſerunt? Non credunt Religionarii illam jure ſuo a ſinu ſuo amputaſſe eas ſectas, a quibus jam pridem ignorabatur. Denique nonne illi etiam, uti nos, crediderunt realitatem, atque tranſubſtantiationem? Quæratur modo ex illis utrum ſecundum fidei principia a Patribus recognita liceat recedere a ſocietate matrice, & originali, ſucceſſiva, & Catholica? Utrum ſchiſmatis error ſit ſcelus nequiſſimum? utrum loco ſupponendi, matrem Eccleſiam eſſe errorum cathedram, ſupponendum ſit econtra, illam ab omni errore eſſe vacuam; quandoquidem regitur ſpiritu veritatis, qui falli non poteſt, & JESUS CHRISTUS pollicitus eſt ſe illi uſque ad ſæculorum finem futurum auxilio? Euchariſtiæ inimici has regulas ſine præventione, bonaque fide meditentur; ac videbunt duo; unum quidem penes Eccleſiam Catholicam eſſe poſſeſſionem miniſterii vocationis & veritatis Sacramentorum uſque a principio: alterum vero Calviniſtas centum præter propter ante hanc diem annos incepiſſe ſeorſim corpus efficere. Quis dubitat præferendam eſſe fidem realitatis in ſocietate probatiſſima, vetuſtiſſima, & univerſali, ac plures veræ Eccleſiæ notas habente? Non video apud vos neque veritates, quas mihi promittitis; neque perſpicuitatem erroris, ad quem in Euchariſtia damnandum me impelliris: cur igitur infringam vincula auctoritatis, antiquitatis, ſanctitatis, miraculorum, quibus Catholicæ Eccleſiæ inhæreo, ut veſtram ſequar, ubi veritates quidem jactitari audio, ſed ubi nihil ſoliditatis invenio? *Iſta ergo tot, & tanta Chriſtiani nominis cariſſima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Eccleſia, & ſi propter naturæ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas ſe nondum apertiſſime oſtendat: apud vos autem ubi nihil horum eſt, quod me invitet, ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio:* nonne quoddam impietatis genus eſſet, vel præcipitis arrogantiæ nolle Catholicam fidem proferre? *Cui nolle primas dare, vel ſumme profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Quæ igitur nequitia, quæ cupiditas, quis rationis abuſus eſt in Chriſtiano ſimplici ac rudi, cui oſtenditur, omnes Mundi totius Chriſtifideles credere realem præſentiam, ſolis Calviniſtis exceptis; qui univerſe, & ſine exceptione credebant ante Berengarium; & quos impoſſibile eſt, non credidiſſe ſemper; quoniam impoſſibile eſt, per ſententiarum mutationem ad eam credendam acceſſiſſe: quæ inquam nequitia eſt præferre nolle fidem hanc univerſalem infirmiſſimis ratiociniis, quæ mens eorum illis ſuggerere poſſet; & credere ſe in minori errandi periculo verſari proprium ſequentes ſpiritum, quam fidem illam amplectentes? Superbia ſane, ac temeritas nonne eſſent hujuſmodi conſilii cauſſæ? *Cui nolle primas dare, vel ſumma profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.* Prudentiſſimus uſus, quem ſimplex fidelis efficere poſſit rationis ſuæ, ſane eſt illis dicere, quod olim Manichæis S. Auguſtinus: *Vos autem tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium eſt, quin nihil dignum auctoritate præferatis.* *Auctor recens.*

Auguſt. contra Ep. fund. c. 4.

Idem de utilitate credendi c. 17.

Ibidem.

Infallibilitas Eccleſiæ Catholicæ fundamentum veritatis fidei de realitate.

Nonne in Eccleſia Catholica eſt infallibilitas gratiarum, ac privilegii, quæ pendet a gratia gratis data a Deo, qui ibi veram fidem ſervaturus eſt uſque ad ſæculorum conſummationem? Hæc autem infallibilitas non ſolum ſe extendit ad præcipua capita, ſed ad omnia puncta, quæ Catholica recenſet inter articulos fidei, unde hæc ſequitur argumentatio: omnis doctrina, quam Catholica damnavit Eccleſia fallax eſt, & quam illa probavit vera eſt: ſed doctrinam, quam tradunt Religionatii, JESUM CHRISTUM realiter non eſſe in Euchariſtia, Catholica damnavit Eccleſia; quæ realitatem, ac tranſubſtantiationem ſemper docuit, & probavit: ergo aſſertum Calviniſtarum dogma falſum eſt, illud vero Eccleſiæ Catholicæ verum eſt. Simplex hæc argumentatio in demonſtrationem migrat, ubi per Scripturam Sanctam Eccleſia infallibilis eſſe probetur. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* JESUS CHRISTUS, quem Pater ſemper audit, & exaudit, nonne obtinuit, ut fides Sedis Petri eſſet infallibilis? *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Privilegium infallibilitatis non niſi ad Eccleſiam Catholicam ſpectat: hoc adhæret Petri Cathedræ; reliquæ ab hac avulſæ ſunt. Eccleſia hæc nos docet per os Evangeliſtarum, Doctorum calamo, conſtanti traditione, JESUM CHRISTUM realiter adeſſe in Hoſtia divina: hæc docet, cum JESUS CHRISTUS accepiſſet panem manibus ſuis, illum benedixiſſe, ac dediſſe diſcipulis ſuis proferendo verba hæc efficientia, & omnipotentia: *Hoc eſt Corpus meum:* docet panem hunc non eſſe habendum amplius pro pane vulgari, & uſitato: ſed ſicuti verbum ſeſe humanitati conjunxit, ſimiliter per ſanctitatem verborum, per Invocationem Spiritus ſancti, panem mutari in Corpus JESU CHRISTI: *Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus, ſed ut Carnem incarnati illius Verbi, & Sanguinem.* Quomodo ergo novos audire poſſumus homines, qui tantum abeſt, quod infallibilitatis gaudeant privilegio, ut e contra omnes habeant characteres erroris, & qui erumpentes aſſerunt Eccleſiam hanc infallibilem in errorem lapſam fuiſſe in præcipuo Chriſtianæ Religionis argumento, docendo, quod ſemper docuit, JESUM CHRISTUM in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento eſſe præſentem. *Auctor recens.*

Joann. 2. ult.

Luc. 20.

S. Juſt. Martyr Apol. pro Chriſtianis.

Mutatio, quæ contigiſſe fertur in fide de realitate, chimæra eſt recto ſenſui contumelioſa.

Nonne mera viſio eſt aſſerere in Catholica Eccleſia ſenſim, & ſine ſenſu factam mutationem, quæ effecit, ut illa quin cognoſceret, ex dogmate aſſertæ figuræ migraret in dogma realitatis: Sathanam hanc ſeviſſe doctrinam per ſomnum Paſtorum, & quin Eccleſiæ Patres ſenſerint principium, vel fidei progreſſum de realitate, omnes in illam ingreſſos fuiſſe, quin adverterent ſe antea in alia ſententia fuiſſe. Cuinam Novatores perſuadere poſſunt Chimæram hanc, quæ lædit bonum ſenſum eorum, qui eadem uti velint, & quos non omnino dereliquerit Deus? ita ſibi jus eſſe arbitrantur diſponendi de fide omnium mentium, ut illis ſuadeant paradoxa, ad quæ confirmanda evertere debent omnia dogmata in Eccleſia recepta ad Eccleſiarum regimen pertinentia. Hæc imago eſt temeritatis, in quam homines erumpere poſſunt, ubi erroris ſpiritu poſſidentur: hæc inſana cæcitas, in quam ruunt populi, cum amore novitatis rapiuntur. Ut ſeſe excuſent, in medium proferunt inſenſibilem mutationem, quæ contigit in diſciplina, quæ talis fuit, quod exorta inter Sacerdotes ambitionis contentione res ad eum ſtatum, in quo eſt, perducta fuit, ut quin omnes per Sacerdotium pares eſſent, locus patuerit præeminentiis, atque ita per mutationem inſenſibilem Eccleſiam tranſiiſſe ad doctrinam realis præſentiæ, quæ primis temporibus ignorabatur. Sed quomodo ſibi perſuadeat aliquis, omnem primitivam Eccleſiam jam in omnem terram effuſam mutationem hanc non intellexiſſe? *Nihil fallebat primorum Paſtorum vigilantiam; impugnabant hæreſes prout prodibant, & ſilentium ſervaſſent per criminoſam incuriam in eo Sacramento, quod ampliſſimis verbis extollunt, in quo apertiſſime ſenſus ſuos exprimunt, & quod fideles ipſi palam profitebantur divinis communicantes Myſteriis, cum præſertim *nemo*, ut S. Auguſtinus ait, *illam Carnem manducet, niſi prius adoraverit? Idem.*

Hom. in Pſ. 98

Omnes Chriſtianæ ſocietates, quæ etiam ab Eccleſia Romana ſeceſſerunt realitatis fidem ſervarunt.

Attentius duo hæc puncta conſiderentur; alterum quidem, realem præſentiam conſtitutam inveniri in omnibus communionibus, & in illis etiam, quæ ante plura ſæcula diſceſſerunt ab Eccleſia Romana, quin unquam vel in hac, vel in aliqua ex his ſocietatibus viſa fuerit ſpecies aliqua innovationis in hoc Myſterio; Alterum vero, Sacerdotes, immo fideles etiam vulgo diſtinctiſſimam habuiſſe fidem Myſterii Euchariſtici: nonne fateri cogemur, Eccleſiam tenere verum fidei depoſitum; Sectam autem Calviniſtarum in errore verſari? Quemadmodum permiſit Deus, quod S. Auguſtinus animadvertit, ut Judæorum natio ſeſe in omnem terram effunderet, ut quocumque divinos libros deferrent damnationem illorum, & Chriſtianæ Religionis probationem deferentes; Deus ſimiliter ſervat omnes chriſtianas ſocietates, licet ab Eccleſia Catholica avulſas, ut perpetuum perhibeant teſtimonium veritatis, & antiquitatis dogmatum ejus, & novitatis errorum, in quos hæretici lapſi ſunt. Quemadmodum igitur Religionem noſtram impugnantibus dicimus: reſpicite in manibus inimicorum noſtrorum libros, quibus illa confirmatur: Judæi noſtri ſunt Adverſarii, & ſecum habent invictum argumentum, quo Chriſtianæ Religionis veritas comprobatur: hoc ipſum dicamus Religionariis; oculos convertite ad has Societates omnes, quæ nobis bellum indicunt, & proniores ſunt ad nobis contradicendum, quam ad imitandum, & quibus æque ac nobis perſuaſum eſt de reali præſentia. Quis credet hunc fortuitæ ſortis effectum eſſe, tot nationes adeo invicem diſtantes, affectibus alienas, ac ſententiis diviſas, ac variarum cupiditatum fluctibus agitatas, conveniſſe tamen in fide Myſterii, quod illos abrenuntiare jubet omnibus luminibus rationis, & credere incepiſſe, tunc ſolum cum ab antiqua fide receſſerunt? Eſto, Tertullianus ait, omnes deerraverint Eccleſiæ; Apoſtolus ipſe deceptus fuerit cum earum ſingulis teſtimonium perhibuit, Spiritus ſanctus nulli gratiam conceſſerit deducendi illas ad veritatem.... Sed veriſimile ne eſt tot Eccleſias in eundem errorem incidiſſe, & fieri ne poſſet, ut tanta hæc uniformitas inveniretur in multitudine eventuum, qui a mera forte penderent? Fieri igitur non potuit, ut Eccleſiæ eodem erraverint modo: ideoque ubi eadem Doctrina in pluribus videtur Eccleſiis, argumentum eſt, errorem hunc non ab illis inventum, ſed illis traditum fuiſſe: *Non eſt erratum, ſed traditum. Auctor recens.*

Tertullian.

Eccleſiæ Græcæ traditio hac in re conformis traditioni Eccleſiæ Latinæ. Joann. Damaſc. de fide orthod. lib. 4. cap. 14.

Græci qui Euchariſticum celebrant Sacrificium, nonne habent eamdem fidem de divinis Myſteriis, quam Romana habet Eccleſia? Quomodo vero ab illa diſcedant, quandoquidem S. Joannes Damaſcenus, qui eſt veluti S. Thomas Græcorum, & S. Gregorius Nyſſenus dicunt, Corpus JESU CHRISTI in ara oblatum eſſe *purum illud, & incruentum Sacrificium, quod ab ortu ſolis uſque ad occaſum ſibi oblatum iri, per prophetam Dominus ait, Corpus nimirum, & Sanguis CHRISTI ad animi, & corporis noſtri firmamentum cedens, quod non conſumitur, nec corrumpitur, nec in ſeceſſum progreditur.* Præterea interrogate, inquit Lanfrancus ſcribens adverſus Berengarium, eos omnes qui latinam linguam, latinoſque libros norunt, interrogate Græcos, & Armenos, ac generatim fideles omnes cujuſcumque nationis ſint, reſpondebunt ſe tenere fidem, quam ipſi profitemur. Si Doctrina tua vera eſſet, dicit ille Berengario, oporteret, ut Eccleſia jam interiiſſet, vel nunquam fuiſſet. Hoc profecto fuit conſilium Berengarii, qui quin negaret univerſalem conſenſum omnium Eccleſiarum de reali præſentia, illum e contra fatebatur, ſed conabatur perſuadere, poſtquam Eccleſia late ſeſe in omnes nationes extendit, poſtquam formata & aucta fuit, mox in errorem lapſam eſſe per ignorantiam eorum, qui non intelligebant Myſteria. Novatores ergo fruſtra ſuis utuntur acuminibus ad eludendum argumentum depromptum ex univerſali nationum omnium conſenſu; nos ſemper dicemus illis quod Berengario Lanfrancus: *Faſtu, quo plenus es contra orbem terrarum ſentire cœpiſti. Abſit, ut tam perverſis, & a veritate ipſa tantum averſis pari jungamur perfidia; atque in ſancta Domini Corporis, ac Sanguinis communione, minus aliquid fateamur, quam Catholica per orbem univerſum prædicat Eccleſia. Idem.*

Lanfranc. c. 4. de Sacram. contra Berengar. Lutand. p. 2.

S. Joannes Damaſcenus anteceſſum ab ingenio Novatorum de reali præſentia. Joann. Damaſc. de fide orth. c. 4.

Nonne diceres S. Joannem Damaſcenum id unum ſpectaſſe, ut omnes Miniſtrorum artes eluderet, quorum aliqui allegant mutationem virtutis, alii chimæricam S. Spiritus unionem, panem, qui remanet panis, cum his loquitur verbis: Si Dei verbum eſt potens, & efficax: Si Dominus operatur quodcumque vult, ſi dixit, fiat lux, & lux facta eſt..... Dubitabimus ipſi, illum non poſſe panem in ſuum Corpus convertere, & vinum mutare in Sanguinem ſuum? Dixit olim, producat terra herbam virentem, & terra cæleſtibus irrigata pulvis quotidie germinat per vim, atque ubertatem, quam illi divinum impreſſit imperium: Hic ipſe Deus dixit: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus, hoc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*, atque ut adimpleatur imperium, effectus hic oritur, donec veniat... Quemadmodum erga Deus olim fecit omnia per operadonem Spiritus ſancti, ſimili ratione per ejuſdem ſpiritus operationem in divinæ Euchariſtiæ Myſterio ea facit, quæ ſunt ſupra naturam, & quæ nonniſi per fidem intelligi poſſunt, atque ad evitandam humanarum cogitationum rebellioοem, quas hoc portentum avertere poſſet, non dubitationibus, nec quæſtionibus, reſpondet, ſed rem ipſam confirmat. Si quæritis id quomodo fiat, ſatis vobis ſit intelligere hoc fieri per Spiritum ſanctum, quemadmodum per eumdem Spiritum ſanctum ex Deiparæ ſinu prodiit Verbum Dei: neque enim aliud cognoſcere poſſumus in hiſce Myſteriis, niſi Verbum Dei verum eſſe, eſſe omnipotens, ſed operandi modum incomprehenſibilem eſſe. Poteſtne apertius exprimi orthodoxa fides de reali præſentia? Poſſuntne fortius eludi omnes Novatorum evaſiones? Nonne fatendum eſt, ſicuti mundis omnia munda ſunt, omnia lucent iis, qui ſunt in luce; ita omnia tenebras eſſe ambu-

Digitized by Google

ambulantibus in tenebris; & cum homines ſeſe excæcare volunt, permittere Deum, ut in æquiſſimam criminis pœnam hoc illis accidat.

Verba naturalia diſpenſant Catholicos ab explicatione & probatione dogmatis Eucharistici: conſtia verba, quibus utitur Calviniſtæ eos cogunt probare, quod proferunt.

Quædam probatione non indigent, tot enim convestita ſunt veritatis indiciis, ut ad illa intelligenda modica attentione ſit opus: ita ut pro certis habenda ſint; quædam vero ſunt tot præjudiciis impedita, ut ridiculum ſit illa proponere ſine probationibus, & multo magis aliis neceſſitatem inſerre velle rationes afferendi. Hoc ad præſentem diſputationem applicandum eſt. Jus enim ſupponendi penes Catholicos eſt. Eorum dogma tot habet notas veritatis, ut mens ſtatim acquieſcat; e contra vero Calviniſtarum opinio tot eſt falſis præjudiciis involuta, ut neque jus habeant ſupponendi ſententiam ſuam, neque exigendi probationes, ſed tenentur ipſi afferre argumenta demonſtrationibus æquipollentia. Hinc igitur ſequitur, ut cum Catholici utuntur locutionibus Patrum ad fidem ſuam exprimendam de Euchariſtiæ Sacramento; non eſt, cur eorum ſenſum conſtituant, quandoquidem conſtitutus eſt verbis iiſdem; adeo ſunt naturalia, & vulgo ab omnibus recepta. Sequitur etiam cum hujuſmodi locutionibus Calviniſtæ reſpondent, non ſufficit dicere, illas alio in ſenſu poſſe explicari, iiſque applicari duas diſtinctiones coactas figuræ, & virtutis; ſed illis oſtendendum eſt particularibus argumentis, hunc verum eſſe Auctorum ſenſum, qui iiſdem uſi ſunt; eas vere ab illis acceptas fuiſſe in ſenſu figuræ, & virtutis, quod oſtendere debent rationibus æque perſpicuis, ut ejuſdem ſint ponderis ac rationes Catholicorum. Ex hoc fundamento, de quo dubitare non licet, inferri poteſt, omnes Calviniſtarum reſponſiones, in quibus ſatis eſſe putant aſſerere, Patrum locos intelligendos eſſe de corpore ſymbolico, de corpore typico, de virtute explicita, reſponſiones eſſe contrarias & rationi, & recto ſenſui, quia non confirmant reſponſiones ſuas argumentis, auctoritatibus, quæ oſtendant, Patres vere voluiſſe loqui de corpore ſymbolico, de corpore typico, & de virtute explicita. *Auctor recens.*

Patrum ſilentiũ circa difficultates Philoſophicas eſt probatio præſentiæ realis, & effectus fidei tranquillæ.

Patres nequaquam locuti ſunt de Philoſophis difficultatibus Myſterii Euchariſtici, quia ſeſe continuerant in fide, atque huic fundamento inhærere voluerunt. JESUS CHRISTUS, dixerunt omnes, inter nos eſt in Euchariſtia eo modo, quo in Cælis eſt. Proprie, & vere eſt in hoc Myſterio; hoc eſt Corpus illius, ſed ibi eſt eo modo, qui nos fallit; quem fides agnoſcit, & adorat, ſed quem minime penetrat; docilitas, quæ oritur ex fide, non permittit, ut ſpiritus de hac re ſit ſollicitus, vel ſi permittit, vetat ne perturbetur minime intelligens effectus omnipotentiæ Dei, & videns intellectum noſtrum Myſteriorum portentis ſuperari; ſubjicit enim mentem infinitæ Majeſtati Dei; jugulat, ac mergit omnia humana conſilia, & cogitationes in abſoluta certitudine verbi Dei, & in infallibili Eccleſiæ auctoritate. Ita omnes difficultates minime faceſſunt negotium Catholico; parum de hac re cogitat, & minus adhuc loquitur; & nihil omnino loqueretur, niſi cum inquietis hominibus verſaretur, illum de his rebus loqui cogentibus. Si nulli eſſent in terris Calviniſtæ, omnes Philoſophiæ difficultates non magis ſeſe offerrent menti fidelium, quam difficultates Myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, quæ ignorantur a Chriſtianis omnibus, cum interim illis obruantur Sociniani; non ſecus ac Calviniſtæ Philoſophis difficultatibus Myſterii Euchariſtici obruuntur: cum enim eorum imaginatio ſæpe, & acriter fuerit perculſa, ſæpe has illis cogitationes refricat. Igitur prorſus naturalis eſt effectus tranquillæ fidei tranſubſtantiationis ſilentium hoc, quod deprehenditur in his nationibus, quæ nunquam loqui audierunt de hujus Myſterii difficultatibus, & quæ, ut inquiunt, obſtruerent ſibi aures, ſi quem illas proferentem audirent. Ita primis Eccleſiæ ſæculis Doctrina præſentiæ realis, atque tranſubſtantiationis optime conſtituta ſine ulla contentione, Patres ſeſe continuerunt in iis docendis, quæ fideles ſcire oportebat ad fidem eorum ædificandam; neque locuti ſunt vel ſermonibus vel ſcriptis in populo ea, quæ vulgo audiri operæ pretium non erat. *Has odioſas diſputationes*, ait Sanctus quidem Angliæ Epiſcopus, *illi objicere ſolent, quos amor humanæ laudis... fatigat: qui laqueos parare gaudent imperitis; quibus cordi potius ſequi rationem Sapientiæ ſæcularis, quam fidei veritatem. Idem.*

Ernulphus Roffenſ. Epiſc. Spicileg. c. 2.

Reſpondetur diſtinctionibus Imaginis vacuæ, & plenæ per Novatores inventis.

In diſtinctionibus figurarum vacuarum, & plenarum, quas Novatores excogitarunt liquet libidinem opinionum aſſerendarum nullis terminis coerceri, neque ratione ulla compeſci; homines fruſtra conari omnia, ut in hoc accidit Myſterio ad altiſſimum perſpicuitatis gradum attollere; & eum qui audacia, & calliditate pollet, poſſe ſemet rebus omnibus inſerere, omnibus caliginem offundere, omnia tueri, ac ita omnia perturbare, ut homines vulgo vix, & ne vix quidem veritatem ab errore ſecernant. Sed quemadmodum lumine accedente umbræ evaneſcunt, ſatis eſt legere ſecundum Nicænum Concilium adverſus Iconoclaſtas, qui Euchariſtiam appellaverant Imaginis nomine, ut ad hujus luminis acceſſum omnes evaneſcerent diſtinctiones chimericæ ſignorum, ac figurarum vacuarum. Nullus Apoſtolorum, Synodus inquit, neque aliquis ex inſignioribus Patribus, qui extiterunt, S. Spiritus organa imaginem Corporis JESU CHRISTI vocarunt *incruentum hoc Sacrificium*, quod in memoriam peragitur JESU CHRISTI Dei noſtri, omniumque Myſteriorum illius. Neque enim ita eos loqui Dominus docuit: ſed illis dixit in Evangelio: niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & Sanguinem ejus biberitis, non intrabitis in regnum Cælorum. Qui manducat Carnem meam, & bibit Sanguinem meum, in me manet & ego in illo; cumque accepiſſet panem, benedixit, & fregit, ac dixit: accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum, ſimiliter cum accepiſſet Calicem, eique benedixiſſet, dixit illis, ſumite ex eo omnes; hic Sanguis eſt meus novi, & æterni Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Non dixi autem, accipite, manducate, hæc eſt imago mea. Patet ergo, neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres imaginem vocaſſe incruentum Sacrificium qui a Sacerdote conſecratur; ſed vocaſſe illud Corpus ipſum, & Sanguinem. Antequam ſpecies conſecrentur dona, ac typi vocantur; ſed peracta Conſecratione vocantur, & creduntur proprie Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI. Sed Iconoclaſtæ nobis auferre volentes adſpectum venerabilium imaginum, aliam invexerunt, quæ imago non eſt, ſed Corpus, & Sanguis; mox relinquentes mendacium ſenſim redeunt ad veritatem dicentes, imaginem hanc factam eſſe Corpus divinum. Sed ſi hæc eſt imago hujus Corporis, fieri nequit ut illa ſemper ſit hoc ipſum Corpus. In compendium redactis verbis Concilii, quæ ſunt adeo perſpicua, liquet. 1. Euchariſtiam nunquam ab Apoſtolis vocari nomine imaginis; immo neque a Patribus poſt Conſecrationem. 2. Hos illam vocaſſe Corpus ipſum, & Sanguinem. 3. Fieri non poſſe, ut ſimul ſint Imago, & Corpus JESU CHRISTI; ideoque cum ſit Corpus, non eſſe imaginem. Anaſtaſius Sinaita eadem uſus eſt argumentatione, ut oſtenderet Euchariſtiam non eſſe imaginem. JESUS CHRISTUS Diſcipulis ſuis dixit, laudatus Auctor ait, Hoc eſt Corpum meum, hic Sanguis meus; non autem hæc figura eſt Corporis, & Sanguinis mei, & fatetur hunc vere ſuum eſſe Corpus, & Sanguinem; & S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Orthodoxa c. 14. Abſit, inquit, quod dicamus panem, & vinum conſecrata figuram eſſe quandoquidem certum eſt, hoc eſſe Corpus JESU CHRISTI factum Cæleſte, ac divinum Salvator enim non dixit, hoc eſt figura Corporis mei, ſed dixit *hoc eſt Corpus meum*; neque dixit, hoc eſt figura Sanguinis mei, ſed *hic eſt Sanguis meus*; quæ auctoritates ſunt adeo perſpicuæ contra Novatorum diſtinctiones, jugiter crepantium figuras vacuas, & plenas, ut inutiles ſint ratiocinationes: vis veritatis, & impreſſio, quam facit, adeo vivida eſt, ac fulgida, ut omne genus bonæ fidei, ac ſinceritatis oporteat jugulaſſe. *Idem.*

Hominum ſermo ſuas habet leges; quædam ſunt, quæ minime patitur, quædam vero, quæ probat: ita probat hanc figuratam loquendi rationem; Petra deſerti ſignificabat JESUM CHRISTUM; ſed illa non erat JESUS CHRISTUS, *Petra autem erat CHRISTUS*; ſed nunquam probabit dicentem, Petra erat JESUS CHRISTUS, ſed non ſignificabat JESUM CHRISTUM. Hoc enim eſſet in fine propoſitionis deſtruere, quod in ejuſdem initio fuerat poſitum. Applicemus hoc adeo perſpicuum principium eo modo, quo ſecundi Concilii Patres ſe explicant: ſi Calviniſtarum ſententiam tenuiſſent, dicere debuiſſent: Euchariſtia eſt figura JESU CHRISTI, ſed non eſt JESUS CHRISTUS: ſed e contra dixerunt: nos non vocamus hæc dona, imagines, vel figuras corporis, ſed Corpus ipſum JESU CHRISTI. Hæc alia clades eſt victis digna, qui tamen ſemper loqui volunt, ut ſimplicibus os ſublinant, & videantur viciſſe, cum poſteriores deſinunt loqui; aſſerentes, Patribus omnibus mentem fuiſſe de efficaci figura loquendi, cum Euchariſtiam vocarunt ipſum Corpus JESU CHRISTI: figura enim per ſe non refertur niſi ad autographum, non autem ad virtutem autographi; immo e contra privatur hac, & ſpiritus nunquam fertur ad cogitandum de autographi virtute. Cum vult imaginem, quærit ſolum externam utriuſque rei ſimilitudinem, neque laborat utrum imago ſit efficax, vel ſecus, quemadmodum nullo habet in diſcrimine, utrum lignea ſit, an marmorea. Ita ridiculum eſſet dicere figuram non eſſe figuram, quia ceſſat eſſe efficacem. Hic non ſolum vulgi conceptus eſt, ſed univerſalis, & unicus hujus propoſitionis uſus: figura non eſt autographum. Omnes homines non immorantur in hoc figuræ vocabulo; neque animum advertunt ad verbum virtutis, & efficientiæ; quia non eſt relativum autographi ad imaginem; & ſi quæratur ex iis omnibus, qui in Mundo ſunt, quid hæc ſibi velit propoſitio: imago non eſt res, cujus eſt imago; reſpondebunt ſe concipere, quod imago realiter non ſit idem autographum; imaginem ab autographo ſuo eſſe diſtinctam; hic non habere locum ideam virtutis & efficientiæ, ideoque nemini in mentem veniet aſſerere, ſe concipere, quod imago non habeat virtutem autographi, vel quod imago habeat virtutem,

Ratis evincit diſtinctionem virtutis, & efficientiæ a Calviniſtis excogitatam ſenſui communi adverſam.

G 2 & effi-

& efficientiam autographi; quia nomina virtutis, & efficientiæ omnino ſunt aliena ab hac propoſitione; imago non eſt autographum; imago diſtincta eſt ab autographo. Patres igitur omnes locuti ſunt, & cogitarunt, ut homines alii loquuntur, & cogitant. Ita cum dixerunt, ſi Euchariſtia eſſet figura JESU CHRISTI, non eſſet Corpus JESU CHRISTI, dicere voluerunt quod illa realiter eſſet diſtincta a Corpore JESU CHRISTI, & cum dixerunt, Euchariſtiam eſſe Corpus CHRISTI, & illam ab hoc non eſſe diſtinctam, conceperunt, illam eſſe Corpus JESU CHRISTI ipſius, non autem virtutem Corporis JESU CHRISTI, & efficientiam, quæ coacta, ac violenta eſt diſtinctio, & communem mortalium omnium ſenſum offendit.

Fons variarum expreſſionum Catholicarum de Euchariſtia. Similitudo a qua hæ locutiones probantur.

Cum adorabile Altaris Myſterium duabus conſtet partibus; altera viſibili, altera inviſibili; altera ſenſibili, altera intelligibili; videlicet eum conſtet exteriori velo, quod eſt Sacramentum, & Corpore JESU CHRISTI, quod Sacramenti hujus velo tegitur: Velum hoc non eſt realiter Corpus JESU CHRISTI, ſed hoc ſenſibus noſtris abſcondit, & Corpus JESU CHRISTI realiter non eſt in ſe, quod videmus extrinſecus. Ex hac diſtinctione oritur duplex hic ſermo adeo diverſus. Sacramentum eſt Corpus JESU CHRISTI; Corpus JESU CHRISTI non eſt velum Sacramenti: Oculi nos docent velum ſervare ſpeciem panis, & vini, fides nos docet non eſſe amplius panem, & vinum. Sed quia velum hoc ſervat ſpecies, earum retinet nomina, & ſignificationes; quia ſpecies cient in mentibus noſtris earum rerum ideam. Hinc oritur quod 1. Directe reſpicientes Sacramentum, & indirecte Corpus JESU CHRISTI, illud vocamus Sacramentum Corporis JESU CHRISTI, Myſterium Corporis JESU CHRISTI. 2. Directe conſiderantes Corpus JESU CHRISTI, & Indirecte Sacramentum, aut velum; optime dicimus Corpus JESU CHRISTI in Sacramento contineri; 3. Conſiderantes æque & Sacramentum, & JESU CHRISTI Corpus, dicimus, nos in eo videre ſpecies panis, & vini; ſed vere eſſe Corpus JESU CHRISTI. Naturale eſt etiam, ut mens ſe applicet alterutri ex Sacramenti partibus, quin alteram neget, & quin ad illam advertat, & hinc bene dicimus, a nobis receptum fuiſſe Corpus JESU CHRISTI. Hæc eſt origo variarum harum loquendi rationum, veluti ſi conſiderantes hominem tamquam animam Corpus animantem, dicimus hominem eſſe ens immortale, & ſpirituale: ſi conſideretur homo tamquam corpus per animam animatum, dicimus, eſſe ens mortale, & corporeum; & ſi conſideretur tamquam compoſitum ex corpore, & anima dicimus eſſe ens mortale, & immortale, mortale quidam in corpore, in anima vero immortale. Si notiones adeo ſimplices, ac naturales applicentur Myſterio Euchariſtiæ, invenitur diſcrimen ſermonis, & locutionum, quibus loquentes utimur. Nihil ergo iniquius, & magis fallax eſſet, quam eorum argumentatio, qui eo quod Auctor loquens de Euchariſtia tantum veluti ſymbolo, quia myſticas tantum confectatur explicationes, & id, quod ſenſus percellit, inferrent, hunc non credere realitatem: quemadmodum iniquum eſſet arguere, Auctorem non credere animæ humanæ immortalitatem, quia hominem conſiderans ſolum quatenus corpus eſt, dixit hominem eſſe mortalem. *Auctor recens.*

Reſpondetur objectionibus Calviniſtarum ex Scripturæ ſilentio, ubi de tranſubſtantiatione verba non ſiunt.

Omnia Miniſtrorum principia ultro citroque ſeſe confringunt: Si JESUS CHRISTUS, inquiunt, loqui voluiſſet ſimpliciter, ac naturaliter, id Apoſtolis ſuis aperuiſſet; ſemel, iterum, iterumque legantur Evangeliſtæ: ne verbum quidem occurret de tranſubſtantiatione, neque de accidentium ſubſiſtentia ſine ſubjecto, neque de poſitione Corporis JESU CHRISTI in pluribus locis; neque de diſtinctione inter eſſe naturale, & eſſe Sacramentale, neque de illius exiſtentia more ſpirituum, nec quidquam eorum, quæ credere jubemur. Sed qui hoc pacto loquuntur, animum advertant ad modum, quo placuit Deo nos erudire de præcipuis fidei noſtræ articulis, & diſtinguent inter articulorum ſubſiſtentiam, & horum articulorum conſequentia, ac difficultates, & videbunt, ſicuti placuit Deo revelare ſubſtantiam articulorum fidei noſtræ ſatis perſpicue pro illis, qui recto ſunt corde, & quorum ſpiritui cupiditates non offudere caliginem, neque temere præoccupati ſunt: ita nunquam explicare voluiſſe conſequentia, & difficultates, nec conciliare contrarietates, quæ contineri videntur, ut hæ difficultates, & contrarietates mentes noſtras humiliarent, ac nos docerent, ne in Myſteriis ea cognoſcere auderemus, quæ nobis aperta non vult. Quonam in Scripturæ loco nobis oſtendent Calviniſtæ, Deum explicuiſſe, quomodo fieri poſſit, ut anima de manibus ejus egreſſa corrumpatur, & fiat nocens eo momento quo ſeſe conjungit cum corpore ab Adam profecto; corpus hoc, quod cum non ſit aliud quam materia, peccare non poteſt, animæ communicare poſſe, quod non habet, & habere non poteſt, & ex conjunctione rerum duarum a peccato immunium, totum exiſtere poſſe, quod ſit nocens, & juſtiſſime fiat objectum iræ Dei? Ubi hæretici nobis oſtendent, Deum evolviſſe difficultates Trinitatis, quæ perterrefacere poſſunt omnes ſpiritus, qui fidem ſuam non conſtituerent in fundamentis ſolidioribus, quam ſunt illa Calviniſtarum, & qui eamdem ſibi ratiocinandi vindicant facultatem? Ubi, Deum nobis explanaſſe difficultates profectas ex unione duplicis naturæ in eadem perſona per Incarnationis Myſterium conjunctæ? Ubi oſtendent eodem in loco dici, JESUM CHRISTUM eſſe Deum, & hominem ſimul, & duas haſce naturas unam tantum eſſe perſonam? Oportet nunquam cum aliqua attentione meditatum fuiſſe Sacras Scripturas, qui non deprehendit, quanam cura Deus ſua detegens Myſteria adniſus fuerit hominum cohibere curioſitatem, eoſque docuerit ſimpliciter, & humiliter diſcere ea quæ docet, quamvis illis videantur oppoſita principiis, quæ illis ratio ſuppeditat, vel aliis veritatibus, quas in Scripturis inveniunt. Quicumque ergo de noſtris Myſteriis judicium ferent per analogiam fidei, arguent e contra, nihil eſſe videndum, neque de tranſubſtantiatione, neque de aliis Philoſophicis difficultatibus in Scriptura; quia hoc animum noſtrum occupare non debet; hoc non eſt noſtræ devotionis objectum, hoc neque eſt, quod directe Deus nobis ad credendum proponit; & hæ non aliud ſunt niſi concluſiones, quas elicit ratio ex iis, quæ nobis velavit Deus, & fidei ſubſtantiam efficiunt. *Idem.*

In Scriptura ſpectanda eſt Myſterii ſubſtantia, non difficultates illius.

Ubi cognoverimus ſtatum fidei in qua ſumus, & Deum velle conterere ſuperbiam hominis, ut hic dediſcat metiri opera illius ſecundum imbecillum, arctatum, & circumſcriptum ſpiritum ſuum; nunquam in eo perſiſtemus, ut invenire velimus In Sanctis Libris vel modum, quo JESUS CHRISTUS eſt in cælo, vel quo eſt in Euchariſtia; vel quomodo modus uterque concilietur; nec quo pacto fieri poſſit, ut ſit abſens a nobis, & nobis præſens, vel quo pacto per Aſcenſionem ſuam mundum reliquerit, & ſit in terra per Euchariſtiam. Conſuevit Deus ſua Myſteria ſeorſim proponere, quin eorum nexum, & conjunctionem explicet; & nos vult illa conjungere per docilitatem, & obſequium. Hac in re veri Eccleſiæ filii ab Hæreticis ſecernuntur: primi illi indiſcriminatim recipiunt, quidquid eos docet Deus per Eccleſiam: hæretici vero audaces, & qui Myſteria recipiunt ea conditione propoſita, ut illa comprehendere poſſint, & menti ſuæ non adverſentur, atque rejiciunt illa, cum aſſertas has contrarietates conciliare non poſſunt. Catholici ergo in Scripturis inveniunt Myſterii ſubſtantiam ita perſpicue, ut mirentur, hæreticorum temeritatem auſam fuiſſe illam impugnare: cum interim alia Myſteria in Evangelio nonniſi obiter explicentur, & in decurſu ſermonis, qui non unice inſtitutus eſt ad homines erudiendos: reperimus autem e contra fidem Euchariſtiæ ibi doceri per ſermonem de induſtria habitum, quæ non alii hæret argumento, & cum ea præparatione, qua excitabantur Apoſtoli ad magnum aliquid expectandum a JESU CHRISTO, & quod rationem haberet ad deſiderium, quod ille teſtabatur celebrandi cum illis noviſſimum Paſcha, & ad circumſtantiam mortis ſuæ, de qua illos admonuit, ut cieret in illis ſpem muneris digni amore ſuo, cum quo vitam ſuam propter hominum ſalutem erat oblaturus: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam moriar.* Verba hæc, hoc eſt Corpus meum, exprimentia quod credendum eſt de hoc Myſterio, non ſunt ænigmatica; & nihil ſuſpicionem inducit, illa intelligenda eſſe in alio ſenſu, quam quem exhibent ultro. *Auctor recens.* *Luc. 22.*

Qua in re ſita ſit Calviniſtarum doctrina: ejuſque confutatio.

Tota Calviniſtarum doctrina in duobus punctis præcipuis conſiſtit, quorum primum eſt aſſerere, panem Euchariſticum eſſe figuram Corporis JESU CHRISTI, & vinum figuram Sanguinis; alterum autem affirmare, JESUM CHRISTUM novas conferre gratias, vel novum ſanctificationis gradum accedentibus cum fide, ut hæc ſit figura efficax. Duo hæc ex illorum ſententia pertinent ad eamdem Myſterii ſubſtantiam, & conſtituunt partem articulorum fidei ipſorum: Sed ſi panis Euchariſticus non eſt niſi ſignum Corporis JESU CHRISTI a JESU CHRISTO inſtitutum, non erit Sacramentum; & ſi gratiam non confert, non erit, niſi figura. Nunc vero a Miniſtris quærimus, quibus in Scripturis locis iſta dogmata contineantur? Conſulamus verba, quibus uſus eſt JESUS CHRISTUS in inſtitutione hujus Sacramenti relata a tribus Evangeliſtis, neque inveniemus ibi verba fieri de figuris. Hanc eamdem inſtitutionem legimus in Sancto Paulo; & in hoc ipſo figuram non inveniemus; ſed ubique reſonare exaudiuntur hæc verba Sanguis JESU CHRISTI, Corpus JESU CHRISTI, nullibi vero figura JESU CHRISTI. Tamen ob JESU CHRISTI oculos verſabantur lites inter Catholicos, & Calviniſtas; & fore ut illi quidem aſſererent, Sacramentum eſſe Corporis JESU CHRISTI, hi vero, figuram tantum JESU CHRISTI. Tamen JESUS CHRISTUS loquitur ſemper, quemadmodum decuit Eccleſiam Catholicam loqui; & nunquam loquitur, ut Calviniſtæ loquuntur. Præcepit nobis per Apoſtolum ſuum, ut ſerio noſmet excutiamus, antequam accedamus ad hoc Sacramentum, & profert terribile judi-

judicium in polluentes illud. Ratio eſt, inquiunt Calviniſtæ, contumeliam imagini illatam in autographum relabi; ſed pluris non ſteriſſet illi aliis verbis hanc rationem exprimere, quam dicendo, eos qui manducant indigne panem hunc, ſibi judicium ſuum manducare non dijudicantes Corpus Domini; quo pacto non videtur loqui pro illis contumeliis, quæ figuræ, & imagini inferuntur. Si arduum eſt in Bibliis invenire figuram a Calviniſtis excogitatam, multo difficilius eſt invenire efficientiam, quam tribuunt eidem; quia nullibi in Scripturis eſt, vel implicite, vel explicite, vel confuſe, vel litteraliter, vel metaphorice, vel conſequenter. Sed dicunt, panem eſſe Corpus JESU CHRISTI, videlicet ſecundum Calviniſtas, figuram hujus Corporis; igitur eſt figura efficax, igitur novas nobis tribuit gratias, novos lucis radios, recentes gradus ſanctificationis: quæ argumentatio! Panis quem frangimus communicatio eſt Corporis JESU CHRISTI; videlicet ſecundum Calviniſtas, ſignum eſt hujus communicationis; igitur ſignum eſt communicationis interioris, & non exterioris; igitur ſignum eſt communicationis præſentis, & non præteritæ. Quis non videt has illationes ad libidinem erui, ac nullis fundamentis inniti, quibus contendunt, Sacros Codices ſuis commentis velificari. *Idem.*

Hæretici in Scripturis non inveniunt ſuos terminos figuræ, & figuræ efficientis.

Sacris Scripturis, in quibus aſſerunt Miniſtri omnia dogmata ſua palam inveniri, in finem hunc abutuntur, ut rejiciant Euchariſtiam, quæ perſpicue conſtituta in Sacris Bibliis videtur; & ut in locum veri dogmatis alienam ſurrogent doctrinam, quæ non continetur in illis. Manichæorum calliditas erat polliceri ſe omnia probaturos claris ac demonſtrativis argumentis: ſub hujus promiſſionis fuco, quo verba dederunt hominum vanitati, inſaniſſimas invexere nugas. Calviniſtæ ſimiliter Scripturas crepantes, ac Scripturis tantum ſe inniti jactitantes, nihilque ſe proponere, niſi illinc depromptum, profitentes, populos præparaverunt ad recipiendas opiniones, quæ in Scripturis nullum vel ſolidum, vel in ſpeciem, habent fundamentum. Adeo imbecilles ſunt homines ut promiſſionibus acquieſcant, quin ad examen revocent, an, & quomodo adimpleantur. Calviniſtæ ſolida, & demonſtrativa promittunt argumenta, & dummodo hæ promiſſiones cum quadam confidentiæ, & ſecuritatis ſpecie venditentur, promiſſiones ipſæ pro rationibus locum inveniunt. Error excipitur; & vanitate accedente, per fas, & nefas contenditur, ut error receptus pro veritate habeatur. Pudet oſtendere mutando ſententiam, ſe in errorem incidiſſe. Hoc pacto propter nominis exiſtimationem, vel potius ſuperbiam falſis opinionibus adhæremus: hinc oriuntur ſchiſmata, & ſocietates ſecretæ, quæ gloriantur pro ſe ſtare Scripturas: licet aſſerta hæc perſpicuitas ſæpius ad craſſas illuſiones redigatur, cujuſmodi ſunt acumina, & ſophiſmata Novatorum, in verba Euchariſticæ Inſtitutionis: Cum interim Catholica Eccleſia palam inveniat dogma ſuum in Sacris Litteris conſtitutum. Namque ſi ſextum S. Joannis caput addimus Euchariſticæ inſtitutionis verbis, ſimulque ſubnectimus ea, quæ docet S. Paulus de præparatione adhibenda, fit ſolidum eſt pauca eſſe Myſteria, de quibus JESUS CHRISTUS nos fuſius, & uberius per Scripturas erudierit. *Idem.*

Requiſitæ æquitatis regulæ ſervandæ in examine locorum Patrum Eccleſiæ.

In expendendis auctoritatibus Patrum Eccleſiaſticorum ratio perſcribit, 1. Ut de illorum ſententiis erudiamur iis in locis, ubi data opera, ac fuſius ſenſus ſuos explicuerunt, potius quam ex illis, ubi obiter, & veluti per tranſennam locuti ſunt: non quia aliqua eſſe poſſit contrarietas inter hæc formalia, & explicita documenta, & locos illos ſejunctos; ſed æquum eſt, ut aliis alii ſibi viciſſim præferant lucem. 2. Ex pluribus, qui idem pertractaverint argumentum, illos potius eſſe eligendos, qui illud uberius tractaverint, & iis in circumſtantiis, quibus cogebantur ea de re agere quam diligentiſſime, quam qui de eadem egerunt quatenus ad aliud aliquod connexum ſpectaret argumentum, quod non requirebat, ut eadem ſedulitate uterentur. Si enim ex. gr. quæritur, quo in ſenſu Patres Euchariſtiam panem, & vinum appellaverint, & adhibuerint nomina imaginum, figurarum, & antityporum, ratio nonne poſtulat, ut potius conſulamus locos, ubi his nominibus uſi ſunt; latius explicantes doctrinam ſuam de Euchariſtia, quam illos, in quibus iiſdem uſi fuerint, quin ſenſum ſuum explicarent, quia tunc de quæſtione hæc verba non fierent; & iis potiſſimum Patribus hæreamus, quos neceſſitas coegit, ut de induſtria, dataque opera loquerentur? Hi Canones adeo ſunt recto ſenſui conformes, ut nemo unquam ſanus de illis dubitaverit, ex quo Auctorum ſententiæ ad examen revocari conſueverunt. Cum enim fieri nequeat, ut ſcribentes de quacumque re verba faciant, & ubique eadem cum perſpicuitate loquantur; ratio ipſa per ſe nobis ſuadet, ut locos fuſiores ſumamus pro Commentariis locorum, qui breviores ſunt, ac ſeparati; & ut ſupponamus, licet in poſterioribus hiſce locis minime dixerint (quidquid in mente illorum verſaretur) nullam ipſis injuriam fieri, ſi crediderimus eos dicere voluiſſe, quod liquet ex locis aliis illos re ipſa cogitaſſe. En igitur æquitatis Regulæ ſervandæ in omnibus diſcuſſionibus, quæ fiunt de locis Auctorum ad veros eorum ſenſus intelligendos. Has igitur ſequi nos oportet ad judicium ferendum de ſententia illorum in hoc Euchariſtiæ Sacramento. *Idem.*

In examine diſcuſſionis Patres fidem ſuam duxerunt ſecundum verba illa: Hoc eſt Corpus meum. De Trin. lib. 8.

Sancti Patres quidquid de Euchariſtia crediderunt, & docuerunt, ſuper Scripturæ locos fundarunt, quemadmodum ex ſcriptis eorum innoteſcit, & ut S. Hilarius profitetur, inſignis eſſet inſania, & impietas dicere, quod Religio docet, niſi hæc illud didiciſſet a Deo. Igitur dubitandum non eſt, quominus hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, a Patribus intellecta fuerint tanquam continentia potiſſimum documentum, quod nobis tradiderit JESUS CHRISTUS de hoc Myſterio, quod cetera complectitur. Ita S. Cyrillus Jeroſolymitanus cum ea retuliſſet in Catecheſi 4. proferens S. Paulum, explicite ait illa ſufficere ad erudiendos Fideles de eo, quod illis credendum eſt in Myſterio Euchariſtiæ, & S. Cyrillus Alexandrinus ait, Dominum noſtrum apertiſſime explicuiſſe diſcipulis ſuis per hæc verba quidquid obſcurius tradiderat ſexto S. Joannis capite: ita ut jure verba illa conſideranda ſint, tamquam origo locutionum omnium, quibus Patres uſi ſunt in Euchariſtiæ argumento, & tamquam principium, ex quo eruuntur concluſiones, quæ conſtituunt eorum doctrinam de Myſterii hujus eſſentia. Igitur per horum verborum diſcuſſionem agnoſcemus, utrum Patres acceperint illa in ſenſu realitatis, an figuræ. Ad id autem duplicis hujus ſenſus, qui verbis iſtis tribuitur, character ſecernendus eſt. Quinam character eſt ſenſus, quem illi tribuunt Catholici? hic ſane, quod fatentur hæc verba facillima eſſe intellectu in terminis ſuis; difficillima vero, quæ intelligantur in re ſignificata? Verba naturaliter ſignificant Myſterium; res per verba ſignificata incomprehenſibilis eſt: e contra character ſenſus Calviniſtarum eſt reſpicere ſenſum horum verborum: *Hoc eſt Corpum meum* in terminis difficillimum. Senſus hic vim facit naturæ ſermonis; non ſatis facile videtur relatio horum terminorum cum re ſignificata, ſed rem ſignificatam in ſe facillimam eſſe intellectu, & nullam inferre vim naturæ rerum; ex quo habetur clavis ſigni, figuræ, ſigni pleni, figuræ efficientis, omnia facile evolvi. Hæc autem clavis ad inveniendum eſt difficillima; Zuinglius ſex annorum ſpatio quæſitam non invenit niſi ope Batavi neſcio cujus: ſed clavi hac ſemel inventa omnia complanantur. Senſum Catholicorum facile inveniri ad ſolam terminorum pronuntiationem, id confitentur Sacramentarii, & nationes omnes, quæ in hanc conveniunt ſententiam, per ſententiarum ſuarum unionem, facilitatem agnoſcunt. Difficilem vero eſſe in re ſignificata, hoc Calviniſtæ fatentur; & hoc ipſum nimis exaggerant. Sed Patres omnes reſpexerunt horum verborum: *Hoc eſt Corpus meum*, ſenſum facilem, perſpicuum, & qui neminem fallere poſſit, cum nulla indigeat explicatione: igitur non acceperunt illa in ſenſu figurato, qui eget explicatione, & qui inventu fuit adeo difficilis. Perpendatur quænam extiterit Patrum cura, ne Fideles ad litteram ſumerent locos Metaphoricos, qui illos in errorem impellere poterant; ac inde arguatur; quomodo nunquam admonuerunt populos ad litteram intelligenda non eſſe verba illa, *hoc eſt Corpus meum*, illos igitur conſenſiſſe, & voluiſſe, ut populi ea ad litteram intelligerent ad fidem eorum formandam. Scriptura Deo tribuit oculos, faciem, aures; hæ locutiones perperam intellectæ plurimos in errores impulerunt. Manichæi, & Antropomorphitæ illis abuſi ſunt: ideoque Patres non defuere, quominus ad populos erudiendos docerent locutiones id genus non eſſe ad litteram intelligendas. Ego quoque æque ac tu irrideo, S. Auguſtinus ait, hoſce carnales homines, qui concipere non valentes ſpiritualia, Deum ſibi ſub hominis forma repræſentant. Per nomen manuum, & pedum intelligere debemus operationem Dei, veritatem præſentiæ ipſius; per oculos cognitionem quam habet noſtri. Si ergo non invenimus nunquam Patres admiſos eſſe, ut adverſarentur interpretationi horum verborum: *Hoc eſt Corpus meum*; ſi nunquam conqueſti ſunt nimis craſſe, ac litteraliter ſumpta fuiſſe hæc verba, quid inde inferri poteſt, niſi quod non recenſebant hanc interpretationem in earum numero, in quibus abuſus fieri poſſit verborum Scripturæ, & illos immo eam e contra reſpexiſſe tamquam naturalem interpretationem horum verborum JESU CHRISTI in Inſtitutione Euchariſtica. Dici ne poteſt ſilentium Patrum omnium inde profectum quod nunquam in mentem eorum venit, aliquem abuti poſſe his verbis, *hoc eſt Corpus meum*, illa nimis litteraliter accipiendo? Dici ne ſimiliter poteſt, hunc ſenſum figuræ plenæ, & efficientis, qui ſecundum Calviniſtas verus eſt Inſtitutionis ſenſus, hunc, inquam, ſenſum ita in oculos incurriſſe, ut Eccleſiæ Patres de eo nunquam cogitaverint? Igitur inferendum eſt, Patres intellexiſſe, & voluiſſe, ut a Fidelibus ad litteram acciperentur hæc verba, *hoc eſt Corpus meum. Idem.*

Epiſt. ad Fort.

Unus ex erroribus, quo Calviniſtæ ſeſe purgare accu-

Calviniſtæ ſeipſos condemnant evertentes principia ſua. Confeſſio Auguſtana fol 148.

ratius admiſſi ſunt, eſt probare, ſe in Euchariſtia nunquam admiſiſſe mera ſigna ſine efficientia, & ſine virtute: & in ipſa quoque confeſſione Auguſtana jaciunt anathema in eos, qui dicunt, in Cœna Domini panem ſimplicem, ſimplexque vinum duntaxat offerri, & in eos, qui non confitentur Sanguinem Domini, & Corpus illius, immo totum Dominum, verum Deum, & verum Hominem eſſe veluti verum, & unicum Dominum. Sed poſt explicitam hanc damnationem, quam proferunt adverſus Anabaptiſtas, & Socinianos, neceſſario per ſuum principium recidunt in errorem, quod ipſi damnarunt, ac inveniunt ſe quoque eodem involutos anathemate cum hæreticis, quos execrantur. Tandem enim poſtquam explicuerunt, quid ſibi velint per ſignum efficiens, patet, illos in Euchariſtia nihil admittere niſi ſigna ſimplicia, & JESUM CHRISTUM in ea nobis panem tantum, & vinum tribuere: quomodo enim probabunt JESUM CHRISTUM adjeciſſe gratiam ſuam huic ſigno, & ideo ſignum hoc eſſe plenum, & efficax? Conſentiunt Catholici unum tantum eſſe Deum, qui valeat gratiam ſuam exterioribus ſignis adnectere, & nos certos eſſe gratiam ſuam illis adnexam eſſe, cum id per traditionem cognoſcimus. Longius procedunt Calviniſtæ; credere volunt, adeſſe in Scripturis explicitam auctoritatem, ut citra temeritatem dici poſſit ſignum aliquod efficax eſſe: Sed illi omnino nequeunt vel per traditionem probare, Deum adjeciſſe huic ſigno gratiam ſuam, ut inde fieret figura plena, vel per Scripturas: igitur Euchariſtia ſecundum eorum principia ſignum eſt vacuum. En illos igitur confuſos cum Anabaptiſtis, & Socinianis, quos damnaverunt. Evertunt ergo per ſe ſua principia; adeo verum eſt errorem ſtare non poſſe, & illum ſibimet adverſari. Qua enim arte, vel acumine detegere poſſunt gratiæ promiſſionem in verbis iſtis: *Accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum?* Æquum ne eſt inferre: hæc figura eſt Corporis JESU CHRISTI; ergo figura hæc continet, & confert gratiam Corporis JESU CHRISTI? Senſus communis nonne dicit e contra, figuram non debere complecti virtutem rei figuratæ? Eſſe figuram, & continere virtutem rei, duas eſſe propoſitiones ſejunctas; & altera affirmata alteram non affirmari? Cum Joſeph dixit Pharaoni ſeptem vaccas eſſe annos ſeptem, num ſignificabat, eas annorum ſeptem continere virtutem? Cum Deus dixit Moyſi, Agnum eſſe figuram Paſchatis, innuebat ne Agnum plenum eſſe virtute tranſitus? fateantur igitur opus eſt Novatores falſitatem principiorum ſuorum, & redeant ad originem, a qua diſceſſerunt, & ad hanc Matricem Eccleſiam, quæ peperit illos, ut humanis abrenuntiantes adinventionibus agnoſcant Inſtitutionem Auguſtiſſimi Sacramenti per JESUM CHRISTUM, & nobiſcum uno ore, eodemque corde, & animo confiteantur, JESUM CHRISTUM in Euchariſtia realiter præſentem, & ſub his ſpeciebus nobiſcum uſque ad ſæculi conſummationem commorantem. *Idem.*

Nationes omnes ſecutæ ſunt naturalem impreſſionem verborum horum: Hoc eſt Corpus meum.

Calviniſtæ ſuffocarunt naturalem impreſſionem, quæ ſuapte natura efficiunt in mente verba hæc: *hoc eſt Corpus meum*; & nonniſi altiſſimarum meditationum labore ibi invenerunt ſenſum figuratum, & imaginem. Omnes nationes ibi viderunt realitatem Corporis JESU CHRISTI, qua in re animadvertendum eſt unam ex vulgationbus cauſſis cæcitatis, & errorum, in quos labimur in noſtris judiciis hanc eſſe, quod efficiendo illa noſtrarum animadverſionum, & argumentationum objecta, extinguitur naturalis impreſſio, ut illi ſubrogetur ſenſus coactus. Mens huic violento ſenſui conſueſcit: & aſſueta ceſſat obſtupeſcere, quia ſæpe illum tacita reputat, & deinceps in illo invenire ſe putat perſpicuitatem. Et ſane Zuinglius nonne fatetur ſe quatuor, vel quinque annos ſecum volutaſſe hæc verba: *hoc eſt Corpus meum* in omnibus ſenſibus, qui poſſunt excogitari, ut illis eum appingeret ſenſum, quem deinceps amplexatus eſt, eumque fatetur ſe in cujuſdam Batavi epiſtola inveniſſe, & mox omnem ſe impendiſſe curam, ut roboraret ideam hanc figuræ pluribus ſcripturæ locis? Hæc agendi ratio nonne ſapit illuſionem? Nonne verum eſt per inanes ſubtilitates impreſſionem naturalem ſuffocari? Sed ſi ad examen revocentur omnes Chriſtianæ ſocietates, liquebit, omnes ſine mutatione ulla, & uniformi ratione ſecutas fuiſſe naturalem horum verborum impreſſionem, *hoc eſt Corpus meum*. Illæ ſine ulla vi, & modo ita univerſali ſenſum hunc amplexæ ſunt, ut conſtet eas communi ſenſu ſimul fuiſſe collectas, neque decertandum fuiſſe, neque contradictionem aliquam fuiſſe ſuſtinendam; cum e contra Calviniſticum dogma nullibi conſtitutum ſit niſi per vias prorſus oppoſitas, per diſputationes, per ſcripta, per meditationes & metaphyſicas argutias. Poſſunt quidem hæc ſimplicium ratiocinationum genera contemni; ſed difficile eſt ſuffocari impreſſionem, quam efficiunt in animo, & ſibimet perſuadere, locutiones, quas nunquam auſus eſt quiſquam in ſenſu metaphorico accipere, ut audent Calviniſtæ, admodum ſimiles eſſe alii ſenſui, qui ſine ulla vi, & conatu ubique terrarum acceptus fuit. *Auctor recens.*

Verba: Hoc eſt Corpus meum juxta ſermonē hominū ſecum afferunt ideam realitatis.

Propius ad examen vocentur leges humani ſermonis, & innoteſcet hæc verba in mente nationum omnium illam impreſſionem, quam debebant, effeciſſe. Conceperunt JESUM ſapienter, & rationabiliter fuiſſe locutum, & cum ſit eadem veritas, nequaquam doloſe verba feciſſe, & cum verus ſit homo, ſeſe humano ſermoni conformaſſe. Chriſtiani omnes cenſuerunt hanc loquendi rationem: *Hoc eſt Corpus meum*, ſecundum ſuum loquendi morem eſſe intelligendam; & ſicuti ipſi ſignum inſtituentes admonerent alios, rem de qua loquuntur, tamquam ſignum eſſe ſpectandam, non crediderunt, JESUM CHRISTUM hoc facere voluiſſe, & ſi dare voluiſſet Euchariſtiam tamquam ſimplex ſignum, illos admoniturum fuiſſe, præſertim vero cum relicturus eſſet Diſcipulos ſuos, tradens iiſdem noviſſima, & maximi momenti monita in teſtamento. JESUS CHRISTUS, qui conſueverat illis explicare minimas etiam parabolas, num hanc illis non explanaſſet, quæ omnium erat potiſſima, ſi parabola extitiſſet? Apoſtoli, qui ubique hanc ſibi vindicabant facultatem interrogandi JESUM CHRISTUM, ut ea ſibi explanaret, quæ ipſi non aſſequebantur: nonne dixiſſent illi: *Ediſſere nobis parabolam iſtam?* Sed cum verba hæc eſſent perſpicua, & humano ſermoni conformia, conceperunt illa, quaſi non egerent interprete, & omnes nationes cum illis idipſum intellexerunt. Hinc ſequitur, ut quicumque ſignum conſtituunt, ſupponant eos, apud quos loquuntur, illud tamquam ſignum habere, vel ſaltem pro ſigno illud habendum eſſe monent. Ita cum Daniel dixit Nabuchodonoſor, illum eſſe caput aureum, *tu es caput aureum*, Nabuchodonoſor inceperat quærere ſomnii ſui explicationem. Ita cum de Tabula dicitur, hic Pontifex eſt, hic Alexander, hoc dicitur illis ſolum, qui norunt tabulam deſtinatam eſſe ad autographum exhibendum, & ſi ſermo haberetur cum alienigena, qui neſciret tabulas deſtinatas eſſe ad autographa exhibenda, hoc primum illi eſſet aperiendum. Hic autem JESUS CHRISTUS nihil explicat, Apoſtoli nihil ſciſcitantur, quia nihil apertius his verbis, *Hoc eſt Corpus meum;* & fieri nequit, ut quis in errorem decidat, cum ſequitur primam impreſſionem, quam verba faciunt in mente, & cum ſequitur regulas ſermonis communis, & uſitati. *Idem.*

Verba hæc: hoc facite in meam commemorationem.

Fatendum eſt varios eſſe gradus in errore, & non omnes errores æque a ratione abhorrere. Miniſtri plus coloris naniſcuntur ad probandum ſenſum figuratum in his verbis: *hoc facite in meam commemorationem*, quam in illis, *hoc eſt Corpus meum*. Sed ſi hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem* non effecerunt, ut figuratum ſenſum invenirent, igitur illa ne ideam quidem figuræ ciebant. Sed ſenſus figuræ jam inventus perſuaſit illis, ſe uti poſſe his verbis, hoc facite in meam commemorationem. 2. Omnes etiam totius Mundi fideles ſemper legerunt illa in Evangelio, quin deprehenderent, illa anſam præbere poſſe, ut verba hæc, *Hoc eſt Corpus meum*, in ſenſu figurato intelligerentur. 3. Nemo Miniſtrorum probare poteſt aliquem ex Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis hæc adhibuiſſe verba: *Hoc facite in meam commemorationem* ad illa explananda, *Hoc eſt Corpus meum*, licet ſæpe noviſſima hæc verba protulerint ad confirmandam fidem, quæ habenda erat in Euchariſtia. Illos etiam inter Hæreticos, quibus perſuaſum fuit, Euchariſtiam non aliud eſſe, quam figuram Corporis JESU CHRISTI; non actos fuiſſe verbis iſtis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Zuinglius fatetur ſe non abjeciſſe ideas realitatis, niſi actum Batavi cujuſdam Epiſtola, non autem lumine horum verborum: *hoc facite in meam commemorationem*. Dicendum eſt igitur lumen hoc ſatis obſcurum eſſe; & parum probabile videtur JESUM CHRISTUM voluiſſe, ut ſenſus explicationis adeo parum perſpicuæ penderet a verbis, quibus erudire volebat Eccleſiam univerſam de eo, quod ſuper hoc Myſterio erat ipſi credendum. 4. Nonne hoc eſſet injuriam JESU CHRISTO inferre, aſſerere, illum per hæc verba explanare voluiſſe, quod de pane, & vino dixerat? Namque nullum extat exemplum, vel in Scripturis, vel in uſitatis ſermonibus hujuſmodi locutionis, per quam ſine ullo apparatu tunc primum accidit, ut fieret ſignum nomen rei ſignificatæ. Inauditum eſt, ac inſolens, quod tribui velit JESU CHRISTO eodem tempore, quo remotiſſimus videtur a voluntate loquendi inuſitato more, ſermo apud homines inſuetus: quia rei hujus afferri non poſſunt exempla, ad id non de induſtria, & ad libidinem concinnata. Si hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem* ſunt explicantia, non poſſunt ergo ab illis ſeparari, *hoc eſt Corpus meum*: vel ſenſus evadit captioſus, & fallax: tamen Evangeliſtæ duo, videlicet Sancti Matthæus, & Marcus non retulerunt hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*: crediderunt ergo, ſenſum horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus* ab

illis

illis nequiquam pendere. Videlicet crediderunt verba hæc per ſe intelligi poſſe; neque ſumpſerunt illa pro inſuetis, ac miris. Igitur non ſumpſerunt illa in ſenſu figurato, neque ſumi voluerunt, quandoquidem illa ſuppreſſerunt. Ipſe etiam decurſus orationis oſtendit, JESUM CHRISTUM non addidiſſe hæc verba verbis inſtitutionis, ut illa explicaret; ſed ut innueret quid in mente obſervari debebat, cum obſervaretur quod ab illo præſcribebatur; & poſtquam dixit Apoſtolis ſuis, *hoc eſt Corpus meum; hic eſt Sanguis meus*, nequaquam dixit illis hæc eſt figura, quæ Corpus, & Sanguinem meum ſignificat, quod ſane dixiſſet, ſi prævidiſſet, ſe illis admirationem illaturum; ſed dixit, facite hoc, videlicet quod ego feci, & mox addidit, quoniam ſpiritu hoc illis eſſet faciendum; ut videlicet memoriam ejus, & mortis ipſius recolerent, quemadmodum Sanctus Paulus ait: *Mortem Domini annuntiabitis. Idem.*

Reſpondetur objectioni hæreticorum dicentium, memoriam ſupponere abſentiam.

Nihil adeo palam ſenſui communi adverſatur, quam commentitium ipſum principium, quod videlicet memoria ſupponat rerum abſentiam; ideoque cum JESUS CHRISTUS ait: *Hoc facite in meam commemorationem*, illud ſatis explicuiſſe, ſe nequaquam realiter eſſe in pane, ſed panem eſſe tantum figuram ſui. Memoria opponitur oblivioni, & nos plurima licet præſentia obliviſcimur, quia ſenſus noſtros non afficiunt. Profecto obliviſcimur Dei, in quo ſumus, & per quem vivimus; obliviſcimur etiam noſtri, licet intime nobiſmet ſimus præſentes: obliviſcimur nos circumdatos eſſe dæmoniis, inceſſanter circumeuntibus, & quærentibus quem devorent; obliviſcimur Angelorum nobis adſtantium, ut opem ferant; obliviſcimur bonorum, malorumque cum noſtrorum, tum eorum cum quibus vivimus, licet hæc omnia ob oculos noſtros verſentur. Et ſicut obliviſcimur, aliquando etiam reminiſcimur. Eorum igitur memoriam habemus, licet præſentium. Laborat ergo principium iſtud, memoriam ſupponere abſentium rerum; & ridicula eſt cavillatio, affirmare memoriæ nomen in allatis exemplis improprie uſurpari. Immo hoc eſt illud in vulgari ſignificatione uſurpare, & adeo parum improprium eſt, ut arduum, ne impoſſibile dicam, ſit aliter loqui. Ita cum Auctores quidam dixerunt, memoriam nequaquam pertinere ad præſentia, intellexerunt præſentiam ſenſibilem, non autem realem, & innuerunt duntaxat, neminem uti memoriæ, vel reminiſcentiæ nomine ad ſignificandam mentis applicationem ad ea, quæ ſenſus noſtros percellunt, & quorum re ipſa obliviſci non poſſumus. Ergo quidquid Apoſtoli poterant ex his verbis inferre, id erat, ut quod ad JESUM CHRISTUM pertinet, oportebat meminiſſe alicujus rei, quæ ſenſibus non eſſet ſubjecta, nempe realis quidem, ſed abſconditæ præſentiæ illius; ſed fieri non poteſt, ut argumentati ſint, JESUM CHRISTUM abſentem eſſe debere eo, quod præcipiebat, ut ſui memoriam recolerent. Hæc argumentatio cum ſit nimis aperte falſa, ut iis tribui poſſit, qui non erant præoccupati, per hæc verba *hoc facite in meam commemorationem*, nonne intellexerunt a JESU CHRISTO Sacramentum inſtitui, cumque ſcirent Sacramenta eſſe ſigna ſacra, nonne intellexerunt panem eſſe ſignum ſacrum Corporis JESU CHRISTI, & hoc JESUM CHRISTUM innuere voluiſſe per verba illa *hoc eſt Corpus meum?* Intellexerunt quidem Apoſtoli, JESUM CHRISTUM inſtituere Sacramentum, ſed hoc intellexerunt in ſenſu Catholicorum, non autem Calviniſtarum; intellexerunt ſecundum ordinem, quem illis oſtenderat JESUS CHRISTUS: hoc eſt poſtquam illos erudierat de reali præſentia Corporis, & Sanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & vini, non autem ſecundum mentem Miniſtrorum ordinem hunc ſubvertentium. Hæc enim verba, *hoc facite in meam commemorationem* non explicant, ſed ſolum confirmant ea, quæ dixerat JESUS CHRISTUS; ac nulla in re mutabant ideam, quam per alia verba conceperant Apoſtoli; *hoc eſt Corpus meum*. Sed hæc verba ſine ulla præparatione prolata; quin antea ſermo fuerit de ſignis, ciere non poterant ſignorum ideam, ſed ideam realitatis: verum eſt, hanc realitatis ideam neceſſario complexam fuiſſe ideam figuræ; conſtabat enim, panem conſecratum non eſſe extrinſecus Corpus JESU CHRISTI, & vinum non eſſe Sanguinem, ideoque diſcrimen adeſſe inter exteriorem ſpeciem, interioremque veritatem; ex quo ſequebatur, JESUM CHRISTUM eſſe ſub forma diverſa ab ea, quam videbant Apoſtoli; has diverſas ſpecierum formas abſcondere oculis eorum Corpus, & Sanguinem Domini eumque fidei ipſorum repræſentare: videbant igitur in Euchariſtia Apoſtoli objectum ſenſuum, & objectum fidei, videbant imaginem paſſionis conjunctam cum realitate Corporis JESU CHRISTI; igitur videbant Sacramentum, videlicet ſignum ſacrum rei inviſibilis, & abſconditæ, quod erat Corpus, & Sanguis JESU CHRISTI datum per verba illa: *hoc eſt Corpus meum. Idem.*

Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. IV.

Mendacium tribuit filio Dei, qui aſſerit illum loqui in ſenſu figurato, cum ait: hoc eſt Corpus meum.

Duo ſcimus, quæ conſtituunt perfecte dogma realitatis; alterum, Deum ſemper rationabiliter loqui, & eo modo, qui bono ſenſui conſentaneus eſt; nihil ipſi per imprudentiam, & per errorem excidere; alterum vero, Dei omnipotentiam infinite excedere captum noſtrarum mentium, & nefas eſſe coarctare illam intra anguſtos rationis noſtræ cancellos, & aſſerere Deum nihil efficere poſſe niſi quod nos capere poſſumus. Horum principiorum alterum nos vetat ridiculos Scripturæ ſenſus appingere, & oppoſitos ei pacto, quo cordati viri loquuntur; alterum prohibet, ne aſſertas impoſſibilitates objiciamus veritatibus, quas Deus perſpicue revelat. Ex duplicis hujus principii collectione argui poterit, ſenſum, quem Calviniſtæ his verbis tribuunt: *hoc eſt Corpus meum*, falſum eſſe, & neminem illum ſequi poſſe, quin Deum arguat mendacii. Cum enim manifeſtum ſit, JESU CHRISTI locutionem in ſenſu figurato eſſe irrationabilem; patet, citra injuriam hanc illi tribui non poſſe, & e contra cum ſenſus Catholicorum ſolus, & unicus ſit rationabilis ſenſus eorum verborum, quæ naturaliter ab omnibus populis in realis præſentiæ ſenſu accipiuntur, credendum eſt, hunc illum eſſe, quem JESUS CHRISTUS voluit ſignificare; & aſſertæ impoſſibilitates, quæ efficerent, ut illum exploderent, ſi homo aliquis loqueretur, prohibere nullatenus debent, quominus illum recipiant, quia qui loquitur, Deus eſt. Rationabiliter igitur agunt credentes hunc ſenſum, qui ſi falſus eſſet, Deus illos in hunc errorem impuliſſet, ita ut aſſerere falſum eſſe, & ſenſum hunc eſſe figuratum, quod aſſerunt Calviniſtæ, ſit Deum mendacii inſimulare. Potuit ne Deus aptiora deligere verba ad exprimendum id, quod ipſe Apoſtolis ſuis largiebatur eſſe Corpus, & Sanguinem ſuum? Nunquid non ſatis percipitur, quid diſcriminis intercedat inter hos loquendi modos; *hoc eſt Corpus meum*; ego ſum vitis, ego ſum Agnus? Nonne liquet, hoſce poſteriores metaphoricos eſſe? Vitam, & agnum hoc loco adhiberi ad ſignificandas aliquas JESU CHRISTI qualitates; ſed JESUM CHRISTUM nequaquam adhiberi ad ſignificandam aliquam vitis, & agni qualitatem. Propoſitiones has reciproce inverti non poſſe dicendo vitis eſt JESUS CHRISTUS; Agnus eſt JESUS CHRISTUS; janua eſt JESUS CHRISTUS; ſed in prima propoſitione omnia ſunt vera, etiam cum invertuntur. Bene quippe dicitur, panis eſt JESUS CHRISTUS, & JESUS CHRISTUS panis eſt oblatus; ſpiritus enim non fertur, niſi in ſenſum litteralem. *Idem.*

Regulæ & ſenſus communis ſtatuunt in ſimplici ſenſu intelligenda eſſe verba hæc: Hoc eſt Corpus meum.

Senſus communis principium eſt, propoſitionem obſcuram eſſe, cum plurimis obſcura videtur; e contra perſpicuam cum pleriſque ſatis clara videtur; quod igitur Judicium ferendum eſt de aſſerto hoc figuræ ſenſu, qui nunquam detectus fuit ab ullo per tot ſæcula, licet omnes in illo inquirendo omne ſtudium, operamque collocaverint? Non ſolum non obtulit ſe illis; ſed nec tunc quidem intelligere poterant, cum illis proponeretur. Lutherus nonne profitetur, ſe libentiſſime illum fuiſſe amplexurum, ut ſummo accommodaret Pontifici, & affirmaret Euchariſtiam nihil eſſe niſi figuram: ſed id ſibi non licuiſſe, quia verba JESU CHRISTI nimis aperta ei videbantur. Non ſolum ægre ſenſus admittitur, ſed cum admiſſus fuit, ſuſtineri non poteſt, niſi jugibus documentis refricetur, adeo acumen illud excidit menti. Hoc accidit Cæſareis civitatibus Argentorato, & Auguſtæ Vindelicorum, quæ in Sacramentariorum ſententiam abierant. Statim ac Bucerus deſiit in auribus eorum populorum repetere ſenſum figuræ, & illa tantum exaudiri verba cœptum eſt: *hoc eſt Corpus meum*, populi obliti ſunt novorum ſenſuum, quos illis inſpirare fuerat conatus, & poſt Buceri deceſſum, bona fide realem præſentiam crediderunt, ita ut hæc univerſe reſtituta videretur. Judicandum quoque eſt propoſitionem in ſenſu quodam obſcuram eſſe, cum eo in ſenſu inuſitata eſt, in alio autem uſitatiſſima; Spiritus enim naturaliter fertur in ſenſum uſitatum, & non ita facile detegit ſenſum, ad quem uſus illum minime perducit. At ſenſus figuratus apud Calviniſtas uſitatus nullo Scripturæ exemplo probatur, immo nullo etiam vitæ civilis, & ſenſus Catholicorum ſemper uſitatus fuit ſæculis omnibus, quod concludit in gratiam præſentiæ realis. Nonne recte argumentaretur, qui diceret, ſi JESUS CHRISTUS nil aliud ſignificare voluiſſet, quam docere fideles panem eſſe figuram Corporis ſui per hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, mirum eſſe, illum uſum fuiſſe verbis adeo perſpicuis, quæ adſtruunt ideam prorſus oppoſitam ideæ figuræ, quin explicaret illa in hoc ſenſu eſſe intelligenda; illum inquam, qui explicabat Apoſtolis ſuis non tantum omnes figuratos ſenſus, atque Parabolas: mirum eſſe Evangeliſtas conſenſiſſe, ut ne unum quidem afferrent verbum, quod id perſpicue ſignificaret; mirum, S. Paulum

ſemper de hoc pane locutum fuiſſe tamquam Corpore JESU CHRISTI. Hæc omnia argumenta, ſunt recto ſenſui conformia, & impoſſibile eſt inde non inferre, JESUM CHRISTUM realiter eſſe præſentem in Euchariſtia per vim horum verborum: *hoc eſt Corpus meum. Idem.*

Robur argumentorum ex recto ſenſu deſumptorum. Mortales metaphyſicis aſſueti argumentis, velut Miniſtri irrident probationes ex recto ſenſu depromptas, & bona fide indigentes: putant ſe mirabilia facere, ubi poſſunt oſtendere regulas, quæ non ſunt generales, & eum effugiunt per modicas exceptiones, quas ſuo excogitant marte; ſed hac in re teſtantur ſe ignorare principia, quæ determinant ſermones hominum ad quoſdam ſenſus, & faciunt, ut quædam poſſibilia dicantur, & alia non item. Volo equidem non eſſe generalem canonem, Evangeliſtas nunquam repetere metaphoras, ſed aſſero perquam raro fieri, quod JESUS CHRISTUS non explicet Apoſtolis ſuis metaphoras, quæ illis negotium faceſſere poterant; raro terminos figuratos adhiberi ad exprimendos articulos fidei; raro metaphoras in teſtamentis ſcribendis impendi; raro per eaſdem leges explicari, & ex omnibus hiſce circumſtantiis efformari illud, quod moralem vocant impoſſibilitatem, ex qua jure inferri poteſt per boni ſenſus regulas, verba Euchariſticæ inſtitutionis; *hoc eſt Corpus meum*, intelligenda eſſe in ſimplici, ac naturali ſenſu. His accedat, Apollolos nullam hac de re propoſuiſſe interrogationem JESU CHRISTO, quod argumento eſt, ipſis illa nequaquam viſa fuiſſe obſcura, quia ſimpliciter intelligebant illa, quia dociles erant, & obſequentes JESU CHRISTO, & minime pares, qui ſupremæ illius auctoritati infirma objicerent ratiocinia. Rudes erant, & pingues non ita quidem in ſolidis veritatibus intelligendis, ſed in metaphyſicis argumentationibus enucleandis. Acuminis hujus defectus vetabat, ne interpretarentur in obſcuros ſenſus verba JESU CHRISTI cum erant perſpicua. Fieri ergo non poterat, ut Apoſtoli figuram intelligerent illi parem, quam Calviniſtæ deprehendunt in verbis iſtis: *Hoc eſt Corpus meum;* Sed facillimum eſt, eos hæc in proprio, ac naturali ſenſu intelligentes, niſi a JESU CHRISTO ſibi quærendum exiſtimaſſe. Nihil ab eo quæſiverant, cum JESUS CHRISTUS Trinitatis Myſterium, & ſuam cum Patre unitatem explicuerat per illa verba: *Ego & Pater unum ſumus.* Nihil reſponderant ad ea, quæ Philippo dixerat, qui videt me, videt & Patrem meum: nihil objecerant, cum ille tot modis ſibi vindicabat divinitatem; neque eum dixerat ſe eſſe Panem vivum, qui de Cælo deſcenderat, immo cum promiſit ſe daturum Carnem ſuam ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum

Joann. 6. nequaquam fuerunt Apoſtoli, qui reſponderunt, *durus eſt hic ſermo;* quin immo cum docilitate acceperunt admirabilem illam promiſſionem per os Petri reſpondentes; Domine ad quem ibimus: habes verba vitæ æternæ? Quod ſi promiſſio illos non impulit, ut audacter ex eo quærerent, cur hujus ejuſdem promiſſionis complementum aliquam in iis rebellionis ſpeciem excitaſſet, cum dixit illis: *hoc eſt Corpus meum. Idem.*

Effectus ſimplicis fidei. Optandum eſſet, ut fratres noſtri errantes experti fuiſſent, quid poſſit fides in iis, qui vere ſimplices ſunt! Scirent illam, non ægre ſedare hanc mentis humanæ rebellionem, ac ſanctam offundere nebulam omnibus Myſteriorum noſtrorum difficultatibus, ita ut ne ſentiat quidem illas, & totum occupet ſpiritum ſuum in ſuæ infirmitatis confeſſione, & adſpectu magnitudinis Dei; atque inde inferrent, nihil magis ab Apoſtolorum fide abhorrere, quam proponere quæſtiones in verba quæ aperta, & perſpicua videntur. Prudentiſſima ergo eſt Catholicorum Theologorum aſſertio affirmantium, Apoſtolos interrogaturos fuiſſe JESUM CHRISTUM, ſi hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*, illis viſa fuiſſent obſcura; licet enim rudi peaere explicationem eorum, quæ non intelligit, tunc vero potiſſimum, ſi quid facere jubetur, ut in hac occaſione: *hoc facite in meam commemorationem.* Sed illi, qui vere docilis eſt, non licet fidem negare iis, quæ Deus aperte dicit, prætexendo, ibi difficultates adeſſe. Quieſcendum enim eſt in Dei loquentis omnipotentia. Huic ſententiæ, quæ adeo ſolida videtur illis, qui præoccupati non ſunt, addamus: JESUM CHRISTUM ita loquentem in inſtitutione Sacramenti Corporis ſui, non ad Apoſtolos tantum, ſed ad univerſam Eccleſiam, non unius ſæculi, ſed ſæculorum omnium locutum fuiſſe. Omnes hi ſenſus varii, in quibus verba illius ſumebantur, illi præſentes fuerunt, non ſecus ac omnes inde obortæ controverſiæ. Vidit illos futuros eſſe cauſſam inſignis diſſenſionis inter illos, qui in ipſum erant credituri; eam prævertere poterat, neque fecit per incomprehenſibile quidem, ſed certe æquiſſimum judicium, quod contrarium eſſe non poteſt bonitati, quam erga nos ſemper oſtendit. Illa igitur proferens ſuam ſimul exercuit miſericordiam, & juſtitiam, alteram quidem adhibens verba apertiſſima, ut eſſent intelligenda ab illis, qui in vero eorum accipiunt ſenſu; alteram vero, quod perhibere noluit apertioribus verbis, ne quis illis abuti poſſet ea in falſum ſenſum detorquens. Terribilis hujus Juſtitiæ effectus vel Catholici experiuntur, vel Calviniſtæ. Quæritur ſolum in utros hæc ruat procella: Sed cuinam difficilis eſſe poteſt hæc quæſtio, ſi conſiderentur ſimpliciter vel perſonæ, vel cauſſæ, quæ utroſque impellunt in opiniones, quas amplectuntur? Credi ne poteſt eos, qui damnare inceperunt omnia Concilia, Patreſque omnes; Sacerdotii everſores, atque exteriorum Eccleſiæ rituum diſſipatores; Schiſmaticos, homines, qui ſecundum rationis regulas ne audiendi quidem ſunt, ſolos eſſe, quos elegerit Deus, ut illis darer intelligentiam hujus Myſterii, unitatis Fidelium, & perpetui Eccleſiæ ſuæ Sacrificii? Quis e contra obſtupeſcet videns juſtitiam Dei tradere tenebris, ac erroribus mentis ſuæ Calviniſtas, eiſque negare cognitionem hujus Myſterii pacis, ubi videntur armati, ac rebelles contra Eccleſiam ſuam, & per ſuperbiam univerſæ eorum Sectæ communem, audaces adeo, ut jactitent ſibi ſingulis plus luminis eſſe in Scripturarum intelligentia, quam omnibus ſimul Patribus fuerit? *Idem.*

Quis mirabitur, homines, qui fidem ſuam regunt Luc. 12. Moralia Realitatis argumenta
juxta metaphyſicas ſubtilitates, tradi illuſionibus rationis ſuæ, & Deum, qui illis permiſit ſatis luminis, & auxilii ſive per verborum ſuorum perſpicuitatem, ſive per Eccleſiæ ſuæ auctoritatem, quæ illis perhibet teſtimonium fidei, prævertere noluiſſe temeraria dubia, in quæ ipſorum duntaxat præſumptio pertrahebat? Hoc autem non accidit alteri parti licet toto Cælo frequentiori, quæ profitetur ſe intelligere ſimpliciter, & ſecundum naturalem ſenſum hæc verba, quæ realitatem confirmant, *hoc eſt Corpus meum*, nulla videtur ratio, quæ illam impellat ad ſenſum hunc amplectendum; non deſciſcit ab Eccleſia illud amplectens; e contra ipſa Eccleſia, & magnum hoc Religionis corpus, quod ad illam uſque per JESUM CHRISTUM deſcendit, illam tenet; ſubjicit rationem ſuam fidei, non fidem rationi; & ingens conceptus, quem habet de Eminentia Dei ſupra captum ſuum efficit, ut contemnat quidquid illam poſſet amovere a credendis, quæ credit a Deo de divino hoc Myſterio ravelata. Quis ergo credere poſſet, Deum videntem affectionem tot animarum illum unice diligentium, his negaſſe diſpoſitionem neceſſariam ad hunc errorem evitandum? & non ſolum hunc illis negaſſe, verum etiam de induſtria inſidias illi poſuiſſe & evitaſſe uſitata verba, quibus figuratus ſenſus exprimitur, & alia delegiſſe, quæ per ſe adſtruunt ſolam ideam realis præſentiæ, & pervertere noluiſſe verbo, quod vulgatus ſermonis uſus poſtulabat, omnes hos funeſtos effectus, quos orituros eſſe prævidebat ex inuſitata locutione, quam ipſe delegerat? Hoc in argumento nonne dici poteſt quod JESUS CHRISTUS olim dicebat Judæis, ſtultiſſimos hominum nequaquam ita omni ſenſu carere, ut ſubjectis, atque obſequentibus filiis negare velit documentum adeo facile, & neceſſarium. Blaſphemia eſt contra Dei bonitatem credere, ipſum illud negaſſe Eccleſiæ ſuæ, quæ non fertur in præſentiæ realis ſententiam, niſi per ſubmiſſionem, qua divinam auctoritatem venerantur, & per humanorum luminum contemptum. *Auctor Recens.*

Mirum ſane quantum proficiant, qui ſuam ſequuntur libidinem, & cæcitatem! Cum enim hanc pariant cupiditates, quibus nulla lex eſt, illa etiam certis regulis caret, & ſæpe hominum rapit judicium ad extrema quæque ſibimet adverſantia. Hoc accidit Calviniſtis in explicatione verborum illorum: *Hoc eſt Corpus meum;* Primi etenim reformatores diutius ibi viderunt ſenſum Catholicum; neque alios eorum ſenſus perſpexerunt. Mox vero oborta illis cupiditas eſt ſenſum hunc evertendi; Non eo quod parum conforme videretur verbis; ſed quia ex eorum ſententia nimias complectebatur difficultates, alium quæſierunt, ac diu invenire illis non licuit. Mox inventum amplexi ſunt tamquam verum, ſed per quaſdam ſinceritatis reliquias, quæ illis adhuc ſupererant, confeſſi ſunt; ſi verba illa ad litteram accipiantur, per illas ſignificari tranſubſtantiationem. Denique illos pœnitet hujus confeſſionis, quam ab illis extorſerat veritas, & nacti ſunt ſibi utilius futurum aperte fateri hæc verba omnino intelligi ad litteram nequaquam poſſe; illa hoc modo accepta nullum ſenſum efficere, neque verum, neque falſum, & ex illis tranſubſtantiationis ſenſum nonniſi coactis, & violentis applicationibus poſſe extorqueri. Hic eſt cæcitatis gradus, quo Miniſtri erroris pervenerunt; de quo audiendus eſt Zuinglius in Epiſtola ad Billicanum. Comparans enim Catholicorum ſententiam cum opinione Lutheranorum, ait hos imprudenter admittere, quod verbum *eſt* naturalem retineat ſignificationem; & negare quod panis mutetur in Corpus, & vinum in

Hæreſum variatio circa realem præſentiam

San-

Sanguinem JESU CHRISTI. Certe enim, ait, ſi Verbum *eſt* accipiatur proprie, qui Papæ adhærent tandem habent, & credendum eſt panem eſſe Carnem. Itaque ex Zuinglio, Tranſubſtantiatio educitur ex ſenſu ſimplici, ac naturali verborum horum; *Hoc eſt Corpus meum*. Eodem utitur argumento in tractatu de Cœna. Si verbum illud *eſt* in verbis iſtis, *hoc eſt Corpus meum*, ſine figura explicetur, *Fieri nequit, quin panis ſubſtantia in ipſam Carnis ſubſtantiam convertatur: panis ergo non eſt, qui antea panis erat*; illud vero præſertim animadvertendum eſt, quod hæc propoſitio: *Hoc eſt Corpus meum*, efficit ſenſum Tranſubſtantiationis, poſito quod per illud *Hoc* panis intelligatur. Si pronomen *hoc*, dicit ille Luthero, panem ſignificat, & in his verbis admitti nequeat figura, inde ſequitur, quod *jam panis tranſiit in Corpus & eſt Corpus ſubito; quod jam panis erat*; & paulo ſuperius dicit illi, ſi mordicus tenes figuram admittendam non eſſe, dicendum eſt, penes Papam jus eſſe affirmandi, panem in JESU CHRISTI Corpus mutari. Undenam ergo factum eſt, ſenſum hunc, qui adeo facile intellectus fuit a primis illis Miniſtris, hodiernis incomprehenſibilis videatur, niſi quod ſine cancellis longius protulerunt ſua deliramenta, quam ipſorum primipili? Ad eos igitur ab errore ſuo revocandos non alia ſupereſt via, quam illos redigere ad judicium ferendum de locutionibus juxta veram ipſarum regulam, quæ eſt impreſſio, quam efficiunt, & quandoquidem vident hæc verba, *hoc eſt Corpus meum*, ſecum ferre ideam Tranſubſtantiationis in mentem eorum, qui infeſtiſſimi ſunt hujus dogmatis inimici, veluti Zuinglii, Hoſpiciani, aliorumque, hac in re diutius repugnare non debent. *Idem.*

SUPPLEMENTUM

In Tractatum

DE SANCTISSIMA TRINITATE:

Trium Perſonarum diſtinctio non efficit tres Deos. Spiritus humanus nimis anguſtus eſt, ut ulterius procedat.

CUM loquimur de Adorabili Trinitate, de Deo ipſo loquimur, uno in tribus diſtinctis perſonis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Hoc ipſi primum fidei noſtræ Myſterium nuncupamus. Una tamen Deitas eſt; quia tres Perſonæ diſtinctæ non efficiunt tres Deos diverſos: ſed unum, & eumdem Deum, unum ſapientem, unum potentem, & ſic de ceteris divinis attributis. In obſequium hujus Myſterii, quod nullus creatorum ſpirituum capere poteſt Eccleſia Sancta totum hujus diei conſecravit Officium. De hoc adeo impenetrabili Myſterio verba facit Apoſtolus, cum ait: *O altitudo divitiarum Sapientia, & Scientia Dei!* Quaſi diceret: Funditus non docui vos quidquid didiciſſe potuiſſem de argumento adeo vaſto, & relevato, & fortaſſe vos ne illud modicum quidem quod vobis expoſui, intellexiſtis. Ne miremini; nemini licet ſcrutari altitudinem ſecretorum Dei: omnis creatus Spiritus nimis anguſtus eſt, ut hanc luminis inacceſſi abyſſum ingrediatur; Dei unius eſt ſuam altitudinem dimetiri. Jure igitur Spiritus Sanctus ait, *Scrutator Majeſtatis opprimetur a gloria*, & Auctor Teſtamenti Spiritus Sancti opportune nos admonet, ſi Dei opera, & Myſteria intelligi poſſent ab humano ſpiritu, hæc non amplius admirabilia, & ineffabilia fore. *Tourneaux in Anno Chriſtiano Tomo 7.*

ad Rom. 11.

Prov. 25.

Deorum pluralitas non permitteret hominibus, ut unum illum colerent a quo creati fuiſſent. Trinitas perſonarum non officit unitati.

Si Deus non eſt unus, Tertullianus inquit, Deus non eſt; & ſane idea, quam de Deo concipimus quæ eſt Entis perfecti, excludit Deorum multitudinem; quia unus non eſſet finis, neque bonum aliorum. Nullum ſingillatim eſſe poſſet ſupremum bonum, & Ens perfectiſſimum, atque Omnipotens. Quælibet creatura teneretur illud duntaxat colere, a quo creata fuiſſet, ac ſe ab aliorum cultu diſpenſare poſſet, cum quibus nullum relationis vinculum haberet; ideoque Deus eſſet, quem neque amare, neque colere, neque ab eo pendere deberemus. Fides tamen quin lædat ſupremam hanc Dei unitatem nos docet, Deum unum eſſe in tribus Perſonis diſtinctis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto: Naturam divinam a Patre communicari Filio, & a Patre, Filioque Spiritui Sancto perfecte: perfectum quoque eſſe terminum divinarum productionum; principium ſuum illi æquale eſſe, Deum eſſe, ut ille, & eamdem poſſidere Divinitatem. Hoc illud eſt quod Myſterium Trinitatis vocamus: in quo Deum adoramus in tribus Perſonis, & tres Perſonas in uno Deo, & ſic *aſtruimus Trinitatis unitatem*, Euſebius Emiſſenus inquit, ut *ſolitudinem removeamus; ſic unitatis Trinitatem; ut in Dei Subſtantia non admittamus numeri pluralitatem. Idem Tomo 10.*

Homil. de Trinitate.

Theologia docet J. C. eſſe æterni Patris imaginem. Iſai 14.

Univerſa nos docet Theologia, Filium per conditionem perſonæ ſuæ eſſe imaginem Patris æterni, & unum illum jure, ac vere dicere poſſe hæc verba: *Ego ſum ſimilis Altiſſimo*: Ipſe eſt character Subſtantiæ illius, imago magnalium ejus, atque ut verbo dicam, Filius eſt perfectus, *totum in ſe monſtrans Genitorem*, Gregorius Nyſſenus ait. Theologia eadem nos docet, hominis, Angelique crimen fuiſſe, Deo ſimiles fieri voluiſſe, videlicet voluiſſe vindicare ſibi jura, quæ ad Verbi perſonam pertinent, ac non ſecus ac illud cum Patre ipſius exæquari. Cum magnum hoc ſcelus Dei Filio maxime contumelioſum eſſet, ejuſdem puniendi Pater Filio jus contulit, cumque audax ille conatus hominem, Angelumque Verbi adverſarios conſtituiſſet, Deus Verbum Judicem eorum conſtituit, eique tribuit poteſtatem ſententiæ in illos ferendæ. Hinc Scriptura teſtatur, Patrem Filio dediſſe auctoritatem judicandi, & in hujus manibus eam depoſuiſſe qualitatem, quæ ad ipſum quatenus Creatorem pertinebat. *Omne judicium dedit Filio; Pater non judicat quemquam.* Si verum eſt hoc axioma, certum eſt, Filium eſſe Judicem noſtrum, nobiſque evitandum non eſſe, quominus procedamus ante Tribunal ipſius actionum noſtrarum rationem reddituri. Nos ſumus illius ſubditi, & rei; quæ duæ qualitates duplicem illi tribuunt poteſtatem ad examen vocandi cauſſam noſtram, & in nos ſententiam ferendi. *Ex Panegyricis Sanctorum Patris Senault. Tomo 4.*

Joann. 5.

Entis ſupremi majeſtatem non poſſe comprehendere, eſt quodammodo illam cognoſcere.

Si Ens hoc increatum, & ſupremum, ſi hoc Ens infinitum creata mente, ac ſpiritu adeo exili, & anguſto, qualis noſter eſt, poſſet comprehendi; profecto non eſſet Deus. Quid? exiguus iſte Spiritus, cujus conſilia adeo anguſta ſunt, qui vulgatiſſima quæque ignorat, & qui neque ſemetipſum, neque minimum ex Creatoris operibus cognoſcere poteſt; intelligere poterit modum, quo eſt Ens hoc infinitum, quod ut ita dicam, ſe ipſum exhaurit, ut ſemet agnoſcat? Myſterium hoc eo credibilius eſt, quo incomprehenſibilius. *Vere aliquid de Deo cognoſcimus cum ipſum comprehendere non poſſumus.* Præcepit mihi Deus ut crederem hoc incomprehenſibile Myſterium; ſed illius altitudinem ſcrutari mihi non licet: *Credere mihi juſtum eſt; non diſcutere permiſſum eſt:* Quæ veritas oſtendit fidei neceſſitatem in Religione. *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 4.*

Auguſt.

Lib. de fide ad Gratian. Auguſt.

Myſterium adorabile unitatis trium perſonarum in uno Deo fundamentum eſt Religionis Chriſtianæ.

Unus in tribus Perſonis Deus: hoc eſt fidei noſtræ compendium, celeberrimus Chriſtianorum Oratorum inquit: hoc eſt Religionis noſtræ fundamentum, character profeſſionis noſtræ, omnium Myſteriorum noſtrorum auguſtiſſimum. In tribus verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fundus, atque theſaurus fidei noſtræ conſiſtit. Mundi Salvator ex illis eſſentialem conſtituit partem primi omnium Sacramentorum; voluitque fere, ut in reliquorum compoſitione locum haberet. Primitiva Eccleſia hoc utebatur tamquam univerſali, & publico Signo ad Fideles dignoſcendos; & quoque, ut ſententiæ illius conformemur, verba hæc actionibus omnibus præferimus, volentes hæc eſſe totidem teſtimonia cultus, quem Sanctiſſimæ, atque adorabili Trinitati præſtamus. Itaque fidem hanc, S. Auguſtinus ait, tamquam pretioſiſſimum Eccleſiæ theſaurum reſpicimus. Fides hæc Peccatores juſtificat, ſanctificat Juſtos, baptizat Cathecumenos, Martyres coronat, conſecrat Sacerdotes, Mundum univerſum ſalvat. *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. Idem ibidem.*

S. Athanaſius in Symbolo.

Ineffabile hoc Myſterium licet incomprehenſibile unanimi conſenſione ab omnibus receptum fuit. Unitas perſonarum in uno Deo oſtendit fidei noſtræ unitatem.

Myſterium ineffabile, Myſterium adorabile Sanctiſſimæ Trinitatis revelatum fuit, & univerſus terrarum orbis illud credidit. Illud quamvis creato ſpiritui ſit incomprehenſibile; Judæi, Romani, & Græci; Aſia, & Europa, Africa, & America fidem hanc amplexi ſunt. Mundus univerſus confeſſus eſt, unum eſſe Deum, etiamſi tres ſint Perſonæ divinæ: Patrem a Filio diſtinctum eſſe; Patrem, & Filium diſtinctos a Spiritu Sancto; quamvis hi tres omnes eamdem habeant Divinitatem, eamdemque divinam naturam: tres hoa

ſapien-

ſapientes eſſe, immenſos, æternos; eſſe tamen unam, eamdemque æternitatem, immenſitatem, ſapientiam. Non ſolum æque potentes eſſe, æque bonos, verum etiam unam duntaxat habere bonitatem, unam eamdemque potentiam; Nos tribus illis æqualem obedientiam debere, & nihilominus nos unum habere Dominum. Patrem nullum habere principium; Filium a Patre eſſe genitum; Patrem, Filiumque ſimul nequaquam gignere, ſed producere Spiritum Sanctum: Et quamvis hic adſit productionis ordo, nullum in tribus divinis Perſonis primatum eſſe, vel præeminentiam: Unum non pendere ab alio, etſi variis modis unus ab alio procedat. Unitas Dei oſtendit unitatem objecti cultus noſtri. Adorantes Filium, ſimul & Spiritum ſanctum, & Patrem adoramus. Hic præcipuus eſt Fidei noſtræ articulus; hæc ſumma altiſſimi, maximique omnium Myſteriorum noſtrorum. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 4.*

Incomprehenſibilitas hujus Myſterii efficere debet, ut illud majori cum fide credamus.

Quo Trinitatis Myſterium humanæ menti incomprehenſibilius eſt, eo ab omni dubitatione eſt remotius. Deus unus in Perſonis tribus realiter diſtinctis; & in uno Deo Perſonæ tres. Unitas naturæ, Trinitas Perſonarum, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Pater Deus eſt; Filius Deus eſt; Spiritus Sanctus Deus eſt, & nihilominus unus eſt Deus. Divinitas eadem, eadem Majeſtas, eadem immenſitas, eadem æternitas, eadem Potentia, eadem eſſentia; ita tamen ut Pater non ſit Filius, Filius non ſit Pater, & Spiritus Sanctus, neque Pater ſit, neque Filius. Hoc eſt fidei noſtræ objectum. Ex omnibus Religionis noſtræ Myſteriis, ne unum quidem eſt homini incomprehenſibilius Trinitate. Nullum magis rationem noſtram excedit; nullum tamen magis rationi noſtræ ſatisfacit, quæ nobis aſſerit Deum eſſe debere incomprehenſibilem; & certum eſt, nunquam nos ſublimiorem digrioremque magnitudine Dei conceptum poſſe nobis adſtruere, quam cum fatemur illum eſſe omnibus creatis Spiritibus incomprehenſibilem. *Pater Croiſet ibidem.*

Nobis credendum eſt, quod placuit Deo nobis de hoc Myſterio revelare.

Mirum nobis eſſe non decet, ſi minime licet ineffabile hoc Myſterium comprehendere. Acquieſcere opus eſt iis, quæ Deus dignatus eſt nobis & in Sacris Scripturis, & per Sanctorum Patrum, Interpretumque ſcripta, aperire. Reliquum eſt, ut quæ intelligere prohibemur, adoremus, & cum Apoſtolo exclamemus. *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & ſcientiæ Dei!* Hac in re credamus, quod nobis revelatum eſt; nihil enim rationabilius eſt, quam credere quod dicit Veritas ipſa: ſed non quæramus comprehendere ineffabilis hujus Myſterii altitudinem luminibus rationis noſtræ; nihil enim magis ridiculum eſt, quam penetrare velle, quod nobis aperire non placet Deo. Neque enim fas eſt contendere, ut Dei Myſteria humanæ rationis noſtræ infirmitati accommodemus: ſed e contra humana ratio ſubjicienda eſt iis, quæ docet nos fides de Myſteriis Dei. Cur enim Apoſtolus protulit hæc verba, *O Altitudo* &c. niſi ut validum objiceret vallum inani huic curioſitati, effræni huic licentiæ, huic damnabili mentis humanæ temeritati, quæ callidi inſtar Veteratoris, de quo loquitur Iſaias, aſcendere vult nubes, credens ſe tandem Altiſſimo ſimilem futurum. *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo 7.*

Cum dicitur Sapientia æterna creata fuiſſe, verbum hic ſolum producendi actionem deſignat. Eccleſ. 24.

Sacræ Litteræ dicunt Æternam Sapientiam ab initio, & ante ſæcula fuiſſe creatam, & ſæculis futuris non eſſe deſituram: *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum; & uſque ad futurum ſæculum non deſinam.* Qua in re quæſo a vobis, ut animum advertatis, Scripturam uti nonnunquam creandi verbo ad ſignificanda omnia productionum genera. Deus ſemetipſum cognoſcens, increatam produxit Sapientiam. Hoc eſt, Deus cognoſcens ſe ipſum format cogitationem ſubſiſtentem, ſibi æqualem, æternam ſicut ipſe eſt, Deum eumdem ac ipſe eſt. Cogitatio eſt verbum ipſius, & modus, quo verbum hoc a Deo procedit, generatio vocatur, cum Eccleſia non habeat aliud vocabulum ad exprimendam ineffabilem hanc productionem perſonæ, quæ neque ex nihilo creata eſt, neque ex aliquo facta, & quæ nihilominus habet principium; ſed quæ ſimul eſt eadem natura, eademque potentia, verbo, idem Deus ac principium ſuum. Sed hæc divina, æternaque generatio iſtic exprimitur, ut facile videre eſt, nomine creationis, quæ tunc non ſignificat actionem, qua Deus aliquid producit ex nihilo; ſed eam duntaxat per quam producit, quocumque modo hæc productio fiet. *Idem Tomo 10.*

In ſalutis ſcientia contra id quod in humanis accidit ſcientiis, docemur quidquid eſt difficilimum.

In Religione noſtra hoc ſingulare eſt, quod cum ad Religionem formamur, & nobis prima fidei elementa traduntur, initium ducitur ab iis, quæ ſublimiora ſunt, & ad credendum difficillima, quale eſt ineffabile Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium. In ſcientiis humanis primum ea docemur, quæ vulgatiora ſunt, & ad intelligendum faciliora; ſed cum agitur de Chriſtiani ſcientia, prima lectio eſt compendium omnium obſcuritatum, quæ inveniuntur in illa; Tyrocinium, ut ita dicam, in opere maximo, difficillimoque collocandum eſt: videlicet in diſcendo, & confitendo SS. Trinitatis Myſterio. Unus in tribus Perſonis Deus eſt: hæc prima eſt veritas, quæ in Chriſtiana ſchola percipitur, quia trium divinarum Perſonarum fides eſt fundamentum ſpei noſtræ, fons meritorum, totius Sanctitatis Myſterium, atque ut Tridentina Synodus loquit, initium, & radix omnis juſtificationis hominum. Hinc formula fidei, quam profitemus Trinitatem confitentes, & quæ his terminis concepta eſt: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in Religione noſtra adeo ſancta, auguſta, & venerabilis eſt. Hinc eſt, quod ſecundum JESU CHRISTI inſtitutionem in omnibus fere Sacramentis Legis gratiæ adhibetur. In nomine harum trium Perſonarum divinarum recipimus benedictionem Sacerdotum, Paſtorum, Præſulum, in eodem incipere, ac deſinere debent omnes actiones, & preces noſtræ, ut intelligamus nullam eſſe gratiam, nullam ſalutem, nullam juſtificationem, niſi per ineffabilis hujus Myſterii fidem. *P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 4.*

Debemus habere fidem Myſteriis Dei eo humilius, quo magis ſuperant mentium noſtrarum infirmitatum. Ad Rom. 11.

Omnia in Religionis noſtræ Myſteriis ſunt *altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Eccleſia nos credere jubet perſonas tres eſſe in uno Deo. Veritas hæc incomprehenſibilis eſt; ſed quia incomprehenſibilis numquid minus credibilis eſt, & minus vera? Nonne e contra manifeſtum eſt, Deum habere modum *eſſendi* omnino diverſum ab illo, quem habent creata, & infinite omnibus conceptibus noſtris ſublimiorem? Qualis eſſet Deus noſter, ſi id ſolum eſſet, ſi id haberet tantum, quod nos comprehendere poſſumus? & ſi infinita ejus eſſentia, & eſſendi modus ita eſſent arctata, ſicuti mens noſtra eſt? Myſterium Trinitatis, Incarnationis verbi, Redemptionis, humanis mentibus ſunt incomprehenſibilia, & ideo ſunt etiam credibilia. Sola humana ratio nobis dicit tantum eſſe debere diſcrimen inter modum quo Deus eſt, & quo noſtrum eſt ingenium, quantum Deum inter & creaturam intercedit. Num in Deo quidquam eſt, quod nos non excedat? Poſſumus ne intelligere, quomodo replet omnia, quomodo ſimul conciliet infinitam juſtitiam cum infinita miſericordia; quomodo patitur infinita in Mundo mala, quæ vetare unice ipſius eſt? & tamen ſapientius gubernari non poteſt. Mirumne eſſe debet, ſi eſſentia Dei continet res adeo oppoſitas, ſicuti menti noſtræ videntur: quandoquidem ipſa illius judicia adeo ſunt impenetrabilia? Quomodo igitur primum hoc, & ineffabile Sanctæ Trinitatis Myſterium comprehendamus? Reliquum eſt, ut cum Gentium Apoſtolo exclamemus. *O altitudo divitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles ſunt viæ ejus! P. Croiſet in Aſceticis. Tomo 4.*

Ibidem.

J. C. voluit nos ſanctificare per Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium.

Data eſt mihi omnis poteſtas. Matthæi cap. ultimo. Omnis poteſtas, Dei Filius inquit, mihi data eſt in Cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eas ſervare quæcumque dixi vobis; & ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Omnia Mundi hujus creata dicunt nobis, Deum eſſe, a quo facta ſunt; Cæli gloriam ejus enarrant, Sol Majeſtatem ejus prædicat, aſtra illius concinunt magnificentiam, aeris volucres, piſces Maris, Terreſtria animalia docens ſe illius potentia creata fuiſſe, ejuſque bonitate ſervari; ſed nulla ex his creatis rebus loquitur de Trinitate. In veteri Teſtamento Deus tamquam unus revelatur, & Moyſes non loquitur de Filio, & Spiritu ſancto, uno in eſſentia, at trino in perſonis; metuendum quippe erat, perſpecta Judæorum craſſitie, & propenſione ad idololatriam, ne tres eſſe Dii crederentur. Ergo Trinitatis fides eſt Chriſtifidelium propria, & opus fuit, ut Spiritus ſanctus in terram deſcenderet illam traditurus hominibus. Sed non ſufficit Deo tantum illis aperire Myſterium, ſed per hoc Myſterium illos ſanctificare deſiderat, ac imperat Apoſtolis ſuis, ut illos in hoc nomine baptizent. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, poſtquam illos docuerint, eſſe Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum ſanctum, qui non quidem tres ſunt Dii, ſed unus eſt Deus, ſine diverſitate, ſine inæqualitate, ſine dependentia. *Godeau in Homilia.*

De Unitate Verbi cum Patre ſecundum naturam divinam.

Diſtinctio perſonalis Verbi a Patre non prohibet unitatem eorum eſſentiæ. Pater alia eſt a Filio perſona, ſed non alius eſt Deus. Pater illum gignens non communicat illi naturam inferiorem ſuæ: Nativitas eſſet monſtroſa, quoniam illa a principio ſuo degeneraret; neque poteſt illi aliam communicare, quæ perfecte ſit ſimilis illi, alioquin plures haberentur Dii, quod fieri nequit. Opus igitur eſt, ut illi communicet ipſam Eſſentiam ſuam cum omnibus perfectionibus ſuis, ita ut uterque unum, & idem ſint in unitate naturæ. Ad hæc cum Verbum producatur per actionem immanentem, vi æternæ generationis ſuæ permanet in ſinu Patris ſui. Nihil autem in Deo eſt, quod non ſit ipſe Deus. Deinde Pater illum producens per actionem ſibi non liberam, ſed naturalem, ac neceſſariam; opus eſt, ut agat ſecundum omnem virtutis ſuæ magnitudinem, cumque virtus ipſius ſit infinita, nequit illi communicare Eſſentiam infinita minorem. Sed eſſe non poſſunt plura Entia infinita, quoniam unum haberet aliquid, quod alterum non haberet; & ſi cui quid deeſſet, neutrum eſſet infinitum. Si ergo Pater neceſſario Eſſe infini-

infinitum Filio ſuo communicat, dicendus eſt ille huic communicare eſſe proprium, ideoque Patrem & Filium vere eſſe perſonas duas; ſed unum eſſe eumdemque Deum. *Pater Nouet Tomo 7.*

Cum Verbum divinum voluerit nos ſuæ Divinitatis conſortes efficere, conari debemus, ut perſonæ illius adhæreamus.

Adora igitur Verbum tamquam Deum tuum, & admirare honorem, quem noſtræ conferre dignatus eſt naturæ, illam efficiens ſuæ Divinitatis conſortem, eamdem ſuæ Perſonæ conjungens. In æterna generatione ſua procedit in eſſentiæ unitate, non autem perſonæ: in temporali vero ſubſiſtit in unitate perſonæ, non autem naturæ. Præbe te dignum gratia, quam contulit tibi, ut particeps fieri poſſis hujus admirabilis unitatis. Te illius Divinitati conjunge per gratiam, & amorem, quemadmodum illius adhæres humanitati per naturæ ſimilitudinem. Ne hoc fœdus infringas. Unum eſto cum illo, quemadmodum ipſe unum eſt cum Patre. Eamdem habeto eum illo cauſſam, vitam eamdem, eoſdem ſenſus, & affectus, ut aliquando eamdem habeas gloriam, eamdemque beatitatem. *Idem.*

De Verbi independentia.

Hæc verbi independentia, quæ conſequitur unitatem, & æqualitatem quam habet cum Patre, tribus juncta eſt circumſtantiis, quæ illam efficiunt admirabiliorem: Prima eſt, illum recipere omnia a Patre ſuo, & nihilominus Patri ſubjectum non eſſe; Privilegium ipſi peculiare, quod Filiis hominum negatum eſt, qui omnes ſubjecti ſunt Patri, a quo vitam acceperunt, & quem tamquam dominum ſuum debent revereri. Sed Filius Dei immunis eſt ab hac ſubjectione per gloriam Nativitatis ſuæ, ingreditur quippe in communionem bonorum, in unitatem ſubſtantiæ, in æqualitatem Magnitudinis cum Patre ſuo, qui eliter ſubſiſtere nequit, niſi producens Filium ſuum, eique communicans omnem eſſentiam ſuam, ita ut mutua adſit relatio inter Patrem & Filium, & inter Filium & Patrem; ſed nulla ſit alterius ab altero dependentia, Filio nihil minus habente, quam Pater habeat, & Patre nihil habente magis, quam Filius. Altera eſt Verbi independentiam nihil officere Majeſtati Patris, qui illi dat omnia, & non amittit quidquam eorum, quæ illi dat; quin immo uberior illi cedit gloria; nam ſicuti major claritas ſignificat magnitudinem flammæ producentis illam, ita nobilitas, & præſtantia Filii Dei argumentum eſt plenitudinis, ſupereffluentiæ, & infinitæ fœcunditatis in Patre producente Filium tantum, & ita perfectum, ut ſine rapina æquari poſſit principio originis ſuæ. Tertia eſt æqualitatem, quæ eſt inter Patrem & Filium, non prohibere, quominus adſit ordo quidam in adorabili Trinitate; quominus Pater primatum teneat, Spiritus ſanctus orbem claudit æternarum emanationum, & Filius ſit inter utrumque, procedens a Patre, & cum Patre producens Spiritum ſanctum in unitate principii. *Idem.*

De Verbi divini Æternitate. Joann. 1.

Verbum in æternitate ſua ſemper eſt vivens, ſemper oriens, ſine principio, ſine mutatione, & ſine fine. *In principio erat Verbum*; videlicet, ut explicat S. Auguſtinus, eum Mundus incepit, & creata ex nihilo erant educta, Verbum jam erat; tunc non cœpit eſſe, jam erat ante illud tempus; immo erat ante omnia ſæcula; erat ab æterno, quod principium eſt temporis, & ſæculorum omnium origo. Dicendum eſt igitur illud nunquam incepiſſe, illud nunquam mutatum eſſe, neque deſiturum unquam eſſe, quod eſt, infinite felix, infinite ſapiens, infinite magnum, gaudens cum Patre, & Spiritu ſancto theſauro eſſentiæ ſuæ, divinarumque perfectionum ſuarum. Hinc inferendum eſt, cum illius Sapientia, & bonitas ſint æternæ, illum ab æterno cogitaſſe de vobis, ab æterno dilexiſſe vos, & ab æterno decreviſſe creationem, redemptionem, & ſalutem veſtram. Undenam ergo vos adeo parum de illo eſtis ſolliciti? unde nam adeo parum ſolliciti eſtis de vobis? Si de vobis cogitavit per omnem æternitatem, quæ adeo prolixa eſt, nonne turpe eſt, vos adeo raro de illo cogitare in hac vita, quæ adeo brevis eſt? Saltem illi conſecrate omnia, quæ vobis ſuperſunt momenta, ac lugete illud tempus, quo eſtis abuſi, & quod in illius contumeliam inſumpſiſtis. *Pater Nouet Tomo 7.*

Nativitas Filii Dei ineffabilis eſt, & incomprehenſibilis.

Job 28. 21.

Generationem ejus quis enarrabit? Iſaiæ 53. Quidquid conemur concepturi nobilitatem generationis ejus, hæc infinitis ſpatiis omnes cogitationes noſtras excedit, & ſuperat laudes, nobiſque ad illam colendam unicum ſupereſt ſilentium. Sapientia *abſcondita eſt ab oculis omnium viventium*, inquit Job, illius pulcritudinem non niſi poſt mortem palam videbimus, *volucres quoque Cæli latet*. Verum eſt S. Joannem ad confundendos ævi ſui Hæreticos volatum aſſumere, & uſque ad Verbi divinitatem pervenire per Aſcenſionem admirabilem, quam S. Hieronymus appellat beatam temeritatem. Verumtamen licet haberet vocem tonitrui, & pennas aquilæ, ea omnia quæ dicit, ſtuporem cient, eeque venerationem pro hoc ineffabili ſecreto, cujus cognitio reſervata eſt ad ſtatum Beatorum. Fides eſt portio noſtri, ac nobis rogandus eſt Deus, ut illam vivificet in nobis per donum intelligentiæ, & Sapientiæ, & per ſecreta Spiritus ſui lumina. Clara viſio hujus Myſterii efficit Sanctorum beatitudinem: illuc inceſſanter tendere debemus per deſideria noſtra, & nos ad illa diſponere per puritatem animæ, & vitæ Sanctitatem. Verbum increatum, quandoquidem in ſplendoribus Sanctorum emicat tuæ Nativitatis gloria, die noctuque ad beatum hunc ſtatum anhelabo expectans lumen beatificum; & ortum divinæ hujus Auroræ, quæ per pulcritudinis ſuæ illecebras æternum rapere debet cor meum. O Sol divine, quandonam tenebras noſtras diſſipabis? Pater Æterne oſtende nobis Filium tuum, & ſufficit nobis. Cur ſuaviſſimam faciem hanc nobis abſcondis? Oſtende illam nobis, & ſalvi erimus. Heu! ſi mihi negas adhuc hanc illius videndæ felicitatem, hanc ſaltem gratiam concede, ut omnibus viribus, ac tota mente illam diligere valeam. *Idem.*

De Verbi ſede in ſinu Patris.

Quamvis Verbum procedat a Deo, nunquam tamen a ſuo recedit Principio. Cum Patris ſinus ſit locus Nativitatis ſuæ, ita & manſionis ſuæ locus eſt. Inſignes ſunt intimæ hujus Manſionis cauſſæ. Prima deſumpta eſt ex unitate divinæ naturæ, quæ in tribus Perſonis eſt eadem. Hinc fit, ut neceſſario una ſit in altera, cum tres illæ unam tantum habeant eſſentiam, & ita Pater ſit in Filio, Filius in Patre, & Spiritus ſanctus in utroque per admirabilem reditum, quem Theologi Perichoreſim, vel Circuminſeſſionem appellant. Altera deſumitur ex divinis emanationibus, quæ duæ ſunt actiones immanentes, altera quidem intellectus per quam Verbum procedit a Patre; altera vero voluntatis, per quam Spiritus ſanctus procedit a Patre, & Filio tamquam terminus reciproci amoris eorum. Hinc ſequitur Filium neceſſario immanentem eſſe in Patre, quia ab illo producitur per actionem immanentem, quemadmodum Spiritus ſanctus eamdem ob cauſſam eſt in Patre, & Filio, qui producunt illum per actionem ex principio ſuo non egredientem. Tertia ratio deſumitur ex vi cogitationis, & amoris. Cogitatio enim trahit in nos objectum ſuum, & amor efficit, ut extra noſmet ipſos egrediamur in eo, quem diligimus, permanſuri. Ideo cum tres divinæ Perſonæ ab æterno ſine ulla intermiſſione occupentur cogitatione, atque reciproco amore ſui, neceſſe eſt, ut una ſit in aliis per intimam præſentiam æternam manſionem, inſolubilem ſocietatem quam nulla unquam vis poteſt ſeparare. *Pater Nouet Tomo 7.*

Gaudium, & ineffabilis voluptas qua tres hæ divinæ Perſonæ gaudent per intimam & mutuam hanc præſentiam.

Ponderate gaudium illud ineffabile, quod in hac mutua conjunctione percipiunt, in hac amabiliſſima præſentia, in hac manſione ſuaviſſima, quæ centrum eſt quietis, & felicitatis, quam poſſident, & quæ minime pendet a quoquam, quod extra ipſas eſt. Cogitate quoque Deum eſſe centrum noſtræ tranquillitatis, & cordis noſtri, extra quod nunquam erimus beati. Nam præterquamquod ſua nos immenſitas penetrat, & undequaque circumdat, & Potentia ſua nos ſuſtinet jugi actione, quæ profecto immanens non eſt, ſed quæ nos illi adnectit per eſſentialem ſubmiſſionem, non ſecus ac radium Soli, & rivulum fonti; nobis adhuc hanc contulit inæſtimabilem gratiam, ut cum illius bonitate per cogitationem, & amorem glutinari valeamus. Sæpe enim cogitantes de illo, ipſum in nos pertrahimus, efficimuſque ut ille in corde noſtro permaneat; eumque ardenti amore complectentes in cor illius ingredimur, & permanemus. O ſanctam, & beatam praxim! O ſuavem, deliciſque plenam manſionem! Heu! Quam miſer eſt, qui deſerit Deum, qui obliviſcitur ſupremi boni ſui, qui ab illius ſinu recedit! *Quid tam perditum eſt*, S. Bernardus ait, *quam quod eſt extra Deum? Idem.*

Deus unus eſt per eſſentiæ ſuæ ſingularitatem, ſed ſolitarius non eſt; quia in Deo plures ſunt perſonæ componentes auguſtiſſimam, quæ eſſe valeat, Societatem. O quam admirabilis converſatio! Quam ſancta, & divina earum colloquia! Pater loquitur ad Filium generans illum, eique ſuam Sapientiam, arcana omnia, & conſilia communicans: *Hoc eſt eum docuiſſe, quod ſcientem genuiſſe*, S. Auguſtinus ait. Filius loquitur ad Patrem exprimens omnes perfectiones ſuas, & cum illo Mundi creationem decernens, hominumque ſalutem. Æternum cogitat de te, æternum loquitur de te. Efforma te juxta hunc prototypum; fac, ut frequentiores ſermones tui ſint cum Deo, & cum Filio ejus Unigenito. Ibi incredibilem invenies ſuavitatem, ſi noveris temet ab omnibus perituris objectis terræ expedire. Quod ſi teneris cum hominibus converſari, cura ut omnia colloquia tua de Deo ſint, vel propter Deum & pro æterna ſalute; lacrymis elue tot inutiles ſermones, tot inania, & curioſa colloquia, & plerumque animæ tuæ noxia. *Idem.*

Cur præcepit J. C. Apoſtolis, ut in nomine SS. Trinitatis baptizarent.

Cur putatis præcepiſſe JESUM CHRISTUM, ut baptizantes nomen trium Perſonarum proferrent? Hoc non accidit ſolum, ut doceret tres eſſe Perſonas in Deo, ab hominibus credendas: ſed ut oſtenderet, tres haſce perſonas agere in animabus ineffabili modo per Baptiſmum; Patrem in eo agere tamquam Patrem, Filium tamquam Filium, & Spiritum ſanctum tamquam Spiritum ſanctum, ſecundum perſonales

ipſo-

ipſorum proprietates. Pater memoriam eorum conſecrat, Filius conſecrat intellectum, Spiritus ſanctus illos tamquam ſua Templa ſanctificat. Denique Chriſtianus baptizatur, ut adoret, colat, ſerviat, imitetur SS. Trinitatem, S. Auguſtinus ait, & Trinitas bonum eſt, quo ille frui debet in terra. *Res, quibus fruendum eſt, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſt. Godeau in homilia.*

Lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 5. Unio, & conſenſio inter divinas perſonas effectus amoris eorum.

Ex amore mutuo procedit perfecta concordia, quæ inter illos eſt, & quæ hoc habet ſingulare, quod non ſolum in cogitationibus, votiſque conſentiunt, ſed unum eumdemque habent intellectum, eamdemque voluntatem, quia eamdem habent naturam. Ad tantam felicitatem contendite, quantum veſtra infirmitas pati poteſt. Vobis ad Patris exemplum complaceat in Filio. Nunquam ab illo deflectite oculorum aciem; illius mementote interdiu, noctuque omni tempore, & in omni loco. Semper Patrem, Filium imitati, diligite; crebro veſtras illi gratiarum actiones teſtamini propter beneficia, quæ ab illo in ſingula momenta recipitis, cumque illum prævertere non valeatis, ſaltem illius bonitati reſpondete. Amate illum, quia vos ille dilexit prior; illi ſervite fideliter, quia inceſſanter vos bonis ſuis cumulavit, quin aliud expectet a vobis, niſi ut in optimum uſum beneficia ſua convertatis. *Pater Nouet.*

De fructu mutui amoris inter Patrem, & Filium qui eſt Spiritus ſanctus.

Mutuus amor Patris, & Filii non eſt ſterilis, ſed habet Deum pro fructu ſuæ fœcunditatis, ſcilicet Spiritum ſanctum, qui terminus eſt mutuarum affectionum; etenim incomprehenſibile eſt in Trinitate miraculum, quamvis Pater, & Filius duæ ſint perſonæ diverſæ, nihilominus unum tantum conſtituere principium habita ratione Spiritus ſancti, quemadmodum Spiritus ſanctus ad utrumque refertur per ſimplicem relationem, quæ divinam illius Perſonam conſtituit. Igitur error eſt credere, quod Spiritus ſanctus non procedat a Filio æque ac a Patre. Nulla eſſet inter duas haſce adorabiles Perſonas diſtinctio, ſi una non procederet ab altera, quia nulla eſſet relatio. *Idem.*

Filii gloria eſt eſſe Spiritus ſancti principium, hæc ipſius vita eſt, hoc ſuæ magnitudinis regnum; hic dies eſt magnificentiæ, & virtutis ſuæ, eſſe producentem æque ac productum. Ita honor Patris eſt producere Verbum, quod non ſit ſterile, ſed ſpirans amorem. Verbum ejus non debet eſſe inofficioſum, ſed infinite agens & parum eſſet infinitæ illius virtuti produxiſſe omnia creata, niſi actio ſua in infinitum uſque terminum procederet. Hinc diſcite, ſapientiæ proprium eſſe producere amorem; & cognitionem quam habes de Deo non minus caloris habere debere, quam luminis. Igitur ita age, ut omnia ſtudia tua, meditationes, & cogitationes tuæ primum te ipſum ad hunc amorem impellant, mox autem omnia verba tua ſint ignita, apta ad parem in alienis cordibus flammam excitandam. Verbum producit Spiritum ſanctum per amorem pretii, per amorem benevolentiæ, per amorem complacentiæ erga Patrem cæleſtem. Contende ut ſæpe producas ſimiles affectus erga divinas perſonas; ut Deus unus tibi pretioſior ſit, quam cetera; ut omnia cordis tui deſideria ſint videre illum, eique mortales omnes æmulari, & gratias agere. Univerſa oblectatio tua ſit videre illum tam magnum, tam ſapientem, tam potentem, tam beatum, & perfectionis illius cumulo nihil adjici poſſe videatur. Verbum æternum, Verbum amoris plenum; Verbum fœcundum, quod infinitum amorem producis, largire mihi practicam cognitionem, quæ me interius inflammet, & ignita verba, quæ corda omnia tuo amore ſuccendant. Spiritus ſancte, qui fructus es æterni gaudii Patris, & Filii, eſto fons omnium deliciarum mearum, principium, & finis omnium voluptatum mearum: ita ut nullam inveniam voluptatem niſi in uno Deo, Filioque ejus unigenito, ſuaviſſimo Redemptore: tu qui indiſſolubile es vinculum utriuſque, alliga me utrique, & per gratiam tuam effice, ut adeo fortiter eorum inhæream ſervituti, ut nec tempus, nec æternitas me inde valeant avellere. *Idem.*

Myſterium hoc comprehendi nequit via aliqua.

Incomprehenſibilitas nunquam major videtur, quam in SS. Trinitatis Myſterio, in aliis enim pleriſque fides, quæ rationem præcedit, nonnunquam ipſa ratione fulcitur, & quod nunquam credi potuiſſet, niſi fuiſſet revelatum, incipit videri, tamquam non oppoſitum illi poſtquam a Patre luminum lucem aliquam habere cœpimus. Hic non omnia ſimili modo fiunt; quod fides nos docet de Deo in tribus perſonis, ac de tribus perſonis in uno Deo, videtur reddere illum magis abſconditum, atque incomprehenſibilem. Quomodonam licet aliquod veſtigium deprehendere? Nunquid ex cauſſis? Nullæ ſunt, neque extra ipſum; cum enim ille creaverit Mundum univerſum, nihil produxit ipſum: neque intra illum; quandoquidem etiamſi in tribus Perſonis divinis agnoſcamus Patrem tamquam principium Filii, & Patrem, Filiumque tamquam Spiritus ſancti principium; non tamen cauſſam admittimus, quæ nota eſſet inferioritatis, ac ſubmiſſionis. Nunquid ab effectibus? Sed Trinitas nihil extrinſecus, quatenus Tsinitas, operatur. Dic Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum una tantum, & indiviſibili actione producere quidquid eſt in natura, & gratia, recte loqueris; ſed nihil tribuas ab extra Patri, quatenus Patri, neque Filio, aut Spiritui ſancto, tamquam Filio, & Spiritui ſancto; quoniam omnia ſunt a Deo infinite potenti, infinite Sapienti, infinite bono. Nunquid ex figuris, & imaginibus quas hæc adorabilis Trinitas ſui ipſius reliquit? Sed nulla ex his quantumvis ſimillima videatur re ipſa non valet nobis oſtendere quid illa ſit. Non Cæli, qui Dei gloriam enarrant, non firmamentum, quod opera manuum ejus annuntiat, non homo, quem fecit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; non memoria, verbum, & amor, quæ tria ſunt in una, eademque anima conjuncta, cum hæc de ſe cogitat, ſe amat, & verbum, quod format, eſt æquale memoriæ, quæ illius principium eſt, nunquam poſſunt nobis perfecte exhibere, quod ſit Deus in tribus perſonis. Profecto tria hæc, quæ in homine diſtinguimus, ſunt ne totus homo? Non ita quidem Fideles; nam præterea conſtat anima, & corpore, cum in Trinitate tres perſonæ, quæ ſunt in Deo, ſint ipſe Deus; cum perſonæ ſingulæ ſint Deus, & Trinitas Deus. Ceterum nonne verum eſt, hominem nonniſi per memoriam reminiſci, nonniſi per ſpiritum cognoſcere, nonniſi per ſuam voluntatem amare? cum in Trinitate Sancta Pater cognoſcat & amet per Sapientiam ſuam, & per amorem ſuum, per propriam eſſentiam, ac propriam divinitatem. Et quod de prima perſona dico; id de duabus aliis æque dicendum eſt. *Ex Elogiis Sanctorum Tomo 2.*

Cognoſcere quidem poſſumus exiſtentiã Dei, & aliquot perfectiones eſſentiæ ipſius, naturam vero, &c. non item. Pſalm. 76.

Quot frigidis ſpeculationibus, quibus abyſſis, atque meandris me impedio, Fideles? ſed jam dixi vobis. Hoc eſt Myſterium invium, & abſconditum. Poſſumus quidem, o Deus, per has figuras, & imagines tuam cognoſcere exiſtentiam, & nonnullas perfectiones, quas in eſſentiæ tuæ ſimplicitate dignoſcimus, ſed quod intra te ſit, id cognoſcere non valemus. *In mari via tua, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Hoc mare eſt ſine littoribus, & ſine fundo; in quo nullam nobis ſignaſti viam, neque veſtigium illum reliquiſti nobis in divino hoc attributo. *Idem.*

Homo creatus fuit ad imaginẽ & ſimilitudinẽ S. Trinitatis.

Ante JESU CHRISTI adventum homines in ſe ipſis aliquid Sanctæ Trinitatis gerebant; quia nemo eorum ad imaginem illius creatus non erat; ſed nondum cognoſcebant, quod ipſi gerebant; Sentiebant quidem in ſe aliquid ineſſe divinum; ſed hujus confuſam duntaxat habebant ideam. JESUS CHRISTUS, qui venit ad eos docendos id, quod ignorabant, ſibi depoſcit munus eos de impenetrabili hoc Myſterio erudiendi. Angelus juſſus fuit revelare Incarnationem ipſius Mariæ, & Joſepho; permiſit, ut alius nuntiaret Reſurrectionem ſuam piis Mulieribus, quæ ſummo mane venerant, ut ei parentarent; ſed non Angelo, neque Prophetæ provinciam credere voluit manifeſtandi hoc Myſterium, quod celebramus; ipſe ille voluit nobis aperire. En Fideles, quod ad veſtrum pertinet ſpiritum, & primum fidei veſtræ objectum conſtituit. Verum vos non latet, id multo magis ad opera veſtra pertinere; *Ipſe illuxit in cordibus noſtris;* Deus, Trinitas tota venit ad illa illuſtranda. Profecto quantumcumque luminis effuſum ſit in mentibus veſtris per hujus Myſterii revelationem, incumbunt adeo denſæ & impenetrabiles tenebræ, ut oporteat illas carere propria actione, & fere ratiocinio. Hoc ipſum de cordibus veſtris dicendum non eſt. Cum enim ſe in illis SS. Trinitas impreſſerit, ibique ſuam imaginem inſculpſerit, eaque annulo ſuo ſignaverit; vult, ut illa ſecum agant, & ſub ſe, relinquens illis integram libertatem, & vobis tribuens valida ſubſidia ad voſmet ſanctificandos per rectum uſum eorum, quæ vobis in magno, & auguſto Myſterio hoc revelata fuerunt. *Elogia Sanctorum, Tomo 2.*

2. Corinth. 5.

Quid ſcire [illegible] de hoc [illegible] Myſterio.

In Myſterio hoc incomprehenſibili tria ſunt: Unitas naturæ divinæ, Trinitas Perſonarum, & infinitæ Perfectiones adorabilis hujus naturæ. Unus eſt Deus, tres in Deo Perſonæ, & hic Deus in tribus Perſonis infinitas habet perfectiones. Seraphin illum Sanctum appellant; ecce Unitas divinæ naturæ; illum ter Sanctum appellant, ecce trium Perſonarum Sanctitatem. Nonniſi de illius Sanctitate loquuntur; ecce omnes perfectiones, quoad nos, in divino hoc attributo contentæ. Cum quis ad vos loquitur de Deo, de perſonis, deque divinis perfectionibus, loquitur ſolum de Sanctitate; & ratio conſtat. Vos neque prædeſtinari, neque ſalvari poteſtis, niſi Deo ſimiles ſitis, & Sanctitas ex rebus omnibus illa eſt, per quam illi ſimiles eſſe debemus. Adoro igitur, Deus, alia attributa tua, quin illa valeam, audeamque imitari; ſed utiliter adorare poſſum Sanctitatem tuam, ſi me ad illius exemplum componere adiutar. Votum eaæquendi auctoritatem, ac dominationem tuam, tertiam Angelorum partem perdidit; deſiderium ſcientiæ tuæ peperit primi hominis calamitatem, ſed Sanctitatis tuæ imitatio debet in jugi motu continere corda noſtra, utpote quæ magnum, & unicum eſt noſtrorum votorum objectum cum eſſe debeat primum ac noviſſimum conformitatis veſtigium inter te, & nos, inter increatam, creatamque Trinitatem.

Digitized by Google

tem. Æquo animo ſuſtinete; addam adhuc verbum ex Theologia deſumptum. Nonniſi cum S. Auguſtino loquar; hoc eſt compendium eorum, quæ pulcherrima dixit, & ad mores pertinentia in hoc Myſterio. *Idem*.

Tres imagines Sanctæ Trinitatis quas in nobis poſuit Deus.

Auguſtiſſima Trinitas tres ſui reliquit imagines, Sanctus Auguſtinus ait. Harum prima eſt in anima noſtra, in cognitione, & in amore, quam illa ex ſe habet pro tribus, anima, quæ amatur, amore, & cognitione, quoniam anima hæc, uti certum eſt, ſe ipſam non amaret, niſi ſe cognoſceret; & hæc tria, ratione illius, neque confuſa ſunt, nec mere accidentalia. Anima Patrem repræſentat; cognitio Filium, amor Spiritum ſanctum. Sed prima hæc imago quam imperfecta eſt! Quantum diſcriminis intercedit inter autographum, & exemplum! Primæ huic imagini alteram ſubjicit S. Auguſtinus, quam invenit in hac anima, ſui reminiſcente, de ſe cogitante, & ſe ipſam amante. Cum hæc anima de ſe cogitat, efficit ideam ſimilem memoriæ ſuæ, ideam, quæ animæ verbum vocatur. Verbum hoc non concipitur, niſi per aliquam amoris ſpeciem, & ita conceptum eſt, ut ita dicam, genitum, cum hæc anima approbat, quod cogitat. Altera hæc imago paulo ſimilior eſt priore: ſed quot adhuc reſtant oppoſitiones, atque diſcrimina! En igitur tertiam, & illa eſt, quam Sanctitas efficit in hac ſpecie creatæ Trinitatis. Adeſt in te memoria, cognitio, amor; ſed quandonam exprimis in ipſo te aliquot lineamenta conformitatis cum Trinitate increata? Cum, S. Auguſtinus ait, refers ad Deum unice memoriam hanc, cognitionem, & amorem; cum, inquit, anima tua emundata ab omni adhæſione ad creata, cognoſcit ſe in lumine veritatis, atque juſtitiæ, & illa ſe ipſam non amat, niſi quatenus refertur ad hanc veritatem & juſtitiam, quam in te cognoſcit. Ubinam ergo hodierna die ſunt in te hæc lineamenta ſimilitudinis cum Sanctiſſima Trinitate? Ubi hæc Sanctitas naturæ, & vitæ, quæ Patris referat Sanctitatem? Hæc Sanctitas cognitionis, & Verbi, quæ imitetur Sanctitatem Filii? hæc Sanctitas amoris, & adhæſionis, quæ exprimat Sanctitatem Spiritus ſancti?

Joann. 17.

Pater Sancte, Mundus te non cognovit; & fortaſſe neque hodie cognoſcit. Te non cognovit in cæcitate Ethnicorum, & in viciſſitudine tot ſæculorum, & fortaſſe neque cognoſcit te hodierna die, licet per Filium locutus ſis. Ad te cognoſcendum, credendum eſt in te; & ad in te Chriſtiano ritu credendum, imitari te opus eſt. Fili Adorabilis, neque te mundus cognoſcit. Ut te cognoſcat, te audiat, opus eſt te, qui es ſubſtantiale Patris tui Verbum; ut te ſequatur, opus eſt te, qui es *via, veritas, & vita*. Spiritus ſancte, neque tu cognoſceris; ut cognoſcaris amandus es tu, qui es perſonalis amor Patris, & Filii. Heu! quis noſtrum amat te, hoc amore prælationis, & plenitudinis quem a nobis requiris? *Idem*.

Deum enim cognoſcere, amare, & imitari debemus: hac de cauſſa magnum hoc revelavit nobis Myſterium.

Dicere num mihi licet, quin cor meum dolori aperiam, ac ſentiam animam meam præ metu inhorreſcere. Quem igitur cognoſcere, imitari vultis niſi Deum? In quos alios fines, niſi hunc, vobis revelavit Deus maximum hoc auguſtiſſimum Myſterium? Noſtis ne cur illud vobis revelaverit, & quis hujus cognitionis uſus a vobis faciendus ſit? Ut, S. Gregorius ait, intelligentes quod de ſe ipſo dixit vobis, agnoſcatis eum, & illum cognoſcentes ametis, & amantes illum ſequi, & imitari adnitamini. Ut, S. Paulus Apoſtolus ait, repleamini cognitione voluntatis ipſius, vobis tribuendo ſapientiam, & lumina idonea ad eam cognoſcendam. Ut, addit idem, digne Deo ambuletis, adniſi placere ei rebus in omnibus, & ferre fructum omnigenenorum bonorum operum. Quæro autem ex vobis, num reſpondeatis his omnibus auguſtiſſimæ Trinitatis conſiliis? quibus niſi reſpondetis, quo ore ſperatis vos aliquando perfruituros ea beatitudine, quam illis deſtinat ſolum, qui neceſſariis hiſce officiis digne perfuncti ſunt? *Ibidem*.

Cum Myſterii hoc ſit incomprehenſibile majus fidei noſtræ poſcit Sacrificium.

Hoc Sanctæ Trinitatis Myſterium cum ſit omnium difficillimum intellectu, majus expoſcit noſtrarum mentium Sacrificium, quod nos etiam difficillimis objiciens argumentis, majorem etiam meritorum ſegetem pandit. Si intelligere non poſſumus, productionem eſſe ſine cauſſa, emanationem ſine ſubjectione, originem ſine principio, ſpiritus noſter non debet amplius immorari in ſpeculationibus ſuis, & conjecturis, poſtquam locutus eſt Deus: Solum illius verbum nobis eſſe debet loco argumenti, certitudinis, teſtimonii, perſuaſionis. Vult nos admirari, quod non cognoſcimus, & confiteri quod toto Cælo infirma, & brevia noſtra lumina excedit. Vehemens torrens eſt, dicam ne? Divinitas. Primum quidem modicum duntaxat habet aquarum: ad dignoſcendam exiſtentiam, & unitatem Dei, non magnis conatibus opus eſt; id nobis ratio perſuadet. Paulatim creſcunt aquæ, & cum volumus illum cognoſcere tamquam Univerſorum Creatorem, quia omnia eduxit ex nihilo majorem nanciſcimur difficultatem. Longius procedere adnitimur, eum conſiderantes tamquam Auctorem gratiæ, & arbitrum noſtrum ſecundum æterna conſilia? Torrens intumeſcat, & cognoſcere incipimus illum tranſvadari non poſſe. Sed videre ne volumus, quid in ſe ipſo eſt, quod in ſemetipſo producit: in abyſſum deſcendimus impenetrabilem, unde non emergemus niſi fides, quæ pedetentim in hunc torrentem perduxit, ut olim Ezechielem, in littus reduxerit. *Elogia Sanctorum, Tomus alter*.

Ad hoc Myſterium credendū non egemus miraculis; ſola nobis ſufficere debet revelatio.

1. Corinth. 1.

Petere miracula; hoc Judæi faciunt; *Judæi ſigna petunt*; ſapientiam quærere, hoc faciunt Græci; *Græci ſapientiam quærunt*: nos autem, qui conamur noſmet æterna vita dignos præbere, ut credamus, neque miracula poſcimus, neque ſcientiam, aut demonſtrationem inquirimus. Sufficit nobis Deum locutum fuiſſe, ſatis eſt, JESUM CHRISTUM Apoſtolis ſuis præcepiſſe, ut *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* baptizarent. Nobis tamen ſatis eſt aſſerta ſtultitia prædicationis, & revelationis, quam tamquam maximum ad ſalutem ſubſidium reſpicimus. Judæi nimis pingues erant, miracula flagitabant; exceptis paucis admodum Prophetis, & juſtis, omnia apud illos erant carnalia. In Sacrificiis ſuis non alia, quam animantium admittebant; in fœdere ſuo nonniſi Abrahæ genus admittebant in felicitate ſua, illam duntaxat telluris promiſſæ; in circumciſione ſua, corporalem duntaxat, atque ſenſibus ſubjectam. Loquebantur de inimicis; non alios habebant, niſi qui ſibi bellum indicebant; de expiationibus, ac luſtrationibus; illas tantum conſiderabant, quas corporibus ſuis applicabant; de Meſſia, quem præſtolabantur? cogitabant illum tamquam Regem venturum ad Regnum Iſrael reparandum, & illos de Romanorum dominatione eripiendos: de Deo? Hunc nonniſi ex parte cognoſcebant, atque ut illi haberent fidem ex eo petebant miracula: *Judæi ſigna petunt*. Græci nimis erant ſuperbi, ut mentem ſuam ſubjicerent Myſteriis, quæ videbantur ipſis oppoſita rationi, & recto ſenſui; nimis ſuperbe ſentiebant de mentis ſuæ perſpicacia, ut iis acquieſcerent veritatibus, quæ ipſis incredibiles videbantur: *Græci Sapientiam quærunt*: Hoc nobis non accidit, neque miracula flagitamus, neque ſapientiam quærimus ut media omnino neceſſaria; alioquin quid de noſtra fide fieret, ſi Deo nonniſi ſub hiſce pignoribus crederemus? *Idem*.

Myſterii hujus fidem reſpicere debemus tamquam maximū beneficium miſericordiæ Dei in Chriſtianos.

Nos acquieſcimus iis, quæ nobis revelata fuerunt; in illis ſubſiſtimus præferentes aſſertam prædicationis ſtultitiam, quæ nos ſalvare debet fallacibus demonſtrationibus ſapientiæ, quæ nos damnaret. Credimus Deum in tribus perſonis, quamvis ratio noſtra oppoſitum nobis perſuadere videatur; parati ad noſtra impendenda bona, libertatem, vitam, ſi hoc Sacrificium neceſſarium eſſet ad fidem profitendam; reputantes veram ſapientiam id, quod mundi ſapientibus ſtultitia videtur; Domino gratias agentes quod inſigni infinitæ miſericordiæ ſuæ Sacrificio nos in veræ Eccleſiæ ſuæ ſinu educavit, lætantes quod in impenetrabili Trinitatis Myſterio eoſdem ſenſus fovemus, quos habuerunt Apoſtoli, & eruditiſſimi Patres; integerrime ſervantes pretioſum fidei depoſitum, quæ animos addidit tot Martyribus in perſecutionibus ſuis, quæ tot ſuſtinuit Virgines in tot certaminibus, quæ tot dejecit Hæreticos in diſputationibus, quæ poſt ſeptemdecim ſæcula a Patribus noſtris ad nos uſque pertranſiit per meram, ac indubitabilem Traditionem. Sed mementote vos quoque Fideles, hanc tertiam eſſe cauſſam propter quam Deus hoc nos profundum celavit Myſterium; ipſum videlicet ita diſpoſuiſſe, ut ſe ipſum magis admirabilem præberet; & quod re adhuc integra vobis indigitavi, ut laudaretur a creatura ſua eo modo, qui & ſe ipſo, & illa dignior haberetur. *Elogia Sanctorum. Tomus Alter*.

Dei magnitudo illum incomprehenſibilem facit.

Jerem. 3.

Eccl. 18.

Job 36.

Auguſt. lib. 1. de Trinit.

Deus magnus eſt, inquit Jeremias, & quia magnus, ideo incomprehenſibilis, ac toto Cælo elevatus ſuper ea, quæ a nobis dici, cogitarique poſſunt; *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*. Deus magnus eſt, inquit auctor Eccleſiaſtici, & quia magnus eſt, *non eſt minuere, neque adjicere, nec intendere magnalia Dei*. Deus magnus eſt, inquit Job, & quia magnus excedit omnes ſcientias noſtras, illas humiliat, atque confundit. *Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*. Deus magnus eſt, & quia Magnus, S. Auguſtinus ait, poſuit thronum ſuum in lumine inacceſſibili, & unum ex duobus opus eſſet, vel ut Deus eſſe deſineret, ut comprehenderetur, vel ut nos ipſi Deus eſſemus, ut illum comprehenderemus. Ipſe unus de ſe loqui poteſt, ipſe unus poteſt ſe cognoſcere, & laudare, & ſi vis, Auditor optatiſſime aliquam obtinere partem laudum, quas ſibi tribuit, illum *licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem ſcias*, egregie inquit S. Hilarius. *Idem*.

D. Hilarius l. 2. de Trinit.

Eximia Deum laudandi ratio eſt, fateri illum eſſe incomprehenſibilem.

Admirabilis ratio Deum laudandi, & incomprehenſibili ejus magnitudini obſequium præſtandi, quod petit! Homines laudantur verba faciendo de præclaris eorum qualitatibus, & hæ laudes plerumque mera ſunt urbanitatis officia. Eruditi laudantur, ſermonem inſtituendo de eorum ſcientia, & omnigena eruditione; & ſæpe incidunt in errores, & contradictiones, quarum nos miſeret. Laudantur Reges regias illorum virtutes prædicando, & plerumque turpis, & cupida aſſentatio ad idololatriæ ſpeciem quamdam procedit. Verbo laudantur

homi-

Digitized by Google

homines, dicendo quod ſunt, & magnificis verbis extollendo modicum illud boni, quod in illis deprehenditur; Deus vero, & ea quæ intra ipſum ſunt melius laudari non poteſt niſi obſequenti ſilentio, & humili confeſſione ipſum toto Cælo majorem eſſe noſtris locutionibus, atque cogitationibus. Hæc eſt, adorabilis Trinitas, ratio, quam ſequimur, & uſus, quem facere decrevimus eorum, quæ nunquam cognoſcere poſſumus. O Deus Magne ſine quantitate, bone ſine qualitate, æterne ſine tempore, immenſe ſine loco, replens omnia ſine extenſione, dans motum omnibus ſine tuo motu, laudo te, & colo quantum efficere poteſt abjecta, ac miſera creatura. *Idem.*

Nihil eorum quæ creavit Deus, neque ipſa ratio noſtra adducere nos poſſunt ad cognitionē Dei in tribus Perſonis.

Nihil in creatis eſt, quod per rationis noſtræ conatus, vel per naturales conjecturas deducere nos valeat ad cognitionem Dei in tribus perſonis. Quamcumque cognitionem elicere valeamus fidei ſubſidio ſemper eſt obſcuriſſima, licet alioquin certiſſima. Fides hæc non reliquit nobis hoc Myſterium ita impenetrabile, ut illa non adduxerit nos ad illius cognitionem per ea ipſa quæ ſunt in nobis; ita ut quin in aliis immoremur operibus, SS. Trinitas produxit, illam conſiderare debeamus in nobiſmetipſis, & in ipſo fundo noſtræ ſubſtantiæ. Nos ad illius imaginem creati ſuimus; & ex hoc illam cognoſcere poſſumus. Nihil in cogitatione magis ad Dei naturam accedit, quam homo, & nihil melius nobis repræſentat diſtinctionem trium divinarum Perſonarum, quam quod in illo contingit. *Sermones Morales Tomo 6.*

Tres divinæ Perſonæ inito ſimul conſilio decreverunt hominem creare ad imaginem Dei.

Si noſtram repetierimus originem, ibi admirabilia inveniemus. Videbimus ibi a mundi primordiis Deum quodammodo cogitationibus creaturæ, quam formaturus eſt, & intentum producendo opus hoc, quod omnium futurum erat maximum, omnibuſque numeris abſolutiſſimum: Deum, qui cum luſiſſet in ceteris operibus ſuis, quæ verbo ex nihilo eduxit, videtur nonniſi poſt maturam deliberationem illud facere, quod eſt futurum ceterorum compendium: Deum, qui cum hactenus feciſſet opera, ut ita dicam, rejectanea per productionem entium mere corporeorum, conſilium capere vult, ut hominem faciat ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* En quid jam per fidem adducere incipiat me ad cognitionem impenetrabilis Myſterii Trinitatis. Nam ut poſt S. Auguſtinum, alioſque Patres argumentemur, a quonam Deus conſilium mutuatus eſt, & quem conſuluit, ut primum effingeret hominem? Nunquid materiem ipſam in conſilium adhibuit? Id credidit Hermogenes; ſed non eſt, cur in errore hoc refellendo immoremur, adeo quippe craſſus eſt. Nunquid Angelos? Philo Judæus id protulit: ſed Angeli iſti, quos injuſte vocat Conſiliarios, & Socios Dei, ſunt creaturæ illius, ideoque minime pares, quæ ullum Deo ſuggerent conſilium. Nunquid univerſales ideas? Sed hæ nonniſi in Platonis imaginatione ſubſtiterunt. Nunquid mundum, quem Ariſtoteles æternum credidit? ſed in hoc ingenii ejuſdem innotuit infirmitas. Num alios Deos? Hoc per impotentiam Julianus aſſeruit; ſed S. Cyrillus illum impietatis, & blaſphemiæ redarguit. Quis ergo fuit Dei conſiliarius? Nullum ens, quod ab illo eſſet alienum. Tres divinæ Perſonæ ſimul iniere conſilium, ac inter ſe dicentes: *Faciamus hominem*, nobis oſtenderunt Trinitatem perſonarum, in unitate naturæ individuæ. *Sermones Morales Tomo 4. part. 1.*

Quibus terminis utatur Eccleſia ad exprimendam Verbi Æterni proceſſionem.

Deus ſe ipſum cognoſcens format cogitationem ſubſiſtentem, ſibi æqualem, æternam, qualis ipſe eſt, Deum, ut ipſe. Cogitatio hæc illius Verbum eſt, & modus, quo Verbum hoc a Deo procedit, generatio vocatur. Eccleſia non habente aliud vocabulum ad ineffabilem hanc productionem exprimendam perſonæ, quæ neque ex nihilo creata eſt, neque ex aliquo facta, & quæ nihilominus habet principium; ſed quæ ſimul eſt eadem natura, eadem potentia, verbo, idem Deus ac principium ſuum. Hæc autem divina, æternaque generatio alicubi in Scripturis creationis vocabulo exprimitur, quod tunc non ſignificat actionem, per quam Deus producit aliquid ex nihilo, ſed tantum actionem, per quam producit, quocumque modo hæc fiat productio. *Annus Chriſtianus. Tom. 6.*

Chriſtiani in ortu ſuo addicti ſunt cultui SS. Trinitatis.

In Eccleſia plures ſunt Religioſorum Ordines, ſed Chriſtiani omnes ſunt Religioſi Trinitatis. Hujus cultui conſecrati ſunt; hanc imitari tenentur. Cultus enim perfectio non aliud eſt, niſi illius, qui colitur, imitatio: *Summa Religionis imitari, quem colis.* Agnoſcite ergo hodierna die, Auditores, ad quem honoris apicem evecti ſitis per Baptiſmum: eſtis filii Patris Cæleſtis, eſtis fratres JESU CHRISTI, eſtis Templa Spiritus ſancti. Licet eſſetis omnes Regum, & Principum filii, nativitas veſtra non ita nobilis eſſet, neque tanta vobis jura conferret. Si enim eſtis filii, eſtis etiam hæredes: *Si filii, & hæredes*, inquit Apoſtolus, *Cohæredes autem CHRISTI.* Spiritus ſanctus non recedit a Filio, & Patre, manet in vobis, tamquam in Templis ſuis: *Templum ſunt Spiritus ſancti*, atque in Templis iſtis admirabiles actiones exercet. Nam ibi aras attollit, Deo victimas offert, & ex his aris,

Roman. 8.

1. Corinth. 6.

quæ ſunt opera veſtra, facit Sacerdotes, & victimas; quemadmodum JESUS CHRISTUS, Sanctus Auguſtino teſte, Sacerdos eſt, quia eſt victima. *Tu Sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio. Godeau in Homilia.*

In Pſalm. 56.

Memoria, intellectus, voluntas noſtra ſunt imago licet imperfecta adorabilis Trinitatis.

Memoriam habemus ipſi, intellectum, voluntatem, quæ non ſunt tres vitæ, neque tres ſubſtantiæ, ſed vita una, una ſubſtantia, & quæ nihilominus diſtinctæ ſunt per relationem, & peculiares operationes ſuas; & hæc eſt imago, licet imperfectiſſima, adorabilis Trinitatis, in qua una eſt natura, & perſonæ tres. Sed quorſum hoc? ut, Patres inquiunt, noſmet colligamus, & a tot creatis rebus avulſi, quæ nos fallunt, atque partiuntur, conſecremus memoriam Patri, intellectum Filio, & Spiritui ſancto voluntatem. Adjiciunt deinceps, ut principium noſtrum repetentes, noſtris perſungamur officiis erga tres divinas perſonas. Dei appareat imago in noſtra agendi, vivendique ratione quoad naturales prærogtivas, quas nobis largitus eſt; in bonis operibus noſtris, quoad juſtificationem noſtram, cujus eſt principium; & in virtutibus noſtris quoad gratiam, quæ ab illo proficiſcitur, ut vita noſtra ſit naturæ noſtræ ornamentum, bona opera ſint juſtificationis noſtræ argumenta; & virtutes noſtræ perfectio gratiæ: idque eo magis, quod ſi creati fuimus ad imaginem SS. Trinitatis, baptizati etiam fuimus in nomine illius, & illa non ſolum prototypus eſt noſtræ eſſentiæ, ſed etiam noſtræ ſanctitatis principium. *Sermones Morales Tomo 6. part. 1.*

Neceſſe erat ut tres Perſonæ peccatum hominis repararent.

Quantacumque gloria homini cedat ex eo quod ad SS. Trinitatis imaginem factus ſit, hæc tamen cumulum addidiſſet ejuſdem calamitati, ſi poſtquam per ſcelus hanc deformaſſet imaginem, divinæ perſonæ illius miſertæ ad illum reparandum non acceſſiſſent. Illæ apparuerunt in JESU CHRISTI Baptiſmo; tunc inquit Guillelmus Pariſienſis, aqua, cui per ſe nullus inerat effectus admirabilis, facta eſt fœcunda ad noſtram ſanctificationem, per inviſibilem operationem Trinitatis, quæ illuc deſcendit. Aqua, ſi naturalis ipſius virtus inſpiciatur, quatuor habet effectus. Maculas eluit, extinguit ignem, calorem mulcet, ac terræ confert ubertatem. Sed aqua Baptiſmi ad ſupernaturalem gradum evecta, hos eoſdem producit effectus majori cum perfectione, & virtute. Lavacrum eſt, quo ab omnibus peccatorum ſordibus abluimur, cum e contra qui aliis abluuntur aquis illas inquinent, atque perturbent. Ex quo JESUS CHRISTUS ingreſſus eſt in hoc balneum, ſanctificavit illud, atque præſentia ſua dignatus eſt. Aqua hæc inferni ignem extinguit; cupiditates moderatur, mergit peccatum, & animam mirum in modum virtutibus fœcundam facit. Unde hæc omnia? niſi ex inviſibili operatione SS. Trinitatis, quæ aliquo modo imprimit in hoc elemento ſui ipſius imaginem, & fit noſtræ juſtificationis principium? *Sermones Morales. Tomo 6. parte 1.*

Tria Baptiſmi genera unum effectum habentia præter propter tamquam tres divinæ Perſonæ.

Baptiſmus, ut ita dicam, eſt exemplum, & imago SS. Trinitatis. Tria baptiſmatis genera diſtinguimus, fluminis, flaminis, ſanguinis; quæ tria eumdem habent effectum præter propter, ſicut tres divinæ Perſonæ, quæ licet realiter diſtinctæ unus tamen ſunt Deus. Nonne hoc nobis innuere voluit Eccleſia per duo teſtimonia, quæ ſimul videtur confundere, terræ videlicet, & Cæli, ubi hinc quidem ſpiritus, aqua, & ſanguis unum ſunt teſtimonium; inde vero Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus ſunt unus Deus? Sed nondum ſatis: non ſolum tres Perſonæ divinæ videntur in Baptiſmo, tamquam in Symbolo, quod illas repræſentet: illæ ibi operantur etiam ad noſtram ſanctificationem; & ſicuti baptizato Domino Cælum apertum eſt, Spiritus ſanctus deſcendit, & Pater perhibuit verbo ſuo teſtimonium, ita cum nos baptizati fuimus, Cælum apertum eſt, Spiritus ſanctus deſcendit, Filius nos in clientelam ſuam recepit, & Pater nos tamquam filios ſuos reſpexit. Ita Tertullianus ait, auguſtæ Trinitatis imago glorioſe reſtituta eſt, quam peccatum in nobis deformaverat. Ita recipiemus ſimilitudinem, quam habebamus cum Deo, per remiſſionem peccatorum noſtrorum, quam SS. Trinitatis, & hujus Myſterii fides impetrat nobis. At aliquidne ulterius ad ſanctificationem noſtram requiritur? & ſi tres teſtes ſufficiunt ad hominis verbum confirmandum: quod non habemus noſtræ felicitatis vadimonium nos, quibus non tres homines ſpondent peccatorum noſtrorum remiſſionem, ſed tres divinæ Perſonæ, quæ ſunt juſtificationis noſtræ principia, quemadmodum ſunt arbitri fidei noſtræ per benedictionem, ac pronunciationem verborum Sacramentalium? Omnes gratiæ, quas deinceps recipimus primam hanc ſupponunt, & ſicuti Baptiſmus nullam habet virtutem, niſi cum nobis confertur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: omnis juſtificatio noſtra unice procedit a tribus his auguſtiſſimis teſtibus, qui inviſibiliter adſtant baptiſmatis noſtri cæremoniæ, ut ſint in ſpirituali generatione noſtræ felicitatis principia, quemadmodum in creatione eſſentiæ noſtræ fuerunt prototypus. *Sermones Morales. Tomo 6. part. 1.*

Ejuſdem argumenti.

Si oculorum acie ſatis valeremus, & pauliſper conſiderare vellemus tot privilegia, quot prodigia cerneremus!

Digitized by Google

mus! Spiritum tenebrarum ejectum ex animabus noſtris per tot abrenuntiationes, & exorciſmos tamquam totidem judicii formulaſ, ac lites rite intentatas; Auguſtum licet inviſibilem characterem in noſtra impreſſum ſubſtantia: peccatum primi hominis ſubmerſum non quidem in iræ cataclyſmo, ut olim tempore Noe, non in Mari rubro, ut tempore Moyſis, ſed in Agni Sanguine nos abluente, ac Sanctificante: Spiritum divinum deſcendentem non ſicut Angelum ad Piſcinæ aquas commovendas, & eurandum eum, qui prior deſcendiſſet in illas, ſed tamquam Spiritum vivificantem, & Sanctum, qui per ſe ipſum nobis auſert Spiritusl em paralyſim: Verbo tres divinas Perſonas, coram quibus abjuramus ſæculi pompas, & opera Sathanæ, & quæ poſt receptum fidelitatis noſtræ jus jurandum nobis ſignum imprimunt ſuum. Ecce quid fiat in baptiſmo noſtro, & quam partem in eo ſibi adorabilis Trinitas vindicet. *Idem*.

Quomodo J. C. a Patre procedit, eamdem quæ cum illo naturam habet, ſecundum teſtimonium quod illi Pater Æternus pluribus in occaſionibus publicavit.

Pater Æternus ab æterno conſiderans magnalia, & perfectiones ſuas, produxit Filium ſuum, qui, ut loquitur S. Paulus ad Hebræos, eſt ſplendor gloriæ ejus, impreſſio, & character ſubſtantiæ illius, non ſolum quia eamdem ipſius naturam poſſidet, verum etiam quia actio intellectus, per quam producitur, confert illi naturaliter, atque eſſentialiter imaginem, & ſimilitudinem ejus. Cum autem actio viventis principii producentis rem viventem in ſimilitudine, paritate, atque identitate naturæ generatio vocetur; & Verbum æternum ſit vivens eadem vita, qua Pater ſuus, & ab illo procedat in ſimilitudine ac identitate naturæ ejuſdem, quæ divinitas eſt, eo quod producatur per viam intellectus, cujus proprium eſt efficere res ſibi ſimiles: hinc fit, quod dicitur genitus eſſe, & filius Patris Æterni vocatur. Et propter hanc admirabilem ſimilitudinem, eamdemque naturam, Dominus noſter oratus ab Apoſtolis, ut illi Patrem ſuum manifeſtaret, reſpondit illis; Qui videt me, videt & Patrem meum. Heu quid? Non creditis me eſſe in Patre meo; & Patrem meum eſſe in me? Ita nonne legimus in Evangelio, Patrem Æternum bis declaraſſe JESUM CHRISTUM eſſe dilectum Filium ſuum, primum dum hic baptizaretur a S. Joanne in Jordane, & iterum cum in Thabor transfiguratus eſt? Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: audite illum; & verba, quæ his in occaſionibus protulit, ea dixit, ac dicet in æternum. *Pean in Schola JESU*.

J. C. nos docet, unum eſſe Deum, plures Deos eſſe non poſſe; & in Deo tres eſſe perſonas.

Nos docet JESUS CHRISTUS, quemadmodum Deus Ens ſupremum; & perfectiſſimum eſt; unum duntaxat eſſe poſſe; quatenus, ut S. Dionyſius declarat, ipſe unice eſt omnia per ſupereminentiam unitatis unius & Auctor eſt, atque Cauſſa rerum omnium, quin tamen extra unitatem egrediatur. Ad hæc ſi plures eſſent Dei, vel ſi omnes eſſent æquales, ne unus quidem eſſet Ens ſupremum, & conſequenter nullus eſſet Deus. Docemur in Deo tres eſſe perſonas, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & nihilominus hos non tres eſſe Deos, ſed unum duntaxat. Nam etiam ſi Divinitas ſit Ens increatum, infinitum, & communicabile, quandoquidem communicata eſt tribus perſonis SS. Trinitatis, tamen cum ſit una, & ſimpliciſſima, ſe communicat ſine diſtinctione, & diviſione eſſentiæ. Docemur Deum ex nihilo eduxiſſe creaturas omnes, illis tribuendo perfectionem propriam ſingularum; potiſſimum vero homini, quod perfectiſſimum eſt operum manuum ſuarum, idque eo magis, quod miſer jacturam fecerat originalis Sanctitatis non pro ſe tantum, verum etiam pro poſteris ſuis; & Dei Filium humanam aſſumpſiſſe naturam in Mariæ ſinu, & in Cruce animam efflaſſe, ut nos Patri ſuo reconciliaret, atque hac ipſa mente inſtituiſſe in Eccleſia ſua Sacramenta tamquam totidem rivulos, per quos nobis paſſionis ac mortis ſuæ merita impertit. *Idem*.

SUPPLEMENTUM

Ad Titulos

DE DIVINITATE, ET MAGNALIBUS FILII DEI.

ORIGENES ſublime illud ingenium ad Salvatoris Mundi gloriam unicum addit verbum, quod eximiam nobis adſtruit ideam Magnalium JESU CHRISTI Dei, & Hominis: *CHRISTUS eſt Deus*, ait, *& aliquid ultra*. Quid? Homo ne aliquam habet perfectionem, quam Deus non habet? Eo quod factus eſt homo, eſtne major, atque perfectior? Non ita profecto; Deus enim continet eminenter omnes perfectiones creaturarum, & omnia ſimul Entia cum Deo nil amplius ſunt uno Deo. Nihilominus ſecundum Theologorum ſermonem aliquid eſt extenſive majus; videlicet neſcio quam concipimus majorem perfectionum in CHRISTO JESU Deo ſimul & homine extenſionem, quam non adeo diſtincte in Deo ſolo concipimus. Idem præter propter accidit, per vos mihi liceat hac uti ſimilitudine, quæ mentem meam illuſtrabit; accidit inquam, quod Hiſtorici nonnulli referunt de fluviis quibuſdam apud Indos, qui ſecum vehunt aurum, atque lapillos, cum enim contingit, ut duo ſimul aquas conſocient, ac ſeſe commiſceant, fit per duorum horum fluviorum permixtionem, qui ſimul ſuas opes commiſcent, ut exiſtant opera adeo admirabilia, ut nihil inveniatur ſimile, vel quod in reliquis Mundi plagis eorum pretium, atque pulcritudinem æquet. Quidquid ſit de hoc portento, cujus me vadem nequaquam profiteor, aliquid infrequentius, & admirabilius accidit in Salvatore; in quo Divinitas cum humana natura conjuncta, tamquam duo fluvii, vel maria ſimul juncta, tempore eodem ſuas opes, & perfectiones commiſcent. Ex hac conjunctione exilit admirabile iſtud compoſitum Hominis Dei, ſublimius propter merita, dignitatem, Sanctitatem & omnia excogitabilium perfectionum genera præ rebus creatis:

Coloſſ. 2.

In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ reconditi. Hoc illud eſt, quod per glorioſum hoc JESU CHRISTI Nomen intelligimus, quod continet, atque complectitur quidquid proprium eſt utriuſque naturæ, & perfectiones omnes, quæ ex glorioſa hac congerie oboriuntur. *CHRISTUS eſt Deus, & aliquid ultra. Recens Auctor*.

Ejus poteſtas & miracula ac nominis celebritas dum viveret.

Fingite vobis hunc Hominem Deum, cum in terris vivebat, & cum hominibus converſabatur; fingite, inquam, illum Galilæam, aliaſque Paleſtinæ provincias obeuntem, poſt ſe trahentem innumeram populi multitudinem, qui inviſibilibus catenis vincti eum ſequebantur. Fingite vobis Cælos, terraſque attentis oculis intueri greſſus omnes Divini hominis hujus, Æternum Patrem, qui ubique illum ſubſequitur, in eo bene complacentem; Angelos illum admiratione plenos ſpectantes, dæmones ad illius acceſſum trepidantes, Synagogæ capita furentia, & populum, qui illum in Cælum extollit, quem veluti triumphantem ſubſequitur, & invitum ſibi in Regem depoſcunt. Fingite vobis mortuorum corpora vitæ reddita, & curatos ægros, qui in varias Judææ plagas effuſi annuntiant ubique omnem poteſtatem, & caritatem hominis, qui generatim de natione univerſa benemerebatur. Fingite vobis Reges, atque Optimates cum ſtupore de prodigiis ejus loquentes; denique totam Judæam, finitimaſque regiones rumore miraculorum ejus, & Sanctitatis vitæ fama perſonantes. Quid dignius attentione noſtra, & admiratione? Sed ut hæc mirabilia prætermittamus, atque de uno illo cogitemus; quilibet illum videre feſtinat, in ſe omnium oculos convertit; qui ad ipſum accedit ejus magnitudinem admiratur, Majeſtatis ipſius fulgore perſtringitur, illius conſuetudine illicitur. Quo magis illum vident, eo diutius videre cupiunt. Si in civitatibus & in oppidis non inveniunt, in penitiores ſolitudinis receſſus ad illum perquirendum confugiunt. Tanta confluentium multitudine premitur, ut neque procedere, neque recedere illi ſit integrum. Ad eam evitandam, & ad ſpiritum liberius reciprocandum tenetur phaſelum aliquem conſcendere; atque ut cum Diſcipulis ſuis pauliſper quieti indulgeat, deliteſcit. Quocumque tendat iter; ſemper innumera Judæorum & Gentilium turba ſtipatur, neque interdiu neque noctu recedente. *Sequebatur eum multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem*. Luc. 6. *Idem*.

J. C. unico verbo oſtendit potentiam ſuam.

Quomodonam verbum hoc a JESU CHRISTO prolatum, *Ego ſum*, ſine ullo conatu, ſine elatiori vocis tono pertrahit in terram robuſtos homines & bene valentes, ac ad pedes ſuos dejicit militum manum, qui ad illum capiendum acceſſerant? Nihil his verbis *Ego ſum* mitius, & tranquillius. Duæ voculæ, breves, ſimplices, vulgares, nihil figuratum, vel energeticum habentes illud componunt; nihil eſt quod terreat, quod minitetur, quod portendat, & innuat eſſe-

effectum, quem pariture ſunt. Videlicet opus eſt, ut duo hæc verba aliquid non ita vulgatum, ac latens contineant. Opus eſt proculdubio ſcintillam eſſe de ſummo Cælorum vertice dilapſam; radium quemdam veræ Divenitatis, qui duplici huic verbo immixtus ſit, & qui illis virtutem communicat, quam ſuapte natura non habebant. Hæc verba non ſunt magis, quam ſenſus eorum fulminea; oportet, ut proferens illa ſit fulminum, ac procellarum dominator. Nec aliquid præterea requirebatur, ut JESU CHRISTI virtus innoteſceret, & pro Dei filio haberetur. *Socrates Chriſtianus Bulzac.*

Prophetiæ omnes, & antiquorum Patriarcharum vita ita aſtruunt Divinitatem Filii Dei, ut fidei, teſtique ſenſus ſtultam feciſſe dicendus ſit, qui id negat.

Inſpiciamus paulisper univerſalem omnium Prophetarum conſenſionem, admirabilemque concentum Prophetiarum ſuarum quæ mirum in modum ſibi invicem, ſimulque cum Evangelio cohærent. Suaviſſimus iſte concentus, adeo manifeſtum eſt argumentum adſiſtentiæ Spiritus ſancti, ut omnis homo credere, & confiteri teneatur hoc opus eſſe Dei, quod ſuperat omnes naturæ vires, videre homines, animo, conditione, & propenſione ſibi invicem plurium ſæculorum ſpatio diſtantes ad Incarnati Verbi gloriam contendere, quin videant, & cognoſcant illud, quin ſibi invicem ſenſus ſuos valeant communicare ad conferendas ſimul laudes, quas illis tribuunt, miracula, quæ annuntiant ultra mille, & quadringentos annos ante illius Nativitatem: cujus vitam alius enarrat, alius doctrinam celebrat, alius miracula, alius mortem, alius victorias, atque triumphos, ita ut cum ſimul colligimus hæc divulſa membra, ut ex illis Corpus efficiamus, illa adeo concinne inter ſe reſpondentia invenimus, ut unum perfectiſſimum elogium inde videatur exiſtere, quod perfecte quadret Filio Dei, & præter hunc nemini. Poſt hæc adeo authentica teſtimonia; infenſiſſimi divinitatis JESU CHRISTI inimici poſſuntne inficias ire, hoc non eſſe opus fortuitum, vel humani conſilii, ſed Spiritus Dei, ad quem unum pertinet rerum futurarum ſcientia? *Pater Nevet in Tomo 7. ſuarum Meditationum.*

Patres omnes veteris Teſtamenti & Sagenſi, & ſimul omnes fuerunt figuræ vitæ & actionum J. C. Greg. in Job.

Communis SS. Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia eſt nullum fuiſſe in lege veteri juſtum virum, qui non extiterit quidam veluti Nuntius, & Præcurſor Filii Dei. Nullus S. Gregorio teſte, *juſtus fuit, qui non CHRISTI per figuram nuncius extiterit.* Iſaac nativitatis; Abel mortis illius fuit imago: Jonas reſurrectionem, Elias aſcenſionem, Jacob omnes vitæ mortalis illius labores repræſentavit, ſed ea omnibus ſimillimus illi proculdubio fuit, propior illi S. Joannes Baptiſta Præcurſor ejus; cujus adeo fidelis imago fuit, teſtibus illis ipſis, qui a ſummis Sacerdotibus miſſi fuerant ad hunc plus quam Prophetam, quem a primis unguiculis vitam ducere videbant humana ſanctiorem; ut videntes illum, Eliam ſe eſſe, aut unum ex Prophetis negantem, rati ſint, illum non figuram eſſe CHRISTI, quem venturum jam pridem expectabant, ſed ipſum Meſſiam tanto tempore, ac tot ſuſpiriis a Patribus ſuis, & ab ipſis etiam expectatum. *Idem ibidem.*

Verbum hoc divinum eſt principium & finis, & Pater Æternus illum conſtituit quatenus Deum Hominé ſupremum rerū omnium Dominum. Hebr. 1.

In Apocalypſi Verbum ipſum Incarnatum ſe rerum omnium principium & finem appellat; principium quidem, quoniam illis tribuit naturæ, gratiæ, & gloriæ ſtatum, finem vero, quoniam omnia ad majorem illius gloriam facta ſunt: *Propter quem omnia, & per quem omnia.* Omnia facta ſunt propter illum tamquam Verbum Incarnatum, & per illum, tamquam Verbum Increatum: *Quem conſtituit hæredem univerſorum.* Pater ſuus illum ex aſſe hæredem conſtituit; nihil eſt, quod non ſit illius. Ipſe creavit Cælum, & terram, æque ac Ædes regias, quas replevit Angelis, hominibus, omnique creatarum rerum genere, quæ omnia ſunt veluti miniſtri ad nutus illius, ac imperata facienda: non ſecus ac Magnus, ac potens Rex, qui magnificum extrui jubet palatium, & illud inſigni ſupellectili exornat Filio ſuo, eique ſimul magnificam familiam parat pro generis dignitate, & magnitudine amoris, quo illum complectitur. Quandoquidem ergo omnes illius ſumus, ac propter illum, hunc reſpicere debemus tamquam finem noſtrum, & in illum omnia deſideria, omneſque animæ noſtræ affectus intendere, quia centrum eſt, in quo cor noſtrum omnem requiem ſuam, omnemque voluptatem reperiet. *Pater Nouet in Tomo 7. Meditationum.*

Deus creans hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuā, reſpicit Incarnationem Filii ſui.

Moyſes hominis creationem enarrans ter repetit, Deum creaſſe illum ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ut nos admoneret, hoc inſigne beneficium extitiſſe erga illum, idque ob plurimas, & graviſſimas cauſſas. Attente igitur vobis conſiderandum eſt, quid ſibi velit imprimens in hominis anima divinarum perfectionum illius characterem. Primum quidem per hoc vult, ut cognoſcat cujus ſit, & diſcat quam honorem ſuo debeat auctori; Servus domini ſui geſtans inſignia, illi ſervire debet, eumque revereri, quia domini ſui eſt. Geſtas imaginem Dei; ergo Dei es, non tui: Secundo illum cogere vult, ut ſumma cura animæ ſuæ integritatem tueatur, ne polluat imaginis hujus pulcritudinem ejuſque obliteret lineamenta: nam ne unum quidem ex illis eſt, quod peculiarem non habeat nitorem, qui in te viril horrorem ciere non debeat. Tertio vult illum parem efficere, quem ſibi aliquando per gloriam, & modo per gratiam conjungat. Similitudo enim magna eſt ad conjunctionem diſpoſitio: contraria nunquam ſibi ſatis bene cohærent; ſed præcipuus finis eſt adimplere admirabile conſilium, quod ante omnia ſæcula conceperat, ſeſe perſonaliter cum humana natura conjungendi. Quapropter illam incomparabili hoc favore dignam efficere cupiens oculos conjicit in prototypum perfectiſſimum, qui valeat inveniri, illum videlicet ipſum, ut illi ſuam imaginem imprimens, illa ſimilior evadat, & ita conjunctio majori cum dignitate, ac decore efficiatur. *Idem.*

J. C. divinitatē ſuam probavit futura prædicens. Iſaiæ 1. 49.

Futura cognoſcere, & effectus, qui nullum habent neceſſarium cum cauſſis; a quibus producuntur, nexum, prædicere, Scriptura teſte, character eſt, ideoque Divinitatis argumentum. *Annuntiate quæ ventura ſunt nobis, & dicemus, quod Dii eſtis vos;* hoc enim poſitum eſt extra hominum, & Angelorum cognitionem, & Divinitatis privilegium eſt. Judæi, qui Salvatoris ævo vivebant, profecto veritatis hujus redargui non potuerunt hoc argumento, neque cognoſcere voluerunt illum Deum eſſe, & Meſſiam quem expectabant, niſi poſtquam cognoviſſent veritatem rerum earum, quæ futura portenderat, verum hodierna die illis perſuaſum eſſe deberet videntibus adimpleta ea, quæ jampridem vaticinatus eſt tanta cum certitudine, & nos noſmet in fide hac confirmare debemus oculis noſtris uſurpantes ea, quæ poſt tot ſæculorum decurſum ventura prædixit. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Reſpondetur Athen. idolorum cultoribus, Ethnicis, & Religionis noſtræ inimicis Divinitatem J. C. negantibus.

Negari non poteſt, inquiunt JESU CHRISTI inimici, illum mortuum eſſe, neque ipſum a morte ſe eripuiſſe. Ita ſane reſpondemus, & confitemur; ſed ire inficias vobis non licet, terram univerſam illi parentaſſe, naturam univerſam pulla, & lugubri veſte dolorem ſuum teſtatam fuiſſe, terram quidem tremitu, Templi velum ſciſſura, Solem ecclypſi, quas circumſtantias hiſtoricorum veſtrorum nullus prætermiſit. Ita eſt, fatemur; ſed non dicitis Hominem hunc tertia die reſurrexiſſe, uti promiſerat; ſemet in vitam revocaſſe, miraculum quod uni Deo patrare licet, & quidquid præcaverint inimici, & quantacumque fuerit militum in excubiis poſitorum vigilantia, de Sepulcro exiviſſe. Ita eſt, fatemur; ſed non dicitis ipſum in Cælum aſcendiſſe, & ibi loci, unde ſe in Cælum ſuſtulit, extare adhuc Sacra pedum ejus veſtigia; non dicitis illum præſtitiſſe fidem, quam egenis Piſcatoribus obligaverat, futurum, ut in nomine ipſius totidem, & multo plura, majoraque iis, quæ ipſe fecerat, patrarent miracula? Id certum eſt. Teſtes ſunt infeſtiſſimi ejuſdem inimici. Quæ veſtra ſententia eſt de eximiis viris, deque tot irridendis divinitatibus veſtris, quibus univerſum terrarum orbem repleviſtis? Ulla ne eſt quæ facultatem cuipiam tradiderit vel unum ſanandi hominem, cujus morbus ſuapte natura incurabilis eſſet? Deus enim, quem colimus Diſcipulis ſuis, eorumque ſucceſſoribus auctoritatem contulit ejiciendi dæmones, oculorum aciem cæcis, claudis motum, & vitam mortuis reddendi. Quidquid de illo diceretis, ſolum Aſcenſionis ejuſdem Myſterium adeo ſingularibus circumſtantiis ad illud uſque tempus inauditis, conveſtitum, ſolum omnes objectiones veſtras poteſt refellere. Deus hic mortuus reſurgens, & glorioſe in Cælum aſcendens magna per ſe ipſum miracula operatus eſt, & pleriſque eorum, qui doctrinam illius ſecuti ſunt, contulit facultatem alia in nomine ſuo perpetrandi. Nonne hæc generalis eſt difficultatum omnium ſolutio? *Solutio omnis difficultatis CHRISTUS.* Sed quæ veſtra ſententia eſt de omnibus Diis veſtris? Pudet me de illis verba facere; adeo infelix extitit fatum eorum; adeo me miſeret veſtræ cæcitatis. Ubi ſunt immortales, ac omnipotens Dii, quos miſere objerunt, & licet illos in Cælum ſublatos credatis, nullam unquam ſuæ Divinitatis, & poteſtatis ſpeciem dederunt. Lætare igitur adorabilis JESU, lætare ſolus in Cælo, ubi ſedens ad Patris tui dexteram debita frueris gloria. Mors tua eſt vitæ tuæ Apologia, Reſurrectio Apologia eſt mortis tuæ; Aſcenſio vero utriuſque. Domine, audacter dicimus, & tanta cum veritate, quanto cum gaudio pronuntiamus: *Non eſt ſimilis tuis in Diis Domine, non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine,* ac te cognoſcentes te ſolum vere eſſe magnum, & ſolum Deum, *glorificabunt nomen tuum; quoniam magnus es tu, & Deus ſolus.* Pſalm 85. *Sanctorum Elegia.*

Patres antiquæ legis ſalvi facti ſunt per ſpem futuri Meſſiæ; non autem per fidem adventus ejuſdem.

Omnes homines e lapſu Adæ, uſque ad finem ſæculorum, quicumque juſtificationem, & vitam receperunt ſanctificati ſunt per juſtitiam unius, videlicet JESU CHRISTI. Abraham juſtus fuit, quia credidit in JESUM CHRISTUM. Omnes S. Patriarchæ juſtificati ſunt, quia in JESUM CHRISTUM crediderunt. S. Auguſtinus perſpicue hanc explicat veritatem cum aſſerit neminem vel libertatem, vel ſalutem conſequi, niſi per JESUM CHRISTUM: *Credamus nullum hominum liberari .... niſi per unum Mediatorem JESUM CHRISTUM.* Epiſt. 157.

Google

STUM. Juſti qui vixerant antequam ille in terras deſcenderet, ſalvi facti ſunt per fidem in hunc Deum-Hominem. Fides illorum, & noſtra eadem eſt. Quod illi faciendum crediderunt, ſcilicet Filium Dei venturum humana indutum carne, id jam factum credimus. S. Paulus aſſerit, nobis eumdem eſſe Fidei Spiritum, ac Patribus noſtris; hoc eſt, veterum Patriarcharum fidem, & noſtram eamdem eſſe. Idem habet objectum. Illi ſanctificati fuerunt, quia confidebant in JESU CHRISTO, quem tamquam venturum Meſſiam expectabant; nos vero ſanctificari non poſſumus, niſi ſpem omnem collocantes in hoc eodem Meſſia, utpote qui jam venit ad nos ſalvos faciendos. Dei Filius igitur eſt Caput noſtrum, & Salvator eorum etiam omnium, qui ante Nativitatem illius deceſſerunt. Apoſtoli verbum in tota extenſione ſua verum eſt: Omnes homines, inquit, recipiunt juſtificationem, & vitam per juſtitiam unius. *Lambert in Anno Evangelico Tomo 5.*

Ad Corinth.

Dei Filius per ſe noſter Mediator eſt; Sancti vero per J. C.

JESUS CHRISTUS Mediator noſter eſt, & unum Mediatorem habemus, quemadmodum teſtatur Apoſtolus, JESUM CHRISTUM hominem Deum. Si quando Sancti Mediatores noſtri vocantur, non ſunt eodem modo, quo JESUS CHRISTUS eſt. Sancti pro nobis petunt, & nos illos oramus; ideoque Mediatores appellari non poſſunt, niſi cum aliquibus conditionibus, & verbum hoc in latiori ſignificatione ſumendo. Sancti orant tamquam præcipus JESU CHRISTI merita; & ad ea, quæ petunt obtinenda utuntur meritis Capitis hujus adorabilis. Sunt igatur Mediatores ad intercedendum; quandoquidem ſolus Dei Filius eſt qui pro nobis ſolverit, qui mulcere potuerit iram Patris, & qui per ſuperfluentem infinitorum meritorum ſuorum prærogativam nos ex nihilo noſtro eduxerit, nos ab æterna morte liberaverit, nos ſuper noſtram infirmitatem elevarit, & qui captivi eramus, dignos effecerit, ut filii Dei vocaremur. *Idem.*

J. C. eſt verus Dei Filius per naturam, nos tantum per adoptionem.

Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Matth. 17. Quam glorioſum eſt JESU CHRISTO hoc Patris Cæleſtis teſtimonium. Juſti, Apoſtolus inquit, filii Dei ſunt; ſed in hoc ipſo quodnam invenitur inter illos, & JESUM CHRISTUM diſcrimen! Juſti non ſunt niſi filii adoptionis per gratiam ad tantum honorem evecti, electi per miſericordiam, ut ſint divinæ naturæ participes; cum JESUS CHRISTUS ſit proprie, & ex natura ſua Filius Dei in omnibus æqualis Patri. Hic unicus eſt ſenſus Verborum S. Matthæi, & Regis Prophetæ: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu.* Alacriter recipiamus glorioſum hoc teſtimonium, quod S. Matthæus perhibet Salvatori noſtro. Reparemus, ſi fieri poteſt, injurias toties illatas divinitati JESU CHRISTI a Phariſæis: præſertim vero ne obliviſcamur gloriam, qua coruſcat in Thabor Myſterium eſſe, & ſecretum, contumelias vero, quas pro nobis exhauriet, omnes publicas futuras. Audebimus ne poſt hæc in terris honores aucupari &c. *Pater Segneri Meditationum ſuarum Tomo 3.*

Pſalm. 2.

J. C. amatur a Patre per ſe: nos vero Patri cari ſumus per J. C.

Deus eodem in ſenſu JESUM CHRISTUM *dilectum* vocat, quo illum appellat Filium ſuum. Aliquis enim bifariam amari poteſt vel propter ſe ipſum, vel propter alium, qui amatur. Juſti a Patre diliguntur in gratiam Salvatoris, qui hanc illis gratiam meretur; qui *vocavit nos ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis in CHRISTO JESU*. Sed Filius amatur propter ſe ipſum, eique amor debetur eo jure, quod illi tribuit natura. Ita *Pater diligit filium, & omnia dedit in manus ejus*, ideoque tribuit illi poteſtatem nullis finibus circumſcriptam; hæc eſt concluſio, quam elicit Evangelium. Sed quid pro nobis inferendum eſt ex hoc, quod Salvator de omnibus ſine ulla exceptione diſponere valeat? Noſtra videlicet intereſſe illi adhærere, illi famulari, omnia ab illius largitate exſpectare, nihil intentatum relinquere, ut gratiam illius comparemus, quandoquidem omnino ab illius pendemus arbitrio. Meminerimus, quid dixerit nobis: *Quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam.* Quæ verba nobis oſtendunt primo nobis confugiendum eſſe ad Cæleſtem Patrem per mediationem JESU CHRISTI. Si enim Pater per amorem Filii huic omnia cedit jura ſua, Filius etiam propter Patris ſui obſequium vult, Patrem ſuum a nobis orari. Secundo innuunt JESUM CHRISTUM polliceri ſe votis noſtris fauturum, *hoc faciam*; nam licet velit a nobis Patrem rogari, Pater Filio curam relinquit omnia nobis concedendi, quia *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus. P. Segneri tomo 3. Meditationum.*

2. Tim. 1.

Joann. 3.

Joann. 14.

Nos propter J. C. Pater Cæleſtis gratiæ donis locupletat.

In quo mihi bene complacui, ſubdit Pater Cæleſtis, tamquam artifex celeberrimus, qui ſibi complacet in operis ſui perfectione. Sed latius amplificemus horum verborum ſenſum, & cum Sancto Paulo dicamus, amorem Patris erga JESUM CHRISTUM illum impuliſſe, ut nos donis ſuis locupletaret, & in nos omne genus ſuarum Spiritualium benedictionum effunderet. Utique propter Filium placuit Patri homines de ſervitute dæmonis eripere, iis omnes gratiæ theſauros aperire, eoſque gloriæ ſuæ participes facere. *In quo mihi bene complacui.* Poterat ne Pater ſibi magis complacere in Filio? Ille univerſum ſalvat humanum genus in JESU CHRISTI gratiam, & in ipſo Cæleſtia omnia atque terreſtria reſtaurat. *Propoſuit inſtaurare omnia in ipſo.* Et profecto, quod attinet ad nos, quid intererat Dei miſeri ne eſſemus, an beati? Complacet ſibi in ſalute noſtra hac una de cauſſa, quia ſibi vult complacere. Nulla præterea cauſſa eſt amoris ſui erga nos ratio, nulla ratio ejus beatitudinis, quam nobis ex mera voluntate ſua deſtinat: *Complacuit patri veſtro dare vobis regnum.* Ita Iſaias loquens ad Sion, ait: *Non vocaberis amplius Derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis Voluntas mea in ea; & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te.* Quanta JESU CHRISTO debemus? Pater ſibi complacuit nos propter Filium ſuum Salvos facere. *In quo mihi bene complacui. Idem.*

Epheſ. 1.

Luc. 12.

Iſaiæ 62.

Pater Cæleſtis nos mittit ad J. C. ut audiamus illum, & illi ea proponamus, quibus indigemus.

Cum edixiſſet Pater æternus, JESUM CHRISTUM eſſe dilectum Filium ſuum, in quo ſibi complacet, ideoque conſtituiſſet illum abſolutum univerſorum dominum, his verbis concludit: *Ipſum audite.* Ita loqui conſuevit Rex poſtquam ad Regni ſocietatem, & curam vocavit ſuæ ditionis hæredem. Licet Monarcha de omnibus diſponere poſſit, ut olim; nihilominus ad Filium ſuum negotia remittit. *Ipſum audite*, Ad ipſum accedite, ipſum conſulite, ipſum Orate, ille gratiarum eſt promuſcondus. Si ipſe orat Patrem ſuum cum nobis, inde fit, quia noſter mediator eſt apud ipſum unice ob reverentiam; & in obſequium orat; non ſecus ac Filius in Regni ſocietatem a Patre vocatus, in omnibus voluntatem ejus explorat. *Idem.*

Chriſtiani omnes fatentur Deum eſſe Regem ſuum.

Nemo fidelis eſt, qui Deum Regem ſuum non fateatur, eique tamquam ſubditum famulari ſe debere non teneat. Ille per naturam habet regnum, & regnum ſuum habet in ſeipſo. Uno ſe indiget ad tuendum regnum ſuum, non eget exercitibus, arcibuſque. Poſſidet omnem ſapientiam, quæ requiritur ad ſuum regendum imperium. Legit in penitioribus cordium latebris, eaque ad arbitrium convertit. Exiguo oris ſui flatu poteſt exſufflare inimicos ſuos, omniaque eorum diſſipare conſilia. Quis Rex? quod regnum non cognoſcit illum? quis audet illi reſiſtere? Sed plerique Fideles, qui illum fatentur & dicunt ſe velle Regi huic famulari, volunt alteri quoque deſervire, Mundo videlicet, & putant, ſe ſimul conciliare poſſe utrumque hunc dominum; Filius autem Dei, qui ipſa Veritas eſt, hoc fieri poſſe negat. *Nemo poteſt duobus dominis ſervire.* Et hujus impoſſibilitatis ratio eſt, quia JESUS CHRISTUS, & Mundus duo ſunt Domini, ſibi invicem inimici, habentes leges, & placita prorſus oppoſita, & propter fines omnino diverſos invicem contendentes. *Ex Homilia Godeau.*

Adſpirationes & gratiarum actiones Salvatori, qui nos voluerit ſuæ gloriæ participes, qua gaudet apud Patrem.

Quantam voluptate perfundor, Salvator mi, audiens glorioſum illud teſtimonium, quod tibi perhibet Pater! Nolint quidem omnes inimici tui, qualis es, te confiteri! Saltem vero ego aliquomodo reparare ſatagam obſequiis, & amore meo, contumelias, quibus afficeris. Es dilectus Patris tui Filius, & talem te eſſe, me juvat! Ita enim acceptus fio in oculis ejus; ac tu dignaris, ut ita dicam, communicare mihi gratiam, qua apud illum frueris. Pater tuus, Salvator mi te unice diligit: & arbitrum te conſtituit donorum ſuorum; & quoniam amas me, & me tibi in fratrem adoptare non abnuis, effundit illa in me, ac me tamquam Filium ſuum habere dignatur. Haud ita, Domine; non habeo, neque ſperare poſſum me ſupernaturalia bona habiturum niſi per te: amori tuo unice, & amori, quo Pater tuus te proſequitur, debeo quidquid ſum, & quidquid ſperare poſſum me futurum in ordine gratiæ. Pater tuus me remittit ad te ut docear, & ut agam tecum de iis, quibus indigeo. Heu! Quam bene ſum in manibus tuis! Tu me docebis omnia, quæ me ſcire opus eſt; tu mihi dabis omnia, quæ me poſſidere intereſt mea, ſed in eo ſubſiſtam, ut ex te tui cognoſcendi, amandique gratiam obtineam. *Pater Segneri.*

Cum J. C. ſit Sanctitas ipſa, ſequi debemus ejus præcepta.

Sanctitas, ut pro modulo noſtro loquamur, puritas eſt integra, atque perfecta, ſine macula, immunis ab iis omnibus, quæ ſunt expianda. At non ſolum JESUS CHRISTUS non peccavit, ſed neque peccare potuit, quandoquidem peccatum infinite magis diſtat a Divinitate, quam tenebræ a luce; idque etiam quatenus Homo eſt, eo quod Sancta ejus Humanitas omino ſubdita erat ſuæ Divinitati, & ad unguem omnia illius ſequebatur imperia. JESUS CHRISTUS Sanctus eſt, quia fons eſt, & origo omnis Sanctitatis, quam omnes homines poſſident; quia ipſe hanc illis communicat, eiſque paſſione ſua promeritus eſt. Ille Sanctus ita eſt, ut vita ejus ſit prototypus, ac norma noſtræ Sanctitatis; quandoquidem nos eo ſanctiores erimus, quo propius imitabimur actiones illius, & divina ejuſdem documenta ſequemur. Ille Sanctus eſt, quia objectum eſt noſtræ Sanctitatis, quandoquidem tota ſita eſt in eo diligendo, & illi per voluntatis conformitatem adhærendo. Igitur quoniam JESUS CHRISTUS Sanctus eſt; & Sanctus Sanctorum eminenter, & quidquid nos docet Sanctiſſimum eſt, ad unguem ſequi nos oportet præcepta ejus, alioquin in corruptione, ac ſcelere victuros. *Pean in Schola JESU.*

Multis verbis fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Complures ſunt ex ipſis fidelibus, qui JESUM CHRISTUM Deum quidem eſſe farentur; ſed verbis tantum; Perſuaſum quidem eſt Intellectui ipſorum de hac veritate, quam factis negant. *Verbis confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Itaque JESU CHRISTI inimici non ſolum ſunt Tyranni, qui perſecuti ſunt illius Religionem, neque Hæretici, qui illius impugnarunt Divinitatem, ſed illi etiam, qui actionibus ſuis, & vita vitæ ipſius prorſus oppoſita negant inde percipere fructum, quem ille referri a nobia exoptat. Verbo, omnia illius magnalia cognoſcimus, cum Divinitatem ejus confitemur, atque tunc vere illum confitemur eſſe Deum noſtrum, cum amamus illum, & illi unice famulamur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Præcipuæ qualitates quæ Incarnato Verbo conveniunt. JESUS CHRISTUS eſt *Rex noſter*, Dominus, & Judex. Scriptura his nominibus illum appellat apud Iſaiam: *Dominus judex noſter, Dominus legiſer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Illum ſub hoc titulo agnoſcite, ſed ſcitote Regnum ipſius non eſſe de hoc mundo; ne igitur expectetis in hoc mundo veſtræ ſervitutis mercedem? Natura, & dæmon bellum indicunt huic Regi; utrum ſequeris? 2. Ipſe noſter eſt Pontifex. Sacrum hunc characterem contulit illi Pater ſuua, effundens in Sanctam illius humanitatem omnem Divinitatis unctionem. In Mariæ utero, & primo ſuæ Conceptionis momento primum obtulit Sacrificium, in quo ſimul fuit Sacrificulus, victima, & Altare, Æterno huic Pontifici peccata veſtra confitemini; hic illa vobia dimittit per eos, quibus Sacerdotium ſuum communicavit; quonam Religionis ſenſu adeo puro ac ſincero vobis ad illos accedendum eſt? 3. *Mediator* eſt noſter. Mediatoris munus cœpit obire ex primo ſuæ Incarnationis articulo; neque illud unquam Interpellavit, neque eſt interpellaturus. Vivit, Apoſtolus ait, ut intercedat ſemper pro nobis apud Patrem ſuum. Quod inde nobis fiduciæ argumentum! cavete nihilominus, ne hæc in præſumptionem degeneret, 4. *Sponſus* eſt noſter. Vetus, & novum Teſtamentum nobis æque illum exhibent ſub hac amabili qualitate propter quam contrahit arctiſſimam affinitatem cum animabus noſtris eas ſibi jungens ſacerrimis vinculis caritatis, communione, & largitione omnium bonorum ſuorum. Impendis ne illi amorem pro amore? Quo pacto ejus liberalitati reſpondes? datam ne illi fidem ſervas? Ne cor tuum creaturis proſtitusa. 5. Eſt *Caput* noſter, quia eſt Caput Eccleſiæ, cujus membra ſumus. Myſticum Salvatoris Corpus deſumit pulcritudinem ſuam ex proportione, quæ intercedit Caput inter & partes, ex quibus conſtat. Es ne tu membrum dignum hoc corpore? an illud pudore ſuffundis? Dedecet enim ſub Capite ſpinis coronato membrum eſſe, non flagitioſum dicam, ſed delicatum. Denique eſt nobis

Hebr. 8. Exemplum. *Vide, omnia facies ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte.* Sed non in Calvario tantum, juxta Prophetam JESUS CHRISTUS nobis exemplo eſt, ſed ab ipſa uſque pueritia: Ad illius igitur normam componere debemus omnes cogitationes, verba, actiones, otia, ſtudia, timores noſtros. Hoccine feciſti hactenus? hoc in poſterum facies? *Ex Morali Novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tom. 1.*

Septem Spiritus ſancti dona communicata SS. humanitati Verbi in ſinu Matris ſuæ. Matth. 2. Donum Sapientiæ quidam eſt guſtus, & ſenſus interior, qui animæ affectum immittit rerum divinarum, eaſque illi ſuaves, & amabiles præbet, earum ſoliditatem, ac dulcedinem oſtendens. Hic guſtus, hic ſenſus interior replebat gaudio, & conſolatione animam Salvatoris, efficiebatque, ut in effuſione ſui cordis hæc Patri ſuo verba dirigeret: *Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a Sapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Ita, Domine; quidquid dicant, quidquid cogitent iſti pſeudo ſapientes; ita eſt, ego video, cognoſco, ſentio divinas has veritates, & de illis judicium fero, quod tu. Felix anima, cui Deus ita oſtendit manna hoc abſconditum ſub cruce, ſuavitatem paſſionum, theſauros paupertatis! Ecce veram Sapientiam, inimicam humanæ Sapientiæ! Hanc impugna, hanc dele, & averte. *Ex eodem.*

Quid eſſet in J. C. donum intelligentiæ. Intelligentiæ donum prompta, & facilis eſt penetratio, quæ efficit, ut uno ſtatim intuitu aſſequamur ſenſum divinatum Scripturarum, quarum clavim nobis præbet. Hoc vividum eſt lumen, & acutum, quod nobis oſtendit quidquid in quslibet creatura lateat pulcritudinis, & perfectionis Creatoris: Ita JESUS CHRISTUS, & poſt Sancti Spiritus illapſum Apoſtoli poſſidebant omnes Scripturas, legem, Prophetas, &c. Ita tot alii Sancti ad intuitum floſculi alicujus repente in extaſim rapiebantur, & impetus admirationis, & amoris erga Deum ſuum. Hæc eadem divina intelligentia aperit nobis principia, & ſecreta vitæ Spiritualis. Domino ergo pretioſum hoc donum flagita, verum ſimul memento, nihil illi magis adverſari, quam ſuperbiam, terrenos affectus, adhæſionem peccatis etiam venialibus; ſimulque nihil magis diſpoſiturum animam tuam ad illud recipiendum, quam humilitatem, orationem, puritatem cordis. O Deus, dicebat olim David, *da mihi intellectum, ut vivam* vitam hanc interiorem. *Idem.*

Donum Conſilii. Conſilii donum inſtinctus eſt ſupernaturalis, qui nos ſemper determinat in rebus neutris ad id, quod tutius, & melius eſt: Spiritus hic adduxit JESUM CHRISTUM in deſertum, direxit illum in tentationibua, quæ ipſum adortæ ſunt, effecitque, ut ille in omnibus vitæ ejuſdem circumſtantiis faceret, quod Parenti ſuo eſſet acceptius. Quot in occaſionibus tibi ſalutare hoc donum non defuit? Tempus ipſum præverte, occupa locos, occurſus varios, in quibus hoc indigebis. Adnitere illud maturato aſſequi, ut ſub tali duce omnia tibi imminentia pericula effugias. *Idem.*

Donum fortitudinis, quid fuit in J. C. Fortitudinis donum robur eſt cœlitus demiſſum, quod nos omnibus rebus pares efficit, omnibuſque ſuperiores. Quod naturæ difficillimum eſt, pronum, & facile fit animæ, quæ hunc fortitudinis ſpiritum induit. Infractus animus, quo Salvator, licet mortali triſtitia laborans, occurrit inimicis, dirus ille agon, quem paullo ante ſubierat, admirabilis eſt effectus hujus doni fortitudinis. Enixas tuas preces inſtaura, ut illud divinitus aſſequaris; nihil hoc magia neceſſarium. Vita hominis juge prælium eſt, dicit Scriptura; infiniti te obſident potentes, ſubdoli, indefeſſi inimici; poteſne ſperare victoriam ſine hoc Cœleſti ſubſidio? Confirma inceſſanter Deus imbecillitatem mentis, & corporis mei per omnipotentem divini Spiritus tui virtutem. *Moralis Novi Teſtamenti Patris la Neuville Tomo primo.*

Donum ſcientiæ in J. C. Scientiæ donum cognitio eſt infuſa variarum rerum, quæ illuminare, & mentem noſtram perficere poſſunt. Igitur hæc omnia cognoſcere, quatenus referuntur ad Deum, ſcientias non æſtimare, non amare, non cupere, niſi quatenus ſaluti noſtræ, & proximi conferre aliquid poſſunt, evitare tumorem, quem parere ſolent, hoc donum ſcientiæ vocatur; hæc Sanctorum ſcientia, ſcientia Salutis dicitur. *Eminens ſcientia JESU CHRISTI*, quæ non ceſſavit nos erudire a primo ſuæ Incarnationis momento ad extremum uſque vitæ ſpiritum. Scientia, ad quam acquirendam Sanctus Paulus omnium rerum detrimentum ſibi faciendum eſſe cenſuit! *Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam JESU CHRISTI Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut CHRISTUM lucrifaciam*, & ſim diſcipulus JESU CHRISTI in divina hac ſcientia, ſi nihil eorum, quæ in terra ſunt concupiſcere incipiam. Sentis ne te fieri amicum, & diſcipulum Salvatoris? id eſſe non potes, quin abneges omnia ſaltem corde, & affectu. *Idem.* *1. Corinth. 9. Philipp. 3.*

Pietatis donum in J. C. Pietatis donum ſuavis eſt animæ noſtræ propenſio, qua Deo tamquam Patri noſtro inhæremus, ejuſque Sanctis tamquam amicis illius, ac proximo quatenus ejuſdem imagini. Totum Evangelium non aliud eſt niſi jugis expreſſio ſenſuum hujuſmodi, quibus Salvatoris anima erat repleta. Qua cum caritate non loquitur ille de Patre? quo amore non recipit ille ab adorabilibus manibus illius calicem licet amariſſimum paſſionis ſuæ? Quid ergo, dixit ille Petro, calicem quem dedit mihi Pater non vis, ut bibam illum? Quo affectu, qua ſuavitate non loquitur proditori Judæ eadem in occaſione? Nihil prætermittite, ut obtineatis cœlitus ſpiritum hunc pietatis, qui teſte Sancto Petro adeo utilis eſt, omnibuſque neceſſariua. Divine Salvator fons, & exemplar omnis pietatis, reple cor meum piis hujuſmodi ſenſibus erga te, & ea omnia, quæ diligis. *Idem.*

Donum timoris Dei. Donum timoris Domini ſacer eſt, ac religioſus timor, quem nobis immittit præſentia Dei æque amabilis, ac formidabilis. Sancti ipſi quamvis in Cœlo peccare non poſſint, non carent tamen hoc reverentiali metu; aſſidue trepidant coram auguſta illius Majeſtate, & ſeſe, ut ita dicam, exinaniunt coram illa. Talea, immo adhuc ſanctiores erant ſenſus, quos Salvatori ſuadebat perfecta Divinitatis cognitio. Intuitus tot perfectionum, quæ infinite ſuperabant illam humanæ naturæ ſuæ, excitabat in ſingula momenta in ſpiritu, & corde ipſius neſcio quem religioſum, ſanctumque horrorem, ſed ſimul etiam cum ſuaviſſimis amoris, reverentiæ, & alacritatis ſenſibus permixtum; ex quo proficiſcebatur zelus ille domus Dei, odium peccati, mortis deſiderium ea mente, ut magis, magiſque Patrem ſuum glorificaret. O timor ſalutaris! o Sacer amor! o devorans zele! replete, poſſidete cor meum, ſed hoc unice poſſidete; inde quemlibet alium ſenſum extrudite, ut inceſſanter hoc adorabili præſentia Dei occupato te metuam, teque ita diligam, ut nunquam te lædsm. *Idem.*

Quid ſit J. C. quatenus Deus & quatenus homo. Ad æquiſſimam magnalium JESU CHRISTI ideam concipiendam: quatenus Deus eſt, talia eſt jure nativitatis; & quatenus homo, jure acquiſitionis eſt Dominus omnium. Quatenus Deus, omnia per illum facta ſunt; ſplendor eſt, imago eſt ſubſiſtens, & conſubſtantialis Patri ſuo; ſuſtinet, ac regit omnia virtute verbi ſui, ſuæ videlicet Voluntatis. Quatenus Homo ſummus eſt Pontifex, qui Sanguine

ſuo

ſuo omnia peccata noſtra expiavit; quod omnia ſimul Legis antiquæ Sacrificia facere non poterant; & modo eſt in gloria ſupra creata omnia, non ſolum ſuper homines, verum etiam ſuper Angelos exaltatus, quibus jubet Apoſtolus illum a nobis præferri, quemadmodum illum prætulit Prophetis: eum ille ita ſit Angelis omnibus ſublimior, quo nomen, quod recepit, Angelorum nomine eſt excellentius. Hoc autem nomen eſt Filii Dei, quod, ut textus innuit, quaſi hæreditario jure conſecutus eſt, videlicet certum titulum, qui illi futurus erat perpetuus, qualia apud Hebræos erant bona, quæ hæreditatis jure acquirebantur. Per gloriam autem, in quam ingreſſus eſt JESUS CHRISTUS poſt Reſurrectionem ſuam, ipſe habitus fuit pro Filio Dei, & per hanc dignitatem ſuper Angelos evectus eſt, infra quorum conditionem ſe ipſum ſubmiſerat per formam ſervi, quam ad noſtram ſalutem procurandam aſſumpſerat. *Tourneux in Anno Chriſtiano Tomo primo.*

Non niſi poſt ſalutarem Reſurrectionem oſtendit Deus quid eſſet, videlicet verus Deus.

Ante Reſurrectionem nondum efficiebat Deus, ut eluceſceret potentia, & Majeſtas magni hujus nominis, quod JESU CHRISTO tribuerat. Miracula, quæ operabatur Salvator in vita ſua mortali non effecerunt, ut pro Deo haberetur, niſi a paucis mortalibus. Ceteri prohibebantur infirmitatibus, quæ tegebant ejus magnitudinem, & Crux delevit in Diſcipulis ſuis ideas, quas de ejus Divinitate conceperant. Velum poſt illius Reſurrectionem ſublatum eſt: tunc innotuit; quis eſſet, & miracula, quæ operabantur Apoſtoli ad fulciendum teſtimonium, quod perhibebant Magiſtro ſuo, qui reſurrexerat, & regnabat in Cælo, effecerunt, ut adoraretur tamquam Deus a Judæis ipſis, quem tamquam noviſſimum mortalium omnium contempſerunt. JESUS CHRISTUS quatenus Deus propria potentia corpus ſuum ſuſcitavit, ideoque ſe ipſum exaltavit, atque glorificavit, ac traditur cognoſcendum pro Filio Dei. Quatenus homo a Deo reſuſcitatus fuit, & in hoc ſenſu Deus illum exaltavit, & glorificavit; Deus effecit, ut haberetur Filius ſuus, & Deus ſimilis ſibi. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo quinto.*

Poſt Reſurrectionem Filius Dei ... ejus adorari.

Ut in nomine JESU omne genuflectatur. Flectere genu ſignificat revereri. Hoc erat ſignum adorationis, quam Orientis Reges a ſubditis ſuis recipiebant. Cum autem hoc obſequii pignus præſtatur non ſolum perſonæ præſenti, verum etiam audito duntaxat ejus nomini, magnum profecto eſt reverentiæ teſtimonium. Tale illud eſt, quod Deus Filio ſuo præſtari jubet ab omnibus creatis, ſeu in Cælo, ſeu in terra, ſeu apud inferos. Ex quo JESUS CHRISTUS agnoſci cœpit per gloriam Reſurrectionis ſuæ, & per ea, quæ illum ſubſecuta ſunt, homines illum adorare, ac ſeſe illi ſubjicere inceperunt. Cognitio, & veneratio nominis ejus in dies ſingulos crevit, & erit tempus, quo omnes illius confitebuntur imperium obſequiis, quæ quivis, velit, nolit, præſtiturus eſt. Nam, ut Apoſtolus inquit, nondum illi ſubjecta ſunt omnia; ſed omne genuflectetur, omnia illi ſubjicientur; in Cælo, ubi ſe manifeſtat Angelis, & Beatis; in terra ubi nomen ejus annuntiabitur omnibus populis; in inferis, ubi ejus juſtitia in ipſius inimicos deſæviet. JESUS ubique adorabitur, nomenque ejus imprimet reverentiam, vel terrorem; quia Deus eſt Nomen ejus; quia JESUS eſt Dei Filius, judex ſupremus viventium, atque mortuorum. *Idem.*

Poſtquam cognita fuit per Reſurrectionem J. C. divinitas, debuimus æque humiliationes ejus, ac illius magnalia adorare.

Suprema hæc magnitudo, quam humiliationibus ſuis nobis promeritus eſt JESUS CHRISTUS proponitur, ut non ſolum magnitudinem illius, verum etiam humiliationes quoque ejus veneremur. Quandiu latuit JESUM CHRISTUM eſſe Deum, humiliationes ejus in contemptu habitæ ſunt; ex quo innotuit has eſſe humiliationes Dei propter ſalutem noſtram exinaniti, quin aliquid de illius magnitudine pereat, adorantur. Sed fruſtra adorantur, niſi imitati fuerimus humilitatem ejus, qui amplexatus eſt illas. Quippe Religio in hoc ſita eſt, ut imitemur id, quod veneramur. Proſternimur, ex quo audimus Apoſtolum dicentem, omne genuflectitur in nomine JESU: ſed abrenuntiamus ne ſuperbiæ noſtræ, & evadimus humiles, cum eumdem audimus dicentem: Eoſdem fovete ſenſus, quos habuit JESUS CHRISTUS humiliatus, exinanitus, obediens, & obediens uſque ad mortem crucis? Volumus quidem adorare JESUM CHRISTUM crucifixum, ſed cum illo crucifigi nolumus. Crucem illius reveremur, ſed illam bajulare detrectamus. Obedientiam illius admiramur, at non amplectimur. Mortis ejus memoriam recolimus, & concupiſcimus fieri participes gloriæ Reſurrectionis ejus; ſed emori nolumus peccato, mundo, nobiſmet ipſis, ut vivamus Deo, & nihilominus ſecundum explicitum Apoſtoli verbum JESUS CHRISTUS mortuus eſt, & reſurrexit, ut nonniſi propter illum viveremus, & moreremur: & geminum illud Apoſtoli ejuſdem; ut cum JESU CHRISTO vivamus, nobis cum illo moriendum eſt; & ut fiamus regni ejuſdem participes, opus eſt ut accedamus in partem ignominiæ paſſionum illius. *Idem.*

Houdry Bibl. Conc. Theol. de Myſter. Tom. IV.

J. C. non ſolum Dominus noſter eſt, ſed etiam Pater cum nos in filios ſibi adoptaverit.

JESUS CHRISTUS ita Dominus noſter eſt, ut ſit etiam Pater noſter, quandoquidem genuit nos per mortem ſuam in Calvario. Hac de cauſſa ab Iſaia Propheta Pater futuri ſæculi appellatur, videlicet eorum qui vivunt in lege gratiæ; & ſanctus Joannes referens admirabiles gratias, quas accepimus a Deo per adorabile Incarnationis Myſterium, illam recenſet adoptionis Filiorum Dei tamquam principem, & ceterarum fundamentum, ſtupore captus tanti, & adeo præclari beneficii, exclamat; videte quodnam extiterit donum caritatis Patris noſtri in nos efficientis, ut filii ſui nominemur, & ſimus. Præterea modus, quo utitur ad operandam in nobis eximiam hanc qualitatem prorſus eſt ineffabilis. Si enim Dei Filius a ſancto Paulo vocatur, figura, & imago Perſonæ Patris ſui, quia illi ſuam eſſentiam communicat, eumque in omnibus ſibi æqualem facit. Ita JESUS CHRISTUS nobis gratias ſuas impertit, noſque ſuo annulo ſignat in Baptiſmo, nos filios ſuos conſitens, & faciens quodammodo ſimiles ſibi. Quapropter per gratiam nobis in Baptiſmo collatam, non ſumus amplius filii Adam, ſed novam recipimus eſſentiam, novamque vitam manentem a JESU CHRISTO, tamquam a fonte, & principio. *Pean in Schola JESU CHRISTI.*

Gratiarum actio Deo Patri, quod nobis dederit Filium ſuum Mediatorem.

Quantum debemus tibi Deus meus, eo quod dignatus fueris educere nos de abyſſo miſeriæ, in quam cecideramus, per Filii tui Unigeniti merita! Fatemur futurum fuiſſe, ut non poſſemus per noſmet aſſequi adeo pretioſam gratiam. In illo invenimus vitam; nonniſi per illum venire poſſumus ad te; immo neque te rogare audemus, niſi oremus te per nomen illius. Hic offert ſupplices libellos noſtros Throno tuo; ille efficit, ut recipiantur; ille nos jugiter bajulat tamquam parvulos, qui gradum proferre non poſſunt, niſi ſuſtineantur. Per illum nos dignaris reſpicere, cum te miſeret noſtræ infelicitatis, cum obliviſceris noſtrarum iniquitatum, cum pateris vocari a nobis Pater noſter, & denique nos admittis ad poſſeſſionem illius hæreditatis, quam a Mundi primordiis præparaſti veris filiis tuis. *Lambert in anno Evangelico.*

Potentia, Sanctitas, Reſurrectio Filii Dei, illum vere Deum eſſe oſtenderunt.

Tria ex ſancti Pauli ſententia in Epiſtola ad Romanos, JESUM CHRISTUM Deum eſſe oſtenderunt. Potentia, Sanctitas, & Reſurrectio illius. Oſtendunt Potentiam ſuam miracula, quæ operatus eſt; Sanctitatem virtutes, quas exercuit; & eniteſcit gloria, & Majeſtas illius per Reſurrectionem cum hoc tamen diſcrimine, quod Potentia illius latuit ſub noſtrarum infirmitatum integumentis; Sanctitas ſub peccati ſpecie delituit; ſed Divinitas ejus omnino inclaruit in Reſurrectione ſua, & ille de tumulo glorioſus, & immortalis egrediens maximum edidit ſpecimen Potentiæ ſuæ præcipuum ſuæ Sanctitatis argumentum, & ſolidiſſimum Religionis ſuæ poſuit fundamentum. Si enim Reſurrectio nulla eſt, nulla eſt immortalitas, ſi immortalitas nulla, nulla eſt juſtitia; ſi nulla juſtitia, nulla quoque providentia; & cum nulla ſit providentia, omnis quoque Divinitas corruit. JESUS CHRISTUS autem omnes haſce veritates per ſuam Reſurrectionem probaverat: Magnitudinem quidem ſuam, quippe qui propria virtute reſurrexerat; juſtitiam, quoniam gloria ſua præmium eſt paſſionum ſuarum; providentiam ſuam, quia deſtinat nobis beatiſſimam immortalitatem, & per reſurrectionem ſuam, noſtram quoque certam facit. Ita videtur, totum Evangelium, & omne Apoſtolorum ſuorum teſtimonium redegiſſe ad hujus unius Myſterii publicationem, & in hac una veritate Miſſionem eorum fundaſſe. *Flechier in Panegyricis.*

Chriſtiani nova petunt miracula, quæ ſi viderent, magis eſſet illis de veritate perſuaſum, ſed non ideo magis converterentur.

Quot ſunt Chriſtiani qui credunt, & fidem ſuam non ſequuntur? Myſteria nimis obſcura ſunt, hæc non ſatis eas movent. Vellent miracula. Si viderent Cælum patefieri, ac ex gloriæ ſinu dilabi aliquem ex beatis illis Spiritibus, quos mittit Deus ad facienda imperata, & fidelium ſalutem procurandam quanto fervore fides eorum inflammaretur? Si ex imis Sanctuarii adytis lumen emicaret, quod ipſa penetraret Tabernacula, & JESUS CHRISTUS nos alloquens in Hoſtia appareret, qua reverentia ad Altarium pedes procumberent? Quo zelo non flagrarent in eos, qui Sancta polluunt loca? Sæpe audiuntur mortales, qui dicunt: Unum mihi ſatis eſſet videre miraculum, & vitæ genus mutarem. Næ illi falluntur, & neſciunt quid ſit converti. Putant ſatis eſſe noſſe, unum eſſe Deum, & illi quædam obſequia præſtare, quæ Ethnici quoque Idolis ſuis adhibebant. Eorum imaginatio hoc quidem ſpectaculo quateretur, ſed levis hæc impreſſio cor ipſum non pervaderet. Dei Potentiam admirarentur, ſed non ideo in Caritate proficerent; illis magis eſſet perſuaſum, non ideo tamen converterentur; & quandoquidem non Scripturarum auctoritas, non inſtinctus, non interiores conſcientiæ ſenſus, non Evangelii prædicatio, non Cæleſtes afflatus ad credendum illos impellunt, miraculi etiam impreſſio ocyſſime evaneſceret. Hoc

in actiones ſingulis inſtaurandum eſſet; & miraculorum videndorum libido, color eſt, vel ſolatium, quod quærunt duritiei cordis ſui, non remedium, neque auxilium, quod ad fidem ſuam perficiendam, roborandamque deſiderant. *Idem Flechier in Panegyricis.*

De fidelitate quam debemus Filio Dei, qui omnibus ex cauſis eſt Rex noſter.

Dei Filius Rex noſter eſt ob plures titulos, quorum minimus ſatis, ſuperque eſt ad ſupremam illius auctoritatem perfectiſſime ſtatuendam. Itaque non agitur hoc in loco de inquirendis probationibus ad confirmandum probatiſſimam auctoritatem; ſed illud duntaxat ad examen revocandum eſt, utrum ſitis Regi veſtro Fideles, & utrum id præſtetis obſequium, quod præſtandum eſt Regi adeo præcellenti; & an fatigemini, ut aliis Dominis deſerviatis. Sanctus Paulus nos admonet, ne, quandoquidem tanto redempti fuimus pretio, efficiamur hominum mancipia; quaſi diceret, cum pretio magno redempti fuerimus, nos Magni Regis ſervos factos fuiſſe; & indignum eſſe Magni Regis ſervos ſubjici hominibus, eorumque fieri mancipia. Eſtis ne vos ex eorum numero, qui turpiter Regem Cæli deſerunt, ut hominibus famulentur? Semet Mundi voluntatibus ſubjicere, & potenti viro morem gerere, quia ab illo aliquam præſtolamur gratiam, illius libidini obſequi cum propriæ conſcientiæ detrimento, nullo in diſcrimine habere pedibus calcare Sanctas Evangelii leges, ut proſini illius exequamur imperia: non audere eidem obſiſtere exigenti a nobis, quod Religionis noſtræ placitis adverſatur, nonne hoc illud eſt, quod ſanctus Paulus appellat deſerere Regem ſuum, ut hominum filii evadamus? Quot ſunt ex his hominum ſervis, qui ob tenuiſſimum lucellum vitium thure colunt, & in honore ſcelus habent? Hinc JESUS CHRISTUS eos vocat, eiſque oſtendit viam, per quam illos jubet incedere, ut perveniant ad ſe; inde alia patet via, per quam ſperant ſibi Principis alicujus viri gratiam aucupaturos. JESUS CHRISTUS relinquitur, nemo ſequi ſtudet viam ſibi ab eo indigitatam, haud hæſitanter amplectimur eam, quam nobis utilitas noſtra ſuadet. Ecce quomodo Regi veſtro morem geritis; ecce quomodo relinquitis illum, ut ſiatis hominum, & cupiditatum
2. Cor. 6. 20. veſtrarum mancipia. Sanctus Paulus alibi dicit, quoniam redempti ſumus magno pretio, nobis quidem glorificandum eſſe Deum, eumque in corpore, atque in mentibus noſtris portandum. Poſſumus ne minus aliquid operari pro illo, cui tanti ſtetit fieri Regem noſtrum, & Dominum? *Lambert in Anno Evangelico. Tomo ſecundo.*

De manſuetudine Filii Dei in mandatis ſuis.

Rex noſter plenus eſt manſuetudine in iis, quæ præcipit nobis. Nullum nobis præceptum impoſuit, quod vires, ſtatum, noſtramque conditionem excedat. Mandata omnia adeo ſunt rectæ rationi conformia, ut hæc una ratio nos cogat pleraſque leges ſervare. Fateamini neceſſe eſt, non poſſe vos rebelles eſſe JESU CHRISTO, quominus contra rationem ipſam rebelletis. Hæc prior redarguit vos, cum tranſgredimini leges, quas vobis veſtra imponit religio. Dei Filius in ipſo legis ſuæ fronte propoſuit præceptum, quod ſolum ſufficit ad mulcendam amaritudinem, quæ ibi poſſet inveniri. Si Chriſtiana lex ſeveritatis arguitur, non arguetur unquam ab illis, qui primum legis præceptum adimplent, & qui ex toto corde diligunt Deum. Lex hæc, quæ vobis ſevera videtur, quamplurimis fidelibus ſuavis eſt. Cum ergo exiſtimatis difficile, ac durum eſſe; vos eſtis duro corde, vos occupati cupiditatibus veſtris quæ excæcant vos, non eſtis eo in ſtatu ubi liceat vobis vanum ferre de JESU CHRISTI lege judicium. Numquid ſatis conſideraſtis rationes omnes, quæ fidelem ſuſtinent in lege hac adimplenda? Propoſitas illi promiſſiones, opes, quas præſtolatur, coronam, quæ illum manet? Etenim, cum ajo, Regem noſtrum plenum eſſe manſuetudinis in legis ſuæ impoſitione; loquor de Chriſtiana lege ſecundum omnem latitudinem illius, neque quidquam aufero ex iis, quæ vobis in hac lege videntur auſteriſſima: Loquor de Chriſtiana lege, quatenus præcipit, ut nos nobiſmet ipſis abrenuntiemus, noſmet mortificemus, parcamus, eleemoſynam erogemus &c. *Idem.*

J. C. eſt verum lumen.

JESUS CHRISTUS ex Divo Joanne *vera lux*, eſt, *qua illuminat omnem hominem*. Hunc illuminavit per ſeipſum miracula efficiens, & incipiens annuntiare ſanctas veritates, ad quas revelandas acceſſerat. Ipſe illuſtravit omnem hominem Apoſtolorum ſuorum miniſterio, qui imperata facientes lumen Evangelicum in omnes terrarum plagas pertulerunt. Ex quo JESUS CHRISTUS venit in terras, homines illuſtrare non deſiit. Hic inſpirat Evangelii miniſtros, hic in ore eorum vitæ verba conſtituit: hic loquitur nobis, hic nos erudit, & ſecundum promiſſiones ſuas futurus eſt nobiſcum uſque ad ſæculorum conſummationem. *Lux venit in Mundum, & homines magis dilexerunt tenebras, quam lucem.* Quod de illis omnibus intelligendum eſt, qui quocumque tempore proficere noluerunt ex iis documentis, quibus fuerant imbuti. Maluerunt permanere in ignorantia ſua, & ſequi eas, quibus excæcantur cupiditates, quam cognoſcere veritatem, & ſeſe componere ad lucem veritatis. *Lambert in Tomo ſexto Anni Evangelici.*

J. C. in rebus omnibus magnus eſt.

JESU CHRISTI Magnalia conſiderari poſſunt in ſe ipſo, in ea ratione, quam habet ad Patrem, & iis, quas habet nobiſcum, & liquebit Angelum jure de illo dixiſſe, *hic erit Magnus*. Magnus inquam abſolute, ſine modificatione, & coarctatione, quippe qui magnus eſt in omnibus, magnus in ſe ipſo, in divinis relationibus ſuis, in ſtatibus, & officiis &c. Magnus in ſe ipſo, quia magnus eſt in perſona ſua, magnus in divinitate naturæ ſuæ, magnus in perſona communicata naturæ humanæ ſuæ. Magnus in relationibus ſuis ad perſonas divinas: quia alterius quidem Filius eſt, alterius vero principium. Magnus eſt in ratione, quam habet ad nos in ſtatibus, qualitatibus, officiis, privilegiis: ipſe enim Caput eſt, nos corpus, & membra ejus. Ille Sponſus eſt, nos autem cor, & deliciæ illius; Ille Pater, nos filii, ille Paſtor, nos oves: Ille Doctor, nos diſcipuli; Ille Redemptor, nos captivi; Ille Rex, nos ſubditi: Ille Sacrificulus, nos hoſtiæ viventes, & ab illo immolatæ gloriæ Patris ſui. Brevi; totum eſt, & totum noſtrum; eſt vita, lumen, & ſalus mundi. Ita Cælum, ac terra conſpirant ad ſupremam hanc Magnitudinem celebrandam: Cælum quidem projiciens coronas ſuas ad pedes ejus, & exclamans, *Dignus eſt Agnus accipere virtutem, & divinitatem*; Terra autem obſequium illi præſtans Apocal. 5.
tamquam Deo ſuo, Domino ſuo, Salvatori ſuo, ſecundum illud vaticinium. *Et adorabunt eum omnes* Pſalm. 71.
reges terræ, omnes gentes ſervient ei. Cardinalis de Berulle in Præfatione ad Tractatum de magnalibus JESU CHRISTI.

Variæ perſonæ, quas Dei Filius aſſumit, ut cognoſcamus ejus magnalia, & ut ſuam nobis bonitatem, atque miſericordiam oſtendat.

JESUS CHRISTUS varia ſibi nomina aſſumit erga homines ad ſignificandas varias miſericordiæ, & bonitatis ſuæ rationes. Modo ſe Paſtorem nominat, ad oſtendendam curam, qua illis invigilat, modo Magiſtrum ad innuendum ſedulitatem, qua illis tradit veritatem, eoſque docet; Modo Regem, ut ſciant, ipſum ubi velit, in cordibus eorum ſuam collocare auctoritatem, ut in eos regnet cum abſoluta potentia, ut illos omnino ſuis voluntatibus ſubjiciat, ut in hac ipſa terra illos exæquet Angelis ſuis, quorum ſedes illis deſtinatæ ſunt. JESUS CHRISTUS etiam dicitur Dominus, & verus Rex, idque merito, quia *Rex Regum* eſt, *& Dominus dominantium*, qui Reges facit, qui illos eligit, qui illos evehit ad ſolium, eoſque illinc deturbat; eorumque ſceptra confringit, ubi vult, poſtquam ea ipſis detulerit. *Ex libro, qui inſcribitur: Regula ſancti Benedicti Tomo primo.*

Deo uni accepta referenda ſunt miracula quæ J. C. dum viveret operatus eſt.

Poſſunt ne jure alteri cuipiam quam Deo accepta referri miracula, quæ JESUS CHRISTUS operatus eſt? Ille in oculi ictu oculorum aciem cæcis reſtituit, ſurdis aurium uſum, jamjam morientibus perfectiſſimam valetudinem. Momento leproſos mundavit, curavitque paralyſi, & hydrope laborantes. Quinque hominum millia pane duplici, ac piſciculis quinque ad ſatietatem explevit. Ventis imperavit, ac furentes procellas ad malaciam vocavit. Scientia illius eruditiſſimorum Doctorum ſcientiam ſuperabat; quin ab ullo inſtitutore litteras didiciſſet; ſecretiſſima penetrabat mentium conſilia. Se crucifigendum prædixit, omneſque Paſſionis ſuæ circumſtantias prænovit; proximum civitatis, ac Templi Jeroſolymitani excidium portendit; plures unico verbo ad vitam mortuos revocavit; quod admirabilius eſt, & ad credendum difficilius, ſe ipſum a mortuis ſuſcitavit, & poſt dies quadraginta a Reſurrectione ſua aſcendit in Cælum, unde poſt dies decem miſit Spiritum ſanctum ad Apoſtolos ſuos, qui ſimul adepti ſunt cognitionem linguarum; qui Hebraice locuti ſunt, Syriace, Chaldaice, Græce, & Latine, & generatim linguis omnibus. Denique JESUS CHRISTUS tantum edidit miraculorum numerum, ut teſtimonio eorum, qui illa ſuis oculis uſurparunt, omnis narratione complecti valeat nemo. Patravit enim miracula in Sole, in aere, in terra, in aquis, in lapidibus, in arboribus, in beſtiis terræ, in piſcibus, in hominibus, in mulieribus, in pueris, in iis, qui bona fruebantur valetudine, in ægris, in viventibus, & mortuis. Ea qualibet in occaſione, in inſtanti, quin ſubjectum videret, vel tangeret, verbo tantum, & nonnunquam ſola voluntate. Apoſtolis quoque largitus eſt facultatem miracula ſuis æqualia operandi, immo etiam communicandi aliis hoc donum admirabile, quod ſæpe cognitum eſt experientia. Sed hæc omnia miracula ſunt effecta, quæ humanas cognitiones, & vires excedunt; generales naturæ leges ſuperant, immo eaſdem perfringunt aliquando; igitur auctorem habent Dominum creato-

rum

rum omnium, qui Deus eſt. *Leva'ſeur in Religionis defenſione.*

Cum J. C. ſit Mediator noſter, Deum adoramus per ipſū.

Tota Chriſtiana Religio Deum nonniſi per JESUM CHRISTUM adorat; & putat, ſe nonniſi per eumdem accedere poſſe apud Deum. Sine hujus mediatione credit, ſe nonniſi abominabilem cultum offerre poſſe, & adeo perſuaſum eſt illi de Mediatoris, qui ſimul Deus, & Homo ſit, neceſſitate, ut alioquin omnem ſpem abjiceret; non dico, in gratiam cum Deo redeundi, ſed ne accedendi quidem. Sed unde nam hæc perſuaſio, atque convictio, niſi ex cognitione ſui criminis, peccati, atque injuſtitiæ? Omnia ergo ſibi cohærent, atque conſequuntur in Chriſtianæ Religionis ſyſtemate. Injuſtitia hæc hominibus irrogat Mediatoris neceſſitatem, ut via pateat illis ad gratiam. Meditor hic eſſe debet homo, ut divinæ ſatiſfaciat juſtitiæ; debet eſſe Deus, ut ſatisfactionibus ſuis pretium, ac meritum tribuat. Per Meditoris hujus interceſſionem, offert ſeſe coram Deo, per illum Deo noſtra opera, cultumque noſtrum offerimus. Per infinita illius merita acceptæ fiunt Deo noſtræ oblationes. Per hujus Meditoris gratiam reſiſtimus cupiditati, ab ſenſibilibus objectis avellimur, & invenimus viam, quæ adducit nos ad increatam veritatem, ad bonum ſupremum, ad immutabilem juſtitiam. Denique per hanc gratiam Deo conjungimur, & ordo inſtauratur. *Ex libro, qui inſcribitur: De ſui ipſius Cognitione. Tomo* 2.

Nemo melius S. Joanne Baptiſta teſtimonium perhibuit Magnalibus J. C.

Secretum illud teſtimonium, quod S. Joannes Baptiſta in Matris utero perhibuit Magnalibus JESU CHRISTI, in infinitam hujus gloriam cedit, quandoquidem illud eo perhibuit tempore quo ignotus erat omnibus, & quo non poterat aliter ejus adventum portendere. Apoſtoli nondum prædicaverant numen illius, Evangeliſtæ nondum ejus ſcripſerant Evangelium, nondum ipſe illud Sanguine ſuo confirmaverat. Tamen in hac tanta caligine, & ſilencio, prima lux, quæ ad illum oſtendendum oborta eſt, fuit S. Joannes: prima vox, quæ prædicavit illum, fuit hic Propheta; hic primus extitit primus Apoſtolus, primus Evangeliſta, & primus Miniſter. Poſt præclara hæc officia, hodierna die prodit in lucem, palam ſecus Jordanem proſecuturus, quod ſecreto inceperat, adhuc infans, & in Parentis ſuæ alvo concluſus. *Biroat in Panegyricis Sanctorum. Tomo* 2.

Tria inſignia teſtimonia, quæ S. Joannes Baptiſta perhibuit, J. C. Magnalia prædicaturus.

Flamma ſecreta, & deſiderium, quo S. Joannes Baptiſta flagrabat annuntiandi CHRISTUM JESUM, Jordanem convertit in theatrum, ubi ſuo perfungitur munere; neque hoc dico ſolum, quia præparat vias illi venturo per eam, quam prædicat, pœnitentiam; ſed quia tria perhibet celeberrima illius dignitati teſtimonia. Primum fuit in aquis Fluminis hujus, cum baptizavit illum, quia ſpecimen præbuit illi ſubmiſſionis, atque obedientiæ. S. Petrus Chryſologus illum ea in occaſione *medium Trinitatis* appellat; Significans tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas illi adfuiſſe ſpectaculo: Patrem Æternum Filio perhibuiſſe teſtimonium inſigni ea voce dicentem, *hic eſt Filius meus dilectus;* Spiritum ſanctum Divinitatis ejuſdem teſtimonium præbuiſſe in Columbæ ſpeciem deſcendentem ſuper illum; Filius tantum, qui eſt ſecundi Trinitatis Perſona, & medius inter Patrem, & Spiritum ſanctum, ne verbum quidem profert ad gloriam ſuam; immo e contra occulit Divinitatem ſuam ſub peccatoris ſpecie. Sed S. Joannes quodammodo ſubit in locum ejus, ſilentio illius ſe opponit, ſe medium conſtituit inter Patrem, & Spiritum ſanctum, ut illi ſuum perhibeat teſtimonium, & prædicet illum Meſſiam eſſe, & univerſorum Reparatorem. Poterat ne fulgidius illi perhibere teſtimonium? Teſtimonium alterum S. Joannis illud fuit, quod ſolemniter protulit, cum de induſtria legatione ad ipſum a Scribis, & Phariſæis miſſa, illum ſciſcitati ſunt, utrum ipſe Meſſias eſſet? *Tu quis es?* tunc zelus, fervor, & humilitas in corde ipſius fœdus inire, ut ex ore ipſius hæc authentica manaret profeſſio; *Non ſum.* Non ſum Meſſias. Cæterum explicatio, quam edidit percontantibus, quis eſſet, in eo ſubſiſtit, ut fateretur, ſe dignum non eſſe, qui corrigiam ſolveret calceamentorum Meſſiæ, & ſe nonniſi *vocem* eſſe venturi Prophetæ. Et merito hoc ſibi vocis nomen vindicat, quandoquidem vocis officio fungitur. Vox aperit mentis cogitationes, evaneſcens. En quid agat S. Joannes in illa occaſione. JESUM tradit aliis cognoſcendum, ipſe evaneſcens, illius gloriam, & nomen, gloriæ nominiſque ſui auget detrimento; ſed tandem poſtquam hoc abſenti Domino perhibet teſtimonium, adjicit & tertium in ejus gloriam multo apertius, & ſignificantius eidem præſenti, cum illum monſtravit digito, & audientibus ſe dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* quaſi innuere vellet, en illum, de quo ſæpius vobis locutus ſum, quem Prophetæ veſtri prædixerunt, & quem tot ab hinc ſæculis præſtolamini. Heu! poterat ne in magis neceſſarium, ac ampliorem uſum linguam, manuſque ſuas adhibere? Nonne licet nobis duabus hiſce partibus applicare id, quod Propheta de Cœlis inquit, & quod Divus Chryſoſtomus de Apoſtolis interpretatus eſt: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Hoc os, hæ manus, Pſalm. 18. ſed hæ virtutes, hæc exempla Cœli ſunt animati, ac viventia ſydera, quæ ſecus Jordanis ripas JESU gloriam annuntiant, ſed illam quoque in aula, & carceribus Herodis ſunt enarratura. *Biroat in Panegyricis Sanctorum.*

Magnalia, quæ oſtendit Deus erga Filium ſuum.

Cum Scriptura ait Deum dare, ſæpe ſignificat, illum facere, ut donum, quod facit, eluceat, & fulgeat. Dat Dei Nomen JESU CHRISTO Filio ſuo reſuſcitans illum, quia per hoc fecit ut JESU CHRISTI divinitas eluceſceret. Quamobrem S. Paulus veritus non eſt explicare de Salvatoris reſurrectione illum Pſalmi locum: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te,* pro die, quo Deus illi dixerat Filius meus es tu, illum intelligens diem, quo ipſum reſuſcitans effecerat, ut pro Filio ſuo haberetur; *ut in Nomine JESU omne genu flectatur.* Flectere enim genu, ſignificat revereri; & hoc erat ſignum adorationis, quod Orientis Reges a ſubditis ſuis recipiebant, &c. *ut ſupra. Annus Chriſtianus Tomo* 6.

Act. 13. 33.
Pſalm. 2. 7.

Chriſtiani confitentur magnalia J. C. nomen illius proferentes.

Obſequium, quod Fideles adhibent Nomini JESU, ubi illud audiunt proferri, confeſſio eſt Magni hujus Nominis Dei, quod ille accepit a Patre, & *omnis lingua* hoc ipſum confitebitur aliquando, & enuntiabit, quod *JESUS CHRISTUS eſt Dominus noſter,* & eſt *in gloria Patris* gaudens, quatenus homo gloria, qua Pater ſuus remuneratus eſt labores, & paſſiones illius, & quatenus Deus, eamdem poſſidens gloriam, quam Pater ſuus, cum quo ab æterno unus eſt, idemque Deus. Eccleſia jubet etiam nos genu flectere, cum hæc ipſa profert Apoſtoli verba: & hæc cæremonia invitat nos ad excutiendum, utrum cordis noſtri ſenſus reſpondeat habitui corporis noſtri. Lingua quidem noſtra confitetur JESUM CHRISTUM eſſe in gloria Patris ſui, an vita noſtra hoc ipſum fatetur, nec ne? *Annus Chriſtianus ibidem Tomo* 6.

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE CONFIDENTIA, ET AMORE ERGA JESUM CHRISTUM.

Alius quilibet amor ſine amore Salvatoris vel qui ad illum non refertur, amor eſt profanus & inutilis.

MAXIMA, & quodammodo ſola hominis in Terra felicitas eſt JESUM CHISTUM cognoſcere, & amare. Alia quævis cognitio, alius quilibet amor ſine hoc inanis eſt, & ſæpe inutilis, ac pernicioſus. Æterga vita, dicebat Patri ſuo idem Salvator, eſt pro uno, veroque Deo cognoſcere Te, & quem miſiſti Filium tuum; *Hæc eſt vera vita, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti JESUM CHRISTUM:* Cum Dei Filius ſit fons noſtræ felicitatis: quantum intereſt noſtra illum diligere; hoc etiam dico, ſi noſtram duntaxat ſpectare velimus utilitatem? Ipſe una via eſt, quæ ducit in Cælum: ipſe eſt vitæ principium, quæ nunquam deſitura eſt. Ipſe veritas eſt, extra quam nonniſi error, illuſio, mendacium invenitur. Quanti ergo refert noſtra uni illi adhærere? Tandem aliquando intelligamus noſtra referri ſequi viam hane, extra quam error eſt, omnia ſunt devia, omnia ſunt avia, omnia adducunt in præceps unde nullus reditus patet. Qui non amat JESUM CHRISTUM, non habet vitæ principium; merum eſt phantaſma, mortuus eſt, duplicique morte perculſus; tum quia non amatur, cum quia non amat JESUM CHRITUM; *Qui non diligit manet in morte. Qui non amat Dominum JESUM CHRISTUM, anathema ſit.* Si rationes hujuſmodi nos flectere non poſſunt, duriores ſumus lapidibus, & magis abominabiles, quam ſepulcrorum putredo. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo ſecundo.*

Joann. 17.

1. Joann. 3. 1. Cor. 16.

Quotuſquiſque ea illu eſt, qui licet pietatem profiteatur, non tamen vere diligunt Salvatorem.

Si Salvator parum cognoſcitur hac practica cognitione, ad Salutem tantopere neceſſaria, ſummo cum dolore dicere poſſumus divinum hunc Salvatorem multo magis amari ab illis ipſis, qui eum cognoſcere profitentur. Hinc conjiciamus, quam modicum adſit devotionis ſolidæ, veræ, & exemplaris hominum plurimorum, eorum etiam, qui peculiariter ſemet illius cultui addiderunt. Inficias ire non poſſumus, adeſſe animas Sanctas, illi ſervientes in Spiritu, & veritate, eaſque nunquam deſuturas uſque ad finem ſæculorum, ut magna præbeant virtutum exempla, & pulcherrimum Eccleſiæ ornamentum conſtituant. Sed quantulus eſt horum fidelium Diſcipulorum numerus? Plurimæ ne inveniuntur id genus animæ puræ divino huic Magiſtro, ac Domino inhærentes per Sacratiſſimum vinculum; inceſſanter hoc igni ſuccenſæ, in quem ille venit, ut interris accenderet? Cognoſcere JESUM CHRISTUM, ſcire quouſque dilexit nos; quid ille fecerit, & paſſus fuerit, ut nobis aperta præberet ſui erga nos amoris monumenta, eique pro amore non rependera amorem, quodnam in natura portentum eſt! Hoc certe maximum eſt, teterrimum, atque conclamatiſſimum malorum omnium malum. *Pater Croiſet ibidem.*

Necquicquam gloriamur nos diligere Salvatorem, niſi hoc operibus oſtendimus.

JESUM CHRISTUM cognoſcere, & illum non amare, & non vitam, moreſque noſtros ſecundum Evangelii ſui placita componere; hoc eſt illum ignorare. Vera JESU CHRISTI cognitio per oculos fidei viventis ſeparari non poteſt ab illius amore. Ne ſterili cognitioni acquieſcamus. Excitemus fidem noſtram, & illum a nobis amari, oſtendamus operibus. Inceſſanter petamus ab illo divinum hunc amorem, & ſingulis diebus cum inſigni quodam Sancto pluries repetamus: *Amorem tuum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis.* JESUS CHRISTUS in Sanctiſſimo Sacramento Ipſe eſt hic ſacer ignis, qui ſuo amore omnes animas puras inflammat. Frequens ipſum inviſimus, & in ſingulas viſitationes ab illo amorem ejus petamus; Sanctiſſimamque illius Matrem obteſtemur, ut ipſa illum pro nobis depoſcat. *Idem ibidem.*

Deus vult omnes homines ſalvos fieri per merita mortis J. C.

Quemadmodum nihil aptius eſt ad animam in laxiori vitæ genere fovendam, ipſumque etiam morum licentiam alendam, hæretica illa cogitatione, ſinceram non eſſe JESU CHRISTO voluntatem omnes homines ſalvos faciendi, & JESUM CHRISTUM non pro omnibus mortuum eſſe; nihil e contra aptius eſt ad peccatorem convertendum, noſtramque nutriendam confidentiam hac fidei veritate, Deum ſincere velle, me Salvum fieri; JESUM CHRISTUM pro me quoque mortem ſubiiſſe, æque ac pro Sancto Petro, & ſi ego damnabor, damnationem meam futuram eſſe opus meum, & ſi reprobabor, hoc unice mihi acceptum referendum eſſe, eo quod memet ſanctificare noluero. Cum vobis erit de ſumma hac veritate perſuaſum, illam ſæpe meditemini; & quantumvis improba, & neſaria fuerit vita veſtra, vobiſmet ipſis dicite; ſed habeo theſauros infinitorum JESU CHRISTI meritorum, unde ſatisfacere valeam, ſi velim, juſtitiæ Dei. Quia alieno ære obrutus, illum renueret diſſolvere, ſi Princeps ad id illi ærarium ſuum aperiret? Maneat altius in corde impreſſa tibi hæc magna veritas; ſed cave ne eadem abutaris, in miſericordia hac JESU CHRISTI voluntate confidens, ut in ſcelere perſeveres; hoc enim eſſet cum majori nequitia velle damnari. *Idem Tomo primo.*

Supereminentes Filii Dei qualitates pleniſſimam in bonitate illius nobis immittere debent confidentiam.

JESUS CHRISTUS noſter Deus eſt; ille noſter eſt Redemptor, & Pater; quæ non ſuppetit nobis ratio in eo confidendi! Quatenus Deus eſt noſter, nihil eſt illi impoſſibile. Ejus divina Providentia infinite perſpicaa conſulit omnibus, omnia prævidet, omnibus providet, omnia ad noſtram Salutem diſponit. Nullus eſt caſus, quem ab æterno non præviderit, vel quem non permittat tamquam medium ad ſalutem noſtram procurandam, ſi voluerimus illum in bonum uſum convertere. Cum Salvatori nihil ſit ſalute noſtra antiquius, omnia moderatur per infinitam Sapientiam ſuam ad ſervorum ſuorum utilitatem. Proſpera, & adverſa fortuna, opes, paupertas, honores, contumeliæ, bona, malaque valetudo, omnia conferre poſſunt ſaluti amantium Deum. *Diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum.* JESUS CHRISTUS non ſolum Deus noſter eſt, eſt etiam Redemptor. Ipſe factus eſt homo propter amorem noſtri, & Redemptio noſtra præcipuum eſt opus illius. Quænam confert nobis jura ad miſericordias, & liberalitates ſuas per hunc Redemptoris, & Salvatoris titulum? Num aliis opus eſt rationibus, ut in nobis plena confidentia excitetur? Et Confidentia hæc ſatis non eſt, ut ab illo obtineamus, quidquid ab illo petierimus? *Credite*, idem Salvator ait, *quia accipietis.* Petite in nomine meo, & a Patre meo obtinebitis univerſa. *Idem.*

Rom. 8.

Non ſolum eſt Deus Redemptor, & Salvator noſter, ſed Pater etiam, & Paſtor.

Sed JESUS CHRISTUS non ſolum noſter eſt Deus, noſter Redemptor, atque Salvator; eſt etiam Paſtor noſter, & Pater. Nobiſcum reputemus omnia, quæ aſſumit nomina, omnes, quibus utitur comparationes, parabolas, miracula: nihil in tota ipſius mortali vita inveniemus, quod ſuum erga nos non oſtendat amorem; amorem, inquam, qui omnem fidem excedit. Ego ſum Paſtor bonus, inquit, & ſi qua ex ovibus meis deerraverit, voluptas, & gaudium, quo afficior illa inventa, abunde reparat laborem, quem in illius anxia perquiſitione ſuſtinui. Si Sanctus Petrus mergi timet, Dei Filius illi manum portendens, modicam tantum ejus fidem redarguit. Quæ bonitas, quæ caritas, quæ curam in eorum, qui ipſum ſequuntur, neceſſitatibus! *Miſereor ſuper Turbam*, triduo enim me non deſerunt; nihil habent, quod comedant, eos vero jejunos dimittere nolo. Sed ut eorum egeſtati conſuleret, quæ miracula operatus non eſt? Quid ſibi vult illa ſuavitas, lætitia, convivium, quo Pater familias Prodigum filium excepit? Nonne Filius Dei largiri nobis dignatus eſt imaginem ſuam, illam nobis amantiſſimi Patri hujus exhibens? Denique vita ejus pauper, labores, paſſiones, & mors ejus in Cruce, Sacramentorum Inſtitutio, & potiſſimum eximium illud ſuæ Caritatis miraculum adorabilis Euchariſtia, omnia nobis inſpirat integram in optimo hoc Patre confidentiam; omnia clamant contra modicam, quæ in nobis eſt, confidentiam, & caritatem erga illum. Fieri ne poteſt, ut poſt tot tantaque ſuæ in nos benevolentiæ teſtimonia, diffidamus adhuc? *Pater Croiſet.*

Dei Filius ſummopere diligēdus eſt ſeu propter infinita ejus beneficia, ſeu propter perſonæ ſuæ merita.

JESUS CHRISTUS non ſolum pro nobis mortuus eſt; eſt etiam Mediator noſter in Cælo, ex quo duplici capite hæc nobis eſt elicienda concluſio: Nihil ergo nos ſeparare decet ab ejus amore. Ullæ ne afferri poſſunt rationes æquiores, urgentiores, fortiores? ſive infinita illius beneficia ſpectentur, ſeu adorabilis illius perſona reſpiciatur. Nunquid

quid dubitabimus, an nobis pro illo moriendum ſit, qui pro nobis mortem ſubire non detrectavit? Utique Domine, dum tuæ Paſſionis recordor, dum crudeliſſimæ tuæ mortis memini, quam pro me pati dignatus es; ſatis animi, ac roboris mihi ineſſe confido, modo mihi gratia tua ferat opem, ad mala quælibet provocanda, utrum me ab amore tui valeant divellere. Da quoque vim triumphum referendi de voluptatibus, quæ magis quam ipſi cruciatus, ſunt pertimeſcendæ. Fidelis ſæpe ſe ipſum interrogare deberet, oum quidquid in mundo vel ſuaviſſimum eſt, vel teterrimum, valet me ſeparare a JESU CHRISTO? Si ſecreta duntaxat ſufficeret culpa ad inſignem mihi fortunam comparandam, nunquid fidelis permanerem? Quod ſuum illi tunc reſpondebit cor, ſatis oſtendet, utrum ipſe ſuum diligat Salvatorem. Heu, ſi ex corde ſermonem poſſemus elicere, quam metuendum eſſet, ne JESUS CHRISTUS admodum paucos fideles ſervos inveniret! Hiſne opus eſt experimentis ad dignoſcendam amoris noſtri imbecillitatem? ſimilis fabrefactis ignibus, quos leviſſimus flatus extinguit, vel floſculis teneris, mollibuſque, quos tenuis decoquit pruina, nihil tenuius eſt, nihil infirmius, quam amor noſter erga Salvatorem. Judicium feramus ex tepore noſtro, & modica reverentia, quam teſtamur illi etiam in loco Sancto, ex modica eidem placendi anxietate; & addamus, ex admirabili tranquillitate noſtra poſtquam in illum peccavimus, ex fallaci noſtra pace, quam etiam nobiſmet videmur merito vertere. En quid Chriſtianum avertit animum, & barbaris ipſis videtur incredibile. Dei Filius poſſidet unus qualitates omnes quæ corda noſtra allicere, ſibique conciliare poſſunt. JESUS CHRISTUS eſt Deus noſter, Redemptor, Rex, Mediator, Pater. Non latet, quid fecerit pro nobis; nunquid nondum ſatis operatus eſt? Heu! plura fecit, ut nos ad ipſum amandum cogeret, quam ipſi credere valeamus. Sed intelligo, unde hoc factum. Cor noſtrum ita corruptum eſt, ut beneficium nimis magnum potius odium pariat quam grati animi ſenſum; & omni ſpe abjecta, futurum ut ſatis digne infinitæ Salvatoris noſtri largitati reſpondeamus, credimus nobis iiſdem minime reſpondendum eſſe. Sed adorabilis iſte Salvator, nunquid factus eſt minus amabilis, quia nos nimis amavit! *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Salvatoris Qualitates merentur, ut in eo confidamus.

Infinita eſt JESU CHRISTI poteſtas; bonitas ejus nullis finibus coarctatur. Quod illi non eſt de nobis bene merendi, noſque beatos efficiendi deſiderium! Ipſe ſe ad peccatores ſalvos faciendos veniſſe profitetur. Nullus unquam ſuavior fuit Dominus: ubi vero melior Pater? diceres eſſe ſatis, miſerum eſſe, ut gratiæ ipſius particeps fias. Nunquid nimio pondere prægravati eſtis, dicit nobis, venite ad me, & ego vos reficiam.

J. C. comparatur Paſtori amiſſam ovem quærenti. Parabola Filii Prodigi.

Bone Deus, quam ſuaves invitationes! Sed quid ſignificat ea Paſtoris Parabola relinquentis oves nonaginta novem, ut illam, quæ deerravit, inquirat, eamque ſuis humeris deferentis, ne iter agendo fatigetur? Quid illa Prodigi filii, cui Pater in oſcula obvius occurrit, & quin in illum ſeverius animadvertat, ſtatim in ſua jura reſtituit, eique inſtruit convivium? *Pater Croiſet ibidem.*

Indulgentia J. C. in Adulteram, Apoſtolos, & Diſcipulos.

Qua ille uſus eſt indulgentia in Adulteram? Qua bonitate in Diſcipulum, cui fides defuerat? Thomas non vis credere, niſi digitum inferas in vulnus lateris mei; infer & manum. Peramanter conqueritur cum Diſcipulis ſuis, eo quod nihil ab ipſo petant; quaſi nullo haberet in diſcrimine beneficia omnia, quibus illos cumulat. Quanam liberalitate conſulit ſequentium ſe neceſſitati? Quot in eorum gratiam operatur miracula; & erga omnes, quænam illius ſuavitas eſt, affabilitas, comitas! O Salvator mi! ego vero novis indigeam argumentis, ut in té uno confidam? Sed cum hac tanta fiducia quomodo in peccatis perſiſtere poſſum, & te adeo parum diligere? *Idem.*

Quid nos excitare debeat, ut in J. C. confidamus.

Nullum non lapidem movit JESUS CHRISTUS ad ciendam ſpem noſtram, atque fidem confirmandam. Vitæ ſuæ Myſteria; paſſionum ejus multitudo, mortis circumſtantiæ, omnia nobis eſſe debent confidentiæ cauſſa. Vult etiam, ut virtus hæc, quæ tantam gignit conſolationem, ſit una ex præcipuis precum noſtrarum qualitatibus, & veluti neceſſaria conditio, ſine qua votis damnari non poſſumus. Numerus etiam, ut ita dicam, & noſtrorum peccatorum nequitia ingredi poſſunt in confidentiæ noſtræ œconomiam, & argumentum: *Propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.* Quæ autem nobis confidentiæ cauſſa realis JESU CHRISTI præſentia in Euchariſtia? Redemptionis opus conſummatum eſt; ſed amor illius non eſt exhauſtus. Deliciæ illius ſunt eſſe nobiſcum; nos vero alias inquiremus rationes, ut in illo omnem confidentiam noſtram conſtituamus? *Idem.*

Pſalm 24.

Quam parum ametur J. C. ab illis etiam, qui cognoſcunt illum.

Nunquid ardenti JESU CHRISTI amore flagramus? Amor noſter reſpondet ne conceptui, qui a nobis habendus eſt de præſtantia, & Majeſtate Salvatoris? Amor noſter par ne eſt illius in nobis beneficiis? par amori, quo nos ille complectitur? Reſpondet ne ſpiritui noſtræ Religionis? & ſi ratio tantum conſulatur, noſtra erga JESUM CHRISTUM dilectio reſpondet ne beneficiis, quæ contulit nobis, & confert in ſingulos dies, illis, quæ ab illo expectamus, tum pro hac vita, cum pro æternitate; illis, quæ ab illo in ſingulas horas recipimus. JESUM CHRISTUM cognoſcere, & credere illum aſſidue nobiſcum eſſe in Altaribus noſtris; & eam non habere ſollicitudinem, qua principibus viris opellam noſtram præſtare contendimus, a quibus aliquid expectamus; & jugiter non cogitare de objecto, quo ſemper occupari deberemus, & non inquirere occaſiones omnes placendi illi, quem penes eſt æternæ noſtræ felicitatis arbitrium! Hoc iniquitatis Myſterium eſt, quod nequit intelligi, ſed quod ſatis ſuperque quotidie nobis oſtendit experientia. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Exempla, ubi, qua Sancti J. C. profecuti ſunt.

Cum JESUS CHRISTUS diligitur, omnia, quæ ab eodem manant, guſtantur; cordi ſunt ejus placita; quam vero impreſſionem in anima illius pariunt exempla! Conſulamus ſenſus, vitamque Sanctorum. JESUM CHRISTUM dilexerunt: quanam fide, ac ſedulitate ſeſe divino huic prototypo conformare ſtuduerunt? Quinam amoris eorum impetus in hunc amabilem Salvatorem extiterunt? quænam in cultu illi adhibendo diligentia? quinam horror earum rerum, quas ille abominatus eſt? quod humiliationum, ac paſſionum deſiderium? Hæc ſunt argumenta amoris, & caritatis, qua JESUS CHRISTUS diligitur. *Idem Tomo primo.*

Quam parum cognoſcitur, & amatur J. C.

Parum JESUM CHRISTUM amamus, quia parum illum cognoſcimus. Infirmam, nutantem, ſemianimemque fidem habemus; poſſumus ne JESUM CHRISTUM ardenter diligere? Non ignoramus, quid ille ſit, ſcimus quid poſſit, non obliviſcimur eorum, quæ pro nobis operatus eſt; cognoſcimus, quæ facere poteſt; ſed haſce cognitiones imperfectas eſſe opus eſt, quandoquidem adeo leves grati animi ſenſus producunt. *Ex eodem libro.*

Perfecta confidentia fons eſt bonorum omnium, quæ a Dei bonitate ſperare valeamus.

Mirum eſt nos in JESU CHRISTO nequaquam confidere, quandoquidem confidentia hæc fons eſt ſuaviſſimæ tranquillitatis, ac profundiſſimæ pacis, qua in terris perfrui valeamus, & inſigniorum beneficiorum quæ ab illo ſperare poſſumus nos conſecuturos! Si in eo non confidimus, hoc argumento eſt, nobis erga ipſum deficere liberalitatem. Nonniſi ægre, dimidiate, & ſerius quam fieri poteſt, damus illi, quod petit a nobis; aliquid ſemper illi negamus, & conſcientia noſtra, quæ nobis allentari non poteſt, nobis noſtram exprobrans ignaviam, infirmat quodammodo confidentiam noſtram, & efficit, ut nonniſi cum timore, ac tremore petamus, atque ſperemus. Sæpe cum Eccleſia Sancta ingeminemus illud: *in te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Peramanter confugiamus ad divinum hunc Salvatorem in omnibus vitæ noſtræ caſibus; in omnibus pietatis exercitationibus effundamus corda noſtra coram hoc amabili Salvatore; nihil illi ſuavius eſt, nihil acceptius confidentia noſtra. Dicamus illi cum homine Evangelico: Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam: fac, ut ſpes mea in te in dies ſingulos augeatur, & magis inconcuſſa fiat; fac ut magis magiſque augeatur in dies; fac ut quotidie in ſancta tua dilectione proficiat. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Cum humanum cor nullo terræ hujus bono repleri poſſit, Salvator ad illud explendum ſe ipſum tradidit illi.

Quæcumque bona Salvator homini contuliſſet, quibuſcumque muneribus illum cumulaſſet, hæc nequaquam explere potuiſſent vel propenſionem, quam habet Deus ſe in infinitum communicandi, vel hominis capacitatem, qua ſemper majora ſtudet recipere; ideoque cor vacuum inveniebatur in tanta affluentia, & cum quodam Sancto Patre exclamabat: Quæcumque mihi largiaris, niſi temet ipſum largitus mihi fueris, nunquam voti compos ero. Oportuit ergo, ut divinus hic Salvator poſtquam ſua illi omnia donaſſet, ſe quoque totum eidem impenderet: *Non jam ſua, ſed ſe ipſum nobis impendit.* Hoc ille operatus eſt Euchariſtiæ Sacramentum inſtituens, ubi ſe totum dedit, videlicet Corpus ſuum, Sanguinem, animam, divinitatem, omnia ſua merita, idque modo perfectiſſimo. Poſt tot, tantaque infinitæ Filii Dei bonitatis erga homines argumenta, quomodo fieri poteſt, ut non ametur, nec illi pro amore amor rependatur? Nunquid inveniri poteſt anima ita omni bono ſenſu deſtituta, quæ poſt adeo liberalem tot bonorum a JESU CHRISTO receptorum profuſionem, tandem in eo prorſus, penituſque nequeat confidere? *Societas ad Domini noſtri amorem efflagitandum.*

S. Bernard.

J. C. in hac vita tantum amare debemus, quantum poſſumus, ut

Filius Dei non amatur, niſi cognoſcitur, & opus eſt ut ille ſe nobis aperiat, ut eum diligamus. Verum ſi illum dilexerimus ſecundum gradum luminis, & cognitionis, quem habemus de illo; ille

ſummopere illum in Cælo diligamus.

multo magis ſe nobis tradet cognoſcendum; ut illum adhuc majori dilectione complectamur, donec perveniamus ad illum beatitudinis ſtatum, ubi palam cognoſcemus illum, eumque perfectiſſime diligemus. Hæc, paucis, tota eſt noſtræ ſalutis œconomia. Deum per fidem cognoſcimus, illum amamus, mandata ejus ſervamus; ille amorem noſtrum novis luminibus remuneratur. Noſtra creſcit cognitio, & quo magis illum cognoſcimus, eo ferventior amor noſter evadit. Ardentius illum amantes, conſtantius illi obtemperamus; bonus uſus gratiarum receptarum, novas nobis gratias promeretur. Quotidie proficimus; & poſtquam in terris omne vitæ noſtræ curriculum in Deo magis cognoſcendo, magiſque amando impendimus, in hujus cognitionis, amoriſque perfectione in Cælis noſtram naniſcimur perfectionem. *Recens Auctor.*

Novum Salvatoris Teſtamentum a Spiritu ſancto dictatum fuit, ut ad illius amorem impelleremur.

Cum JESUS CHRISTUS unicum illud objectum ſit, in quo Pater Æternus ſibi complacet ab æterno, in eodem nos quoque nobis complacere debemus. Pater ſuus illum non miſit in Mundum, niſi ut ab hominibus amaretur; neque in novo Teſtamento locutus eſt, niſi ut illis amorem hunc commendaret. Non placent illi Deo, niſi quatenus ad JESUM CHRISTUM referuntur; neque amat illos, niſi quatenus hujus amatores. Denique non prædeſtinat illos ad beatam æternitatem, niſi quatenus habent quamdam cum eodem conformitatem. Ipſe etiam Dei Filius in Mundum non venit, niſi ut homines ad hunc amorem induceret. Omnes illius cogitationes, omnia deſideria, actiones, & paſſiones omnes tamquam præcipuum finem ſuum amorem hunc habuerunt. Profitetur, ſe in terras ideo veniſſe, ut in omnium mortalium cordibus hunc divini amoris ſui ignem accenderet, & in terris nihil ſibi eſſe poſſe optabilius. *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi ut accendatur?* Spiritus ſanctus non alium habuit ſcopum in omnibus operibus, quæ in animabus noſtris produxit, niſi ut ipſi cognoſceremus, amaremus, & Mundi Salvatorem imitaremur. Hoc ipſum nobis teſtatur JESUS CHRISTUS, cum inquit in Evangelio, non extremam ex cauſſis adventus Spiritus ſancti hanc futuram, ut videlicet hominibus perhibeat teſtimonium, & imprimat in mente quidem eorum illius cognitionem, in corde autem amorem: *Cum venerit Paracletus, ille teſtimonium perhibebit de me.* Denique Chriſtiani non ſumus, niſi quatenus JESU CHRISTO adhæremus; & perfecte non adhæremus illi, niſi per amorem, quo diligimus illum, & per conformitatem perfectam cordis, & ſpiritus cum illo, quam certiſſime hic amor operatur. Igitur Chriſtiani non ſumus, niſi ad hoc, & per hoc. Igitur amor JESU CHRISTI unicum eſſe deberet objectum deſideriorum noſtrorum, ſcopus omnium cogitationum, præcipuum vitæ noſtræ officium, terminus omnium curarum noſtrarum, & ſollicitudinum. Peccatores ad id contendere poſſunt, imperfecti ad id jugiter anhelare debent, perfecti vero inceſſanter in hoc debent verſari. *Societas ad petendum amorem JESU CHRISTI.*

Luc. 12.

Joann. 15.

Præcipuum, & maxime neceſſarium Chriſtiani hominis officium eſt J. C. amare.

Quanam in re occupamur, niſi contendimus cognoſcere, colere, diligere, & imitari JESUM CHRISTUM. Hæc præcipua eſſe debet cura noſtra potiſſima; vel potius unica Chriſtiani devotio. Optimæ quidem ſunt aliæ quævis devotiones, fiteor; ſed bonæ ſunt quatenus ad hanc referuntur, ex qua omne hauriunt meritum, atque virtutem. Hæc ſolida eſt, atque eſſentialis Chriſtianiſmi devotio; hæc nos & veros, & perfectos efficit Chriſtianos. Devotiones aliæ ut plurimum ſunt operis ſupererogationis, hæc eſt neceſſitatis: hæc nos ſolatur, & opem adfert, ut iis, quibus gravati ſumus, facile perfungamur. Aliæ ſunt media, hæc finis eſt. Aliæ opitulantur, ut ad perfectionem contendamus; hæc perficit, atque conſummat. In hoc verſari deberet zelus Prædicatorum; hoc vulgatiſſimum eſſe deberet Sermonum ſuorum argumentum. Hæc potiſſima eſſe deberet eorum cura, qui Dei Filium diligere profitentur. Hic præcipuus eſſe debet directorum ſcopus, qui cum S. Paulo in id incumbere debent, ut forment in animabus CHRISTUM JESUM; quoniam hæc tritiſſima, breviſſima, faciliſſima via eſt animas ad ſublimem perfectionis apicem brevi perducendi. *Ibidem.*

Dubitandum non eſt de ſinceritate voluntatis J. C. ſalvos faciendi omnes homines; & quare?

Nunquid invenietur adeo nequam ſpiritus, qui audeat ambigere de ſinceritate divinæ voluntatis, de omnibus hominibus ſalvis faciendis? Qui enim habendus eſſet conceptus bonitatis, & juſtitiæ Dei noſtri ſi ille adeo acriter, valide, ac pathetice hortaretur homines ad converſionem, quos ſciret ſe ab æterno reprobaviſſe? Quæ juſtitia ignibus æternis damnare homines, eo quod ſuis mandatis non obtemperaverint, quibus ipſe dare noluerit gratias vere ſufficientes? cuinam damnato jus non eſſet conquerendi, dicendique Deo in omnem æternitatem: Ita Domine; ſcelera, quæ patravi, ea merentur ſupplicia, quibus me adjudicaſti: ſed poteram ne vere hæc evitare crimina ſine ope gratiæ tuæ, quam mihi negare voluiſti, cum interim illam large, effuſeque donares illis, qui nihilo meliores erant me, & qui illam meriti non fuerant? Si mihi eadem tribuiſſes ſubſidia, gratias eaſdem, eamdem ego quoque fidelitatem habuiſſem. Si tibi non placuiſſet mori pro me, quomodo poſſem ego de captivitate mea emergere nemine redemptionis meæ pretium perſolvente? Si non fuiſſes mortuus pro Juda, quomodo potuiſſet ille eſſe æque fidelis, & pœnitens, ac S. Petrus? Diffidi de miſericordia tua, verum eſt, ſed poteram ne in eadem confidere, neſciens, utrum pro me mortem ſubjiſſes; dubitans etiam utrum ex vitæ libro expunxiſſes me, & utrum ab æterno voluiſſes me in maſſa reproborum relinquere? Non deerat mihi orandi, deprecandique gratia, id quoque verum eſt; ſed quid hujuſmodi mihi proderat gratia? quam ſpem, quam confidentiam habere poteram in miſericordia tua, ſi ab æterno me inter reprobos amandaviſſes? Aſſequiminor impietatem, nequitiam, horrentia mala, quæ proficiſcerentur ex dogmate adeo pernicioſo, ex hæreſi adeo abominabili, quæ docent, non eſſe Deo ſinceram voluntatem nos ſalvos faciendi, & JESUM CHRISTUM generatim mortuum non eſſe pro omnibus, hoc uno errore omnem Religionem evertit, Sacramentorum uſum proſcribit, extinguit fidem, & caritatem, ſpem omnem ſubvertit; & ingerens odium bonorum operum, pœnitentiæ, & praxis omnium virtutum magnum aperit campum licentiæ. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 5.*

J. C. mortuus eſt pro omnibus, illis uſus eſt mediis ad eos ſalvandos, noſtrum ſingulis applicant merita mortis ſuæ. Joann. 10.

Eximiæ quidem conſolationis eſt, ſibi perſuaſiſſe, JESUM CHRISTUM velle omnes homines ſalvos fieri; hunc fidei articulum eſſe, JESUM CHRISTUM mortuum eſſe pro omnibus, & Sanguinem ſuum effudiſſe, *ut vitam habeant*, Salvator ait ſuas oves allocutus, *& abundantius habeant*. Veritas conſolationis pleniſſima; ſed ſimul veritas, quæ maximum adfert mœrorem, & ad deſperationem etiam adducit eos omnes, qui ita miſeri fuerint, ut damnentur. Volebat JESUS CHRISTUS me ſalvum facere; ſincera illi erat voluntas, mihi omnia ſuppeditabat adminicula, & ego perii, quia mihi illis uti non placuit. Salus mea erat pretium, & fructus mortis ſuæ; & reprobatio mea opus meum eſt. Volebat me ſalvum facere JESUS CHRISTUS, ego vero me ipſum damnavi, quia fructum mortis ejuſdem recipere nolui. Cognoſcite, ſi fieri poteſt, hujus pœnitentiæ amaritudinem. Perſolutum fuit pro captivi alicujus redemptione pretium; ſed captivus hic captus amore ejus Cæli, ſub quo vivit, faſcinatus miſera vivendi licentia, quæ gaudet apud Infideles, abnuit navim conſcendere reverſurus in Patriam: ſi calamitoſus hic in ſua moritur captivitate, ſi apud Turcas tumulatur, cuinam debet ſuccenſere? Nonne oblata illi fuerat facultas emergendi ex ſervitute, & triſtem mancipii conditionem excutiendi? Qui in Dei odio vivunt, & moriuntur ſervi peccati, ſunt ne magis venia digni? nunquid pauciora habuere ſubſidia, ut cum Deo in gratiam reverterentur, & poſt obitum ſuum in Patria Cæleſta reciperentur? Non ſatis eſt JESU CHRISTO per ea omnia, quæ pro ſalute noſtra operatus eſt, probaſſe, quanta ſinceritate nos ſalvos facere velit; nemo eſt qui in vita ſua ſingularia, & apertiſſima non habuerit divinæ in ſe miſericordiæ argumenta? Nullus peccator adeo parum Chriſtianus, qui boni Paſtoris vocem non audiverit, in ſepta ovem aberrantem vocantis. Sermones, lectiones, converſationes, funeſti caſus, inopinata mala; omnia divino Salvatori ſunt adminicula ad revocandum, ad permovendum prodigum Filium, eumque excitandum, ut in Paternam domum revertatur, ita ut ſi ignavi, ingratique Chriſtiani damnantur, uni ſibi valeant ſuccenſere. Tantum hoc malum averte a me, Domine, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum. Confidentiæ plenus ſpero in miſericordia tua, me non diutius bonitate tua eſſe abuſurum. Tu vere vis ſalvum me facere; ego quoque ſincere id cupio; voluntas hæc mea efficax erit per gratiam tuam, cui ulterius nolo reſiſtere. *Idem.*

Ad teſtandum amorem noſtrū erga J. C. non requiruntur verba, ſed facta.

Si Salvator ſingulis noſtrum diceret, quod olim S. Petro: *Petre amas me?* Ita fortaſſe cæci, & audaces eſſemus, ut reſponderemus æque ac ille: *Tu ſcis Domine, quia amo te:* ſed cor noſtrum ſecretis exprobrationibus ſuis non ne verba noſtra falſi crimine redargueret? Etenim ſi Dei Filium amaremus, adeone parum de illo cogitaremus? adeo parum de illo eſſemus ſolliciti? Adeo parum metueremus illi diſplicere; adeo modicum ineſſet nobis ei placendi deſiderium? adeo levis eſſet nobis zelus gloriæ ipſius? adeo parum afficeremur contumeliis, quibus in ſingulos dies afficitur? Ita ne nullo haberemus in diſcrimine ejus perquiſitiones; ita infideles eſſemus jugibus gratiis, ita ejus beneficiis ingrati, ita dogmatum illius contemptores, ac lenti, ac oſcitantes exemplorum ejus imitatores? Ita ne horreremus ea, quæ ille unice æſtimavit, amavit, amplexus eſt, videlicet humiliationes, atque paſſiones; quamvis liqueat, nos nonniſi per illas fieri poſſe ſimiles illi, placere illi, amorem noſtrum quidem teſtari, ſuum vero promereri. *Societas &c.*

Quin

a unico Redemptionis beneficio recepta argumenta amandi Filium Dei.

Quin hoc in loco verba faciamus de omnibus JESU CHRISTI beneficiis erga nos, quæ quidem infinita ſunt, attentius unicum illud redemptionis noſtræ inſpiciamus, quod ceterorum præcipuum eſt, & quod unum plura complectitur. Cum Dei Filius ſe obtuliſſet Patri, ut noſter eſſet Redemptor, a primo ad extremum vitæ ſuæ ſpiritum de nobis ſollicitus fuit, non egit, non oravit, non paſſus eſt, non laboravit, non vixit niſi pro nobis. Non pedem protulit, non verbum, ne unum quidem miraculum operatus eſt, nullum emiſit ſuſpirium, nullam lacrymulam, nullam effudit Sanguinis guttam, niſi pro nobis; ita ut Domini beneficia numerare poſſimus ex motibus cordis, vel ſpiritus ejus, quorum ipſi fuimus vel objectum, vel finis, & ex omnibus momentis vitæ ſuæ, quorum ne unum quidem eſt, quod non fuerit nobis impenſum. Quot igitur nobis adſunt amandi Salvatorem noſtrum argumenta in ſola cogitatione eorum, quæ pro nobis eſt operatus ab ipſo ſuæ incarnationis momento ſecundum illud, quod ſibi propoſuerat conſilium ad nos redimendos vitam ſuam impendendi. *Ex eodem libro.*

Salvator a nobis amore infinito diligendus eſſet, ſi fieri poſſet, propter infinita ejus in nos beneficia.

Licet Salvator unicum duntaxat emiſiſſet ſuſpirium, unicam effudiſſet lacrymam, unicum eliciuſſet cordis ſui pro nobis motum, quandoquidem ne unus quidem ex his motibus eſſet, qui infinita non haberet merita, profectus a perſona infinita; nos infinitis erga ipſum teneremur officiis. Quid igitur dicendum, quid cogitandum videntibus, illum ne unum quidem edidiſſe motum, qui pro nobis impenſus non fuerit: nos infinitis devinctos eſſe gratiis, ideoque infinitas nobis eſſe illius amandi rationes infinite, ſi id per nos fieri liceret. Salvatori debemus gratiam, & amicitiam Patris ſui, qualitatem Filiorum Dei, hæredum æternæ felicitatis. Illi omnia accepta referre debemus bona, quibus adhuc quotidie cumulamur. Si Deus nos tuetur, ſi protegit, ſi nobiſcum concurrit, ut in virtute proficiamus, & æternam beatitatem conſequamur, id in JESU CHRISTI gratiam contingit. Ab illo recipimus omnes gratias, lumina, afflatus, bonas cogitationes, bonos motus, fidelitatem illius in beneficiis, protectionem in periculis, virtutem in tentationibus, conſtantiam in paſſionibus, patientiam in adverſis, in bono perſeverantiam. *In omnibus*, Apoſtolus inquit, *facti eſtis divites in CHRISTO. Ibidem.*

1. ad Cor. 1

Deus nobis eſt diligendus, quia diligit nos. 1 Joann. 4.

Amorem non niſi amore poſſumus mereri, vel rependere. JESUS CHRISTUS amavit nos, quomodo poſſumus illum non amare? *Diligamus Deum*, S. Joannes ait, *quoniam Deus prior dilexit nos*; ſed quomodo nos dilexit? Modus amandi, S. Bernardus inquit, eſt diligere ſine modo; hic modus eſt, quem JESUS CHRISTUS in ſuo erga nos amore ſervavit. Non ne hoc eſt nos dilexiſſe ſine modo, nos magis dilexiſſe quam noſmet ipſos diligamus, ideoque eo uſque quo amor proprius non procedit? Nos amavit magis quam omnes ſimul beati diligant Deum; eorum quippe finitus eſt amor; amor autem JESU CHRISTI eſt infinitus. Nos magis amavit, quam bona ſua, quam gloriam, quam vitam ſuam, quandoquidem has nobis ſacrificavit. *Sic dilexit.* Non ne hoc eſt diligere ſine modo? Quamvis JESUS CHRISTUS non eſſet ita amabilis uti eſt, tanta pro nobis neque operatus, neque paſſus fuiſſet; ex quo nos amat, & ad exceſſum amat, poſſumus ne non amare illum nos, qui hominem licet abjectum amamus, cum ab illo diligimur? JESUS CHRISTUS nihil ſe nimis nobis conferre putat ſuum nobis licet infinitum amorem impendens, nos vero noſtrum, qui adeo anguſtus eſt, partiemur? Si nequeo amare te Salvatorem meum, quantum mereris, ſaltem tantum te amare volo, quantum valeo, hic modus eſt, quem in te diligendo ſervare volo, alioquin te non diligam, quantum debeo. *Chriſtiana Conſiderationes. Tomo 3.*

Joann 3.

J C non ex meritis, ſed ſua bonitate dilexit.

JESUS amavit nos, ſine ullis meritis noſtris, omnes nos amandi rationes ex ſemet, & ex ſua bonitate deſumens; perſonas amamus, quia nobis amore dignæ videntur. JESUS nos amans amabiles fecit, ubi nihil invenit in nobis, quod poſſet amare. Etenim vel reſpexit nos in naturæ nihilo, & id quod non eſt, amari non poteſt, vel reſpexit nos in nihilo gratiæ, hoc eſt in peccato originali, vel actuali, in quo impliciti eramus; quo in ſtatu tantum aberat, ut eſſemus amabiles, ut potius illi odii, & horroris eſſemus objecta; & nihilominus in hoc ſtatu nos amavit, & quodammodo amabiles præbuit; quoniam ſui amoris effectus fuit nos redimere per Sanguinem ſuum, nobis noſtrorum peccatorum veniam conſequi, & nos per gratiam ſuam juſtos efficere. Heu! Salvator mi; tunc me dilexiſti, cum nulla tibi eſſet cauſſa diligendi me, immo cum omnis tibi cauſſa ſuppeteret odio me perſequendi; ego vero plurimas habens cauſſas diligendi te ſummopere amabilem, non amem te, non toto pectore diligendum te putem? Si poſt hæc nondum es mei amoris objectum, mereor profecto, non abnuo, me eſſe objectum odii tui. Quam horribile, ſed quam juſtum ſupplicium! *Idem.*

J C dilexit nos ſperans ſe a nobis fructum aliquem eſſe percepturum.

JESUS dilexit nos non ſolum ſine ulla cauſſa ex parte noſtra, verum etiam ſine ulla fructus ſpe ex parte ſua. Quid enim Domine, intereſt tua a me diligi? Si enim non amavero te, non ne omnis mihi impendebit calamitas? Tu vero non ideo minus magnus eris, minuſque felix? Tu enim ſufficis tibi; quid autem tibi ad gloriam, & felicitatem conferre poteſt humilis creaturæ dilectio, qualis ego ſum? Quid, Domine, dilexiſti me, cum nihil tibi amor meus prodeſſe poſſet, ego vero non amabo te, quem ad tui amorem fructuum omnium maximus impellit? Si enim non te diligo, quid ſum, niſi reprobatus! Sed dicere ne potes, anima mea, te diligere Salvatorem tuum? Et ſi ille quæreret ex te, non ſecus ac ex Petro, utrum diligas illum, poſſes ne æque vere ac ille, reddere, a te illum amari? quod ſi reſponderes, non ne modicus timor tuus illi diſplicendi; modicus illi placendi ardor, modicus zelus gloriæ ſuæ, modicus eidem inſerviendi zelus, tuum erga ejus beneficia ingrati animi vitium, tua erga gratias illius infidelitas, tuus perquiſitionum ejus contemptus, tua dogmatum illius negligentia, tua ab ejuſdem exemplis fuga te mendacii reum redarguerent? *Idem.*

J. C a nobis amandus eſt, quia amabilis eſt.

Quidquid pulcrum eſt, quidquid perfectum eſt, ſuapte natura amabile eſt, & quidquid infinite pulcrum & infinite perfectum eſt, conſequenter infinite, & neceſſario eſt amabile. Hinc fit, ut Beati, qui palam vident pulcritudinem, & perfectiones Dei, ita neceſſario diligant illum, ut in eorum poteſtate non ſit illum non amare, & infinite illum amarent, ſi amoris infiniti capaces eſſent. Nonne igitur nobis beata eſſet neceſſitas amare te, Salvator, ſi crebro meditaremur, ſi perfecte cognoſceremus perfectiones tuas, quoniam in te complecteris perfectiones omnes creatas, & increatas, humanas, & divinas, ſpirituales, & materiales, abſolutas, & relatas, ideoque quidquid ſpiritui noſtro ſatisfacere poteſt, quidquid cor noſtrum captivare poteſt, quidquid noſtras allicere poteſt cupiditates, quidquid ſenſus noſtros poteſt palpare, & mox quidquid amorem noſtrum poteſt promereri; nonne igitur quædam prodigii ſpecies eſt, ſi non diligimus, ſi contra tot amandi illum rationes adhuc reſiſtimus. *Idem.*

Opus eſt, ut noſter erga J. C. amor ejuſdem in nos amori reſpondeat. Joann. 15.

Manete in dilectione mea. Non levem, inconſtantem, perfunctorium, fluxumque amorem debemus rependere amori infinito, quo nos amat JESUS CHRISTUS. Vult ille, ut amor noſter reſpondeat ſuo, ideoque vult, ut ſit ſolidus, firmus, & perſeverans; ſed meminerimus unicam viam ſcribendi felices hos characteres amori noſtro erga Dominum, eſſe fideliter illius ſervare mandata. Non ne ipſe nobis probat conſtantiam amoris ſui erga Patrem propria fidelitate, qua omnes illius voluntates adimplet? Veritas ineffabilis, & quæ argumentum erit admirationum noſtrarum in omnem æternitatem. Amor, quo Dei Filius Patrem ſuum complectitur ratio eſt, menſura, & regula amoris, quo diligit homines. Non ne igitur æquum eſt, hanc eſſe rationem, menſuram, & regulam amoris, quo illum diligamus? O JESU digne, quem omnia diligant corda; tibi cor meum devovet in omne tempus, omnemque æternitatem: Ne patiaris, ut impoſterum vel unum abeat momentum, quo te non eo proſequar amore, cujus ſum capax. Sed quoniam mei amoris conſtantia pendet a fidelitate obedientiæ meæ, adeo ſolide fige me in praxi divinorum mandatorum tuorum, ut nunquam poſſim a te ſeparari. *Ex libro cui titulus: Moralis novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tomo 2.*

Quid nobis ſciendum ſit, ut cognoſcamus J.C potentiam

Ad rite cognoſcendam JESU CHRISTI potentiam, ecce quid nobis ſciendum ſit. Nobis prorſus perſuaſum eſſe debet, ipſum robur eſſe noſtrum. Confidendum nobis non eſt neque in nobiſmet ipſis, neque in divitiis, neque in dignitatibus, neque in aliqua creatura: omnis noſtra ſpes eſſe debet in JESU CHRISTO, quia ſumus infirmi, & unus ille nos viribus valentes poteſt efficere. Hoc dicitur, cognoſcere Salvatoris Mundi potentiam; hoc vocatur, habere fidem. Animæ Chriſtianæ, vultis ad JESUM CHRISTUM venire iis diſpoſitionibus, quæ illi ſint acceptæ? Vultis illi placere; vultis, ut quin aliquid exprobret vobis, benigne vos excipiat, immo etiam libenter, & cum oblectatione? De vobiſmet diffidite; Sapiens enim monet nos: noli confidere in prudentia tua, noli ſapiens eſſe in oculis tuis. Qui in ſuis confidit cogitationibus, agit impie; qui confidit in corde ſuo, eſt inſipiens. *Lambert in Anno Evangelico Tomo 4.*

De nobiſmet ipſis diffidendum eſt.

De nobis diffidere debemus. Hæc diffidentia æquiſſima eſt, & rationabilis. Qui non diffidunt, neſciunt, quid ſint, & ſemet ipſos ignorant. Quidnam eſt homo, ut confidat in ſe, ut de ſe præſumat, ut propriæ virtuti innitatur? David Propheta nunquid nos fallit, cum aſſerit nos pauperes eſſe, & egenos? Cur pauperes, cur egenos? Quia nihil habemus ex nobis. Qui igitur in ſemet ipſo confidit, fallitur, quia ſuam non agnoſcit paupertatem. Quod in Apocalypſi narratur, oſtendit maximum, & craſſiſſimum errorem eſſe, cre-

ſe, credere ſe locupletem, bonis cumulatum, nullius rei indigentem. Cur hoc? quia homo vere *miſer* eſt, *pauper*, *cæcus*, & nudus Homo eſt miſer; quæ enim gravior miſeria, quam nihil habere in ſe, quod non tendat ad nos miſeros efficiendos? Homo eſt pauper, quæ enim major paupertas, quam nihil boni poſſidere? Homo cæcus eſt; quæ enim major eſt cæcitas, quam non cognoſcere, quid nobis proſit? Homo nudus eſt; quæ enim nuditas major, quam eſſe omnino ſpoliatum? *Lambert in Anno Evangelica Toma 4.*

Nobis in J. C. confidendum eſt, quia palam oſtendit, ſe Deum eſſe.

JESUS CHRISTUS oſtendit, ſe Deum eſſe, & quia Deus eſt, in illo credendum eſſe. Quid hoc ſibi vult, credere in illo? Credere in JESU CHRISTO eſt in illo confidere; illum tamquam potentem patronum intueri, ſine quo nihil ipſi poſſumus. Dum ſæviunt adverſa, optimum conſilium eſt credere in JESU CHRISTO, ad illum ſe convertere, opem illius implorare: conſiderare illum tamquam vitæ noſtræ præſidium, ſibi perſuadere, quantum infirmi ſumus nobiſmet ipſis traditi, tantum eſſe fortes, cum Deus nobis fert opem, & ſuſcipit nos in ſuam clientelam. Plerumque vincimur, & ſuperamur, quia in nobiſmet ipſis præfidimus. Non ſatis perſuaſum eſt nobis omne auxilium noſtrum eſſe ab alto. S. Auguſtinus explicans illa Prophetæ verba: *In me turbata eſt anima mea*, hanc nos docet veritatem. Cur ait animam ſuam in ipſo turbatam eſſe? Quia nihil in nobis eſt, quod noſmet valeat ſubſtinere. Viſne ex hac perturbatione tua emergere? Dic cum eodem Propheta: Domine attolle animam meam ad te. Tunc turbata erit anima tua, cum te ipſo confides: timor hic tuus ceſſabit, cum temet ad Deum tuum elevabis. Quandoquidem ergo nihil amplius in te eſt, quod te ſecurum facere valeat, quid reſtat, niſi ut parvulus ſis in oculis tuis, ut elevari merearis; ut nihil tibi vindices, ut Deus eam, qua indiges, opem afferat tibi. *Annus Evangelicus Tomo 6.*

Jubet JESUS nos in ipſo confidere, nos vero hac abutimur confidentia.

Jubet Deus nos in illo ſummam ſtatuere confidentiam; tamen cavendum eſt diligenter, ne abutamur illa. Plures ſunt, qui nimia confidunt; plures quorum confidentia potius vocanda eſſet præſumptio, quam Chriſtiana confidentia. Omnis quidem in Deo collocanda confidentia eſt; ſperandum eſt ſemper in illius miſericordia; ſed ad cæci Evangelici confidentiam habendam alios etiam illius ſenſus nos habere oporteret. Chriſtiani qui ſuas norunt miſerias, qui meditantur, ac deplorant illas, quos pœnitet, & qui delaſſati eo quod vias iniquitatis eucurrerunt, moribus ſuis refringendis vacant, nunquam nimis ad confidentiam excitari poſſunt. Illi vero, qui in JESU CHRISTO confidunt tunc cum Mundum, ejuſque vanitates deperennt; cum nihil inauſum relinquunt, ut vitæ hujus mala oblivioni tradant, illam inter voluptates ducendo; cum omnia vitæ ſuæ ratio JESU CHRISTI Evangelio ex diametro adverſatur, illis reſpondere poſſumus ab ipſis JESUM-CHRISTUM affici contumeliis, cum aſſerunt, ſe in eodem confidere, Inanem eſſe confidentiam hanc, & dæmonis illuſionem, qui eos palpat, eiſque ſoporem immittit, ne cogitent egredi de via iniquitatis, ituri ſecus viam, per quam tranſit Dei Filius. *Idem Tomo 1.*

Deus ita bonus eſt, ut nullum non lepidè moveat, ut ne ad ſe trahat.

L. Cur Deus homo.

Deus ubique nobis ſuam pulcritudinem oſtendit, ſuaſque illecebras; & ſimiliter JESUS CHRISTUS non ne omnibus omnia factus eſt, ut nos lucriſaceret? Si naturaliter eos diligimus, qui bene de nobis merentur, JESUS CHRISTUS ut a nobis amaretur eſſe voluit fons omnium gratiarum noſtrarum; quæ animadverſio eſt S. Thomæ Villanovani. Si diligimus amicum, herum, magiſtrum, fratrem, liberatorem; JESUS CHRISTUS factus eſt hæc omnia, ut nos ſibi adjungeret. Deus idem, qui nos creaverat, S. Anſelmus inquit, ne cum ullo amorem noſtrum partiremur, & amaremus illum quatenus Deum, & quatenus Redemptorem noſtrum, ipſe unus nobis eſſe voluit quidquid non amare non poſſumus, eo uſque ut ſe nobis ſimilem faceret, S. Auguſtinus ait, ſperans futurum ut familiaritas, quam cum illo inire poſſemus, nos ad libentius illum diligendum impelleret. Omnem exuit Majeſtatem, ut amorem noſtrum ſecura, & facili confidentia excitaret. *Serma Patris la Peſſo Toma 5.*

Cum Deus ſit tantum amabilis, omnia nos ad illum amandum debent impellere.

Si Dei Filius amabilis eſt omnibus modis, quibus amare poſſumus, quoniam reapſe eſt quidquid nos amare poſſumus; nihil eſſe debet in nobis, quod nobis non ſuadeat illius amorem, nihil quod amori illius ſubjicere, & ad amorem ejus intendere non debeamus. Mens noſtra, corpus noſtrum, omnes animæ noſtræ facultates, omnes ſenſus noſtri; verbo, quidquid in nobis eſt, amori Dei conſecrandum eſt. Hic effectus eſt juſtitiæ etiam naturalis, S. Bernardus ait, ex toto corde eum diligere, cui debemus, quidquid ſumus. *Idem.*

Pœnæ, quas merentur, qui non amant Dominum noſtrum.

Si quis non amat Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, anathema ſit. Paupertate, humilitate, dolore ad ſe redire compellatur, ut confiteatur, ac fariat deteſtabilem ſuam injuſtitiam: agitetur implacabilibus conſcientiæ ſuæ furiis; tamquam infamis de hominum omnium commercio abſcindatur; nullam guſtet requiem ac tranquillitatem, traducat dies ſuos in jugi tumultu, ac mortalibus ægritudinibus: illum Cæli, ac terra perhorreſcant; & creata omnia bellum eidem indicant; pereat, nullam mereatur miſerationem, & gratiam. Hic Chriſtianus nec eſt, & ne homo quidem: *Sit anathema*. Monſtrum hoc ſine gratitudine, ſine amore, ſine ſenſu, ſine corde ſit anathema. Clamamus omnes ore uno: *Anathema, anathema ſit*. Ultionem repoſcea, Salvator amabilis; homines vel amabunt te, vel peribunt: utique miſericordia, & amor tuus ulciſcentur; hi ſunt inimici tui, qui te non amant, & inimici tui juſtitiæ tuæ plectendi tradentur. Verum non ita bone Deus; iram tuam cohibe; nos jam noſmet tua indignatione, ac flagellis dignos ſentimus; non omni ſenſu caremus. Exaudi orationem noſtram; ſperamus adhuc fore ut nos exaudire digneris. Fac ut cognoſcamus illecebras tuas; ſaltem ne illas nos celes, ut in nos animadvertas; poſthac noli amplius oſtendere nobis Paradiſum, quem promiſiſti, neque Infernum, quem nobis minitaris, ut te unum diligamus, & te unice diligamus, quia infinite amabilis es. *Ex Sermone Patris la Peſſo Tomo 5.*

Vult Deus peccatores amori ſuo mutuum amorem rependere.

JESUS CHRISTUS amat peccatores: vult illos amori ſuo reciprocum amorem rependere; cumque multa pro illis operetur, vult etiam, ut illi quoque omnes conatus ſuos exerant, & animum erga ſe gratum teſtentur. Cognoſcenda eſt natura amoris, quos JESUS CHRISTUS diligit peccatores, ne fallantur. Hic acerrimus amor eſt, ſed ſuos habet limites, atque cancellos. Sicuti JESUS CHRISTUS amat peccatorem, & decrevit illi intra certum tempus gratificari; amor illius fatigatur, cum non audit illum impius, cum illius bonitate non movetur, cum in viis ſuæ iniquitatis perſeverat. Contemptus iſte Deum ad conſilium mutandum impellit. Quantum amavit, tantum iraſcitur. Quid hac æquius iracundia? quid æquius quam punire maxime irrationabilem, & omnium ingratitudinum graviſſimam? *Lambert in Anna Evangelica Tomo 7.*

In quo peccatores fallantur.

En qua in re fallitur peccator. Cum didicerit JESUM CHRISTUM amare peccatores, putant amorem hunc futurum perpetuum, & huic innixus fundamento ad illum reverti non feſtinat. Errorem hunc abjice peccator. JESU CHRISTI amor ad tempus duntaxat duraturus eſt. Quia tuam cognoſcit inertiam, tempus hoc tibi abſcondit, ut intelligas feſtinandum eſſe, alioquin te periculum ſubiturum pereundi. Sed ubi hoc miſericordiæ tempus effluxit, vis ne cognoſcere, quomodo conſueverit Deus in illos animadvertere, qui ſua miſericordia abuſi ſunt? Quod modo dixi tibi, innuit quodnam ſit iſtud ſupplicium. Miſericordiæ tempus effluxit. Pœna igitur eſt, non amplius miſereri, & non concedere amplius fortes, validaſque gratias, ſine quibus non convertitur peccator. *Annus Evangelicus Toma 6.*

Perfectio noſtra in J. C. amore conſiſtit.

Perfectio noſtra adhæret amori JESU CHRISTI, non ſolum quia caritas noſtram conſtituit Sanctitatem, ſed etiam quia effectus, & peculiaris adhæſio perſonæ JESU CHRISTI fit quodammodo medium, ut ad perfectionem perveniamus; ſed medium æque tutum, ac facile, quia amor hic, licet incipiens, & imperfectus inſpirans animæ ſenſibilem quemdam fervorem, efficit, ut plurimas ſuperet difficultates, quæ conſueverunt vel remorari, vel deterrere eos, qui perfectionis vias decurrere inceperunt. Et profecto ſolus hic amor circuire poteſt adeo auſteras virtutes, adeo cupiditates noſtris oppoſitas, adeo graves ſenſibus noſtris, adeo excedentes rationes noſtram, in quibus tamen perfectio Evangelica ſita eſt, videlicet in hoc ſancto ſuimet ipſius odio, jugi abnegatione naturalium affectionum, & amore crucis, atque humiliationum. Hic amor in nobis ciens amorem Salvatoris adeo amabilis, nos aſſuefacit, ut primum quidem ſine metu, deinde vero etiam cum voluptate reſpiciamus virtutes, quas JESUS CHRISTUS amavit, & quarum nobis adeo præclara exempla reliquit, & quæ nobis amabiles eſſe non poſſunt niſi ex hoc loco, ſed quæ non niſi amari poſſunt ab anima ſincere JESUM CHRISTUM amante. *Pater Nepoeu.*

Amor erga J. C. in eo ſitus eſt, ut efficiamur ſimiles illi.

Si Dominum noſtrum vere amaremus, ardenter cuperemus illi ſimiles fieri, eidem amorem noſtrum teſtari, ſuum mereri. Melius autem noſmet eidem ſimiles fieri poſſemus, noſtrum illi amorem teſtari, & ſuum nobis promereri, quam æſtimando, amando, amplectendo, quod ille æſtimat, amat, amplectitur, videlicet paſſiones, & contumelias? Igitur ſi vere JESUM CHRISTUM diligimus, non amare, & non amplecti non poſſumus hæc omnia propter amorem JESU CHRISTI, ideoque eſſe perfecti, quandoquidem in hoc chriſtiana perfectio conſiſtit. Si hoc verum eſt, quotuſquiſque eſt, qui vere amat JESUM CHRISTUM, & efficienter ad perfectionem contendit? & ego ipſe dicere ne poſſum me amare illum, & efficienter ad perfectionem contendere; ego inquam, qui in corde meo tantam experior animi remitten-

Digitized by Google

nitentiam iis omnibus; quæ meus Salvator amavit, & qui in omnibus huic affectui obſequor, & pareo. JESU mi, fac ut initium ducam ab eo, quod facilius eſt, nempe ut te diligam, ut mox ad ea gradum faciam, quæ ſunt difficiliora, ut videlicet diligam, quod tu unice dilexiſti, ſcilicet paſſiones, & opprobria. *Idem.*

Tenemur amare J. C. quin liceat exigere, ut amemur ab illo.

Nobis audaciæ, temeritati, facinori non ferendo vertendum eſſet, aliquem in divini Salvatoris noſtri cordis locum appetere, niſi hunc ipſe nobis promitteret. Nos illum amare tenemur, quin nobis liceat exigere, ut ipſe diligat nos. Ita eſt, cogimur quodammodo amare illum. Quis enim tot illecebras habuit in ore, tantam in verbis ſuavitatem, ſpiritum adeo rectum, animam tantam, cor adeo fidele, generoſum, ac tenerum? Quomodo Jeſum non diligamus? Sufficit habere cor, ut diligamus illum; invitis etiam amandus eſt: quidquid in rebus creatis ſuaviſſimum videtur, ſi cum illo conferatur, videri debet horribile. Modicum licet in vobis diſcretionis, ac fidei ſuperſit, vos vos ipſi fatebimini, creata omnia, quæ maxime amore digna videntur, fieri odio digna tunc cum Domino noſtro JESU CHRISTO comparantur. *Ex Sermone Patris la Peſſe Tomo 6.*

Grati animi ſenſus propter amorem J. C.

O cor Salvatoris mei, quomodonam affici potuiſti amore mei? O cor conſumptum amore, quo me dilexiſti, cor ſexcentis jaculis tranſverberatum? cor, quod nihil inauſum, ac intentatum reliquiſti, ut me tuo amore inflammares; cor amaritudine ſubmerſum propter amorem mei; cor, cui ſteti tot curis, tot ſollicitudinibus, tot exceſſibus? cor, quod omnia dediſti, quod omnia paſſus es, ut mei lucrum faceres, quomodo fieri poteſt, ut non diligam te? JESU amicorum omnium ſuaviſſimus, teneriimus, fideliſſimus, generoſiſſimus, liberaliſſimus, conſtantiſſimus, eo impetu amas me, quem humanus amor intelligere nequit. Quæ cæcitas mea eſt, quæ inſania? ſtultæ, & noxiæ neceſſitudines, apagete; amici perfidi, amici cupidi, amici flagitioſi vos execror; familiaritates impuræ, familiaritates perditæ, vos deteſtor. Salvator meus ſe eſſe dignatur amicum meum; alium nolo. Actum eſſet de me, ſi unam duntaxat contemptibilis hujus cordis partem impenderem illi, vel ſi totum cor illi tribuere detrectarem. Quæ gloria, quæ voluptas eſt, illum amare? Permittit etiam mihi, ut in amicitia ſua meam quoque utilitatem conſiderem; neque ægre fert ſi in hoc mea commoda inquiro. E contra ille cupit me amicum eſſe ſuum, ut aliquando ſuus etiam ſim hæres: me allicere vult promiſſionibus, atque muneribus; mihi regnum ſuum offert, ſi ego illi meam amicitiam præbeo. Te amo, divine Salvator, te amo, me tua illicit amicitia, illi amplius reſiſtere nequeo, & quoniam vis cum amicis tua dona partiri, ſpero me tecum in Cælo in omnem æternitatem eſſe regnaturum. *Idem.*

Amor erga J. C. non in eo ſitus eſt, ut obſervemus ſolum aliquot Legis articulos, ſed omnes.

Quamvis divinæ Legis obſervantia ſit effectus, & character minime omnium æquivocus amoris illius, quo Deum proſequimur, caveamus tamen, ne divina hæc, & ſanctificans caritas conſiſtat ſolum in peculiari obſervantia aliquot articulorum Legis, ſed in generali praxi præceptorum omnium, & placitorum illi inhærentium. Humilitas, Chriſtiana abnegatio, contemptus ſui, ſenſuum, & incompoſitorum deſideriorum mortificatio, omnes hujuſmodi articuli partem conſtituunt novæ hujus legis; ſi in omnibus fidelis es, poteſt confidere te Deo carum eſſe; quo magis amor tuus activus erit; eo erit perfectior. JESUM CHRISTUM non amamus, niſi quatenus propter illum operamur, vel quatenus patimur propter amorem illius. Chriſtiana caritas eam imitatur, quam Deus ipſe pro nobis habet. Deus nos non poteſt diligere, quin pro nobis operetur, nos illum amare non poſſumus, quin pro illo operemur. *Moralis novi Teſtamenti Patris le Neuville. Tomo 1.*

Quid faciat J. C. ut certam faciat in diſcipulis ſuis confidentiam.

Quemadmodum tota diſcipulorum Domini noſtri fortitudo ſita eſſe debebat in ea, quam in Deo habiturí erant, confidentia; permittit JESUS CHRISTUS, ut oboriatur procella, ipſo, dum illa furet, dormiente; ut præſens periculum & ſomnus hic eos cogeret, ut ad illum confugerent, & unice ſpem omnem collocarent in auxilio, quod ab illius bonitate expectabant. Hactenus viderant prodigia, quæ ille in aliorum gratiam fuerat operatus, ſed nondum viderant periculum aliquod, a quo liberandi fuiſſent. Magna quidem erant alia miracula, ſed magna licet, illis videbantur aliena; cumque in ſe ipſis excitanda eſſet, & locanda non ſolum vaga quædam, & generalis confidentia, ſed particularis, & perſonalis, oportebat etiam, ut poſtquam oculares fuerant tot miraculorum teſtes, quæ JESUS CHRISTUS patraverat, quorumdam effectus in ſemet ipſis experirentur. Non erant cæci, neque claudi, neque morbo aliquo laborantes. Ciet igitur procellam, & mulcet illam; ciet, ut illi acti periculo ad ipſum confugere teneantur; mulcet, ut hoc miraculo eorum ſpem confirmet; & uno ictu tria occupat mala, præſumptionem, ignaviam, diffidentiam; efficiens illos humiles in honore, quo decorantur, fortes in futuris perſecutionibus, & vigilantes in deprecanda ope ab ipſius bonitate, & potentia, propter imminens ſibi periculum. *Sermones Morales. Tomo primo.*

Modica plurimorum confidentia, qui murmurant, quod Deus illos a malis non liberet.

Audire hoc in loco mihi videor mortales quoſdam, ſe jampridem expectare Domini patrocinium, ſe jamdudum in ſqualore verſari, & Deo nuncupare vota, ut liberentur a malo; & nihilo minus ſpem ſuam illos fruſtratam fuiſſe. Næ hi quidem vehementer errant. Spem appellant inquietum animæ motum ſe agitantis, & quæ vellent, ut in Scripturis queritur Judith, Deo tempus certum præfigere, quo ipſi ferat opem? Haud ita: tertia ſpei conditio eſt, patientem eſſe, atque perſeverantem; alioquin licet ſit humilis, ac ſtrenua, habeatque ceteras qualitates, ceſſat eſſe virtus Chriſtiana. *Sermones Morales. Tomo 1.*

Exemplum S. Petri ſuper aquas ambulantis.

Nunquam ullum pulcrius ſpectaculum fuit, quam videre ſanctum Petrum ſtrenue ſuper aquas incedentem, ac pedibus calcantem fluidum hoc elementum, ut ſe ad JESUM CHRISTUM Præceptorem ſuum ſe conferret. Sed ubi cognovit ſe adhuc procul abeſſe, timor illum pervaſit, & pœnitens facti omnem abjecit ſpem ad eum perveniendi. Reprehendit illum Deus, & modicæ fidei inſimulavit, permiſit etiam, ut aquæ illum non ſuſtinerent, ut ille ſuæ dejectionis, ac timoris injuſtitiam cognoſceret. Hoc ipſum nobis uſuvenit, ſanctus Doctor ait. Primum quidem nobis videmur ferventes zelo ſuccenſi, divinæ voluntati obſequentes. Primum ſpes nos elevat ſuper fluctus tribulationum; ſed cum ſubſidium procul eſſe cognoſcimus, animos deſpondemus, languentes, frigidique deficimus, & ideo indigni ſumus, qui opem hanc recipiamus prolixæ, & ſtabilis perſeverantiæ inhærentem. *Idem.*

Quid dicendum ſit ad exempli David, ad modicam noſtram in J. C. confidentiam corrigendam. August. in Pſal.

Ad corrigendum malum quod vulgatiſſimum eſt apud Fideles dicamus Deo, quod illi David dicebat: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Intepuit confidentia mea, excita illam in me per verba, quæ jam teneo, & memoriam beneficiorum tuorum, quibus me cumulaſti. Quamvis Deus nullum nobis præbuiſſet protectionis ſuæ monumentum, ſemper in illo ſperare debemus, nobiſque perſuadere, non ideo ipſum in Mundo nos collocaſſe, ut deſereret: Verum cum nemo ſit noſtrum qui in adverſis expertus non fuerit opem de Cælo, quod facinus non perpetramus, cum animo deficimus in tempeſtate, ſub ipſa portus oſtia, cui jam inhæremus per acceptas divinas gratias, tamquam totidem funes, quibus alligamur? Non loquor perperam cum dico portum ſpei; nam ubi has omnes habeat conditiones, ſemper cum ſuavitate, ac pace conjuncta eſt. *Et facta eſt tranquillitas magna. Sermones Morales. Tomo 1.*

S. Bernardi ſententia de confidentiæ Chriſtianæ conditionibus.

Sanctus Bernardus nos docet, quænam eſſe debeant conditiones Chriſtianæ confidentiæ tria mortalium genera diſtinguens, quorum alii non ſperant, alii fruſtra ſperant, alii deſperant. Primi illi ſunt, qui ita in Providentia, & Dei Miſericordia confidunt, ut illam ſibi fingant præſto ad exaudiendum, licet ipſi iniquitatibus obruti ſint, qui quin ex peccatis emergant, quin ſuas cupiditates mortificent, ſibi pollicentur eam ſibi non defuturam in neceſſitatibus, quamvis ſibi integritas, & caritas deſint. Secundi illi ſunt qui in Dei protectione confidunt tamquam in re, quæ illos laboribus eximat, qui abſque eo quod agant aliquid, ſibi perſuadent, Dominum facturum omnia; qui vel per ſecretum contemptum, vel otium molle illum quærere negligunt, cum ipſum invenire poſſunt, & invocare, cum prope eſt. Tertio illi ſunt, qui propria imbecillitate occupati, abjiciunt animum, qui tantum abeſt, ut aperiant os ſuum ad opem petendam, ut illud aperiant tantum ad conquerendum; qui expectando fatigati ſibi Crucem figunt, ſe ſi torquent inquieta patientia, vel languent, ac frigida, mortalique puſillanimitate opprimi ſinunt. Triplex hoc hominum genus non gaudent Altiſſimi protectione; primi quia manent in vitiis, ſecundi in otio, & inertia, tertii denique in dejectione, & ſupplicio. Primorum permanſio, Pater laudatus inquit, immunda eſt; ſecundorum ridicula; tertiorum irrequieta. Primorum confidentia prava eſt, non ſperant, ut opus eſt; ſecundorum inutilis, fruſtra ſperant; aliorum denique inquieta, deſperant. Non ideo tamen dicere fert animus, JESU CHRISTO exprobrante Diſcipulis ſuis modicam confidentiam, inferendum eſſe, hanc ex triplici hoc capite vitioſam fuiſſe. Satis eſt aliquod ex his vitiis in illis deprehenſum fuiſſe; vel quandoquidem homines erant, in univerſa illos lapſos fuiſſe, ut merito redarguerentur: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* vel potius ut intelligeremus nullum nobis a Deo ſperandum eſſe auxilium, niſi ea, quam in ipſo habere debemus, confidentia tres habeat conditiones tribus hiſce malis oppoſitas, videlicet, niſi ſancta, & innocens ſit, contra improbitatem, activa, & ſtrenua contra languorem, patiens, & perſeverans contra deſperationem. *Ex Moralibus Sermonibus. Tomo primo.* Matth 8.

Unicus amor erga J. C. illi

Cum tibi, Domine, me ipſum cum omnibus meis

bonis

[Ita ſatisfacere poteſt, neque enim aliud illi dare poſſumus, cum nihil poſſideamus.]

bonis tradidero, quin quidquid debeo tibi, perſolvam, recentibus me vinciam muneribus, quoniam multum eſt a te recipere, ſemel tradere tibi. Unus amor tibi ſatis eſſe poteſt, & ſatisfacere iis, quæ tibi debeo, & id unice illud eſt, quod a me petis. Sed heu! Salvator mi! hoc ipſum nequeo dare tibi ſine te, & ſine ope gratiæ tuæ, neque tibi animi grati ſenſum aperire niſi per recens beneficium tuum, ſine quo alia quævis non ſolum mihi eſſent inutilia, ſed pernicioſa, atque funeſta; quia ingratitudinem meam magis manifeſtam, & me idcirco nocentiorem efficerent, & coram te minus excuſabilem. Da, quæſumus, Domine, hunc amorem mihi, ut illum tibi valeam afferre, & hoc pacto ex parte ſaltem iis, quæ tibi debeo, ſatisfacere. *Pater Nepveu.*

Ad legem implendam amore proximi conſpicere debemus.

Quamvis S. Joannes Apoſtolus dicat, eum qui non amat fratrem ſuum, quem videt, vix amare poſſe Deum, quem non videt, non magno opus eſſe mihi videtur conatu ad amandum, colendumque Deum, ubi ille in ſe conſideretur. Ibi enim ſine labe ulla omnes videntur pulchritudines, ibi non niſi fulgor, lux, & Majeſtas videtur, & tantum abeſt, quod miraculum ſit divinis hiſce ignibus inflammari, ut cor ſine amore ad hujus objecti conſpectum, majus eſſet portentum, quam homo ſine corde. Sed amare Deum in creaturis ſuis, quæ adeo parum amabiles ſunt, & in quibus modicum illud ſpecii, quod in illis deprehenditur, conjunctum eſt cum tot vitiis; amare illum in iis, quæ per ſe non niſi odio, & contemptu digna ſunt; amare illum, eique ſervire in pauperibus, vel ægrotantibus, ubi oculi noſtri non niſi miſeriam, ac labem inveniunt; ſed illum amare, inquam, in peccatoribus, in quibus divinæ ipſius pulchritudines, ſi minus coinquinatæ ſunt, ſaltem conjunctæ ſunt cum eo, quo nihil turpius, & horribilius eſt in inferno; profecto in hoc præcipuum amoris opus, atque miraculum extat; in hoc voluntas noſtra quamquam in vita adhæreſcens objectis, quæ adeo injucunda ſunt, atque deformia, videtur adimplere egregie præceptum, quo inimicos amare jubemur. Tamen hic effectus eſt divinæ hujus virtutis, quæ caritas appellatur. Eodem tempore, quo commodat alas homini uſque ad Dei ſinum volaturo, ut ſe ſe cum illo conjungat, illum prægravat pondere, quo ipſum deprimit, ac detrahit in terram. Hæc virtutum Regina, quæ in humanum cor dilapſa illud nobilitat, eique jus confert ad Regna, & immortales coronas, eumdem ſubjicit, ac virorum omnium noviſſimo ſubdit, eumque Creatoris amicum conſtituens, creaturarum famulum facit. *Ex Vita Cardinalis de Berulle, libro primo.*

Si J. C. amaremus, omnem in eo confidentiam noſtram conſtitueremus.

Ratio vera propter quam non confidimus in JESU CHRISTO, etiamſi hæc confidentia juſta ſit adeo, facilis, ſimulque etiam neceſſaria: eſt quia non diligimus JESUM CHRISTUM, quia illi detrectamus quod poſtulat, æquiſſimum, minimi pretii, & facillimum; quia mandata illius non ſervamus, ejuſque placita minus adhuc ſequimur. Non prodeſt gratioſum eſſe, amicitiam profiteri, opellam offerre; ſentitur quoddam diffidentiæ principium, quod non ſatis liberum eſt. Memoria tot infidelitatum, & ingratitudinum erga Salvatorem cui debemus omnia, & qui nos eo uſque dilexit, ut ad nos redimendos ſuum Sanguinem, ſuamque vitam effuderit; hæc inquam memoria, manifeſtum hoc teſtimonium conſcientiæ non deſinentis exprobrare nobis iniquitatem noſtram, extinguunt noſtram confidentiam, quemadmodum mores noſtri, noſtrumque vivendi genus probant fidei noſtræ exilitatem. Scimus nos Deo negare omnia ferme, quæ petit a nobis; levem illi mortificationem, verbum, actionem, minimum negamus Sacrificium. Fruſtra ille flagitat, urget, ſollicitat, non placet nobis legi ipſius obſequi, licet nihil æquius ſit eo, quod petit, licet nihil petat, niſi ad majorem noſtri utilitatem. Non ignoramus, ſi quoſdam legis articulos obſervamus, id a nobis fieri propter metum extremi ſupplicii; nihil fieri a nobis amoris cauſſa, nos obtemperare duntaxat graviſſimas pœnas minitanti; & exiguum illud, quod ei tribuimus a nobis ita ægre, atque gravate tribui, ut donum ſit inſtar repulſæ. Hoc noſtram extinguit confidentiam; hoc efficit, ut nobiſmet perſuadere nequeamus, Deum remunerari velle ſervum adeo infidelem, & exaudire rebellem filium, qui jugiter contra Patris voluntatem obnititur, & citra dolorem de eo male meretur. Volumus ne non deeſſe nobis in Deum confidentiam? Fideliter obſequamur illi. Contigit nobis felicitas in religioſo ſtatu vivendi? Seduli ſimus minimarum etiam regularum obſervatores. Quo minores ſunt, eo minus venia digna eſt innobſervantia; oculi ictus, levis amoris proprii oblectatio, verbum, ſunt nonnunquam materia ejus ſacrificii, quod poſtulat Deus. Quod ingratitudinis monſtrum! quæ indignitas negare Deo, quod nos puderet negare homuncioni exiguum aliquid petenti. Vivimus in ſæculo; ad unguem omnia ſtatus noſtri adimpleamus officia; nihil aptius eſt ad nobis conciliandum amorem Dei, nihil ad confidentiam in nobis ciendam accommodatius. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo 2.*

Fidei; & religio nobis ſuadent confidentiæ ſenſus in J. C. collocare.

In JESU CHRISTO confidere, in eoque ſpem omnem ſalutis ſuæ collocare, infinitis Salvatoris meritis inniti, & credere nihil nos eſſe ſine illo, hi ſunt ſenſus, quos nobis fides, & Religio ſuadent; ſed illic immorari, & dicere, expectari horam, atque momentum, quo placebit Deo ſuam nobis gratiam largiri, & interim pace tranquilla frui inter cupiditatum ſuarum flagitia, hæc præſumptio eſt æque ſtulta in principio ſuo, atque in effectibus pernicioſa. *Dictionarium Morale.*

Cauſſæ, quæ Chriſtianum hominem cogit in Deo ſuam confidentiam collocare.

Nihil valìus attendit Chriſtiano viro neceſſitatem in Deo confidendi, & unice in eo requiem ſuam collocandi, quam jactura eorum, qui eidem magis profuturi videbantur, & a quibus majorem opem, atque auxilium recipere conſuevit. Tunc enim ab hominibus derelictus ad illum tenetur confugere, & ſe ſe in ejus ulnas projicere; cumque id agat ex ſenſus, & cordis ſinceritate, certus eſt, ſe in ipſo reperturum quidquid Mundus illi dare non poteſt, & jure dici poteſt ſemper decipi, cum ab hominibus id expectat, quod ab uno Deo poteſt recipere. *Abbas Trappenſis Tomo 2. Chriſtianorum Axiomatum.*

Beatiſſima Virgo amavit J. C. tamquam Filium ſuum; & noſtrum amare tenemur tamquam Filium Dei.

Unius Sanctiſſimæ Virginis eſt amare JESUM CHRITUM tamquam Filium ſuum. Privilegium hoc uni illi conceſſum eſt: Sed illud diligere tamquam Dei Filium officium eſt, quod nos non ſecus ac illa præſtare debemus. Quatenus Dei Filius omnes effectus noſtros trahere debet, utpote objectum illud in quo ſibi bene complacet Pater: Sed poſt glorioſam hanc qualitatem Filii Dei, mihi videtur quatenus Filius hominis ideoque Beatæ Virginis Filius a nobis etiam diligendus, quandoquidem potiſſimum quatenus talis Filius iſte ſuaviſſimus ſe ſe nobis dedit per ſummum amoris exceſſum. Nihil enim ſibi reſervavit; omnia nobis contulit, ſudores ſuos, lacrymas, ſanguinem, vitamque ipſam. Igitur niſi ingratiſſimi eſſe velimus, noſmet illi ſine exceptione debemus impendere, & cum S. Auguſtino dicere: Moriar ergo propter amorem amoris tui, quandoquidem propter amorem mei mori voluiſti. Ero totus meus, quoniam me tuum eſſe voluiſti. *Ex libro cui titulus, Orationis Homo, a Patre Nouet editus, parte tertia.*

Magna beneficia, quæ nobis contulit Deus, ut ſuum nobis amorem manifeſtaret.

Per ea bona, quæ aliquis nobis confert, & per ea, quæ nobis conferre ſtudet, amor ſe ſe prodit: Amor beneficiis probatur. Creatio inſigne beneficium eſt, redemptio vero inſignius. Deum dediſſe nobis proprium Filium ſuum ad nos redimendos, & Filium hunc Deum æqualem Patri eſſe redemptionem noſtram, & pretium redemptionis? Aſſequimini ſenſum omnium horum verborum, aſſequimini meritum incomprehenſibilis hujus Myſterii. Sed fatemini ſaltem, amorem Dei erga nos omnem excedere cogitationem, & unum illud æquiſſimo jure dici poſſe, Deum divine nos dilexiſſe. Sed incomprehenſibilis hujus beneficii finis, æque admirabilis eſt, ac ipſum beneficium. Deus dedit nobis Filium ſuum, ne periremus, & ut in æternum eſſemus beati. Bone Deus, quinam eſſent ſenſus noſtri admirationis, amoris, animi grati, ſi uti opus eſt, intelligeremus, quod meditamur? *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 4.*

Portio animarum a Deo electarum eſt amare J. C.

Amare JESUM CHRISTUM amore tenero, atque conſtanti, hæc ſemper fuit pars animarum cælitus electarum. Inter Apoſtolos Petrus, & Joannes dilectus JESU diſcipulus præ ceteris enituerunt per fervorem amoris ſui erga Divinum hunc hominem. Gentium Apoſtolus cum vidiſſet illum ſecus viam Damaſci, ita magno hujus objecti amore ſuccenſus fuit, ut de alia re loqui non poſſet. Diſcipuli, qui peregre proficiſcebantur in Emmaus, eo quod modico illo in itinere ejuſdem alloquio gaviſi ſunt, ſenſerunt cor ſuum ejuſdem amore inflammari. *Non ne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.* Luc. 24. Nemo unus ignorat ſanctos impetus Magdalenæ pœnitentis pro hoc adorabili Sponſo animarum. Ignatius Martyr in univerſo terrarum orbe commendatur propter amorem ſingularem, quo divinum Redemptorem proſecutus eſt: & noviſſimis hiſce temporibus S. Bernardinus Senenſis, S. Thereſia, at tot alii inſigniti ſunt per amorem, quo Salvatorem hominum complectebantur. *Sermo Manuſcriptus.*

Tenemur fideliter adhærere J. C.

Unum ex maximi momenti monitis, quæ præberi poſſint Fidelibus, eſt illis aperire eam, quæ ſingulis incumbit, neceſſitatem ſequendi JESUM CHRISTUM. Salus noſtra pendet ab ea fidelitate, qua divino huic Capiti adhæremus. Ab ipſo omnes fluunt gratiæ, & ne unam quidem niſi per illum recipere poſſumus. JESUS CHRISTUS noſtrum eſt exemplar. Potiſſima in hoc vitæ curriculo diligentia eſſe debet meditari ſanctas illius actiones, & illis noſtras conformes efficere. Verbo: omnis Chriſtiani dignitas oritur a conjunctione, quam habet cum JESU CHRISTO, a gratiis, quas recipit ab illo, & ſedulitate, qua præſtantiſſimum hunc prototypum imitatur. Sanctus Joannes fuit dilectus JESU CHRISTI Diſcipulus.

ſus. Gloriosum hoc Nomen mereri non potuit, niſi quod Dei Filius plurimas illi gratias contulerit, & Sanctus hic fideliter adhærens Præceptori ſuo omnes actus ſuos compoſuerit ad normam exempli, quod ſemper ob oculos ejus verſabatur. Quanta laus eſt dilectum JESU CHRISTI diſcipulum appellari! Quis ardenter non cuperet gratiam Regis ſæculorum, & Univerſorum Domini? *Lambert in Tomo quinto anni Evangelici.*

Interrogatio a JESU facta Petro oſtendit neminem eſſe poſſe diſcipulum Filii Dei niſi illum amaverit.
1 ad Cor. 16. 22.

Dei Filius dixit Petro: *Amas me?* cui Petrus reſpondit; utique Domine, *tu ſcis, quia amo te.* Sine hoc amore impoſſibile eſt placere JESU CHRISTO, & in numero Diſcipulorum ejus recenſeri. Hoc primum quærit a nobis Mundi Salvator, cum noſmet offerimus illi: *Amas me?* Si eo in ſtatu non ſumus, ubi ſicut Apoſtolus hic illi reſpondere valeamus: *Domine ſcis, quia amo te*, ille nos procul rejiciet, neque nos inter aſſeclas ſuos haberi permittet. Sanctus Paulus ait: *Si quis non amat Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, ſit anathema*, ergo procul eſt a numero Diſcipulorum Filii Dei. Idem Sanctus Paulus docet, eum, qui caritatem non habet, nihil eſſe, egregios quoſcumque mores omni fructu vacuos eſſe, cum qui illis præditus eſt, vacuus eſt caritate. Cum igitur ad Mundi Salvatorem accedimus, primum ille in nobis ſcrutatur cordis noſtri diſpoſitionem. Si nos plenos videt philaucia, ſi Mundi bona & hæc terrena replent corda noſtra, nos ille repellet: Neque in ſervorum ſuorum familiam admittit, niſi ita affectos invenerit, ut illi cor noſtrum tribuere, eumque ſuper omnia creata velimus amare. *Lambert ibid.*

1 Corinth. 13.

Ut J. C. ſequamur, & ſimus ejus diſcipuli, debemus illi conſecrare cor noſtrum ad exemplum S. Petri.

Mundi Salvatorem ſequi cupis; vis eſſe in numero Diſcipulorum illius; ita ne affectus es, ut cor illi tuum velis conſecrare? Si JESUS CHRISTUS ex te id quæreret, quod a ſancto Petro, & percontaretur ex te: *amas me?* Liceret tibi cum Apoſtolo reſpondere; *ſcis, Domine, quia amo te?* Tibi inquirendum eſt, utrum ad JESUM amandum dicere ſufficiat, *amo te.* Si verbum hoc ſuum obtineret effectum ſtatim ac prolatum fuit, liceret nobis eadem dicere, quæ Petrus, & cum illo profiteri, Dei Filium a nobis amari. Sed attende verbis Apoſtoli: non ait ille, *amo te*, ſed inquit; *ſcis, Domine, quia amo te.* Parum eſt dicere Dei Filium a nobis amari, ſed intereſt, JESUM CHRISTUM hoc ſcire, quod diligimus illum. At qui renes noſtros ſcrutatur, & corda falli non poteſt. Nihil niſi veritas illum perſuadere poteſt. Nunquam ei fucum facere licet, neque ad credendum inducere, illum a nobis amari, niſi cum reapſe cor noſtrum fuerit ejuſdem amore repletum. *Idem.*

Ut J. C. amemus cor noſtrum a divitiis & creatis omnibus revellendum eſt.

Amor ne JESU CHRISTI replet cor tuum? An potius amor divitiarum, vanitatum, voluptatum ſæculi? Beatus ille qui cum ſancto Auguſtino dicere poteſt; quod ſcio, & perſpicue in me video, perhibente mihi teſtimonium conſcientia mea; te amo, Deus; Tu ſignificaſti mihi verbum tuum, tu penetraviſti cor meum, & ſtatim dilexi te. Sin autem in corde tuo minus experiris divinum ignem, quo ſancti Auguſtini cor flagrabat, contende ſaltem ut cum eodem dicere valeas: Id unum amare contendo, quod invito mihi auferri non poteſt. Niſi ſalutares hos exeris conatus, nunquam fies JESU CHRISTI diſcipulus; nam ab eum ſequi cupientibus re adhuc integra petit, ut ſibi conſecrent cor ſuum, & cum Principe Apoſtolorum dicere valeant: *Scis Domine, quia amo te. Lambert in anno Evangelico Tomo 5.*

Per bona opera noſtra ...teſtare debemus amorem erga J. C.

Amor, quem Dei Filius petit a nobis non eſt amor ſterilis, & effectu vacuus, ſed amor, qui operatur, & ſe ſe prodit operibus. Cum Petrus affirmavit, ſe diligere JESUM CHRISTUM, divinus hic Salvator præcepit ei, ut præberet ſibi amoris argumenta paſcens oves ſuas. Dei Filius jubet ſe a nobis amari; jubet nos ſibi præbere amoris noſtri teſtimonia obeuntes officia noſtra, & fideliter ſervientes illi eo in ſtatu in quo nos ſua providentia conſtituit. Hæc altera eſt diſpoſitio, quam JESUS CHRISTUS petit in illis, qui illum ſequi deſiderant. Vult diſcipulos fideles præ cæteris eniteſcere per eximiam in obeundis officiis ſuis ſedulitatem. Dei Filius hanc nos docet veritatem paſſim in Scripturis: Dicit nobis; *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Fieri ergo non poteſt, ut aliquis diligat Mundi Salvatorem, niſi legem ejus adimpleat. Quamvis profitearis, te diligere JESUM CHRISTUM, cum mandatis illius non obtemperas jure mendacii potes inſimulari, poſtquam veritas æterna dixit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Noſti quidquid Dei Filius nos docere voluerit, dicens: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Non ne certum eſt, ipſum per hæc verba ſenſus ſuos aperuiſſe contra ignavos Chriſtianos, qui non obediunt ipſi, & qui bona opera non faciunt; hos ignibus eſſe addicendos. Infelicitatis eorum cauſa eſt, non amare Deum, quomodo amandus eſt, & vult amari. Deus quærit opera, & verba ſine operibus nullius ſunt momenti apud ipſum. *Filioli mei*, ſanctus Joannes ait, *non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.* Jure dicit ſanctus Joannes Apoſtolus: *diligamus opere, & veritate*, neque enim alius eſt amandi modus. *Idem.*

Joan. 14.
Matth. 7. 19.
1 Joann. 3. 18.

Amor J. C. noſtram conſtituit felicitatem.

Amor JESU CHRISTI noſtram in hac vita conſtituit felicitatem. Si JESUS pro nobis factus eſt, nos pro illo facti ſumus; quodcumque aliud objectum fallere cor noſtrum poteſt, implere non poteſt. Quid ſuavius eſt, quam amare, ſed amare objectum ſummopere amabile; ſed objectum hoc poſſidere, quod omnia continet bona, & efficit ſupremam in Cælo Sanctorum felicitatem: ſed illud cum certitudine poſſidere, futurum ut nobis nolentibus nihil eripiat, & cum ſpe certa fore ut aliquando illud perfectiſſime poſſideamus? Non ne hic terreſtris eſt Paradiſus? Non ne hoc illud bonum eſt, quod nobis ſincerus JESU CHRISTI amor procurat: Proh! quæ felicitas! cum anima dicere poteſt: Salvator meus mihi, & ego illi; & nihil me ab illo poteſt avellere! Hæc eſt melior pars illa, quam elegit ſibi Magdalena, & quam nemo illi poterat auferre. Martha intenta, ut Magiſtro ſuo ancilletur, eſt generoſa: Sed Maria unice intenta illi amando, & fructu amoris ſui fruendo eſt beatior. Quæ deliciæ! Illas delibet, neceſſe eſt, qui velit intelligere: ſed ex toto corde amandum eſt illi, qui eas velit cognoſcere. *Da amantem, & ſentit quod dico.* Mereor me miſerum eſſe, ſi alibi quæro felicitatem meam, quam in JESU, in quo certus ſum, me illam eſſe repertum. *Chriſtiana Conſiderationes. Tomo tertio.*

Auguſt.

Idem ſequitur argumentum.

Amor JESU CHRISTI tutiſſimum eſt pignus futuræ noſtræ felicitatis, & certiſſimus character noſtræ prædeſtinationis. Miſericordia erga pauperes, devotio Sanctiſſimæ Virginis, aperta ſunt prædeſtinationis indicia; ſed fallere poſſunt; ſed ſincerum, conſtantemque amorem erga JESUM CHRISTUM fovere, & prædeſtinatum non eſſe, hoc fieri nequit. Exterminator Angelus, qui Ægyptiorum domos vaſtavit omnia interficiens primogenita, omnibus ædibus pepercit, quæ Agni Sanguine erant connotatæ, JESU CHRISTI videlicet figura. Cor charactere hoc inſignitum numquid poteſt reprobari? Leones ipſi reveriti ſunt Nomen JESU CHRISTI, quod ſcriptum erat in corde ſancti Ignatii Martyris; ſi cor, ubi inſculptus eſt amor JESU, eſſe poſſet in inferno, ipſæ quoque inferorum flammæ illi parcerent, neque auderent urere cor, quod igni amoris JESU CHRISTI uſtum eſſet. *Idem.*

Quot in occaſionibus J. C. ſuam oſtendit ſuavitatem, quod noſtram excitare debet in illum confidentiam.

Suavitas ſemper character fuit Salvatoris. Dicite Filiæ Sion: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.* Noli timere, Iſaias inquit, quod Salvator iratus videatur; immutabilis erit lenitas ejus: *Non clamabit, nec audietur vox ejus foris: Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Ducetur tamquam ovis ad occiſionem, & non aperiet os ſuum, dicit idem Propheta: *Ego quaſi Agnus manſuetus*, ipſe ait per Jeremiam: *Obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam CHRISTI*, ſanctus Paulus ait in Epiſtola ſecunda ad Corinthios. Hanc illius imaginem nobis exhibet Spiritus ſanctus. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo ſecundo.*

Matth. 21.
Pſalm 42.
Matth. 12.
Pſalm 42.
Jerem. 11.
2. ad Cor. 10.

Tres veri amici neceſſariæ qualitates in perſona Filii Dei reperiuntur.

Ut aliquem æſtimatione veſtra, obſequio, & amore dignum cenſeretis, procul dubio cuperetis illum 1. Magnum eſſe, atque potentem. 2. Plenum caritate, & bonitate: 3. Plenum lenitate, atque clementia. Velletis magnum eſſe, atque potentem, ut ubi eſſet opus, vobis patrocinaretur; plenum caritate, ut in qualibet occaſione vos beneficiis ſuis cumularet; denique manſuetum, & mitem, ut ſcelera veſtra excuſaret. Ejus potentia vos adverſus inimicos tueretur; bonitas nihil vobis deeſſe pateretur; patientia opportune lapſus veſtros diſſimularet. Hic perfecti amici verus character mihi videtur. Hunc autem in adorabili animarum noſtrarum Salvatore invenietis; nam licet paulisper illum propius inſpiciatis, haud ægre in illo videbitis potentiam ſemper beneficam, bonitatem ſine exemplo, & ſuaviſſimam manſuetudinem. Ex triplici hoc loco placet hodierna die proponere vobis ad intuendum Mundi Salvatorem, ut cognoſcatis, quantopere dignus ſit amore veſtro. *Sermo Manuſcriptus.*

J. C. docet nos mites, & humiles eſſe quæ nos ad illius dilectionem impellunt.

Exemplum JESU CHRISTI utiliſſimum eſt documentum, quo virtutem aſperam, moroſam, amaram, zelum durum, & inſuavem, caritatem acrem, & a miſeratione ſejunctam, inanes eſſe virtutes docemur. Hic amor proprius eſt, libido, ingenium, quæ ut plurimum induunt perſonam virtutis, quæ ſpeciem duntaxat virtutis gerit; & omnes, qui profitentur pietatem, caritatem, zelum, & qui tumultuoſi ſunt, ingenio pravo, inquieti, duri, moroſi vehementer errant, ſi verum ſe zelum, veramque virtutem ſe habere arbitrantur. Prima Salvatoris noſtri lectio, ubi ejus ſervitio mancipamur, eſt ab eo veram diſcere manſuetudinem, & humilitatem: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Dicere poſſumus manſuetudinem hanc primum in omnibus Sanctis locum obtinuiſſe; Patientia, & humilitas neceſſaria fructus Sanctitatis a modeſtia ſeparari non poſſunt, & manſuetudine, quæ ſemper virtuti amorem conciliavit.

Matth. 11.

Hac

Digitized by Google

Hac manſuetudine carere, & caritate hac ad compatiendum prona, eſt omni virtute carere. Quæ illuſio eſt credere, nos ex mera caritate operari? zelum noſtrum Dei, & proximi dilectione inflammari, cum aſſertus hic zelus in invectivas erumpit, in acria, aculeataque verba, in injurias, & contumelias? Quis error eſt putare nos animari Dei Spiritu, & cauſſa noſtræ ſaluti, cum peccatorem cupimus exterminare? Opus quidem eſt odiſſe peccatum, peccato non parcere, ſed pro peccatore viſcera paterna habenda ſunt. *Idem.*

J. C. per comparationem quamdam oſtendit ſe nunquam oblitum eſſe noſtri.

Poterat ne Deus ſublimiorem nobis adſtruere conceptum benevolentiæ ſuæ, quam hac uſus locutione, & comparatione? Magnus quidem eſt Matris amor erga filium, ardens eſt, miſericors, tener, quem vero Deus pro nobis habet acrior eſt, atque firmior. Mater filii ſui oblivisci poteſt, Deus non poteſt animæ meæ. Quæ conſolatio cogitare illum noſtris aſfici malis, noſtrarum misereri neceſſitatum; illi carior ſum, quam unigenitus, quam filius ſpecioſus, ac bene natus matri amantiſſimæ? Quin vitia mea, errata, infirmitates extinguere hunc valeant fontem inexhauſtum bonitatis, quem Deus habet erga me. Bonitas iſta incomprehenſibilis eſt. Deus eſt, qui divine diligit me. Sed longe facilius comprehendere eſt modicum amoris, animique grati, quem habemus pro Filio Dei, qui profitetur ſe nunquam oblitu-rum noſtri. At nunquam ne divini Magiſtri hujus, ac Domini oblivifcimur ipſi? ad illud advertimus animum in ſuperbis, ambitioſiſque conſiliis, in ideis magnitudinis, & divitiarum, quibus pleraque vitæ noſtræ momenta paſcuntur? JESUS CHRISTUS nos amat ſine ulla alia cauſſa, niſi ex mera bonitate ſua; ſed quæ nobis cauſſa eſt Deum non diligendi? Illius oblivifcimur; verum oblivisci ne poſſumus beneficiorum, quibus cumulati ſumus? Carere ne poſſumus illius ope, & gratia? Quæ dies, quæ hora, quod vitæ noſtræ momentum non aliquo ejus beneficio notatum? & ad id ne animum quidem dignamur advertere? Intelligite monſtroſæ hujus tepiditatis iniquitatem. *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo altero.*

Tria, quæ S. Auguſtinus vidiſſe optabat.

In antiquitate tria ſunt, dicebat olim ſanctus Auguſtinus, quæ ardenter vidiſſe optarem. Vidiſſe inquam Romam triumphantem, Paulum prædicantem in Areopago inter Græciæ Sapientes, & CHRISTUM JESUM cum hominibus converſantem. Poſtremum hoc miraculum, cujus deſiderio Sanctus Doctor tenebatur, eamdem in animis noſtris impreſſionem efficeret, ſi terrenis expediti curis poſſemus oculos noſtros figere in præcipuum hoc opus Omnipotentis, & in viſibilem hanc divinarum perfectionum imaginem, in perfectiſſimum, ſuaviſſimumque virum, *ſpecioſum forma præ filiis hominum. Sermo Manuſcriptus.*

SUPPLEMENTUM

Ad Tractatum

DE CONCEPTIONE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Æterna Conceptio Sanctæ Virginis in ſinu Dei.

MAria in Dei ſinu concepta fuit Infinitis ſæculis antequam in Matris ſuæ utero conciperetur. Omnia creata gloriari poſſunt ſe ab æterno extitiſſe ante oculos Creatoris ſui: ſed ſingularis Mariæ prærogativa eſt 1. primum fuiſſe objectum divini amoris poſt Filium ſuum, & illud, in quo Deus ſibi bene complacuit: 2. ſe a Deo ita amatam fuiſſe, ut propter illam potiſſimum Mundus creatus fuerit, & in illa ſumpſerit carnem. 3. Principem obtinuiſſe locum in ordine æternorum decretorum increatæ Sapientiæ. Hæc eſt Eccleſiæ ſententia, quæ Mariæ tribuit eadem verba, quæ protulit Salomon de Filio Dei: *Nondum erant abyſſi . . . nec dum fontes aquarum eruperant: nec dum montes gravi mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar, & ego jam concepta eram*, formata, deſtinata, ut eſſem opus pulcherrimum, quod de Creatoris manu egrederetur . . . En primum principium Magnalium Mariæ; vi enim primæ hujus gratiæ concipimus quidquid in ipſa maxime elucet, & conſideramus illam ſecundum Sanctorum Patrum locutionem, tamquam opus omnium ſæculorum, tamquam portentum æterni Conſilii Dei, tamquam pulcherrimam Creatoris imaginem, tamquam præſtantiſſimam idæam, & excellentiſſimum exemplum poſt JESUM CHRISTUM, ſecundum quod Deus Mundum creavit. Cum enim de Angelorum, hominumque creatione cogitaret, efformabatur Mariæ imago, quæ ex eo momento deſtinabatur futura Mater Incarnati Verbi, Regina Angelorum, hominum patrona, & totius Mundi Reparatrix. O Sancta, o incomparabilis Virgo, quæ parem neque habuiſti, neque es habitura! Quam felix es eo, quod ab æterno Dei noſtri animum occupaveris, & ſemper a Creatore tuo fueris dilecta. Hæc prædilectionis gratia principium eſt tuæ felicitatis. *Pater Gentilis in libro, qui inſcribitur de ſolitudine Virginum.*

Proverb. 8.

Dei Filius increata Sapientia Mariam formans, ædificare ſibi voluit domum dignam ſe.

Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem: Proverb. 9. Ex Sanctorum Patrum ſententia, domus, quam ſibi Sapientia ædificavit, eſt Virgo Sancta, quam Verbum ab æterno ſibi elegit in Matrem. Rex autem potens, & locuples, qui ſibi regias ædes ædificare vellet, vellet ſimul nihil prætermitti ad earum magnificentiam, & ornatum. Numquid minus aliquid præſtabit pro Domo ſua æterna Sapientia? Haud ita quidem. Cum Verbum decreyerit humanum corpus ſumere in Virginis utero, ibique menſes novem commorari, nihil negliget exornaturus hoc Templum ſuæ divinitatis, locupletaturus illud omnibus muneribus ſuis; verbo illud ſe dignum effecturus. Ita Scriptura illic Sapientiæ nomine loquitur de Verbo. *Sapientia ædificavit ſibi domum*, ut indigitet illud Sapientia uti ad eligendam formandamque creaturam, cujus ſe Filium eſſe non erubeſcat. Verbum igitur tamquam ſcitus Architectus, qui nihil abnorme eſſe vult in ſpecimine artis ſuæ, & qui e contra ei omnem tribuit perfectionem, quam illud recipere valeat, Verbum inquam adeo abeſt, ut in Maria labem aliquam patiatur, ut illam perficere concupiſcat, ut decet opus cui infinita præeſt Sapientia. Poſt hæc quid opus eſt probare inſignes Sanctiſſimæ Virginis prærogativas? Illa ne poteſt eidem negari, modo cogites, hanc eſſe domum, quam ſibi ædificavit Sapientia? *Sapientia ædificavit ſibi domum. Pater Segneri in Meditationibus.*

Dei Filius paſſus non fuiſſet, manſionem ſuam deſtinatam primum a dæmone occupari.

Princeps, qui ſibi magnificam domum ædificari juſſiſſet, pateretur ne, hanc antequam ab ipſo incoleretur, habitari primum a proditore aliquo, rebelli, ac ſeditioſo? profecto hoc non æquo ferret animo; immo potius imperaret, ut ſceleſtus ille procul a regiis ædibus amandaretur, tamquam peſtis, quæ ſecum luem teterrimam adſert. Crederemus igitur æternum Verbum cum ſibi ædificaſſet domum Sapientia ſua dignam, paſſum fuiſſe, ut infeſtiſſimus hoſtis ibi ante ſe poſuiſſet ſedem ſibi; dæmonem videlicet ante ipſum poſſediſſe Mariæ animam per peccatum, quod originale appellamus? hoc fieri nequaquam potuiſſe videtur. Verbum enim id permittere non potuiſſet, niſi vel ex neceſſitate, vel ex voluntate; non ex voluntate, quia videretur alioquin non ita dilexiſſe Mariam, ut decebat, neque ex neceſſitate, videretur quidem id prohibere non potuiſſe: quorum utrumque abſurdum eſt, quod nemo rationis compos probabit. Multo magis, quia Verbum elegit, ſibique unice Sanctam Virginem formavit; *Ædificavit ſibi.* Unice ergo ſemper illam poſſedit, antequam etiam in puriſſimis viſceribus illius carnem ſuſciperet, eamque poſſedit, poſtquam ab illa humanam formam recepit. Intererat Sapientiæ ipſius ædificare domum omnibus numeris abſolutiſſimam; intererat providentiæ illam ab omnibus inimici incurſibus tueri. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. Proverb. 24. Idem.*

Ad Dei gloriam ſpectabat non permittere, ut vel unico momento Maria ſub dæmonis eſſet poteſtate.

Deus ergo gloriæ ſuæ zelotypus paſſus eſſet, dæmonem rebelle illud mancipium primum auguſtam manſionem hanc occupare? Illum polluere Sanctum hoc Templum, & gloriari poſſe, ſe in vinculis ſuis habuiſſe aliquando Matrem Dei? Hoc nos credere non ſinit divina Sapientia. Deum, cujus ſumma bonitas eſt, cui cordi ſervorum ſuorum gloria, qui in omnium cordibus inſculpſit amorem, ac reverentiam erga illos, a quibus ſuam hauſit nativitatem, oblitum fuiſſe illius, quam ſibi deſtinabat in Matrem, ita ut

non

non ſecus ac vulgus mortalium eam ſineret ſub dæmonis jugo, & poteſtate traduci? Quænam ergo fuit Sanctiſſima Virgo gloria, & felicitas Conceptionis tuæ? prorſus immunis a labe noxæ originalis, immunis etiam a funeſtis ejuſdem effectibus; nunquam experta es vel minimam carnis rebellionem contra Spiritum! Omnibus exornata virtutibus quouſque illas perfeciſti. Sed heu! dum tuam beatitatem admiror, & lætor, prohibere nequeo quominus obortis lacrymis meam originem proſequar. Recipio igitur me imitaturum virtutes tuas, ſed in corde meo nihil invenio, niſi propenſionem in malum. Adeſto mihi Sanctiſſima Virgo, fer opem; fer auxilium, ut illi reſiſtere valeam. *Pater Segneri.*

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Prov. 8.

Deus ab æterno Mariam ab aliis electis diſtinxit.

Verba hæc quæ Patres omnes primum interpretantur de JESU CHRISTO, qui eſt increata Sapientia, hodierna die ab Eccleſia adoptantur, & ad Mariam transferuntur. Audiamus igitur illa tamquam ex ore Sanctæ hujus Virginis manantia, ut ſingularis amor, quo oſtendunt illam e Deo in honore habitam fuiſſe, nos quoque ad illam pro meritis diligendam impellat. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Ita ſane. Ab æterno conjecit Deus oculos ſuos in Mariam futuram Matrem dilecti Filii ſui. Ideo poſuit illam cum Salvatore in ordine electionis, qui electorum omnium Ordinem ſuperat, cum hoc tamen diſcrimine, quod Salvator prædeſtinatus erat per naturam, Maria vero per gratiam, & electionem e Deo illius factam, ut eſſet aliquando Mater Salvatoris. Ecce Myſterium, quod hæc Sanctiſſima Virgo per Eccleſiæ Organum nobis annuntiat: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum.* Sed quandoquidem Deus Mariam dilexit ante omnia creata: *Antequam quidquam faceret;* & amore ſuo illam diſtinxit ab electis omnibus, quinam tandem eſſe debet amor noſter erga illam? Non ſufficit illam a nobis amari propter ea bona, quæ nobis procuravit, & hactenus procurare poteſt: hoc enim potius eſſet noſmet, quam Mariam diligere; ſed diligenda eſt propter gratiæ dona quibus illam cumulavit Deus propter dignitatem Matris Dei, propter virtutes ſuas, & gloriam, ad quam virtutes ſuæ illam extulerunt. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Per abſolutam potentiam ſuam Deus Mariam ab omnibus aliis [illegible] creaturis diſtinxit.

Non dicit Maria ad Deum, ſed Dominum ab æterno ipſam poſſediſſe: *Dominus poſſedit me;* quibus verbis ſignificat, Deum abſoluta ſua poteſtate uſum fuiſſe, ut illam in ordine e creaturis aliis diſtincto collocaret: *Dominus poſſedit me*, vel ut alibi loquitur: Omnipotens propter me oſtendit robur brachii ſui; Agebatur quidem de ſubtrahenda Maria iis legibus, quas Deus aliquando laturus erat contra omnes homines. Profecto Maria efformata fuit ex mortali carne, ſed immuni ab omni propenſione in malum, infans eſt, ſed cum ratione, & Sapientia ætatis perfectæ: Virgo eſt, ſed ſine ſterilitate; Mater eſt, ſed ſine partus dolore; ſpecioſa eſt, ſed ſpecies ejus virtutem ſudet; moritur, ſed mortis dolorem non patitur; mortua eſt, ſed corpus ſuum corruptionem non ſenſit. Annos ſexaginta vixit in terris, ſed mundus nunquam occupavit eam; ſingula vitæ ſuæ momenta repleta ſunt praxi virtutis alicujus. Ita Deus ſupremum exercens dominium Mariam a communibus miſeriis liberavit. *Dominus poſſedit me.* Virgini Sanctæ gratulemur ob tot tantaſque prærogativas, eaſque illi conceſſas fuiſſe lætemur; ſed conemur ſimul aſſiduis precibus illius nobis promereri præſidium. Quam beati erimus, ſi ſalutis noſtræ negotium eidem commendare poterimus: ſi enim Dominus conſuetas providentiæ ſuæ regulas in Mariæ gratiam perfregit, illi profecto ſingulares gratias largietur. *Idem.*

Dominus poſſedit ſemper Mariam, hoc eſt, ſemper habitavit in illa, & ſemper cordis ejuſdem poſſeſſionem tenuit.

Dicit Maria Dominum poſſediſſe illam, ut oſtendat, ſe non pertinere tantum ad Deum, uti creata cetera, quæ illius juris ſunt quatenus opera ejus. Mariæ privilegium eſt, Dominum ſemper habitaſſe in illa, ſemperque cordis illius poſſeſſionem tenuiſſe; *Dominus poſſedit me.* Primus quidem hominum parens idem cum illa oriens privilegium obtinuit; ſed peccatum ipſius illum de hoc deturbavit, & in dæmonis ſervitutem redegit. Poſt primi parentis lapſum omnes naſcimur ſubditi Principis tenebrarum; & Deus non adit poſſeſſionem animarum noſtrarum, niſi poſtquam illas de turpi hac eduxit captivitate. Mariam vero Dominus re adhuc integra ſtatim poſſedit; *Dominus poſſedit me ab initio;* poſſeditque eam ſemper. Brachium illud, quod eam ab originali peccato præſervavit, eamdem ſemper ſervavit in gratia. O Felicem incomparabilis hujus Virginis ſtatum! Ne unum quidem extitit momentum, quo caruerit felicitate placendi Deo. Tanta hæc gratia præter illam contigit nemini; neque Deus ejuſdem e quoquam rationem expetiturus eſt. Illud vero exprobrabit vobis, ſe a vobis adeo modicum relinqui in poſſeſſione cordis veſtri, quod plurimis de cauſſis ſuum eſt: & dum quærit iterum illius poſſeſſionem ſibi vindicare, vos illi reſiſtitis, ac pertinaciter illum aditum prohibetis. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Maria fuit plena gratia.

Gratia, qua Beata Virgo e primo ſuæ Conceptionis articulo plena fuit, quam cum Theologis appellamus ſufficientiæ plenitudinem, in omnes animæ ipſius facultates ſe effudit. Mariæ Spiritus inde enituit, & cor conflagravit, cogitationes illius exinde factæ ſunt tamquam lucis radii, & affectus ſicut flammæ ardentiſſimæ claritatis in Deum. Inde perfecta illa ſubmiſſio carnis ad ſpiritum, quam nulla licet puriſſima creatura experta eſt puriorem poſt Adæ peccatum; hæc propenſio, hæc celeritas in bonum, quam nullum obſtaculum in ea retardavit, ſicuti in aliis hominibus uſuvenit; ſublimis hæc perfectio in omnibus operibus, & cupiditatibus ejus ſemper conformibus, & congruis eminenti gratiæ, quæ earum erat principium. Hinc Virtutes omnes in Maria in ſublimi gradu, omnia Spiritus Sancti dona, quæ nos egregium in modum operari cogunt. *Gratia plena.* Quanta nos lætitia afficere debent hæc Mariæ privilegia! neque enim fieri poteſt, ut illa tot bonis cumulata, Deo adeo accepta abnuat ſua pro nobis uti auctoritate ad ipſam confugientibus! Ipſa nos invitat; *Tranſite ad me omnes.* Accedite ad me, inquit illa, veluti Mater ſuos Filios arceſſens, ut illos in ipſorum neceſſitatibus repleat: *A generationibus meis implemini. Pater Segneri in Meditationibus.* Eccli. 24.

Maria habuit gratiæ plenitudinem pro hominibus.

Superabundantiæ plenitudo, quo nomine illam cum Eccleſiæ Doctoribus appellavimus, illa fuit, quam recepit Maria eo momento, quo Sancta Virgo æternum Verbum concepit. Beatum illud momentum factum eſt Beatæ Virgini incrementum gratiæ, quod non ſatis exprimi poteſt. Quidquid ipſi ſcimus, hoc eſt ex Maria factum fuiſſe Altiſſimi habitaculum; Altiſſimum non horruiſſe Virginis uterum; Altiſſimum ex eodem Sanguine, qui in Mariæ venis fluebat ſibi mortalem carnem efformaſſe. Tunc Maria quodammodo ingreſſa eſt in poſſeſſionem gratiarum, cujus Salvator Filius ipſius, Dominus eſt. Incepit illa quodammodo cum illo partiri mediationem Deum inter & homines; ſalus noſtra exinde fieri cœpit negotium illius æque ac JESU CHRISTI: incepit illa ſuas preces, & vota cum meritis hominis Dei conjungere, quem ſinu ſuo erat geſtatura ad flectendum æternum Patrem; ad obtutus miſericordiæ ipſius in nos convertendos, noſque cum illo conciliandos. Ita Maria per ſe plena gratia, etiam propter nos repleta fuit, quandoquidem cum qualitate Mediatricis hominum communicata illi fuit facultas petendi, atque obtinendi in eorum gratiam quælibet bona. Cum autem Maria hos omnes titulos in Cælo tueatur, quid in eadem confidere poſſumus? Munus illius eſt pro nobis ſollicitare Filium ſuum, ſicuti JESU CHRISTI munus eſt indeſinenter intercedere pro nobis apud Patrem. Verum, ut mereamur Mariam ſalutis noſtræ cauſſam ſuſcipere, nos quoque ad majorem illius gloriam aliquid conferre ſtudeamus, colamus illam ſincero cultu, virtutes illius imitari adnitamur; hoc potiſſimum illa expectat a nobis, hoc pretio præcipue ſuum nobis præſidium pollicetur. *Idem.*

Maria habuit gratiæ plenitudinem præ omnibus Sanctis.

Gratiæ plenitudo, quam ſupereminentiæ plenitudinem appellavimus, illa fuit, per quam Maria ſuperavit omnes Sanctos acceptiſſimos Deo, & qui fideliſſime Dei beneficiis reſponderunt. Fatentur omnes, gratiam, quæ in ipſo Conceptionis ſuæ momento Mariam ſanctificavit, majorem illa fuiſſe, quæ in Cælo principem Angelorum ſanctificavit. Gratiæ adeo ſingulari Virgo Sancta reſpondit omni cum fidelitate, ac perfectione, cujus capax eſſe poteſt anima donis Spiritus Sancti repleta; ejuſque perfecta reſponſio ejuſdem gratiæ incrementum obtinuit. Itaque Maria nunquam ceſſans, quominus in lucro poneret & talenta, quæ ſibi credita fuerant, & incrementum, quod adjiciebat illi Dominus in pretium fidelitatis, quem gratiarum theſaurum adepta non eſt? Ex ſexaginta, & pluribus, quos vixit, annis, ne unum quidem momentum nova majoris gratiæ acceſſione vacuum, qua Deus meram aliquam exornaverit creaturam. Quinam divitiarum cumulus illi fuit in noviſſimo vitæ ejus articulo! Jure ergo hodierna die Sanctam Virginem ſalvere jubentes illam cum Angelo poſſumus appellare *plenam gratia.* Nomen hoc nobis oſtendit bona, quibus aucta fuit, curas, quibus uſa eſt, ut inceſſanter ex illis fructum perciperet, & ſemper novas benedictiones, ſemperque ingeminatas, quas conſtans fidelitas ipſi ſemper promeruit. Quis obtinuiſſet gratiarum plenitudinem, niſi tu Beata Virgo, quæ in lucem eras paritura ipſum gratiæ auctorem? Deus, qui donis ſuis cumulaturus erat peccatores, parce illa parenti ſuæ contuliſſet? Ita eſt Virgo Sancta? Gratiæ dona large effuſeque tibi primo tuæ Conceptionis momento collata fuerunt. Jam tunc in omnes animæ tuæ facultates Gratia ſe effudit; Spiritus tuus enituit, cor tuum ignitum exarſit, corpus ipſum tuum nullam admittere potuit impreſſionem in malum. Hæc tua fuit felicitas Virgo incomparabilis? Noſtra vero fuit, quod Dei Mater

effecta

effecta fieres apud illum advocata noſtra; ſed omnipotens advocata eo jure, quod tibi offerebat qualitas Matris ſuper cor, & gratias illius. Plena gratia in temet, per dignitatem tuam eo perveniſti, ubi efficeres, ut ubertim illa in nos quoque diffluerer. Sed quid mihi prodeſſent & dignitas, & liberalitas tua, ſi eadem uti nollem, & me indignum præberem, qui ejuſdem effectus experirer? Igitur in poſterum nihil prætermittere volo, Virgo potens, ut tuam erga me gratiam promerear. Aſſiduo præſtabo tibi officia mea, neque petam abs re, niſi ea, quæ novero placere tibi, videlicet, ut me commendatum velis Filio tuo, & illuc perveniam, ubi illum amare, eique ſervire valeam, uti æquum eſt. *Idem*.

Inſignes prærogativas, quibus Sancta Virgo a Deo fuit cumulata propter Conceptionem ſuam.

Ab unico veluti ductu vobis humilem hanc Virginem exhibendam, dicere poſſumus, illam immunem ab iis phantaſmatibus, quæ noſtram ſpiritualibus objectis applicationem perturbant, & a ſecretis illis cogitationibus, quæ ſæpe optimas quaslibet actiones noſtras corrumpunt, effeciſſe, ut oratio ſuum laborem dirigeret, & labor orationem præpararet; & mens cordi conſentiens verſaretur ſolum ſupra objecta labe vacua, & motibus voluntatis ſuæ nunquam prævertentibus lumina vel rationis, vel fidei, non cogitaret, niſi de iis, quæ ſibi erant cogitanda, & non niſi diligenda diligeret. Ita ut dicere valeamus neminem unquam plures Cæli favores recepiſſe, neminem melius unquam iiſdem uſum fuiſſe; & ſi gratia in hac Sancta Virgine oſtendit, quouſque ipſa geſtare poſſet creaturæ infirmitatem, Virgo pariter in ſe oſtendit, quouſque creatura ferre poſſet gratiæ virtutem, per uſum fidelem ipſius. Poſt hæc non ne dicere poſſumus gratiam cumulatiſſimum eſſe Virginis elogium, quoniam omnem illius Sanctitatem conſtituit; & Virginem maximum eſſe elogium gratiæ; quia ipſa eſt gratiæ opus abſolutiſſimum? *Ex ſecundo Sermone Academiæ anni* 1681.

Sancta Virgo ab originali peccato immunis, liberata fuit ab omnibus funeſtis effectibus ejus.

Sanctæ Virginis felicitas imperfecta fuiſſet, ſi ab omni originalis peccati labe immunis ejuſdem effectus fuiſſet experta, ſicuti videmus aquas Baptiſmi nos in Dei gratiam revocantes, ſemper nos in ejuſdem amittendæ periculo relinquere, & poſtquam temperaverunt in animabus noſtris ignem cupiditatis, remanere adhuc favillas, quæ identidem excitantur: Sed quæcumque mala pariant in cordibus noſtris, in Mariæ corde omni motu carent; earum ardor per caritatem expiatus inſtrumentum eſt virtutum ejus; & nonniſi per divina, atque cæleſtia objecta ſuccenditur. Miſeri filii patris rebellis, ac inobedientis jure flemus moleſtos criminis ejuſdem effectus; querimur de imperioſis cupiditatibus, quæ in nos exercent tyrannidem, de ſtudiis, quæ dominantur in nobis, de cæcis ſubſultibus, quæ nos rapiunt, aliiſque illinc proficiſcentibus malis, quæ efficiunt, ut ratio ingemiſcat ſub jugo carnis fere ſemper imperiis ejuſdem rebellis. Triſtis, & miſera peccatorum hæreditas! tibi obnoxia non eſt innocens Virgo. Turpia hæc naturæ humanæ vulnera deſtinata ſunt filiis corruptoris ſui, non autem parenti Redemptoris. Si hæc peccati ſemina non omnino ſuffocata fuerunt in Virginis anima; eorum tamen infelix fecunditas prorſus ſuſpenſa fuit; Ejus effectus obſequentes, & dociles non niſi ad illius nutum excitabantur; & quin aliquis illi exerendus eſſet conatus ad eorum impetum cohibendum, ultro ſequebantur jugum rationis, & gratiæ. *Ex Sermone tertio Academiæ anni* 158r.

Immunis fuit ab infirmatibus infantiæ & ratio in ipſa præmatura fuit.

Neque minus Sancta Virgo immunis fuit ab ætatis ſuæ infirmitatibus, quam ab æſtu cupiditatum. Ratio ejus ocyus illuſtrata, fere non præſtolata eſt ſubſidium annorum ad agendum; & quamvis non habuerit unquam domeſticos inimicos, quamprimum ab illis victoriam retuliſſet. Cumulatiſſima dona, quibus Cælum illam repleverat, non otiata ſunt in anima ejus, & bonorum omnium cumulus fuit iiſdem uti potuiſſe eodem fere momento, quo illis fuit aucta. Gratia igitur prima jecit ſemina in animam Virginis: Hæc autem excoluit primas haſce impreſſiones omni ea cura, quæ ad alias promerendas erat neceſſaria. Deus non minus prodigus fuit ſuorum beneficiorum, quam illa ſollicita, ut inde proficeret, ita ut per fidelem ſeriem cooperationum, atque gratiarum ſimul connexarum, ſenſim earum plenitudinem promeruit, & fontem exhauſit; & quin penetraret Dei conſilia, ea complere ſancta ſedulitate conata eſt, quanta ſi unanimi conſenſu cum Providentia certaret. Felix, quod ab æterno electa fuit, ut Dei Mater fieret, ſed immortalibus digna præconiis, eo quod glorioſum hunc titulum meruit, quantum ſimplex illum mereri poterat creatura. *Ex eodem*.

Deus poſtquam illam immunem præſtitit a peccato, ejuſque effectibus, format eam ad ſimilitudinem Filii ſui.

Deus fingere cupiens eximiam creaturam tamquam ſtatuarum faber incepit auferendo quidquid vitioſum eſſe poterat, & informe; & poſtquam immunem effecit ab omnibus noxis naturæ inhærentibus per inſignes, præclaraſque dotes, quibus cumulavit illam, per beneficia, quæ in illam effudit, perfecit eam ſecundum ideam, quam ſibi ab æterno propoſuerat. Hujuſmodi rationem ſecutus eſt Deus erga Virginem, ex qua facere cupiebat creaturam numeris omnibus abſolutam, & dignam, quæ in ſinu ſuo Verbum geſtaret. Primus miſericordiæ obtutus, quem conjecit in illam, liberavit eam a crimine, quo alioquin fuiſſet infecta; Primus favor, quem contulit illi, fuit eximere illam ab omnibus naturæ infirmitatibus, quibus alioquin fuiſſet obnoxia. Mox vero illam præſtantiſſimis donis locupletavit. Nulla gratia eſt, qua illam non exornet, ac decoret. Ita nullam in ea labem relinquens omnia perfectionum genera in illam congerens per admirabilem ſapientiæ, & potentiæ ſuæ conſenſionem, præparat illam dignitati, cui deſtinaverat eam. *Ex Quarto Sermone Academiæ anni* 1681.

Ad honorem Filii Dei ſpectabat ſibi creare matrem ſine macula.

Intererat procul dubio Sapientiæ Dei Sanctam Virginem ab omni peccati labe eximere; quandoquidem nulla merita reparare poterant deinceps malum, quod in illa culpa peperiſſet; nulla gratia ſarcire poterat primam illam innocentiam, & incorruptam integritatem, quæ ad Deum ſinu ſuo concipiendum videbatur neceſſaria. Ut illam innocuam, & ab omni labe puram ſervaret, eam præſervare debebat non ab operibus ſolum, verum etiam ab omni peccati macula, integramque a peccati veneno tueri. Tamen, quamvis Virgo ſine peccato fuiſſet concepta, cum uti nos efformata fuiſſet ex ea carne, quam peccatum in ſuo principio vitiaverat, procul dubio, illa, uti nos, extitiſſet infelicibus peccati effectibus obnoxia. Sed immortales habeantur gratiæ infinitæ Miſericordiæ Dei, quod per recens beneficium præſervata a plagis, quas Adam humanæ inflixit naturæ, incolumis, & integra fuit, & immunis a malis omnibus, quæ peperit in nobis prævaricatio. *Ex quarto eodem Sermone*.

Primum momentum Conceptionis B. Virginis fuit gratiæ momentum.

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Antiqui (inſignis Beatæ Virginis Famulus ait) quotannis celebrabant diem ſuæ Nativitatis, & Conceptionis effuſo lacrymarum imbre: Ita Job poſtquam maledicto perculit diem, quo natus erat, idem protulit Anathema in ſuæ conceptionis momentum: *Pereat dies, in qua natus ſum; & nox in qua dictum eſt: conceptus eſt homo*. Quia omnes concipimur, & naſcimur filii iræ Dei. Animæ noſtræ ſimulac corporibus noſtris adhærent, ſeparantur a Deo per peccatum; & hæc erat lacrymarum, quas effundebant, cauſſa. Sed alia in claſſe eſt Virgo Beatiſſima. Primum Conceptionis ejus momentum eſt gratiæ, & principium beatitudinis ejus. Nunquam extitit iræ filia, quoniam ſemper formoſa fuit: *Tota pulcra es*, cum nunquam receperit impreſſionem maculæ, quam Deus ferre non poteſt in aliquo quin oderit illam. Itaque tota ſimul lætatur Eccleſia in Conceptione Sanctiſſimæ Virginis: Angeli ipſi, teſte Sancto Bernardino, in Cælo celebrant Feſtivitatem, quam nos hodie celebramus in terris. Solemnem ipſi recolimus memoriam Immaculatæ Conceptionis ſuæ Deo gratias acturi de ſingularibus prærogativis, quibus ei placuit ex primo illo temporis articulo eam exornare: verum etiam celebraturi merita Virginis incomparabilis, quæ ex illo momento exæquarunt merita omnia Summorum Sanctorum. Verum eſt illam ex tunc a Creatore a ceteris hominibus fuiſſe diſtinctam, ſed verum quoque eſt illam ſemet diſtinxiſſe optime, tunc primum collatæ ſibi gratiæ reſpondentem. *Pater Croiſet in Aſceticis*.

Job 3.

Cant. 4.

Ex eo tempore Deus diſtinxit illam a reliquis hominibus.

Noviſſimo momento vitæ Sanctorum dies eorum Feſtus colitur; etenim nequicquam tota eorum vita Sancta dici poteſt niſi extremum illud momentum Sanctum fuerit; quandoquidem Sanctitati illius reſpondet omnis gloria, qua perfruuntur. Sed quoniam Immacolata Virgo adhuc Sanctior eſt primo Conceptionis ſuæ momento, quam omnes Sancti fuerint in exitu vitæ ſuæ; nonne æquum erat, ut ſolemni Feſtivitate primum illud recoleretur momentum adeo Sanctum, adeoque Sanctæ Virgini glorioſum? Primo illo momento conſecravit Deo cum omni, qua fieri potuit perfectione, primum cordis ſui motum. Gratus animi ſenſus propius ſecutus eſt gratias acceptas, ita ut momento eodem quo fuit beneficiis cumulata, plena fuerit amore erga ſuum benefactorem. Sed quo amore plena? Quis illius ardorem, perfectionem, præſtantiam ſatis valet exprimere? Sufficit dicere cum Sancto Vincentio Ferrerio, Mariam primo Immaculatæ Conceptionis ſuæ articulo gratiam recepiſſe majori cum plenitudine, quam omnes Sancti, omneſque Angeli ſimul. *Virgo fuit ſanctificata in utero ſuper omnes Sanctos, & omnes Angelos. Pater Croiſet in Aſceticis*.

Virgo Sanctiſſima non ſolum concepta fuit ſine labe, ſed conſecravit, auxitque gratiam ſ..... uſque ad extremum diem.

Si magnum eſt Beatiſſimæ Virginis privilegium gratiam recepiſſe cum vita, non minus eſt gratiam hanc non ſolum ſartam tectam uſque ad obitum ſervaſſe, verum etiam in dies ſingulos amplificaſſe. Nos, qui in peccatis concepti ſumus, & naſcimur in illis, ſero recipimus gratiam, quæ nos Dei facit amicos: & quod longe deplorabilius eſt, illius fere ſtatim jacturam facimus, ac eandem accepimus; ut reliquos vitæ noſtræ dies traducamus, incerti, utrum illam reparave-

paraverimus. Heu! plerique non multos tranſigimus dies in Baptiſmi gratia, niſi quamdiu fere ignoramus quid ſit peccatum, a quo illa nobis præripitur. Quænam ergo noſtra felicitas eſſet, ſi hodierna ſaltem die innocuam vitam ducere inciperemus? Conemur impoſterum ita vitam ducere, ut extremos vitæ dies in gratia claudere valeamus. Quod in gratia concepti non fuerimus, conſolari quodammodo poſſumus; hoc enim in poteſtate noſtra non erat poſitum: Sed malorum omnium maximum, quod nullam patitur conſolationem, eſt non mori in hoc ſtatu gratiæ, extremum obire diem in Dei odio, & mori in peccato. In peccato conceptum eſſe malum eſt, ſed Baptiſmus præſens eſt hujus mali medicina: ſed mori in peccato malorum omnium funeſtiſſimum eſt; cumulus malorum omnium, cui nullum pharmacum poteſt inveniri. Ad hoc vero malum evitandum quodnam validius amuletum inveniri poteſt, quam Immaculatæ Conceptionis devotio? *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Immaculatæ Conceptionis devotio præſentiſſimum eſt remedium ut in innocentia vivamus, & moriamur.

Cum totum Sanctum hoc Myſterium verſetur in ſingulari hac prærogativa, in peculiari hoc privilegio, in hac inſigni gratia, per quam Sanctiſſima Virgo ab originali, & actuali quacumque noxa præſervata fuit; devotio erga ſacrum hoc Myſterium hanc Miſericordiæ Matrem impellit, ut famulis ſuis gratiam obtineat vivendi, & moriendi in innocentia; & aſſerere poſſumus peculiarem effectum devotionis erga Immaculatam Conceptionem eſſe, morum puritatem, vitæ innocentiam, finalem gratiam, quæ ſemper merum eſt Dei donum; quoniam nihil adeo movet Sanctam Virginem ad nobis obtinendam bene vivendi, moriendique gratiam, quam tenera erga Immaculatam ſuam Conceptionem devotio. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

B. Virgo ex hominibus una fuit, quæ communi maledicto non fuerit perculſa.

Veritas eſt, SS. Virginem unam ex hominibus extitiſſe, quæ maledicto communi perculſa non fuerit, & in univerſali ea colluvione minime perierit. Illam nobiſmet exhibere poſſumus tamquam illam admirabilem Arcam, quæ ſupernatabat aquis diluvii, & quæ ſalva facta fuit in gratiam Noe, primi, ut ita dicam, reparatoris humani generis, quem illa gerebat, & qui figura erat JESU CHRISTI Redemptoris noſtri. Fateamur, neceſſe eſt, nullum unquam fuit hoc præſtantius privilegium. Dæmon habet in vinculis ſuis univerſum genus humanum; unica Virgo ex illis elapſa eſt. Hæc non ſolum tuetur libertatem ſuam, verum etiam conterit ipſum Tyranni caput, & primo illo temporis articulo, quod fuit Initium, origo, & cauſſa malorum omnium, quæ homo paſſurus erit. Virgo hæc invenit principium omnium benedictionum, quibus cumulanda eſt, & quibus eſt cumulatura univerſum orbem per Filium ſuum Salvatorem noſtrum. Ex primo illo momento, quo omnes homines in terribili caligine conſepulti fuerunt; Sancta hæc Virgo nitenti in luce refulſit, quæ eoſdem Angelos perſtrinxit. Primo illo vitæ momento, quo omnes homines promiſcue ſtatim pati, ac vivere incipiunt; ſe ipſam invenit eot cumulatam deliciis, ut cæleſtes Spiritus admirentur, & obſtupeſcant; *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens!* Mirum non eſt, originem adeo puram, omnem puritatem ſuam reliquo vitæ ſuæ tempore ſervaſſe. Sancta hæc Virgo omnibus vitæ ſuæ momentis crevit in Dei amore, fervore, omnique virtutis genere; & ſi primum adeo plenum fuit Sanctitate, qualia cetera extitiſſe credenda ſunt, quandoquidem in ſingula geminavit theſaurum meritorum, quem poſſidebat? Sed quod adhuc admirabilius eſt, & ad noſtram doctrinam utilius, illud eſt, quod ab omni infirmitate immunis, & confirmata in gratia in Immaculata Conceptione ſua, Mundum nihilominus, & Mundi corruptionem fugit. Licet cum omnibus innocentiæ privilegiis concepta, vixit tamen in ſeceſſu, in auſteritate, in omnibus pœnitentiæ ſeveritatibus. Licet Spiritu ſancto plena a primo ſuæ originis momento, laboribus non abſtinuit, & nunquam Sanctitati ſuæ terminos poſuit. Semper in meritis, atque virtutibus crevit. Admiremur, & inceſſanter Sanctam hanc Virginem celebremus, ſed meminerimus illius colendæ, eique placendi rationem eſſe imitari puritatem ejus, humilitatem, aliaſque virtutes illius. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Cant. 8.

Cum Dei Filius creaverit S. Virginem futuram ſibi Matrem non niſi puram, & ſine labe illam potuit creare.

S. Auguſtinus ad loquendum inducens Salvatorem cum Manichæis, detrectantibus colere Dei Matrem hæc illi verba tribuit: *Hæc, quam deſpicis Manichæe, Mater mea eſt, & de manu mea fabricata.* Quæ cum ita ſint, quis dubitare poteſt, quominus illam puriſſimam effinxerit? Quis credere poteſt ipſum illi negaſſe, quidquid alicui conferre poterat ad illius perfectionem, præſtantiam, & dignitatem? ipſam non decoraſſe juſtitia originali, nitidioribus virtutibus exornaſſe, cæleſtibus theſauris omnibus locupletaſſe, omnibuſque gratiis cumulaſſe? *Si potuit inquinari cum facerem, potui inquinari cum ex ea naſcerer. Talem ſibi delegit*, S. Bernardus inquit, *immo talem ſibi Matrem condere voluit, qualem ipſum decebat, & quam noverat ſibi placituram. Pater Croiſet.*

Æquum non erat, ut quæ Deum eſſet paritura, vel uno tantum momento, aliquo pacto in Dei odio verſaretur. Opus non erat, ut Virgo delecta, ut peccato cladem inferret, ipſa quocumque modo eſſet eidem obnoxia peccato. Neque Dei Filium decuiſſet, ſi Sanctuarium, in quo manſurus erat, inimiciſſimum ſibi excepiſſet. Denique amor ſuus flagitabat, ut erga Matrem ſuam omnem exerceret miſericordiam, neque omnem illam exercuiſſet, niſi eam a profundiſſimo lapſu præſervaſſet. Hinc complures Sancti Patres dixerunt Sanctam Virginem redemptam fuiſſe, vel potius participem fuiſſe Redemptionis divini Mediatoris præcoci redemptione; Salvatorem vincula noſtra confregiſſe nos a ſervitute liberando; Matris vero ſuæ Redemptorem fuiſſe, prohibendo, ne caderet. Salvator eſt noſter nos gratiæ reſuſcitans; Mariæ vero Matris ſuæ illi ſemper vitæ gratiam conſervans. Æquiſſimum eſt, Beata Virgo, ut Cælum tot te privilegiis condecoraverit formans te, ut aliquando eveheretis ad altiſſimam dignitatem, quæ fuerit unquam, vel quæ eſſe poſſit; neque minus æquum eſt, ut univerſus Orbis inſigne hoc privilegium concelebret. Æquiſſimum eſt, ut Eccleſia colat primum illud tuæ vitæ momentum, in quo Sanctior fuiſti quam omnes ſimul Sancti fuerunt in exitu vitæ ſuæ. Æquum eſt ut fideles ſingulari devotione recolant beatum illud Immaculatæ Conceptionis tuæ momentum, quæ facta eſt totius noſtræ felicitatis exordium. *Pater Croiſet.*

Cum unice creata fuerit, ut eſſet Mater Salvatoris, non poterat illa ne momento quidem eſſe ſub ditione infeſtiſſimi ſui inimici.

Hæc quoque cauſſa eſt propter quam Eccleſia divino afflata Spiritu peculiarem hanc inſtituit feſtivitatem ſub titulo Conceptionis Mariæ. Intelligit enim celebrare hoc gratiæ privilegium, atque Miraculum, quod Sanctam Virginem ſanctificavit eo momento, quo fuit concepta, & quemadmodum dici poteſt hanc primam gratiam cumulum adjeciſſe plenitudini earum gratiarum, quas receperat; nam quomodo Angelus illam ſalutare potuiſſet gratia plenam, ſi in vita ipſius vel unum extitiſſet momentum, ubi non fuiſſet plena: Eccleſia vult, ut Fideles omnes ſuas congratulationes conjungant in hoc feſto inſignem favorem hunc celebraturi. Beato illo temporis momento in ipſa adimpletum eſt, Patres inquiunt, quod Deus ſerpenti prædixerat: *Ipſa conteret caput tuum.* Originale peccatum, Sanctus Auguſtinus inquit, eſt veluti caput ſerpentis inferni; quia peccatum hoc eſt fatale principium, quo dæmon ſe hominis dominum conſtituit. Maria liberata a morſu hujus ſerpentis in Immaculata Conceptione ſua per gratiam prævenientem eo momento caput ejus contrivit; quod inſigne eſt privilegium, propter quod dixit: *Non gaudebit inimicus meus ſuper me. Idem Pater Croiſet.*

Cauſſa propter quam Eccleſia inſtituit hanc feſtivitatem.

Genef. 3.

Pſalm. 40.

In virtutem hujus prædilectionis, Eccleſia illam *Primogenitam ante omnem creaturam* appellat, & applicat illi ea Proverbiorum verba: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Deus proteget illam diluculo, ſummo mane, in primo vitæ ipſius momento: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo*, inquit, Propheta. Altiſſimus debuit ſanctificare locum quem elegerat, ut ibi inhabitaret: *Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Sanctitas puriſſima efficere debuit ornamentum domus ſuæ, *Domum tuam decet Sanctitudo:* Decebat Sanctus Anſelmus ait, ut talis Virgo, quam Deus ſibi in Matrem elegerat, tantæ puritatis eſſet, ut major ne cogitari quidem poſſet in aliqua creatura: *Decens erat, ut ea puritate, qua ſub Deo major nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Cum Angeli creati fuerint in innocentia, Angelorum Regina, Patres inquiunt, debebat ne illis vel minimo momento minor eſſe in Sanctitate; & gratiam quam Deus Evæ conceſſerat primæ illi Mulieri, quæ mortem illatura erat in Mundum, aſſe negaſſet Mariæ, quæ vitæ auctorem erat paritura? Certum eſt, Sanctus Ildephonſus ait, illam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolum liberati fuimus a maledicto, quod prima Mater noſtra in noſtrum caput detraxit, ſed omnis benedictionis genus conſecuti ſumus: *Conſtat eam ab omni peccato originali fuiſſe immunem, per quam non ſolum maledictio Evæ ſoluta eſt, verum etiam benedictio omnibus condonata.* Credere poſſet Deum, qui *antiquam Virginem ſine probro condidit, ipſum & ſecundam ſine nota, & crimine fabricatum non eſſe?* Caro JESU, ſecundum Sancti Auguſtini dictum, cum eſſe deberet portio Carnis Mariæ, arbitrari aliquis poſſit, Deum hunc adeo zelotypum innocentiæ, & perfectiſſimæ Sanctitatis, Deum, qui perhorreſcit maculam, quam vel minimum peccatum relinquit, permiſiſſe, ut Mariæ caro, ex qua Mundi Salvator proprium Corpus ſuum erat formaturus, unquam labe aliqua inficeretur? Abſit hoc, Sanctus Bernardinus exclamat, ut beata illa domus, ubi Verbum Caro factum novem menſes incoluit a minima forde fuiſſet expianda. *Abſit ne proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuiſſe credatur, ut in ea proinde ſcopa quæreretur. Pater Croiſet in Aſceticis.*

Eccleſia vocat illam omnium creaturarum primogenitam. Eccli. 24.

Pſalm. 45.

Ibidem.

Pſalm. 92.

De Partu Virg.

Serm. 2.

Beatiſſimæ Virginis Conceptio ſine labe.

Deus dixit: fiat lux, & facta eſt. Pura *lux* hæc S. Vincentius Ferrerius ait, *dicitur illa benedicta generatæ Virginis Mariæ, quæ ſine tenebris culpæ facta eſt. Non credatis*, ſequitur idem, *quia fuerit ſicut in nobis, qui in peccato concipimur. Sed* in Conceptione Mariæ, *ſtatim poſtquam Corpus formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata*, & eodem tempore, ſubjicit ille, quia inventa eſt in oculis Dei tota pura, tota ſancta, tota pulcra: *quia facta eſt lux ſanctificationis in illa: Angeli in Cælo fecerunt feſtum Conceptionis. P. Croiſet.*

JESU CHRISTI Sanctificatio in utero Matris, Nativitas prorſus Sancta, nequaquam fuiſſent peculiare Matris Dei privilegium, quæ ex Patrum ſententia plures ſola gratias recepit, & beneficia inſigniora, quam Sancti omnes ſimul; illa cui Deus omnes contulit gratias, omnem perfectionem, & gloriam, quam mens concipere poſſit in creatura, S. Thomas Villanovanus inquit, & majorem adhuc, quam concipere

Serm. 2. de Nat.

valeat. *Nihil illi gratiæ, & perfectionis, & gloriæ, quam animus in pura creatura concipere poſſet defuiſſe; immo re ipſa omnem intellectum ſuperaſſe.* Illi denique, ut S. Bernardinus Senenſis ait, tantam elargitus eſt Deus gratiam, *quanta uni, & puræ creaturæ dari poſſibile eſt*; & proprie loquendo inſignis hæc Immaculatæ ſuæ Conceptionis prærogativa illam ab omnibus creatis rebus diſtinguit. *P. Croiſet.*

Dominus illam totam pulcram vocavit.

Tota pulcra es in Conceptione, doctus inquit Idiota: hanc unam prærogativam Dominus cenſuit dignam Matre, quam ſibi delegit. Unicum hoc privilegium eſt, quod ſingularem afflat decorem gloriæ Matris Dei; hoc extremam admovet manum ſimilitudini inter illam, & ænigmaticas imagines, quas Spiritus ſanctus nobis propoſuit, inter illam, & omnes myſticas figuras, quæ illam nobis repræſentant, modo ſub lilii ſymbolo, cujus candorem inter ſpinas admiramur:

Cant. 2.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias: modo ſub imagine Horti concluſi, quo Serpens nequit obrepere, modo ſub illa fontis Signati.

Cant. 4.

Hortus concluſus ſoror mea: Fons ſignatus, SS. Trinitas Hortum hunc ita circum undique clauſit, inquit Richardus a S. Laurentio, ut invius eſſet: *Concluſit hunc hortum tota Beata Trinitas. Ita concluſit, ut nulli hoſti, nulli maligno ejus pateret ingreſſus.* Quæ veritatis ſpecies erat, Patres inquiunt, ut quæ Dei Mater erat futura vel unico temporis articulo eſſet objectum odii ejuſdem; & Angelorum, hominumque Regina, unico momento dæmonis eſſet mancipium, & denique ut gratia originalis innocentiæ Angelis, & Evæ conceſſa, Mariæ negaretur? *P. Croiſet.*

Maria in Conceptione fuit aurora magni illius diei, quo Sol Juſtitiæ refulſit.

Quæ vota, bone Deus, poſt quinque annorum millia, ut aliquando tandem prodiret Sol juſtitiæ, hominumque Redemptor! Omnibus conſepultis in tenebris, quæ effuſæ erant ſuper faciem univerſæ terræ poſt Adæ peccatum, cupiebatur formoſus ille dies, qui Juſtitiæ Solem pariturus erat. Immaculata Mariæ Conceptio illius Aurora fuit: *Aurora prævia, dies noctis neſcia*, venerabilis inquit Petrus Cluniacenſis: Quod gaudium affert aurora illis, qui diem impatienter expectant! Hodierna die recolit Eccleſia memoriam adeo puræ lætitiæ; hoc primum eſt momentum, quo aurora illa ſine ulla nube refulſit. Diem hunc celebrat Eccleſia, & ſicut illa non poſſet non celebrare diem feſtum ejus, quod Sanctum eſt, ex S. Thoma, feſtum hodie celebrans, Conceptionis Immaculatæ Sanctitatem oſtendit. *Idem.*

Dominus ſemper poſſedit B. Virginem.

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Quænam eſt hæc Virgo adeo Cælo dilecta, cui verba hæc applicat Eccleſia, & quæ gloriari poteſt ſe nunquam fuiſſe ſub dæmonis captivitate? Mera eſt Creatura, quam Deus ſibi ab æterno elegit in Matrem. Num mirum eſſe poteſt ſi adeo zelotypus fuerit poſſeſſionis cordis illius, & ſi prima illius obſequia ſibi reſervavit? Templum eſt, in quo tota Divinitatis plenitudo reſidere debet; mirum eſt, illi ne minimam

1. Paral. 9.

quidem illius pati profanationem? *Non enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Opus eſt, ut Maria immunis ſit ab originali peccato; Filius enim Dei in utero ejus naſciturus eſt, tamquam in primo Templo ſuo, & primus uſus deſtinationis, & officii ſui meretur hoc Sanctitatis privilegium. *Neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo. P. Croiſet in Aſceticis.*

Idea quæ nobis habenda eſt de Conceptione S. Virginis per figuras quas nobis proponit Eccleſia.

De SS. Virginis Conceptione non eſt loquendum tamquam de hominum aliorum Conceptione. Extrinſecus quidem videtur puella, ut reliquæ vulgo: ſed Templum eſt, quod Deo præparat gratia. Si enim pro Templo Jeruſalem quodammodo Deus illic ſeſe exhibere voluit, & palam in nubis formam deſcendit, ut illud præſentia ſua conſecraret, ac ſe dignum efficeret; nonne oportebat, ut conſecraret etiam vivens hoc Mariæ Templum. Neque opus eſt, ut ſicut in aliis Templis ædificatio præcedat Sanctificationem, ut de illa dici poſſit, quod de Templo Salomonis, Deum videlicet illud Majeſtate, & gloria ſua impleviſſe; immo ita replevit omnes ſtatus vitæ ipſius gratia, & gloria ſua, ut ne unus quidem vacuus fuerit Deo: ut primum Conceptionis ejus momentum repletum fuerit ejuſdem Majeſtate, & gloria ipſius conſecratum. In Templo, cum ædificaretur neque auditus fuit malleus neque ſecuris, neque alterius cujuſpiam inſtrumenti ſtrepitus: æquiſſima figura puritatis, & Sanctitatis Conceptionis, vitæque totius Beatiſſimæ Virginis. Hæc eſt Arca Noe, quæ unice ſalva facta eſt ab aquis, quæ omnes terræ incolas merſerunt. Hæc Arca eſt Fœderis ex incorruptibili ædificata ligno, intus, ac extra auro mundiſſimo conveſtita. Hoc eſt ſpeculum ſine macula, cui colubri flatus nunquam afflavit caliginem. Hic Sanguis eſt, ex quo Spiritus ſanctus Deo ipſi formare debet corpus; nonne æquum eſt vetare, ne corrumpatur? Sanctus Sanctorum poterat ne conſociari cum carne peccato coinquinata. Diſcamus ergo ab Eccleſia revereri in Maria prærogativam adeo ſingularem, quin audeamus hoc ſcrutari Myſterium per infidelem curioſitatem, quæ infert contumeliam Matri Salvatoris. Sed quænam inde nobis haurienda eſt doctrina, ad morum noſtrorum ædificationem! Filii iræ, & odii poſſumus ne triſtem evitare calamitatem, in quam incidimus primo ipſo originis noſtræ momento? Poſſumus ne efficere, ne fatale ſit nobis momentum maledictionis? Nequaquam, ſed ex hac prærogativa percipere poſſumus, quænam habenda ſit gratiæ Santificantis idea per diſtinctionem qua vult Deus Mariam decorare in ipſo origine ejuſdem momento, & quo in horrore Deus habeat, & nos habere debeamus peccatum; quandoquidem eximit Deus a Lege communi Mariam, ne ipſe aſſumat carnem, quæ ſemel peccati labe fuiſſet commaculata. Nos prohibere non poſſumus, quominus in peccato concipiamur; ſed poſſumus, ac debemus ſine peccato vivere, ope gratiæ, quæ deeſt nemini. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Magnum privilegium immunitas a peccato originali.

Per Immaculatam Beatiſſimæ Virginis Conceptionem intelligimus ſingulare, & eximium illud privilegium per quod Deus feliciſſimam hanc Creaturam præſervavit a labe peccati originalis, quæ univerſam Adæ poſteritatem infecit. Nemo unus ignorat privilegium legem eſſe particularem, quæ homines hoc affectos privilegio eximit a communi lege, cui ceteri ſubditi ſunt. Privilegium ergo eo ſpectabilius eſt, quo lex, a qua eximit, durior eſt, & maxime univerſalis. Maria in Conceptione ſua exempta fuit a lege, qua omnes homines peccato erant ſubjecti. Ullane unquam lex extitit durior, atque latius effuſa? Intelligite, ſi fieri poteſt, pretium, magnitudinem, præſtantiam privilegii Immaculatæ Conceptionis. Privilegium hoc tale eſt, Doctores, & Patres inquiunt, ut ſi optio facta fuiſſet S. Virgini, ut utrum mallet, eligeret vel Dei Matrem eſſe, vel eſſe ſine peccato conceptam, Immaculatam Conceptionem ceteris quibuſcumque dotibus, ipſi etiam divinæ Maternitati fuiſſe prælaturam. Cognoſcenti, & amanti Deum eo modo, quo Sancta Virgo cognoſcebat, ac diligebat illum, nulla prærogativa, nulla gratia, nulla dignitas reparare poſſe videbatur tantum hoc mali, quantum extitiſſet, vel uno momento Deo inimicam, eique in odio fuiſſe. Hinc intelligamus quænam ſit nobis habenda idea de peccato. Profecto ſi auguſta qualitas Deiparæ poſcebat, ut eſſet illa immunis corruptione poſt obitum, & ab omni etiam venialis peccati labe in vita; quanto magis incomprehenſibilis dignitas iſta flagitabat, ut ab omni originalis peccati labe eſſet immunis? Quæ fidei ſpecies, quis decor erat, ut Dei Mater primo ipſo vitæ ſuæ momento dæmonis poteſtati eſſet ſubjecta? Quæ veritatis ſpecies, quod cum Deus adeo facile poſſet illam præſervare, voluerit Matrem ſuam eſſe captivam? Sed inſigne hoc privilegium, quam glorioſum eſt Matri Dei? Quot vero aliorum donorum, atque privilegiorum eſt cauſſa? Inde Sanctiſſima Virgo cumulata fuit majoribus gratiis primo illo momento. *Quidquid ſinguli habuerunt Sancti*, Sanctus Bernardus exclamat, *tu ſola poſſediſti!* Qua igitur pietate, quo cultu celebrandum eſt primum illud Sanctiſſimæ vitæ momentum? Quemadmodum omnia flumina, Sanctus Bonaventura inquit, influunt in mare, ita omnea gratiarum, & benedictionum torrentes ex Dei ſinu diffluentes, ac in Sanctos omnes diviſi influxerunt in cor Mariæ primo vitæ ipſius momento, quo ſanctificata fuit. Quam æquum erat celebrare felix hoc momentum cum omnibus lætitiæ, & perfectiſſimæ ſollemnitatis ſignificationibus! Æquiſſimum eſt bene nati filii officium gaudere Parentis ſuæ gloria, & felicitate. Hoc natura, ratio, officium, grati animi ſenſus filiis omnibus ſuadet. Ita vidimus, & ad hanc quoque diem videmus Reges, Matri ſuæ triumphi honores, quos ipſi negabant, deferri jubentes, & non niſi in honorem Matris ſuæ a ſubditis ſuis feſtos dies inſtitui cupientes. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Senſus lætitiæ, & venerationis, quos fovere debemus pro hac inſigni Feſtivitate.

Quodnam eſſe debet gaudium, veneratio, lætitia omnium Fidelium hac die? Qua pietate, qua cura, quo fervore nobis celebranda eſt feſtivitas Immaculatæ Conceptionis Matris Dei; quæ ex omnibus feſtivitatibus in illius honorem inſtitutis illi antiquiſſima eſt, eique jucundiſſi-

diſſima? Tepor noſter, & ignavia in hujuſmodi occaſione nonne argumentum eſſet modicæ gratitudinis, confidentiæ, & amoris noſtri? Mediocrem vero fovere pietatem erga immaculatam Matris Dei Conceptionem eſſetne hoc inſigne venerationis, & amoris noſtri argumentum? *Idem.*

Tres prærogativæ, quæ concomitatæ ſunt B. Virginis Sanctificationem.

Animadvertendum eſt tres ſingulares prærogativas, tria adfuiſſe privilegia in admirabili hac Sanctificatione, quæ nunquam in alia ulla creatura inventa fuerunt. Videlicet SS. Virginis Sanctificationem originalem fuiſſe, immutabilem, & in jugi incremento. Angeli, Adam, & prima mulier creati fuerunt cum gratia Sanctificante, ſed illam amittere poterant, & re ipſa Adam, & Eva, non ſecus ac Angeli Apoſtatæ illius ſtatim jacturam fecerunt. Sed Maria in Immaculata Conceptione ſua repleta fuit Sanctitate, quam nunquam amiſit, & quam per gratiam ne poterat quidem amittere, Apoſtoli poſt Spiritus ſancti illapſum in gratia confirmati fuerunt; ſed præterquamquod fuerunt peccatores, a levibus noxis non erant immunes, cum Maria a primo vitæ ſuæ momento immutabiliter ſuccenſa fuerit puriſſimo Dei amore, & per gratiam ſingularem toto vitæ ſuæ tempore a leviſſimis etiam erratis vacua fuerit. Beati in Cælo vacui quidem ſunt ab omni labe, & imperfectione, atque immutabili Sanctitate perfruuntur; verum hæc non poteſt creſcere, neque majorem perfectionem acquirere. Sed Sanctitas Mariæ in ſingula momenta aucta eſt, & in infinitum novis cumulata incrementis toto eo tempore, quo in vita permanſit. Primam hanc gratiam ſubſecuta ſunt Spiritus ſancti dona, habitus infuſi, virtutes morales, & intellectuales, dona prophetiæ, miraculorum, intelligentiæ Scripturarum ad ſummum uſque apicem perfectionis. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Gratiæ & benedictiones quibus illam Dominus cumulavit.

Nebulæ, quæ caliginem offundunt menti aliorum infantium, non offundebant caliginem luminibus mentis ſuæ. Cor ejus ex eo tempore occupatum fuit ardenti dilectione divini Sponſi cujus erat futura mater, & tempus, cujus mortales reliqui jacturam faciunt, fuit illi tempus meritorum, atque benedictionum. Quænam gratia, quænam Mariæ gloria primo illo momento! Satis æſtimari non poteſt, quantum illa per hoc privilegium profecerit. Quos enim progreſſus in Sanctitate facere debebat anima, quæ plus habebat gratiæ, quam Seraphin omnia, & quæ nulli obnoxia erat naturæ corruptæ imperfectioni? Ad quem contemplationis gradum ſeſe extollere debuit illa, quæ non ſentiebat pondus Corporis ſui, & cujus Spiritus tot erat luminibus illuſtratus? Quis eſſe debuit exceſſus amoris ſui in Deum tantum enim aberat, quod aliis affectionibus minueretur, ut aliis immo affectionibus uteretur ad illum magis magiſque inflammandum. Bone Deus, quænam eſſe debet admiratio noſtra, amor, & veneratio erga Matrem tuam in primo hoc ſuæ Conceptionis momento? Sed quæ noſtra eſſe debet devotio in feſtivitate hac celebranda? *Idem.*

Senſus quos forte tenemus de S. Virginis Conceptione.

Virgo Immaculata, Virgo Sancta, firmiter credo, Deum ab initio poſſediſſe te; credo non Conceptionem duntaxat tuam, ſed etiam totum vitæ tuæ ſpatium omni labe caruiſſe, ac te ad extremum uſque ſpiritum ſine ulla intermiſſione dilexiſſe Deum tuum. Fac SS. Virgo, ut per eam, quam in tua bonitate confidentiam colloco, Filii tui gratiam inveniam a me nunquam amittendam, & recolens toto vitæ meæ ſpatio, eo meliori modo, quo potero, Immaculatam Conceptionem tuam, te intercedente, mortis Sanctæ gratiam acquiram: Neque enim ullum eſt SS. Virginis Myſterium, neque ulla feſtivitas in illius honorem inſtituta, quæ illi magis accepta ſit, quam Immaculatæ ſuæ Conceptionis, & dicere poſſumus nullam eſſe, in qua B. Virgo ſe magis liberalem oſtendat erga illos, qui illam ferventer concelebrant, & qui ſingulari pietate Myſterium hoc proſequuntur. *Idem.*

Singularia bona Conceptionis Immaculatæ Virginis Matris.

Cum Virgo Sancta per ſingularem gratiam immunis fuerit a labe, quam Adam in omnem ſuam poſteritatem effuderat, ſenſus illius tranquilli fuerunt, & rationi ſubditi; ratio vero ordinata, & ſubjecta Deo. Non habuit illa hanc propenſionem, funeſtamque proclivitatem, quam ceteri homines in malum, hanc difficultatem, ac laborem fere inſuperabilem in eo, quod bonum eſt, operando. Spiritus ejus tenebris, & nequitia caruit; cor cupiditate, caro concupiſcentia, & infirmitate. Deus poſtquam hoc pacto Virginem liberavit a peccati corruptione, ac imperfectionibus naturæ, Deus inquam, cujus Sapientia ſemper aptis diſpoſitionibus præparat homines, & media ad eos fines, quos ſua Providentia conſtituit; effudit in illam omnes theſauros, & omnia gratiæ ſuæ dona, quæ requirebantur, ut creaturam diſponeret ad recipiendum honorem concipiendi ſuum Creatorem. Cur non licet mihi alta & ſecreta gratiæ hujus penetrare conſilia, ac in illis cognoſcere impreſſiones virtutis, quas efficere poteſt, ubi placeat Deo, illam effundere in animam puram, docilem, ac ad eamdem recipiendam præparatam? Quot invenirem Myſteria ab illa revelata, quot lumina communicata Sanctæ huic Creaturæ? Quot teneros ſenſus, pia deſideria, ſanctos affectus excitata per eamdem in corde ipſius! Oſtenderem uberrimam effuſionem auxiliorum ad illam a rebus creatis avellendam: Repræſentarem Virginem hanc omnes animæ ſuæ vires intendentem ad ſerviendum Deo, eumque diligendum, gratia illam rapiente quodammodo extra ſe ipſam, ac in ſpiritu eam deferente in ſinum Dei, ut illam præpararet, ad aliquando illum geſtandum in ſuo. *Sermo 4. Academia anni 1681.*

Prima prærogativa Conceptionis S. Virginis eſt, omni labe carere.

Prima prærogativa Mariæ conceſſa in B. Annæ ſinu, gratia eſt præoccupationis, quæ ex primo Conceptionis ejus momento prohibuit, ne maculam originalis peccati contraheret. 1. Hoc plures Summi Pontifices crediderunt, declarantes Mariam puriſſimam fuiſſe ab ipſo ſuæ Conceptionis articulo; approbantes Immaculatæ Conceptionis Officium, confirmantes Religioſos Ordines Deo conſecratos ſub Immaculatæ Conceptionis titulo, excommunicantes quicumque per temeritatem auderent his adverſantia docere. 2. Hoc ſacroſancta Tridentina Synodus confirmavit permittens Fidelibus, ut Mariam eximerent a quibuſdam generalibus Scripturæ Sanctæ legibus; ubi dicuntur omnes homines in Adam peccaviſſe; conceptiſque verbis in decreto de originali peccato, quo omnis criminoſi Adæ poſteritas involuta fuit, id declarans profitetur tamen mentem non eſſe comprehendendi Mariam, quam Beatam, & Immaculatam Dei Matrem appellat. 3. Hoc probavit Eccleſia ſua auctoritate proponens fidelibus Mariæ Conceptionem, tamquam objectum cultus, & venerationis eorum. 4. Hoc bonus ſenſus accedentibus Fidei luminibus nos docet: cum enim Maria creata fuerit Dei Mater futura, nonne decet, illi omnes deferre prærogativas, quæ creatis omnibus conceſſæ fuerunt? Cum deſtinata fuerit Regina Angelorum futura, nonne æquum erat, ut in gratia conciperetur, non ſecus ac Angeli? ut originali juſtitia decoraretur non ſecus ac Adam, & Eva quorum ruinam veneſat reparatura? ut diſpenſaretur a generali originalis peccati lege, quandoquidem Jeremias, & Joannes Baptiſta exempti fuerant a lege communi, quæ edicit omnes homines iræ filios orſi? Heu! Virgo Sancta; ne verearis hodierna die oculos Creatoris tui. Es Dei Mater, captivorum legibus non es obnoxia; cor tuum templum eſt, ubi plenitudo Divinitatis reſidebit: ſanguis tuus deſtinatus eſt ad efformandum Corpus Filii Dei: Sanctus Sanctorum, qui cum tua carne affinitatem initurus eſt, ne minimam quidem in te labem patietur, & ne uno quidem momento peccati macula fœdaberis. Beatus venter qui te concepit, & qui fuit Arca Myſtica, ubi una præſervata fuiſti a funeſtis fluctibus univerſæ illuvionis, quibus omnes cum primo parente noſtro ſubmerſi fuimus. Quam glorioſa hæc eſt prærogativa! quam reverentiam, quam venerationem erga Dei Matrem in nobis debet excitare. *Ex libro, qui inſcribitur: Virginum ſolitudo.*

Recipit Maria ab ipſo Conceptionis ſuæ momento plenitudinem Spiritus Dei, & donorum illius.

Altera prærogativa Mariæ conceſſa in ſinu S. Annæ eſt plenitudo donorum Spiritus Dei quam recepit in primo ſuæ Conceptionis articulo. 1. Anima ejus adeo eminenti gratia repleta eſt, ut illam hominum, & Angelorum ſuperaverit, Deo ponente fundamenta Sanctitatis Sacri hujus Montis ſuper verticem Montium Sanctiſſimorum. 2. Corpus ejus adeo præclara puritate exornatum fuit, ut puritas omnis, quæ non ſit Dei, longe ſit infra Mariæ puritatem ..... Cum Deus ſecundum decoris leges decreverit, ut templum, ubi requieſcere debebat, locus eſſet mundiſſimus, ac puriſſimus, qui in Mundo reperiretur. 3. Fatalis propenſio, quam cor noſtrum habet ad voluptatem ita in illa moderata extitit, ut ratio ſemper affectibus illius eſſet ſuperior. Fidelis fuit imago Montis illius in Exodo celeberrimi, ubi nulla unquam viſa eſt nebula, vapor, caligo, procella. 4. Rationis uſum habuit perfectiſſime liberum, ac fidei luminibus illuſtratum, vitam ſuam incipiens eo modo, quo ejuſdem finem erat factura, ut Creatorem ſuum cognoſceret, atque amaret. O Myſticum rubum, qui in ipſo vitæ tuæ primordio incenſus, atque inflammatus fuiſti puriſſimis flammis Caritatis, ac ſemper florem puritatis tuæ incolumem ſervaſti! O ſacrum Mariæ cor! quod Deum tuum dilexiſti eodem tempore, quo vivere incepiſti, doce me tanti facere Filium tuum quanti tu illum feciſti, & tanto illum amore proſequi, quanto tu illum es proſecuta. *Ex libro cui titulus: Virginum ſolitudo.*

Singularis eſt S. Virginis prærogativa, ab ipſo Conceptionis articulo confirmatam fuiſſe in gratia.

Tertia SS. Virgini in Matris utero conceſſa prærogativa eſt, illam in gratia confirmatam fuiſſe; quæ quidem adeo ſingularis eſt gratia, ut ſi ratio habeatur temporum a primo Conceptionis ejus momento, ad extremum uſque vitæ ſpiritum, nullum peccatum commiſerit, immo facta fuerit impeccabilis ope Spiritus ſancti, qui illam obumbravit. 2. Impeccabilis per Providentiæ curas, quæ amovit ab illa occaſiones omnes integritati ejuſdem periculoſas. 3. Impeccabilis per interiores afflatus, & lumina gratiæ, quæ mentis ejus vivis coloribus pictas exhibebat virtutum omnium imagines, quas non amare non poterat. Impeccabilis per extremum omnium Angelorum præſidium, qui cælitus deſtinati

erant ad tuendum pretioſum thalamum, ubi Rex Salomonem potentior cubaturus erat. O admirabile Sanctuarium! o Sacrum Dei viventis Templum! Dominus fuit ſemper in Te. Gratia naturam prævertit, exordia decurſus, & finis vitæ tuæ adeo ſancta fuerunt, ut tu ſemper formata fueris, & nunquam labes aliqua fuerit in te. *Solitudo Virginum.*

Invicta immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis argumenta.

Quidquid meræ creaturæ concedi poteſt, hoc Deiparæ negandum non eſt. Angeli fuerunt in gratia creati; Adam in juſtitia originali; Eva in innocentia: quæ igitur veritatis ſpecies eſſe poteſt, S. Virginem in peccato creatam fuiſſe, & illam ab Angelis victam fuiſſe, ita ut primum Conceptionis ejus momentum crimine non caruerit in illa, illis ab omni labe vacuis; & ipſa Deo eſſet inimica, illis amicis Dei! Hoc aures noſtræ patiuntur? an perhorreſcunt? Cogitari ne poteſt tanta in Dei Matre contumelia? Leviſſima tantæ indignitatis ſuſpicio nonne debitam eidem reverentiam offendit? Quicumque in peccato eſt, ſervus eſt diaboli, ideoque flammis æternis digniſſimus. Sed quinam licet impudentiſſimus auderet in Matrem Dei tantam blaſphemiam evomere? Quis cogitare? Quid? S. Virginem hanc vel uno temporis momento fuiſſe mancipium Sathanæ? Nonne veterator ille omnium faber nequitiarum Salvatori exprobrare poſſet: Mater tua ad aliquod ſaltem momentum fuit in mea ſervitute poſita? Non ita; ne perditiſſimus quidem mortalium tantum nefas animo poteſt concipere. S. Andreas Jeroſolymitanus ait, B. Virginem eminenter Sanctam eſſe, theſaurum eſſe omnis Sanctitatis, & invictam habere poteſtatem adverſus peccatum. Sed quomodo invictam? Si in ipſa primi certaminis arena victa fuiſſet? Quomodonam diri ſerpentis caput contriviſſet, ſi ſerpens ipſam momordiſſet, eique mortem intuliſſet? Quomodo eſſet Sanctitatis theſaurus, ſi defuiſſent illi Originalis juſtitia, & perfecta Innocentia? At enim ſanctificata fuit poſt Conceptionem, quomodo narrat de S. Joanne Baptiſta Scriptura, & quomodo Patres nonnulli de Jeremia Propheta teſtantur. Huic objectioni reſpondeo, cum ſacræ Paginæ rei hujus non meminerint; invictum eſſe argumentum Mariæ Conceptionem Immaculatam fuiſſe, Num aliter elui non potuiſſet tanta labes, quanta eſt Originale peccatum, niſi cum Verbum Divinum concepit? Sed quid tam abſurdum, quam dicere famulos illos ſanctificatos fuiſſe paullo poſt Conceptionem ſuam, & ipſam Dei Matrem dæmonis ancillam fuiſſe tempore non brevi? *P. Nouet in Meditationibus Tomo 7.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

NATIVITATIS SANCTÆ VIRGINIS.

Affinitas, quam contrahit Maria per Sanguinem cum Filio Dei magnum eſt privilegium, quod Nativitatis nobilitatem commendat.

AFFINITAS, quam contrahet aliquando Maria cum Filio Dei per Sanguinem fluere incipientem per venas illius, privilegium eſt, quod plurimum Nativitatis ejuſdem ſplendorem commendat; neque conſulenda ſunt Aſtra, ut certum in illis futuræ dignitatis præſagium quæratur. Ipſe Dei Filius Aſtrum eſt, quod illius præeſt Nativitati. Cum Caro, & Sanguis JESU, & Mariæ una eademque eſſe debeat Caro, & Sanguis, quanam cum voluptate videt in venis Matris ſuæ fluere Sanguinem, qui innocens Corpus illius incipit animare? qua cura illum emundat, ſanctificat, ejuſque puriſſimas guttas ſibi deſtinat, ut inde ſibimetipſi corpus effingat? Nonne in honorem Nativitatis Mariæ dicere poſſumus, quemadmodum Solis ortus incipit cum ortu auroræ, & flos oriri incipit cum caule, ex quo proditurus eſt; Nativitatem Filii Dei cum Mariæ Nativitate inchoare, quæ hodierna die naſcitur, mox Mater ejus futura? Dic ergo incomparabilis Virgo, quod de te dixit Sapientia. *Radicavi in populo honorificato.* Magnitudinis meæ radices jeci in auguſtiſſimis Mundi familiis. Nobilis ſum ex latere Patrum meorum, nobilis quoque ex latere Filii mei. Nobilitas mea ſecundum naturæ ordinem fluxit a Majoribus meis ad me, ſed ſecundum ordinem ſupernaturalem refluit ad me a Filio meo. Quam præclarum eſt ortum duxiſſe ex longa illuſtrium Avorum ſerie, qui omnes virtutibus claruerunt! Quam glorioſum eſt adhærere Deo per Carnis, Sanguiniſque vincula? Sed aliquid majus eſt adhærere eidem per vincula gratiæ, & Caritatis. *Pater Gentilis in libro de ſolitudine Virginum.*

Eccleſ. 14.

Unio quam anima Mariæ contrahit cum Deo per gratiam maximum eſt Nativitatis ejus privilegium.

Maximum Nativitatis Mariæ privilegium eſt affinitas, quam anima ejus contraxit cum Deo per gratiam, qua erat plena. Laudamus Virginis hujus Nativitatem, quia illius oculi, qui videre incipiunt lumen Solis, videbunt aliquando Filium Dei, qui verus eſt Sol juſtitiæ. Beatam prædicamus, quia aliquando claudet utero illum, quem Cœli capere nequeunt; quia inter ulnas geſtabit illum, qui triplici digito terræ pondus ſuſtinet; quia illius os innocens ſexcenta illi figet oſcula, & quia Sanguis ſuus arctiſſimo vinculo hærebit cum Sanguine Filii Dei. Sed non hic eſt præcipuus fons magnalium ipſius. Judæi quippe nonne viderunt Mundi Salvatorem? Perfidus diſcipulus nonne parricidam illi oſculum dedit? Sanguis peccatorum, qui ſumunt indigne ſanctum Altaris Sacramentum, nonne cum Sanguine Filii Dei commiſcetur? Quænam igitur ſingularis eſt Mariæ prærogativa? Hæc eſt, illam intelligere. Beatus venter, qui Auctorem vitæ concepit; beatius cor, quod illum concepit per fidem; ſed longe beatior Virgo, quæ illi corpus efformans illum concepit ſinu, eique conjuncta per fidem illum corde concepit. *P. Gentilis, de ſolitudine Virginum.*

Non tituli, nec ea, quæ poſſidemus talenta nos in Dei oculis acceptos efficiunt, ſed gratia Dei, & uſus ipſius.

Hæc eadem affinitas, quam contraho cum Deo per gratiam, conſtituit magnitudinem Virginis, quæ ſe ſe illi devovit. Non tituli magnifici natalium illuſtrium, non talenta, quæ poſſidentur, non privilegia communitatis præclaræ tum per nobilitatem, tum per virtutem, quæ eamdem componunt, me ſpectabilem reddent in oculis Dei. Nam quid profuit impio Joram, miſero Achaz, infelici Amon, inſignes fuiſſe Reges, primos occupare locos in genealogica ſerie JESU, & MARIÆ, Avos, abavoſque fuiſſe Sanctæ hujus Virginis, & majores Filii ſecundum carnem. *Idem.*

SS. Virginis Nativitas hoc habet peculiare, quod ſatis uberem ſuppeditat copiam ad illius elogium texendum.

Inter filias Adæ Maria ſola eſt, quæ ubi in terris prodit, Chriſtianis Oratoribus copioſam laudum meſſem ſuppeditat. Magna, quæ Omnipotens jam fecit in illa in ipſo ſuæ Conceptionis momento, nobis de illius ſanctitate, præſentibuſque illius Magnalibus reſpondent. Omnia in illa ſingularia ſunt, præter ordinem, & divina. Repetamne magnos viros illos, de quibus hodie verba facit Evangelium? Per quot Reges, Patriarchas, Prophetas, Judices, Summos Pontifices originem ducit? Illam video jam benedictam in Abrahæ perſona, jam ſubditam cæleſtibus imperiis in Iſaac, jam ſanctificatam in Jacob, jam incolumen in terris Ægyptiorum in Aminadab, jam victricem in David, jam luminibus præventam, cæleſtibuſque donis locupletatam in Salomone. Sed malo in illa morari, in illa inquam, quæ fidelior, quam Abraham, obedientior, quam Iſaac, Providentiæ obſequentior, quam Jacob, animoſior, quam Aminadab, ſanctior, quam David, ſapientior, quam Salomon, me docet, ſi ab Eccleſia legere juſſi ſumus hoc mane illuſtrem ſeriem generationum ab Abraham, ad Joſeph caſtum illius conjugem, hoc accidiſſe, quamvis inſignem hauſerit a tot viris honorem, majorem tamen ſe illis refudiſſe, quam acceperit claritatem. Sed quid hoc in loco prodigia detego! propter illam felicius quam propter veteris Teſtamenti arcam Jordanes, videlicet aquæ peccati ſteterunt, & quin illam attingerent, fontem ſuum repetierunt; Illi etiam magis quam Aſſuerus ad Eſther, dixit Deus, ore ſereno, ſe velle eximere illam a lege fatali, contra peccatores omnes lata in Adam, *Quæ eſt iſta;* Quæ igitur eſt iſta recens nata puella? Ad quid noſtra nos impellit curioſitas plerumque, ubi filium videmus recens natum. Ad duo ſane, quorum alterum eſt, ſciſcitari, cuinam ſimilis videatur; hoc primum eſt; quærere in quibuſdam oris lineamentis ſaltem aliquod ſignum, propter quod dicamus, quænam de illo. ſpes concipi valeat; hoc alterum eſt. Ego vero aſſero, nec fallor, dignoſci poſſe feliciſſima lineamenta auguſtiſſimæ ſimilitudinis, ſolidæque beatitudinis in Maria via in lucem emiſſa. Et profecto quem ore refert? Deum, qui fecit illam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: quid pollicetur? Deum, qui ſe ipſum ad ſimilitudinem noſtram efformabit. Si ita eſt, in anteceſſum dicamus illam benedictam eſſe inter Mulieres, & caſti pectoris ſui benedictum fructum. Deus formavit eam ad ſimilitudinem ſuam, & dabit nobis illa Deum, qui orietur ab ea. *Ex Sermonibus, qui inſcripti ſunt, Sanctorum elogia.*

Conſtat ex omnibus filiis Adam, puellam recens natam, ſolam eſſe, quæ quantum creatura ſimilis eſſe poteſt Deo ſuo, per ſimillima lineamenta efformatam fuiſſe ſecundum Sanctitatem illius. Clarius loquar. Deus ab æterno Sanctus eſt, cumque fieri nequeat, ut Maria ab æterno Sancta ſit, ſingulari gratia permiſit Deus, ut

Sancta

Sancta eſſet ab eo, quo potuit eſſe, momento, quæ prima ſimilitudinis linea eſt. Deus pacifice, atque immutabiliter Sanctus eſt; malum, & peccati flagellum nunquam accedent ad illum. Sed ſi Maria non potuit ex natura ſua hanc habere prærogativam; Deus ſingulari favore avertit ab illa, quidquid perturbare illius ſanctitatem poterat, atque officere. Hæc ſecunda eſt ſimilitudinis linea. Quanta eſt, Fideles, calamitas noſtra, quod facti ad imaginem Dei, tamen venientes in Mundum dæmonis referamus imaginem? Quæ vero major adhuc calamitas, ſæpe involuntario peccato addere ſexcenta voluntaria, & a plena voluntate noſtra profecta? Ex eo enim momento quo incipimus eſſe juris noſtri, ut plurimum rationis noſtræ uſum adeo funeſtum efficimus, ut quod juſtitiæ, & grati animi titulo deberet nos primo principio noſtro conjungere, plurimum conferat ad nos inde amovendos? *Ibid.*

S. Virginis nativitas eſt velut Aurora diei gratiæ, quam ſoluis nobis pariens Salvatorem.

Pretioſum hodie munus Cœlum nobis largitum eſt. S. Bernardus ait. Die hac propriæ denſæ tenebræ quibus Mundus inſepultus erat quatuor annorum millibus, evaneſcere inceperunt per Nativitatem nitentis Auroræ tandiu expectatæ, quæ jampridem objectum votorum Sanctiſſimorum Patriarcharum, & Prophetarum. Celebremus omnes Nativitatem Matris Dei, S. Joannes Damaſcenus exclamat, per quam genus humanum reſtitutum eſt; & quæ in lætitiam convertit mœrorem, quem nobis noſtra prima parens Eva pepererat. Sicuti Aurora eſt finis noctis: ita hæc nativitas finis eſt malorum omnium, & principium ſuaviſſimæ conſolationis. Quodnam purius, ſanctius, uberiuſque gaudium illo, quod felix hic dies inſpirat Eccleſiæ per ortum illius, quem Prophetarum oracula nuntiaverant, S. Hieronymus inquit: *Vaticinium Prophetarum*: ortum, quod S. Joannes Damaſcenus appellat *Pignus promiſſionis* illius, qui vitam, Sanguinemque pro hominum redemptione erat effuſurus. Beati Spiritus illam tamquam orientem Auroram eſtis admirati; & fuit hæc vobis jucunda feſtivitas. Dei Filium laudibus extuliſtis. Virtutes omnes, atque dona cæleſtia, quæ effundit Deus in alias creaturas, in illa collecta ſunt: Anima ſine labe, corpus ſine macula; anima & corpus tot repleta benedictionibus, in quæ Sanctus Sanctorum ingredi, & inde jucundum ſibi ſedem ad novem menſes collocare non perhorreſcit; Natura, & gratia conſpirarunt, ut illam undequaque formoſam efficerent. Quæ in fronte verecundia! Quæ in ore majeſtas! quænam in pectore puritas! Quæ in oculis modeſtia! Quam decora eſt hæc filia Regis ab extra! Quam plena eſt gratia, & gloria ab intus! *Ex P. Segneri, & elogiis Sanctorum.*

Infinita bona, quæ nobis confert hæc Virgo per beatam Nativitatem ſuam

Filia modo nata pollicetur nobis Deum, ſimul & hominem. Nobis elargitura eſt Deum in omnibus ſimilem Patri: & Hominem ſimilem nobis, & ex quo nobis fratrem facere cupit. Hinc ipſi omnia debemus, & Deo, & illi; Deo quidem, qui nos eo uſque dilexit, ut daret nobis Unigenitum ſuum; illi, quæ infra quoſdam annos cooperabitur conſiliis Dei, ut primum omnium Myſteriorum noſtrorum adimpleatur. Si enim S. Paulus reſpicit Patrem cæleſtem tamquam miſericordiæ Deum, a quo omnia, quæ recipimus dona proficiſcuntur; ſi reſpicit JESUM CHRISTUM tamquam ſupremum mediatorem omnium, in quo fuimus reconciliati: ſi Apoſtolus iſte ſeipſum intuetur tamquam hominem, cui licet hoc honore indigno, reconciliationis Myſterium creditum fuit, nonne de puella recens nata dicere poſſemus, Deum poſuiſſe in illa verbum reconciliationis, per illam adimpletas fuiſſe promiſſiones ejus; illam duplici titulo puram eſſe, quatenus Matrem JESU CHRISTI, qui ab illa natus eſt, & quatenus Matrem hominum, quos dabit fratres JESU CHRISTO? *Sanctorum Elogia.*

Fons Magnalium Nativitatis Mariæ eſt majorum ſuorum nobilitas, & dignitas.

Nobilitas, & ſanctitas majorum Mariæ ſunt prima origo Magnalium ejus: ſi enim Parentum gloria migrat ad filios cum Sanguine, quem illis communicat: 1. Quænam eſt hujus Virginis gloria originem ducere ex familia, quæ nulla unquam ſpectabilior extiterit? 2. Quænam illius gloria inter Atavos ſuos recenſere Patriarchas, Prophetas, Reges, Pontifices, inimicorum domitores? 3. Quæ gloria eſſe hæredem ſanguinis quem expiavit Deus in venis tot Sanctorum, quos regnare voluit in throno, tot Regum, quos ampliſſimis decoravit triumphis; tot Sapientum, ac ſtrenuorum Ducum populi ſui? 4. Quæ gloria omnem imperii majeſtatem, cum Sacerdotii ſanctitate conſociari, ad commendandam natalium ſuorum amplitudinem? O beatum illum diem, qui prodire vidit de domo Jacob Sydus hoc ſalutare! Benedicta ſit in æternum hæc pulcra Aurora, cujus fortunatam nativitatem quam primum ſubſequetur divini Solis Nativitas, quæ datura eſt juſtis gratiam, & lucem iis, qui ſedent in umbra mortis! O ſuprema Mundi Regina? ſubjice cor iſtud meum tuo duplici imperio; ſervire tibi regnare eſt; es quippe Dei Mater, per quem Reges regnant. Propter ſalutem meam orta es; nam quidquid gratiarum, & virtutum mundus recepit, fructus eſt nativitatis Filii, quem non ita multo poſt es in lucem editura. *Ex libro, qui inſcribitur. Solitudo Virginum.*

Mundus tandiu honoratus ortu S. Virginis expectatæ, & per tot ſæcula concupitæ.

Certabant ſæcula, quodnam ortu Virginis gloriaretur, teſte S. Joanne Damaſceno. Tandem hoc tempus olim ab æterno Divinæ Sapientiæ ſecretis determinatum: fortunatum hoc tempus adeo expectatum, exoptatumque tandiu demum illuxit. Beata hæc Virgo in æternis prædeſtinata fatis & futura Mater Verbi, per ſingulare privilegium ſine peccato concepta poſt nonum ab immaculata Conceptione ſua menſem, tandem orta eſt in Nazareth, oppido Galilææ. *P. Croiſet.*

Quam illuſtris, & commendabilis fuerit iſta Nativitas.

Nulla unquam nativitas fuit iſta commendabilior, & generis nobilitate, & circumſtantiis ex Parentum circumſtantia deſumptis, & ſanctitate, meritiſque puellæ hujus, quæ in lucem prodiens ſolatium attulit Mundo, & Aulæ Cæleſti admirationem. Facile eſt intelligere quænam fuerit Parentum ejus lætitia eo momento, quo Beatiſſima hæc Virgo lucem adſpexit. Supremo lumine illuſtrati facile cognoverunt, Deum ſibi eſformaſſe illam & ſe illam habere loco depoſiti. Adeo miraculoſa nativitas fuit illis certiſſimum præjudicium meriti, atque præſtantiæ Sanctæ hujus Puellæ. O beati Parentes, S. Joannes Damaſcenus exclamat: *Virginem enim Dei Matrem Mundo peperiſtis*. Beatus venter, Virgo Sancta, qui te portavit, & beata ubera, quæ ſuxiſti. Properent fideles omnes ad ſalutandam hanc Virginem modo natam, quia antequam naſceretur, jam prædeſtinata erat, ut Mater eſſet Dei ſui, & ut cum illa Mundus renaſceretur, atque inſtauraretur. Venite populi, accedite Gentes quocumque ſub Cælo eſtis, S. Joannes Damaſcenus invitat, venite cujuſcumque ætatis, & conditionis eſtis, celebraturi ortum hujus Virginis, cum qua, ut ita dicam, ſalus oritur noſtra: *Hodie Mundi Salus inchoavit: jubilate Deo omnis terra; cantate, & exultate, & pſallite*. Fuit ne unquam æquius lætitiæ argumentum! quo die magis lætitiam noſtram prodere oportet? Quandoquidem cum S. Ildephonſo dicere poſſumus in Beatiſſimæ Virginis Nativitate quodammodo Sanctam JESU CHRISTI Nativitatem incepiſſe. *In Nativitate Virginis felix CHRISTI eſt inchoata Nativitas.* Deus hactenus reſpexerat terram tamquam regionem lacrymarum in peccatorum habitaculum poſitam. Sed ex eo momento quo Maria viſa eſt in Mundo, Deus illic objectum invenit, in quo nimis ſibi complacuit, ut ſemper adeo irritatus videri vellet. *P. Croiſet.*

Pſalm. 65.

Serm. 3. de Nativitate.

S. Virginis Nativitas multa peperit bona.

Crux figitur ingeniis, omnes Eloquentiæ artes, & ſecreta exhauriuntur, ut Regum natalitiis diebus magnifica exornentur Elogia. Sed quid de puero adhuc rubenti ab utero dicendum eſt? Illius nobilitatem extollere, hoc eſt avorum laudes celebrare. Nullum magis vacuum laude argumentum, quam infans primis potiſſimum diebus, quibus prodiit in lucem: impoſterum vero, quidquid certius prævideri poteſt, hoc pluribus obnoxium eſſe poteſt miſeriis. Latet utrum bonus futurus ſit, an nequam, ingenio præſtans, an vecors; verbo nil fecit adhuc, & latet quid ſit facturus. De Maria cave id ſentias. Quamvis ſit recens ab utero, liquet, illam jam plurimum præſtitiſſe, & ignorare non poſſumus, quid ſit impoſterum præſtitura. Maria prodiit in lucem meritis cumulata, & ſcimus illam quam primum felicitate, atque benedictionibus eſſe cumulaturam. *Idem.*

Eximium eſt Creatoris opus.

Dubium non eſt pulcherrimam animam, quæ creata fuerit unquam, antequam JESU CHRISTI anima crearetur, illam S. Virginis extitiſſe; & dicere poſſumus inter univerſa Creatoris opera, opus hoc fuiſſe præſtantiſſimum. *Opus, quod ſolus opifex ſupergreditur.* B. Petrus Damiani inquit: Corporis pulcritudo par erat ſpeciei animæ hujus formoſiſſimæ. Scimus primo illo temporis articulo, quo hæc anima adeo pura conjuncta fuit corpori, illam quidem ſanctificatam fuiſſe, hoc autem incepiſſe commodare organa ſua, ut omnibus rationalis vitæ muneribus fungeretur. Maria ſine peccato concepta primo illo momento vitæ ſuæ cum gratia Sanctificante perfectum rationis uſum percepiſſe: ex quo ſpiritus ejus illuſtratus fuit omnibus ſapientiæ luminibus, omnibuſque moralibus, ac naturalibus cognitionibus locupletatus. Sed quæ fuit menſura gratiæ hujus, quam recepit? & quodnam primum rationis ita illuſtratæ munus? Gratia hæc tanta fuit, ut ſuperaverit gratia Sanctorum omnium, omniumque beatorum Spirituum: *Virgo Sanctificata fuit in utero ſuper omnes Sanctos, & omnes Angelos*. Ex primo illo momento, quo Sancti omnes fuerunt objectum horroris in oculis Dei; Maria fuit admiratio beatarum mentium, & dilecta Deo. *Idem.*

Quanam fuerit Mariæ ſanctitas & gratiæ, quas recepit a Deo.

En quænam fuerit S. Virgo a primo ſuæ Conceptionis articulo. Cum hic theſaurus gratiarum luminum, Sapientiæ & virtutum in ſingula momenta evaſerit multiplex, intelligamus ſi fieri poteſt, quinam fuit cumulus meritorum, quibus aucta reperta eſt ſuæ Nativitatis die. Quod argumentum noſtra admiratione, obſequio, elogio dignius; addamus etiam & cultu Eccleſiæ totius, quam hæc Sanctæ puellæ Nativitas! Mirum igitur non eſt ſi poſt annos quindecim Angelus invenit, & ſalutavit eam gratia plenam, & ſi Sancti Patres loquentes de gratia, qua Maria inventa fuit

plena poſt ſeptuaginta & duos vitæ ſuæ annos emphaticis uſi fuiſſe verbis videntur. Jure S. Epiphanius dixit, gratiam hanc immenſam fuiſſe, S. Auguſtinus ineffabilem, Dionyſius Carthuſianus infinitam, S. Joannes Chryſoſtomus Mariam omnis gratiæ theſaurum appellat; S. Hieronymus docet, gratiam omnem in illius ſinum effuſam fuiſſe, S. Bernardinus Senenſis audet aſſerere, *tantam gratiam Virgini datam eſſe, quanta uni, & puræ creaturæ dari poſſibile eſt. P. Croiſet.*

S. Virginis Nativitas Cœlum terramque gaudio replevit.

Profecto ſi populi tantam conſueverunt præ ſe ferre lætitiam, cum Regi ſuo filii naſcuntur, quia naſcuntur ſibi Reges, & Domini; mirum non eſt, ſi Mariæ Nativitas gaudium attulerit Cœlo, ac terræ, quemadmodum canit Eccleſia; quia illa futura eſt Angelorum, hominumque Regina; unica ſpes noſtra poſt JESUM CHRISTUM, inquit S. Epiphanius: Cautio noſtra apud Deum, S. Auguſtinus ait; noſtra apud Mediatorem mediatrix, S. Bernardus ait: Omnium malorum noſtrorum medicina, dicit S. Bonaventura; Pax noſtra, gaudium, bona Mater noſtra, S. Ephrem inquit. Denique gloria noſtra, conſolatio noſtra, vita noſtra, ut canit Eccleſia. *P. Croiſet.*

Nobilitas generis, & ſanctitas B. Virginis.

Prodit quidem Maria ex Patriarcharum, Regumque progenie: ſed quod illam præ ceteris commendat coram Deo, non eſt fulgor dignitatum avitarum, neque magnitudo, potentia, vel inſignes eorum actiones. Sanctitas ſola, quæ Conceptionis ejus felicitatem conſtituit, efficit etiam felicitatem, & gloriam Nativitatis ipſius. Oritur illa non quidem ut Mundi Principes in Majeſtate, non ut Reges terræ inter pompas, & faſtus ſæculi, ſed ſine hac Mundi pompa, ſine hoc Mundi fulgore. Nativitas ejus etiamſi obſcura videatur, tamen natalibus Principum, Regumque præferenda eſt. Nemo eorum eſt, qui in peccatis non fuerit conceptus, nemo eorum qui non ſit in odio Dei, & iræ filius; ſed Maria in ipſo ortu ſuo objectum eſt, in quo ſibi complacet Deus; Altiſſimo dilecta eſt, uberrimis benedictionibus ejus cumulata, omnibuſque Spiritus ſancti donis locupletata. Hoc veram illius magnitudinem conſtituit; Ita Rex gloriæ illam exornat, quam vult honorare. *Idem.*

Apoſtrophe ad SS. Virginem.

Creſce Virgo naſcens, creſce, & pro Deo, cui naſceris, & nobis, in quorum utilitatem naſceris. Aliquando es paritura hunc ipſum Deum, a quo hodierna die vitam recipis: vive, & creſce illi ſuum Tabernaculum die præparatura. Se ſe tuo claudens ſinu auguſtum tibi collaturus eſt characterem, & ad divinam ſublaturus Maternitatem. Vive, & creſce ad ſublimem hanc dignitatem & glorioſiſſimum ſatum. Per te venire vult ad nos, noſque ex captivitate ſubducere. Vive, & creſce ad ſalutem noſtram, Salvatorem hunc nobis datura, qui oriens ex te, te ipſam Fidelium omnium Matrem efficiat. *P. Croiſet.*

Maria naſcitur Dei Mater futura.

Sufficit ſcire Beatam hanc puellam, quæ naſcitur, & cujus hodierna die tanta cum ſollemnitate recolit Eccleſia Nativitatem, ideo naſci, ut ſit Mater Dei. Non aliæ requiruntur cauſſæ ad æquiſſimam hujus feſtivitatis cauſſam recolendam, & aſſequendum Eccleſiæ ſenſum cum omni pietate, & lætitia, & celebritate, quæ fieri poteſt maxima ſanctam hanc Nativitatem recolentis. Oritur B. Virgo, & quod hunc ortum diſtinguit, quod illum beatum efficit, quod reddit primum hoc momentum, quo lucem adipiſcit, obſequiis noſtris, noſtraque communi lætitia digniſſimum non eſt majorum ejus gloria, neque ſui generis amplitudo. Qui Mundi occupantur ideis naturalia hæc in pretio habeant bona, quod ex Regibus, & Patriarchis in lucem prodierit: quod autem te, Virgo Sancta, commendat coram Deo, quod noſtram ciet alacritatem, venerationem, confidentiam, amorem, non eſt avitarum dignitatum fulgor, non illorum præclare geſtæ res, non magnitudo, non potentia: ſola ſanctitas, quæ Conceptionis tuæ peperit felicitatem, parit etiam felicitatem glorioſæ tuæ Nativitatis. Noſtra felicitas ex fonte alio fluere non poteſt. Lætamur quidem in principum virorum ortu; ſed quamvis illi hominum plauſibus excipiantur, quamvis illis in ipſis etiam incunabulis, ſummi adhibeantur honores, tamen cum in peccato fuerint concepti, iræ ſint filii, digni odio Dei, & ſeveriſſimis Juſtitiæ ſuæ ſuppliciis obnoxii; quemcumque illis honorem, quodcumque illis exhibeamus obſequium, nequeunt diu per ſe vel minimam Aulicis ſuis gratiam conferre. At S. Virgo jam, dum oritur, objectum eſt, in quo ſibi complacet Deus, filia eſt Altiſſimo cara, uberrimis benedictionibus ejus cumulata, omnibus Sancti Spiritus donis aucta, ejuſque apud Deum potentia, in ipſo Nativitatis ſuæ momento tanta eſt, ut ſola naſcens de nobis melius mereri poſſit, quam Sancti omnes ſimul toto vitæ ſuæ ſpatio, & Beata eorumdem manſione in gloria. *Idem.*

Gaudium, & devotio, quæ nobis eſſe debet propter Virginis Nativitatem.

Quas nobis illa gratias in ipſis incunabulis ſuis obtinere non poteſt? Qua benignitate, & oblectatione in ipſis incunabulis obſequia noſtra non recipit? Si Mariæ Nativitas nobis eſt lætitiæ argumentum, nonne dicere poſſumus, noſtram confidentiam, devotionem, amorem erga Mariam in die Nativitatis ſuæ illi quoque argumentum eſſe lætitiæ? Honores, quæ naſcenti Mariæ exhibentur, nobis cor ejus conciliant, & noſtra devotio hodie non poteſt non placere ſummopere divino Filio, cui cordi ſunt honores Parenti ſuæ adhibiti. Si honores adhibiti Principi in obſcurum, humilemque locum redacto eidem jucundiores ſunt, & acceptiores, quam qui ſibi in ſolio ſedenti, & in Aulæ magnificæ luce deferuntur; quonam oculo, qua cum voluptate S. Virgo reſpicere debet devotionem, qua dilecti Filii ſui Nativitatis ſuæ Myſterium proſequuntur? In paupere, infirmo, obſcuroque ſtatu, in quo naſcitur, ut honore haberi, & coli tamquam ſupremam univerſorum dominam, tamquam hominum Mediatricem: hæc una devotio illam impellere debet ad effundendas inſignes ſuas gratias in eos, qui ſunt zelotes gloriæ ejuſdem cultores. *Pater Croiſet.*

Nativitas ſanctæ Virginis ciere debet in nobis confidentiam, amorem, devotionem.

SS. Virginis Nativitas meditationis argumentum eſt, quod ſummam nobis adfert conſolationem, & plures nobis ſuppeditat ſaluberrimas animadverſiones. Nihil magis noſtram excitat confidentiam, amorem, devotionem, reverentiam erga Dei Matrem, quam glorioſæ hujus Nativitatis prærogativæ. Si enim Mariam in ipſa conſideremus, in incunabulis ejus, in electione, gratiis, virtutibus, Sanctitate, meritis, gloria, privilegiis, omnia ſunt ipſis etiam Angelis admirationis argumentum; quem effectum in animo, & corde hominum producere debent hujuſmodi conſiderationes! Si illam inſpexerimus ſecundum eam quam cum nobis habet relationem: ipſa Regina eſt noſtra, Advocata, Corredemptrix, pia Mater, & ſpes noſtra, ut canit Eccleſia; noſtra cautio eſt apud Deum, ut loquitur S. Auguſtinus; malorum omnium medicina, ut prædicat S. Bonaventura; pax, gaudium, conſolatio noſtra, ut cum S. Ephrem loquamur: denique gloria noſtra eſt, corona, & vita noſtra, quibus nominibus ab eadem Eccleſia appellatur. En quænam ſit beata puella, quam hodierna die veneramur in incunabulis; hi ſunt tituli, prærogativæ qualitates Matris naſcentis. Sed nonne ſimul eſt Mater Dei? Eſt profecto in decretis æternis, & in conceptu Dei, cui per omnem æternitatem ſunt omnia præſentia. Illa concepta fuit ſine labe, nata eſt prorſus Sancta, ut ſit Dei Mater; & quamvis Princeps, qui naſcitur, nondum ſit Rex, ſatis eſt illum Regem futurum eſſe, ut honorari mereatur. Quinam ergo eſſe debent ſenſus noſtri erga potentem, amabilemque Matrem Dei, quæ ut ita dicam nobis eſt omnia: cui nos omnium verum locum tenere videmur. Ex omnibus diebus, ex quibus Principum vita conſtat, ſolus Natalitius dies quotannis dies eſt lætitiæ, officii, feſtivitatis; at non ſemper æque juſtum eſt gaudii argumentum. Uſus hic oſtendit amorem, & reverentiam, qua Principem colimus die anniverſaria ſuæ nativitatis. Lætitia noſtra erga Mariam ortam, veneratio, & cultus noſter æquiores ſunt, & obſequia noſtra melius ſunt inſtituta. *Pater Croiſet.*

S. Virgo oriens Mundo adfert omnia felicitatis & beneficiorum genera.

Naſcitur Maria Dei Mater futura, ideoque futura etiam hominum Mater, univerſorum Domina, ſpes, refugium, & conſolatio noſtra. In lucem prodit meritis cumulata, & certo certius ſcimus hanc mundum felicitate, & benedictionibus eſſe cumulaturam. Fidelis poteſtne non impigre illi ſua obſequia, ſuumque cultum præſtare huic Dominæ, ex eo momento, quo lucem incipit intueri? Nunquid nobis expectandum eſt, dum ad Crucis pedes animam perflet, aut triumphans in gloriam aſcendat? Cœleſtes Spiritus non defuere, quominus ſua illi præſtarent obſequia, ſtatim ac illa prodiit in lucem, illam ex eo tempore venerati tamquam omnium beatarum mentium Reginam: quænam igitur eſſe debet ſollicitudo noſtra, quæ vota, quæ affectio die Nativitatis ipſius; & ſi Mundi Optimates quotannis recolunt natalitium diem, tamquam diem ſuæ feſtivitatis; ſi nullam detrectant gratiam? ſi hæc dies eſt, qua ſuam liberalitatem oſtentant; putamus ne Mariam nobiſcum minus gratioſam, ac liberalem futuram? Non ita, SS. Virgo, non ita cogitamus, & eſſet fovere ſenſus indignos auguſta dignitate tua, ſi de tua in nos largitate hujus feſtivitatis die dubitaremus. Ego vero decrevi, nihil hodierna die prætermittere, ut me gratia tua non præbeam indignum. *Idem.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

PRÆSENTATIONIS SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quid die hac celebrat Eccleſia.

HODIERNA die celebrat Eccleſia feſtum Præſentationis B. Mariæ Virginis in Templo; videlicet publicæ, ſollemniſque oblationis, quam fecit Deo cordis ſui, mentis, corporis, omniumque facultatum animæ ſuæ eo modo, qui omnium extitit perfectiſſimus, & glorioſiſſimus Deo. Hoc maximum eſt Sacrificium, quod a mundi primordiis ad illud uſque tempus factum fuerit. Nunquam mera Creatura fuit hac Sanctior, & perfectior, ab ipſo primo vitæ ſuæ momento ſanctificata! & quæ ſola ipſo Nativitatis ſuæ die ampliorem poſſideret ſanctitatem, quam ſimul omnes Sancti in obitus ſui hora; ut Patres inquiunt. Maria tertium annum ſeſe offert, ſe devovet, ſe conſecrat Creatori ſuo in Templo Jeruſalem. Ullane fuit unquam pretioſior oblatio? Vidit ne unquam in Templo ſuo Deus victimam ſibi cariorem? Quot cæleſtes Spiritus adſtiterunt huic Religionis actui, qui in tantam cedebat Dei gloriam? Huic cæremoniæ, quæ excivit totius cæleſtis Jeroſolymæ admirationem? Cælum univerſum fauſtiſſimo illo die lætatum eſt. Poteratne Eccleſia non celebrare hoc ipſo die ſollemnitatem, & tantæ feſtivitatis memoriam? Hæc res tot impulit Sanctos Patres, ut Præſentationem S. Virginis in Jeroſolymitano Templo reſpicerent tamquam primum Religionis actum, qui Deo eſſet acceptiſſimus, & hujus diei feſtivitatem tamquam omnium, ut ita dicam, feſtivitatum præludium. *Pater Croiſet.*

Duplex modus præſentandi in Templo apud Judæos.

Duplex erat apud Judæos Præſentationum genus. Alterum jubebatur in lege, quæ cautum erat, ut mulier, quæ maſculum enixa fuiſſet, illum in Templo præſentaret poſt dies quadraginta; quæ vero feminam peperiſſet, poſt dies octoginta. Ritus hic proprie filii quidem præſentatio dicebatur, & parentis habita ratione vocabatur purificatio. Alterum vero præſentationis genus ad eos pertinebat, qui ſe voto aliquo obſtrinxerant. Etenim ab ipſo Moſaicæ legis principio hæc inoleverat religioſa conſuetudo apud Hebræos devovendi vel ſe ipſos, vel filios ſuos Deo; ſive irrevocabili modo, & in æternum, vel ſibi reſervata facultate illos redimendi muneribus Domino oblatis, vel Sacrificiis. Ideo circum Jeroſolymitanum Templum ædificata erant conclavia, alia quidem pro maſculis, alia pro feminis deſtinata, aliqua pro pueris, pro puellis alia, ubi votum vel a ſe, vel a parentibus ſuis nuncupatum exolverent. Horum munus erat, ſacris inſervire miniſteriis, & operam ſuam in Templi ornatum locare ſingulis ſecundum ætatem, ſtatum, & captum. Ita S. Anna, & S. Joachin ſecundum vetuſtiſſimam eamque maxime venerandam Traditionem, cum provectiori eſſent ætate, ac minime pares filiis gignendis, ſe voto obſtrinxerunt Deo, futurum ut ſi dignaretur ipſis ſobolem elargiri, & excutere notam ſterilitatis, quæ tunc quidem erat turpiſſima, ipſi Templo, quod natum eſſet, devoverent. Deus quippe qui cupiebat, ut nihil miraculo vacuum eſſet in illa, quam ab æterno deſtinaverat Matrem Dei, illos damnavit voti, eiſque largitus eſt B. Virginem, quæ erat Aurora illa tandiu exoptata, quæ mox nobis erat paritura Solem Juſtitiæ, ut nos educeret de tenebris peccati, in quas univerſum humanum genus corruerat. Ex quo ablactata fuit, & cum tertium ætatis annum ageret, Parentes, ut votum exſolverent, duxerunt illam in Templum. Nonnulli SS. Patres teſtantur Præſentationis S. Virginis in Templo Jeruſalem cæremoniam non ritu vulgari peractam fuiſſe. Non omnem duntaxat illius cognationem illuc eam comitari voluiſſe, verum etiam ſecreto quodam afflatu, cujus ignorabatur Myſterium, omnes qui in Jeruſalem aliqua dignitate eminebant, voluiſſe auguſtæ huic intereſſe celebritati, cum interim in Cælo Angeli inviſibiles concentibus ſuaviſſimis Feſtivitatem hanc proſequebantur. Oblatio hæc proculdubio conjuncta fuit cum Sacrificio, non ſecus ac illa Samuelis; ſed illud quod incomparabilis hæc puella obtulit Deo ſui ipſius, & ſuarum rerum omnium longe acceptiſſimum Deo fuit, ac pretioſiſſimum. Aliæ Virgines, quæ tenella ætate præſentabantur, nondum rationis uſum habentes neſciebant quid facerent, ſed hæc, quæ ob peculiare privilegium ab ipſo Conceptionis ſuæ tempore præmaturæ rationis uſu donata fuerat, & per Spiritum ſanctum edocta, agnoſcebat Sanctæ hujus cæremoniæ momentum, & quam prætermiſit curam, ut eamdem divinæ Majeſtati redderet acceptam? *Idem?*

Houdry Bibl. Conr. Theol. de Myſter. Tom. IV.

Si S. Virginem imitari non poſſumus in puriſſima virginitate, ſaltem imitemur alias ejuſdem virtutes.

Quamvis hoc feſtum peculiariter ſit Feſtum Virginum; tamen in aliquo ſenſu eſt etiam omnium Fidelium. Si enim non poſſunt omnes Sanctæ hujus Puellæ Virginitatem imitari; poſſunt, & debent imitari ejus humilitatem, caritatem, virtuteſque alias, quæ totam ſtatus ejuſdem felicitatem, & gloriam compoſuere. Non omnes conſecrare Deo poſſunt Corpus ſuum per Virginitatem, ut illa, ſed omnes tenentur ad hujus exemplum illi conſecrare cor ſuum per caritatem. Tenentur omnes evitare mundi corruptionem; ſeſe ſanctificare per executionem, & praxim virtutum, quæ unicuique conveniunt ſecundum ſtatum ſingulorum, ac præſto eſſe, ut Dei pareant conſiliis, ſeu hæc generatim ad Eccleſiam, ſeu peculiariter ad aliquem eorum pertineant. Et licet Deus in myſtico Filii ſui Corpore cujus membra ſumus, ad nullum nos peculiare munus deſtinaret, ſemper habemus magnum noſtræ Salutis opus, ad quam deſtinati ſumus, & ad quam noſmet præparare debemus, & huic toto vitæ noſtræ ſpatio vacare. *Tourneus in anno Chriſtiano Tomo* 12.

Oratio ad Beatam Virginem ad implorandã gratiam bene vivendi.

S. Virgo, quæ diluculo Domini jugum ſubiiſti, & adeo frequenter temet obtuliſti Deo, tamquam mundam oblationem, & in oculis Dei beneplacentem; ſupple per interceſſionem tuam, ſi quid deeſt oblationi, quam tibi facimus noſtri, ac præſenta nos JESU CHRISTO Filio tuo, qui non rejiciet, quidquid a tali parente ſibi fuerit præſentatum. Si oculi ejus quidquam immundum in hac oblatione detexerint, illius cruore abluatur, & gratia ſua, quæ te deſtinavit, ac præparavit Matrem futuram Dei Redemptoris hominum, me quoque præparet ad colligendos per vitæ ſanctimoniam fructus Redemptionis noſtræ. *Idem.*

Virtutes ejus cum ætate creſcebant, atque diverſæ illius operationes pro fine ſemper habebant Deum.

Prout hæc adoleſcentula creſcebat ætate, virtutes illius vitæ quidem rationem, non tamen objectum mutabant. Lucebant magis, neque minorem habebant puritatem. In externis occupationibus, & caritatis officiis, non ceſſabat conjungi cum Deo; utens ſenſibus ſuis ad neceſſitatem, & nunquam ad voluptatem. Dicere poſſumus illam mundi objectis circumdatam fuiſſe, quin periculoſa inde impreſſione aliqua afficeretur. Anima illius ab omni tumultu, & nubibus, quas cupiditates gignere ſolent, vacua in ſilentio audiebat vocem Creatoris ſui, & purum veritatis lumen recipiebat. Vivebat ac ſemper ſub oculis Majeſtatis Supremæ converſabatur. Ipſe etiam ſomnus illius, S. Ambroſio teſte, ſpecies quædam erat quietis ſacræ, quæ, non interpellabat ſuam applicationem ad Deum; & creata, quin illi minimam mentis evagationem afferrent, opem illi ferebant, ut expergiſceretur; eo modo quo effectus, & Imagines ſuapte natura efficiunt, ut qui illos conſiderant, ad earum cauſſam, atque prototypum aſcendant. *Ex* 2. *Sermone Academiæ anno* 1681.

Votum fecit hactenus ignotum, quod non ex aliquo vel præcepto, vel conſilio potuit didiciſſe.

Gratiis, quibus Cælitus cumulatur SS. Virgo, primum uſa eſt, ut ſe totam Deo devoveret, & quod in aliis fructus eſt ſerotinus conſummatæ ſanctitatis; in ipſa primus eſt fructus ſanctitatis orientis. Oblata ipſa pueritia Templo in Sancto receſſu procul a commercio, & corruptione ſæculi teneram adoleſcentiam ſuam tranſigit altari deſerviens, & Deo vitæ ſuæ primitias conſecrat. Mox Spiritus ſancti lumine afflata novam, ignotamque virtutem amplectitur, quod nullum præceptum vel conſilium eidem ſuggerere potuit: & per votum, cujus nullum extabat exemplum, ſibi ſacram, ac minime temerandam irrogat legem. Verum votum dixi, cujus nullum extabat exemplum? Blanda ſpes, quam omnes Iſraeliticæ puellæ fovebant pariendi Meſſiam nonne apud illas virginitatem in opprobrium verterat, & maledictum? Maria una inter filias Sion cogitare non auſa fore ut in ſe Dei electio caderet, alioquin ſeſe attollere ſuper inanem fallacemque hominum æſtimationem, puritatem ſuam incolumem ſervatura nuntium mittit tantæ huic gloriæ, qua ſe indignam putat, atque contemnit dedecus populare, quod ſe ipſa credit indignum. *Sermo* 4. *Academiæ anno* 1681.

Actus virtutis quos S. Virgo exercuit in Templo, ſunt Myſteria Deo uni perſpecta.

In ſecretæ, abſconditæque vitæ caligine, quam S. Virgo ducebat in Templo, quot Sanctas actiones, quot exempla eruditioni noſtræ ejuſdem ſubduxit humilitas? Quot piæ exercitationes, officia, opera bona, conſilia ſervata conſepulta jacuere in Sancto illo receſſu, ubi ſeſe continebat? Sed conemur ſaltem quaſi per caliginem per velum, quo illius modeſtia retexit, virtutes ejus perſpicere, & non vereamur dicere, ſi humi-

litas perfecta novit virtutes omnes abſcondere, omnes virtutes adfuiſſe ibi, ubi perfecta humilitas inveniebatur. Tamen relinquenda eſt in obſcura nocte, ubi virtutes abſconditæ oculos noſtros fefellerunt, caritas ardens, quæ illas animabat, & quæ efficiebat, ut ad Deum tamquam extremum unicumque finem referrentur. Cum illa per caritatis hujus conatus conjuncta, antequam ſenſibili pacto eidem per Incarnationem ſuam conjungeretur, concepit Verbum in corde, antequam etiam illud ſinu conciperet. *Ex eodem.*

Patrum ſententia eſt, Mariam virginitatem voviſſe præſtantia Sacrificii quod Deo fecit in Templo.

Traditio eſt æque vetus, ac Eccleſia, Sanctorumque Patrum auctoritate probata, Mariam tertium ætatis annum agentem Domino oblatam fuiſſe in Templo Jeroſolymæ, & ſecundum internum gratiæ motum ſeſe Deo conſecraſſe per ſollemne votum perpetuæ Virginitatis. In hujus Virginis Sacrificio nihil non magnum eſt; & ſingula ejuſdem pretium commendant: 1. Deus ille eſt, cui hoc Sacrificium offertur; 2. Maria victima eſt, & Sacerdos, quæ ſemet ipſam ſacrificans affert Deo id, quo tunc in Mundo nihil erat majus, aut pretioſius: 3. Hoc uno facto offert Æterno Patri filiam, Dei Filio Matrem, Sponſam Spiritui ſancto, Reginam Angelis, peccatoribus Advocatam, omnibus hominibus Mediatricem. Quod Sacrificium! quæ victima! quæ Sacerdos! Quam digna te, Deus, hæc eſt oblatio! Poſt orbem conditum viſum ne fuit tale donum, tanta Victima? Quænam Mariæ gloria fuit Virgines numero infinitas docuiſſe modum ſeſe ſupra ſexus ſui imbecillitatem attollendi, imitandi puritatem Angelorum; qui meri ſunt Spiritus, & ſuperandi virtutem eorum ſervantes in vaſis ad extremum fragilibus theſaurum adeo pretioſum! Quodnam inde mihi opprobrium, Deus, niſi ſimilis fuero egregio huic exemplari, ſecundum quod me ipſum componere teneor? *Solitudo Virginum.*

Conſtans Fidelitas qua Maria ſervavit, & implevit quod ... Domino ſpopónderat in Templo.

Conſideremus qua Fide Maria ſervaverit toto vitæ ſuæ tempore id, quod tres annos nata promiſerat. 1. Conſtans amor, quo Creatorem ſuum diligebat, 2. Vera, & ſolida voluptas, qua ab illo pendebat. 3. Ardens deſiderium eidem inſerviendi fuerunt vincula, quibus cor Virginis cum Dei corde conjunxerunt. Auguſtum Jeroſolymæ Templum, Aræ Sacræ ad quarum pedes ſæpe viſa fuit hæc Virguncula puras, innocuaſque manus in Cælum attollere, & effundere cor ſuum coram Deo viventi, teſtes fuiſtis Sacrificii, quod illa ſuimet ipſius fecit primo Præſentationis ſuæ die, ſed quotis illud clam inſtauravit? Quot virtutes hominum cognitioni ſubtraxit, illas exercens in ſolitudine, atque ſilentio? Quo fervore, ac perſeverantia Domino, Deoque ſuo ancillata eſt? Quam Beata es, Virgo Sanctiſſima, cui cum Canticorum Sponſa dicere licet; ego ſemper dilecto meo ſervavi fidem, illi ſervavi poma nova, & vetera. O quam præclarum eſt conſecraſſe Deo primitias puritatis ab infantia! Quam glorioſum eſt illius florem ſervaſſe uſque ad mortem! *Solitudo Virginum.*

Exterior ſolitudo Mariæ Virginis.

Virginum Deo ſacratum domus ſita Templum inter & altare SS. Virgini nondum ſatis erat Sancta & ſolitaria. 2. Summus Sacerdos, quem plures fuiſſe credunt Zachariam S. Joannis Baptiſtæ patrem ſecreto Dei afflatu poſuit illam non in Sanctuario, quemadmodum ſcripſit S. Germanus, ſed in loco, qui propior erat illi, quam ubi Virgines aliæ habitabant. 3. Ibi undecim vixit annos tamquam res Sacra, mundi oculis abſcondita; oculi enim profani ſatis mundi non erant, ut Sanctam hanc Virginem intuerentur. 4. In Auguſtiſſimo hoc Templo a creatis rebus ſepoſita, corde, animoque conjuncta, omnia illi conſecrans vitæ ſuæ momenta, ſeque perficiens exercitatione puriſſimi amoris, omniumque virtutum ipſa quoque facta eſt Templum vivens, dignius Deo, quam Salomonicum. Quam tuta erat puritas hujus lilii Cæleſtis, & caſtiſſimæ hujus puellæ in Sancta hac Solitudine! quid officere potuiſſet flori, & pulcritudini in hac beata ſede? ubi nonniſi puriſſimum reciprocabat aerem, ubi nullam habebat converſationem, quam cum Angelis, ubi Cælum ſemper patens ſtillabat in ea rorem, quo Virginum puritas alitur, ubi oblectabatur Deus loqui ad cor adoleſcentulæ hujus ſolitariæ. Si Maria ſuper quam Spiritus Dei vigilabat tamquam Sponſam, & quam Angeli tamquam Dei ſui Matrem verebantur, a mundo ſeceſſit integritati ſuæ conſultura: Virgo, quæ non uteretur ſapienti hac præcautione, nunquid ſperare poteſt ſuam ſe eſſe ſervaturam incolumem ſemet effundens in ſæculum? *Idem.*

S. Virgo mentis ſolitudine cum ſolitudine cordis conjunxit.

Per interiorem hanc ſolitudinem S. Virginis anima ab omnibus creatis objectis expedita, & uno occupata Deo, mens illius erat ſemper in Cælo, licet Corpus illius eſſet adhuc in terris. In deſerto Jacob Patriarcha vidit Scalam myſticam, cujus apex innitebatur Deo, per quam Angeli deſcendebant in terram, & de terra in Cælum aſcendebant. Sed illud ſomnium erat, & Figura. Enucleemus Myſterium. In Sacra Mariæ ſolitudine terra ſuaviſſimum habet cum Cælo commercium, & Creatura cum Creatore. Deſcendebat Deus in cor Mariæ, Maria vero uſque in Dei ſinum aſcendebat. Deus per juges afflatus loquebatur ad cor Mariæ, & Maria frequentibus deſideriis inceſſanter loquebatur ad cor Dei. O Sanctum, beatumque commercium, quod cum Creatore fovet cor! O quam ſuavis manſio ſolitudo eſt, cum animam nulla re affectam, quæ ſit extra ſe Deus unus movet; & ipſa nonniſi de Deo ſollicita eſt, qui in ipſa eſt. *Idem.*

Quomodo amor & Caritas Virginis Mariæ quotidie crevit.

Plurimi SS. Patres Mariam comparant cum Aurora propter admirabiles progreſſus, quos fecit in perfectione. Cum a primo ſuæ Conceptionis momento recepiſſet gratiam, & rationis uſum, non ſecus ac Angeli utraque uſa eſt, ut inciperet amare Creatorem ſuum, ſimulac vivere incepit; ac primo illo temporis articulo tanto cum ardore, & caritate dilexit, ut ſemet ſuper Angelos elevarit, omneſque illos in amore ſuperaverit. Bene ſciens uti gratia, crevit in virtutibus, prout ætate adolevit. Sed in Templo potiſſimum crevit pietate, ſcientia, amore, meritis. Ibi, Rupertus Abbas inquit, Spiritus ſanctus intentus ad eam præparandam, ut ſibi Sponſam efficeret, opus ſuum in eadem locavit, quod melius illi vertit, quam Æterno Patri in creatione primi viri, & mulieris. Non eo quod ille artifex eſſet peritior, quam Pater Æternus, ſed quia ille ſuum impendit laborem in feliciori ſubjecto, in terra magis pura, in corde magis fideli, in anima magis innocua. Adam, & Eva quin creſcerent amore, jacturam fecerunt gratiæ, in ipſo terreſtri Paradiſo paullo poſt, quam illam receperant, Sed quanam cum Sanctitate in Templo vixit Maria? quare non adhibuit curam, ſedulitatem, fervorem ut ſemetipſam perficeret? quid prætermiſit, ut ſe dignam Deo Matrem præberet? Quot illa amoris, Religionis, omniumque virtutum actus exercuit in beata illa manſione vovens Deo ſuam virginitatem, illius Magnalia contemplans, ac replens animum ſuum veritatibus Legis ipſius? *Idem.*

Cauſſa actionũ Mariæ in Templo, & principium interiorũ ejus.

Cogitate principium, & cauſſam, quæ ad gradum adeo ſublimem perfectionis evexerunt illam. 1. Caritas Dei effuſa in corde illius fuit principium. 2. Amor illius erga Deum extitit cauſſa. Cum caritas Dei eſſet infinita, cumque amor Mariæ eſſet divini amoris participatio, nulli fuerunt limites, vel fines. Vivere, & amare unum erat & idem. Hoc tempore merebatur ſemper omnibus actionibus ſuis diurnis, atque nocturnis; nam cum magis occupata Deo ſuo, quam Sponſa Canticorum, de illa cum multis Doctoribus dici poteſt, quod corpore illius quieſcente, cor vigilabat. Patriarcharum vota, & deſideria Prophetarum Meſſiæ maturarunt adventum; Mariæ merita illum obtinuerunt, effeceruntque, ut digna fieret Mater illius. Si unicus Sponſæ intuitus cor Dei rapit, mirum ne eſſe debet, ſi tot ferventia deſideria, tot ſanctæ cogitationes, tot actus amoris, quos Maria elicuit in Templo, in ſinum hujus Dei Filium pertraxerint? Si Angeli in Cælo lætantur videntes cor peccatoris in terra pœnitentiam agentis, quanam voluptate, & alacritate, Deus intueberis innocens Matris tuæ cor tot exornatum virtutibus? *Virginum Solitudo.*

Ad hæc conſiderate quibus artibus Maria in Templo ſe ad ſublimem adeo perfectionis gradum erexerit. 1. Oratione. 2. Lectione. 3. Sublimium virtutum praxi. Per orationem Spiritus ejus de terra aſcendebat in Cælum, ut converſaretur cum Deo. Per lectionem Sacrarum Scripturarum, de Cælo deſcendebat Deus ut loqueretur illi ad cor. Per exercitationem virtutum alebat, augebatque flammam amoris divini quo anima ſua penetrata erat: ita in ſingula momenta creſcens de virtute in virtutem, de claritate in claritatem, tandem merita eſt ſinu ſuo divinum Juſtitiæ Solem complecti. O vitam præclaram! o felicia primordia! O tempus ætatis adeo fragilis, & quo vix cognoſcitur virtus, ſancte traductum; ubi hoc pacto traducatur! *Idem.*

Quomodo Maria Templo ... præter alias pia puerum.

Via, Patres inquiunt, Maria tertium ætatis annum attigerat, cum illa ſe Templo præſentavit ibi offerenda, & in omne tempus Deo ſuo conſecranda. In eo Sancto loco poſuit ſuum vitæ religioſæ tyrocinium per irrevocabile votum caſtitatis, quod tunc nuncupavit Deo, ut iidem teſtantur. Heu! quam procul abeſt, Deus, quo ego tam cito me ipſum tibi tradere inceperim. Verum eſto, ſi per pœnitentiam, fervorem, zelumque meum ea repararem mala, quæ meum ad te reditum præceſſerunt; ſi ſaltem per ignaviam non augerem numerum criminum, quæ expianda ſuſceperam me tibi devovens! Quam longe abſum, Virgo Sanctiſſima, ab hoc zeli ardore, quo tu ad perfectionem anhelabas! Tu in ſingula momenta augeri, perficique vidiſti per tuam gratiæ fidelitatem virtutes magis heroicas; ego autem video illas quotidie infirmari in corde meo per teporem, atque negligentiam. Pudet me mei Domine! hanc deteſtor, adjuva me, ut illam ſuperem. Exaudi Matrem tuam pro me deprecantem. Hæc Mater mea eſt æque ac tua. Omnia ergo mihi ſperanda ſunt ab illius erga me quidem bonitate, erga te vero auctoritate. *Ex moralis novi Teſtamenti Patris la Newville Tomo 1.*

S. Virginis in hoc mundo conſilium erat con-

Poſſumus hoc in loco animum advertere ad rem, cujus extat in Evangelio fundamentum: Videlicet, S. Vir-

Digitized by Google

ſecrare ſuã Deo virginitatem.

S. Virginem conſtans iniiſſe conſilium, quod S. Auguſtinus votum appellat permanendi in Virginitate ſua in omne vitæ ſuæ ſpatium, quemadmodum reipſa permanſit; quamvis illi contigerit felicitas concipiendi, & pariendi JESUM CHRISTUM ſecundum carnem. Ignorabat illa, ſe ad tantam Matris Dei dignitatem evocari, cum illi ſuam vovit virginitatem; volente Deo, S. Auguſtinus ait, ut illa votum hoc nuncuparet, quin illud aliquam haberet rationem cum Dei Maternitate, ut eas haberet, quæ ejus imitarentur exemplum, & non crederetur, virginitatis ſtatum uni illi reſervari, quæ Dei filium eſſet paritura. Propoſitum hoc S. Virginis votum, hæc ſuimet conſecratio, quocumque modo facta fuerit, ſeu per anteriorem parentum deſtinationem, ſeu ſecretam voluntatem, quam Spiritus ſanctus illi inſpiraverit, hoc illud eſt, quod hac die a nobis coli jubet Eccleſia. Illi, & illæ, quæ hoc pacto ſeſe conſecrarunt Deo in Aſceterio, vel quæ in mundo ſervare decreverunt virginalem puritatem, quod tot piæ Virgines facere ſolent, in hac Præſentatione, vel conſecratione Virginis perfectiſſimum inveniunt exemplum eorum, quæ ibi facienda ſunt, ut actionem hanc reddant acceptam Deo, & utilem ſibi. His ſatis eſſe non debet, ſi ſint Virgines, ut illa; opus eſt, ut ſicut illa ſint humiles, verecundæ, obedientes, & omnibus Dei voluntatibus ſubjectæ. Caritas eſt cuſtos virginitatis, & locus, ubi hæc reſidet cuſtos, humilitas eſt. Non licet amare parum JESUM CHRISTUM, pro quo nuntium miſerunt iiſdem objectis, quæ illis licebat amare. *Tourneaux in anno Chriſtiano Tomo* 12.

SS. Virgo ſeſe præſentans Templo vovet Virginitatem.

Nondum viderat Deus Sacrificium, quod eſſet ſecundum cor ſuum, neque victimam, quæ illi eſſet acceptior. Quod tamen hanc Præſentationem in Templo pretioſiorem effecit; & quod in Maria ſingulare eſt, fuit votum virginitatis, quod ea ipſe die nuncupavit. Non ambigitur, quo minus illa, quæ erat *theſaurus virginitatis*, ut loquitur S. Joannes Damaſcenus, *Gloria Virginum; Virginum vexillifera, & virginitatis magiſtra*, ſicut S. Ambroſius inquit, non ambigitur, inquam, quominus a primo momento, quo rationis uſum obtinuit, videlicet primo vitæ ſuæ momento, hoc votum emiſerit. Sed hæc præmatura ſuæ integritatis oblatio, Patres inquiunt, erat prorſus interior, & quodammodo confuſa cum actibus ſpiritualibus, quos elicuit reliquarum etiam virtutum primo illo momento. *P. Croiſet*.

S. Virgo in Templum ingreſſa fuit admirationi Angelis, & hominibus.

Eadem ipſa die glorioſæ ſuæ Præſentationis in Templo, Virgo hæc Æterno Patri dilecta, Mater hæc unigeniti Filii ſui, hæc Spiritus ſancti ſponſa tota pulcra, ſemper labe vacua, denique Virginum Regina ſollemne votum nuncupavit Deo ſuo virginitatis perpetuæ, ac perfectiſſimæ. Hinc S. Anſelmus JESUM CHRISTUM alloquens ait; deſcendiſti, Domine, de ſublimi throno gloriæ tuæ in caſta humilis, & abjectæ in oculis ſuis puellæ viſcera, ſed quæ omnium prima per virginitatis votum ſacrata erat, & quodammodo ſignata. Propter ſacrum hoc ſignum in Scripturis vocatur, *Hortus concluſus, Fons ſignatus*. Profecto S. Auguſtinus ait, Virgo non dixiſſet Angelo nuntianti ſibi, ſe Filium parituram; *quomodo fiet iſtud?* niſi antea voviſſet virginitatem. *Profecto non diceret Virgo: quomodo fiet iſtud; niſi Deo ſe ante Virginem voviſſet. Idem.*

Voluntarium Virginis Sacrificium a Sanctis Joachim & Anna oblatum.

Quam pulcri ſunt greſſus tui, Filia Principis! Quam auguſta fuit hæc cæremonia! Quam pretioſum hoc ſacrificium! quam accepta hæc oblatio! Os, modeſtia, totius corporis habitus hujus adoleſcentulæ ingredientis in Templum, S. Ambroſius inquit, admirationi fuerunt hominibus, & Angelis; ſenſus autem, & Sanctæ cordis ipſius diſpoſitiones quam acceptæ fuerunt Deo! Dies Dedicationis, quo inquit Scriptura, Templum repletum fuiſſe Dei gloria, non tam glorioſus Domino fuit, quam hic, quo Maria venit in Templum; & infinitus victimarum numerus quas immolari Salomon voluit, ut ſollemnitatis illius pompa commendaretur, non fuit tam jucundus in oculis Dei, quam hodierna die illi eſt Præſentatio Virginis adeo puræ, quæ omnino ſeſe illius gloriæ, ac ſervitio devovet. *P. Croiſet*.

Satis celebrari non poteſt generoſa SS. Joachim, & Annæ pietas, qui cum eſſent conſummatæ virtutis uterque, nihil detrahere voluerunt Sacrificio, quod offerebant. Hæc Virgo tota erat illorum conſolatio; hanc diuturnis precibus a Deo petierant, atque impetraverant. Voto ſuo ſatisfacere potuiſſent, Templo filiam offerendo, & tres ſiclos erogando, qui in Levitico erant conſtituti ad redimendas Virgines, quæ Domino offerebantur, poſt menſem unum uſque ad quinquennium. Illa domum ſuam reducere potuiſſent, tamquam unicum ſenectutis ſolatium; ſed affectus eorum neque conſolatus fuit, neque exauditus. Obſecuti ſunt ſtudio Filiæ ſuæ, quæ majori illuſtrata lumine tertio ætatis ſuæ anno, quam tota ſit humana Sapientia in perfectione callidiſſimæ ſenectutis; ad unguem edocta de Divinis de ſemetipſa conſiliis, ſollicitior apud optimos parentes efflagitavit, ut maturare vellent Sacrificium, quod ægre quidem, ſed omnino illis erat faciendum. Præſentationis cæremonia abſoluta, reliquerunt pretioſum hunc theſaurum in Templo, ut congruis deſerviret miniſteriis; ibique illa in puellarum conclavi permanſit uſque ad ætatem annorum quindecim, quas nupſit S. Joſeph, ut maxima adimplerentur Myſteria. Deus, qui caſtum hunc virum illi deſtinaverat, illum pari caſtitatis munere prævenerat; neque S. Virgo nuptiis aſſenſa eſt, niſi poſtquam certo cognovit eodem perpetuæ virginitatis voto utrumque conjugem conjunctum iri, & hoc futurum decus præcipuum eorum conjugii. *Idem.*

Non vulgares virtutes, quæ enituerunt in S. Virgine, cum erat in Templo, in cauſſa fuerũt ut uni illi permitteretur privilegiũ in Sanctuarium ingrediendi.

Virtutes eximiæ, quæ in Sancta hac Virgine elucebant, & ſupernaturalia dona, quibus Deus illam ornaverat re adhuc integra illi admirationem conciliaverat; ita ut gratiæ prodigium haberetur, & omnes tantam eminentis, ac miraculoſæ ſanctitatis Ideam conciperent, ut plures SS. Patres aſſerant S. Virgini permiſſum fuiſſe, ut toto eo tempore, quo in Jeroſolymitano Templo permanſit, ſingulari privilegio ingredi poſſet in Sanctuarium, immo etiam in locum ſacerrimum, quo jure ſuo Summus tantummodo Pontifex ingredi poterat, uti liquet ex S. Jacobo, cui uni propter inſignem virtutem eadem conceſſa fuerat facultas. In loco hoc Sancto, purarum creaturarum Sanctiſſima meliorem diei partem tranſigebat effundens coram Deo cor ſuum, & jugiter offerens illi laudum Sacrificia, quæ longe magis pretioſa erant, & Deo cara, quam omnia animalium holocauſta, quæ in templo offerebantur. Aſſequamur, ſi fieri poteſt, quis eſſet ardor votorum ejus, & precum. Soli ſunt Beati Spiritus, conſueti teſtes fervorum illius, qui æquam concipere valuerint Ideam ſanctitatis Meditationum ſuarum, excellentiæ contemplationis, pretii, meritique infinitæ multitudinis actuum multiplicium, heroicarumque virtutum, quibus vulgo vacabat Maria per annos undecim, quibus in Templo permanſit. *P. Croiſet*.

Maria in Præſentatione ſua Prototypum eſt Virginum ſeſe Deo devoventium in Aſceteriis.

Cum Sanctus Rex Propheta dicebat, *Adducentur Virgines poſt eam*, nonne videtur reſpexiſſe SS. Virginis Præſentationem, quæ per manſionem ſuam in Templo futura erat exemplum infinito Virginum numero, quæ mundo vale extremum dicentes in Templo traducent dies ſuos coram divino Sponſo omnia juſtitiæ, & ſanctitatis officia obeuntes: *In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris*. Quot decies centena Virginum millia ſubſecuta ſunt hanc Reginam Virginum, & ad exemplum illius ſe mancipaPſalm. 44. Luc. 1.runt Dei ſervitio inter clauſtra, ut ibi totam vitam traducerent in altiſſimæ pietatis exercitatione? Nonne jure dicere poſſumus Præſentationem S. Virginis, ejuſque in Jeroſolymitano Templo manſionem fuiſſe tamquam ſacrum prototypum, & ut ita dicam, primam Epocham Inſtitutionis omnium Sanctimonialium? Quam cara, & venerabilis illis eſſe debet hodierna feſtivitas? Ita Domine! Antequam Filius tuus in terras deſcenderet, ac fieret victima pro peccatis noſtris in Cruce, Maria ſola erat Hoſtia digna, quæ tibi offerretur. Sanguis taurorum, & agnorum, liquorum libatio, odor thymiamatum nimis materialia erant objecta, quibus afficereris. Sacrificia Abel, Noe, aliorumque Patriarcharum, Magnificentiæ David, & Religioſæ Salomonis profuſiones gratiam aliquam merebantur, ſed penitus tibi ſatisfacere non poterant. Sacrificium Abrahæ, & Annæ Matris Samuelis, tibi quidem accepta fuerunt: ſed quantumvis excellentes hæ eſſent victimæ, ſemper tamen illis aliquod inerat vitium, deeratque iis perfecta puritas, quæ ſi deſit, te dignæ eſſe non poſſunt. Una eſt Maria, in qua nullam inveniſti labem, & quæ potuerit eſſe Hoſtia ſatis Sancta, & pura ſatis, ut cor tuum afficeret, & cieret miſericordiam tuam, donec magnum Crucis Sacrificium accederet. Excipe igitur hodierna die innocuam hanc Columbam, quam non multo poſt Immaculatus Agnus ſubſequetur, qui unus tollere poteſt peccata mundi: Excipe vota Sanctiſſimæ inter creaturas, excipe oblationem Virginis, quæ præcipuum opus eſt Miſericordiæ tuæ, quamvis ſis refugium peccatorum. *P. Croiſet*.

Religioſarum perſonarum conſolatio eſt imitari S. Virginem in Præſentatione ejus.

In Sion firmata ſum, & in civitate ſanctificata requievi. Jure SS. Virgini verba hæc tribuit Eccleſia: eademque ſumma cum conſolatione ab omnibus religioſis perſonis eſſent uſurpanda. Quam bene firmatæ ſunt in Sion per Dei vocationem, per morum innocentiam, per jugem ſine ulla intermiſſione fervorem; & quam ſuavem in civitate ſanctificata requiem inveniunt! Cum religionis ſtatus ſit adeo Sanctus, & cum religioſæ domus ſit innocentiæ perfugium, ſuavis Virginum ſolitudo, ſtabilis virtutis ſedes, tuta a tempeſtatibus, atque ſcopulis ſtatio, vera promiſſionis terra, ſimillima S. Civitatis imago, quomodo fieri poteſt, ut illuc tædium, amaritudo, triſtitia, & aliquando etiam pœnitentia illuc ingrediatur? Manna ibi eſt in copia, ſed illud faſtidimus, cum Ægypti cæpas concupiſcimus. Dæmon cum prohibere non potuerit quominus adoleſcens, vel adoleſcentula gratiæ ſequeretur illecebras, quæ illum e mundo convellens ad Religionem vocabat: omnes exerit conatus ſuos, omnibuſque artibus utitur, ut eorum labefactet fidelitatem, & ſterilem efficiat generoſitatem. Primæ illius curæ ſunt efficere, ut leviores regulæ pro nugis habeantur, a quibus quilibet facile ſe diſpenſet. *Idem.*

Nobis

Digitized by Google

Quam diluculo S. Virgo ſeſe Deo conſecraverit.

Nobis conſiderandæ ſunt duæ præcipuæ virtutes, quæ in ſollemni Præſentatione B. Virginis Mariæ in Templo collucent. Sollicitudo, qua ſemet Deo conſecravit, & perfectio cum qua ſe totam ſine ulla exceptione devovit. S. Virgo citius quam potuit, Deo ſe conſecravit, prima enim erat. Non ætatis gracilitas, non corporis infirmitas, non Parentum amor illam deterruerunt. Ubi agitur de ſemet Deo devovenda nihil illam retardat. Quidquid hoc differre poteſt Sacrificium, differt illius felicitatem, & cor ejus affligit. Hoc jam ab ipſa die nativitatis ſuæ perfeciſſet, ſi pietas, & amor erga Deum, & ratio, quæ prævenerat ætatem, ſequi noluiſſet ordinem naturæ, ac hujus legibus ſeſe accommodare. Tres exceſſerant anni, ex quo felicem hunc diem præſtolabatur, & Sancta cum impatientia expectabat. Singulæ horæ, momenta ſingula eidem ſæculo videbantur præ deſiderio videndi ſe ſollemni ritu Creatori ſuo dedicatam: *Quando veniam*, ajebat illa inceſſanter cum Propheta; *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*. Quando me offeram Templo ad eliciendam profeſſionem inſignem, ac publicam devotionis meæ Deo meo? Felix momentum, quo ab extremæ pueritiæ meæ vinculis ſoluta apparebo coram Domino in Tabernaculo ſancto ſuo, quam mihi procul abeſſe videris, dicebat illa quotidie. Habemuſne parem ardorem, eamdemque ſollicitudinem, ubi agitur de nobiſmet Deo devovendis? Deberemus incepiſſe diligere Deum, ex quo illum cognoſcere incepimus. Primus rationis, voluntatis, atque libertatis noſtræ uſus illi debebatur; at illine ſubſequentem ſaltem impendimus? Incepimuſne amare Deum, & Deo famulari? Facile numeramus annos, & dies, quibus viximus; nunquid multos recenſemus in ejus ſervitio tranſactos; vel ut æquius loquar, numeratne Deus plurimos dies a nobis ſincera; atque conſtanti pietate ſanctificatos? Religioni addicti obliviſcunturne unquam annorum religionis ſuæ? eruntne hi totidem dies ſanctificati? Quæ calamitas harum animarum tot privilegiis præditarum, ſi dies earum vacui fuerint, & ſi poſtquam in hominum oculis viſæ fuerint ſpiritualium bonorum locupletes, extrema tamen hora inventæ fuerint nihil habentes in manibus ſuis. Maria tota dicata Deo, Deique amore ſuccenſa a primo vitæ momento ad Templum fertur ad publicam emittendam profeſſionem devotionis ſuæ Deo, triennis, & tenella ætate hac ſollemniter in omne vitæ ſuæ ſpatium ſe conſecrat Deo. Hoc nobis illa tradit documentum, exemplo illud confirmans. Nunquid nos inde profecimus? Quænam eſt Epoca noſtræ converſionis: *Sero te amavi*, Domine. Heu! Quot annis elabi ſum paſſus, quin diligerem te! Quot mortales ad ſtadii ſui metam perveniunt, quin nondum te diligere inceperint! *Pater Croiſet.*

Pſalm. 41.

Secundum Sanctæ Virginis Mariæ exemplum non ſolum diluculo, ſed etiam omnino noſmet Deo devovere debemus.

Conſiderandum eſt, non ſolum S. Virginem ſe diluculo devoviſſe Deo, ſed ſe totam illi devoviſſe. Ignorat exceptionem. Ubi agitur de ſe Domino conſecranda omnes infringit nexus, quibus ſuis adhæret parentibus, quamvis arcti ſint. Deus ſuus illi eſt omnia. Omnibus bonis abrenuntiat; jamjam Dominus unica eſt pars illius. Propriam abnegat libertatem non aliam habitura voluntatem, quam Dei, qui unica eſt vitæ ſuæ norma. Nuntium mittit omni voluptati propter amorem illius, qui unice delicias ejus conſtituit. Imitamurne Mariæ liberalitatem? Noſmet omnino, ut illa, conſecramus Deo? Nihilne nobis reſervamus, cum etiam meliorem noſtram partem Deo largimur? Religioſis pleriſque hoc contigit, ut ſeſe diluculo tradiderint Deo, & non ſecus ac SS. Virgo confregerint vincula quibus parentibus ſuis adhærebant. Verumne alia ſibi vincula ædificant? Omnes elicientes vota ſua bonis omnibus renuntiarunt, religionem ingreſſi; ſed nullamne ſacrificii ſui ſibi partem reſervant? Religionem ingreſſi libertatem ſacrificant, ſed in ſingulorum deſtinatione ſitne unquam propria voluntas? Officia noſtra ſuntne unquam ex ſuperiorum voluntate extorta? Omnibuſne in rebus voluntati eorum obſequimur? Religionem ingreſſi profecto omnibus voluptatibus renuntiamus, crucem ſubimus, & crucifixam vitam ducere profitemur; ſed conſtans, & vera mortificatio eſtne character omnium, qui, vel quæ Religionis ſtatum amplexi ſunt? Amor proprius nunquam ne antiqua repetit jura; nihil ne conceditur illi contra fas, reluctante conſcientia? Immortificatio, & impudicitia omnibuſne Religioſis ignotæ ſunt? Animi cupiditates nunquamne in Clauſtris aſylum inveniunt? Quid proderit ignavis hiſce, & infidelibus animabus, his tepidis, imperfectiſque religioſis ſeſe tanta cum pompa devoviſſe Domino, ſi vita eorum profeſſionem ipſorum mentita fuerit, & ſi Deus in eorum ſacrificio furtum, aut rapinas deprehenderit? *P. Croiſet, in Aſceticis.*

Ad Mariæ exemplum noſmet Deo conſecrare debemus in æternum cum conſtantia, & perſeverantia.

In actionibus S. Virginis omnia ſunt Myſterium, omnia ſunt documentum, omnia ſunt confidentiæ ac devotionis argumentum. Virgo Sanctiſſima in hodierno Myſterio tertium agens annum ſe conſecrat Deo; devovet ſe illi in æternum, & in hac oblatione, & conſecratione ſeſe illi tradit ſine ulla exceptione. Præclarum argumentum, inſigne documentum omnibus, in omni conditione, & omni ſtatu. Jampridemne tumet devoviſti Deo? Hoc ipſum ab uſu rationis facere debueras. Quot mortales in ſenectute capulari hoc nondum fecerunt! Tu vero id feciſti? Audebiſne adhuc differre, ſi nondum feceris? Si tibi contigit ut Religioſum ſtatum ingreſſus fueris: facile tuos a profeſſionis die annos vales numerare: verum totidem ne recenſebis a primordio conſecrationis tuæ ad hanc uſque diem ſine intermiſſione, & ſine exceptione? Ratio id generoſe efficiendi, & noſmet omnino devovendi Deo noſtro ſincere, perſeveranter, & quin nos aliquando facti pœnitest, eſt per devotionem, & confidentiam noſtram impellere S. Virginem, ut ipſa nos Domino præſentet, ac ſignet, ut ita dicam, converſionem noſtram, ac donationem peculiaribus gratiis, ac Materna protectione. Ad id aſſequendum inſtauremus noſtram erga illam conſecrationem, teneramque pietatem. Noſmet præſentemus illi tamquam Matri dilectiſſimæ, ut nos illa hodie præſentet Filio ſuo. Denuo, ac ſollemniter profiteamur nos velle ſingulariter eſſe devotos, ac ſervos S. Virginis in omnem æternitatem.

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

PURIFICATIONIS MARIÆ VIRGINIS.

Quid ſit Purificatio, & ad quid inſtituta?

HUjus diei feſtivitas duo magna complectitur Myſteria, SS. Virginis purificationem, & Præſentationem JESU CHRISTI. Puriſſima Virginum omnium ſe ſubjicit Legi Purificationis, Sanctus Sanctorum Æternus novi Fœderis Pater offert ſe Domino quatenus Victimam. Maria Dei Mater mulierum omnium Sanctiſſima expiationis offert Sacrificium, licet labem nullam contraxerit; unicus Æterni Patris Filius, Redemptor hominum redimi vult, ut pro nobis ſemetipſum immolet in Calvario. Duplex in duplici Myſterio Sacrificium. Matrum omnium amantiſſima venit ipſa Filium ſuum immolatura; Virginum omnium puriſſima, per humilitatem cum ceteris vulgo Mulieribus vult permiſceri: Maria in hac Præſentatione pro hominum ſalute ſacrificat, quidquid illi quatenus Matri cariſſimum eſt, Filium ſuum; & in Purificatione, ut ita dicam, immolat, quidquid habet pretioſiſſimum, quatenus Virgo gloriam Virginitatis ipſius. Quot in uno Myſteria! Deus victima, Virgo, quæ ſolam Matris qualitatem aſſumit? S. Propheta Meſſiam tenens inter ulnas ſuas, & omnia ſecreta, omnemque noſtræ Redemptionis œconomiam evolvens. Omnia hoc in loco nobis prædicant exceſſum divini amoris erga hominis, & Deiparæ caritatem erga peccatores; Cultus Religionis; perfecta legis ſubmiſſio, mer tum humilitatis, ſalutis neceſſitas. Quanta ſalutarium meditationum copia illi, qui ſpiritum hujus Myſterii aſſequitur. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Primogeniti ſecundum legem pretio redimebantur.

Præter Legem Maternæ Purificationis alia quoque lex erat, quæ ad Primogenitum peculiariter pertinebat. Legis vi omnes primogeniti ex Filiis Iſrael Altarium miniſterio erant devovendi, tamquam primitiæ Domino debitæ, & mox pretio erant redimendi. Conſtat legem Purificationis nequaquam Mariam afficere potuiſſe, quæ cum per Spiritus ſancti opus concepiſſet, & Mater eſſet effecta, quin Virgo eſſe ceſſaret, nulla indigere poterat Purificatione; ideoque non debebat ſub hac lege contineri; cum miraculoſa JESU CHRISTI Nativitas Matrem nonniſi puriorem effecerit: *Unde ſordes in Virgine Matre.* S. Auguſtinus exclamat? Ubi vel minimam impuritatem invenies in illa: quæ quin ceſſaret Virginem eſſe, Mater effecta eſt? Unde ſordes in illa, in qua Verbum caro factum eſt? Inducit ille Dominum loquentem, ingreſſus ſum tamquam in Sanctuarium meum; inveni illam ſine labe: neque minus puram reliqui illam. Ne mireris, *Mater eſt mea, ſed manu fabricata eſt mea. Idem.*

Lib. adverſ. hæreticos hæreſ. 5.

S. Virgo ſe ſubjicit legi, licet legitime ſecum poſſet diſpenſare.

Maria licet Virgo ultro ſe ſubjicit legi, quæ pro mulieribus vulgo lata erat. Ex amore virginitatis conjicite magnitudinem Sacrificii hodierna die ad immolans, quod, ut ita dicam, Virginum gloriam conſtituit. Satis

tis

tis eſt hunc actum eſſe humilitatis, & Religionis, ut ſe non diſpenſet: ſuo non utitur privilegio. Exemplum, quod illi dederat Filius ſuus octavo poſt Nativitatem ſuam die, ſemet Circumciſionis legi ſubjiciens, non ſinit, ut illa ſe non teneri putet lege Purificationis die poſt puerperium quadrageſimo. Quæ confuſio! quæ exprobratio illis, qui facile diſpenſant ſecum a præcipuis Religionis officiis inanes dignitatis, vel generis titulos prætexendo! *P. Croiſet in Aſceticis.*

Deus paruit Imperiis Patris ſui, & obtulit ſe tamquam victimam in Templo.

JESUS CHRISTUS veniens in Mundum Patri ſuo dixit: ſacrificium, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, neque accipere voluiſti holocauſta pro peccato. Tunc dixi; ecce venio. Cognovit ergo Dei Filius, ſacrificia, quæ in Templo offerebantur non eſſe illa quæ Deus expetebat; indigna eſſe magnitudine illius, ſatisfacere non poſſe pro peccato, ſibique datum fuiſſe corpus, ut eorum loco ſuppleret. Quapropter paruit Patris imperio, eique ſe obtulit tamquam Victimam ad honorandam Majeſtatem illius, ejuſque juſtitiam flectendam. Oblatio hæc facta fuit clam in ſinu Virginis, neque alium teſtem habuit niſi Deum; hodierna vero die fit palam in Templo, quo S. Puer affertur a Virgine, & offertur Deo: *Ut ſiſterent eum Domino*, Græci hanc *Occurſus* feſtivitatem appellant, eo quod Simeon ſenex fortuito inventus eſt in Templo eodem tempore, quo Sanctus ille Puer a Matre offerebatur Deo, & accepit illum in ulnas ſuas, & cecinit Canticum, *Nunc dimittis*. Hanc vocant luminum feſtivitatem propter cereos, qui accenduntur in honorem illius, qui a Simeone *lumen Gentium* dicitur. Vulgatum nomen, quo utitur Eccleſia, nomen eſt Purificationis B. Virginis, quia hac die venit in Templum ſeſe purificatum poſt puerperium ſecundum legem quamvis huic ritui non eſſet obnoxia, quandoquidem illa non ſicut aliæ mulieres conceperit. *Godeau in Homilia.*

In quo ſita ſit magnitudo oblationis J. C.

Præſtantia oblationis JESU CHRISTI in hoc ſita eſt, quod cognoſcens omnes Patris ſui perfectiones illum ſecundum ſuam cognitionem adorat, videlicet, quantum adorabilis eſt. Antiqua ſacrificia nonniſi propter peculiarem cauſſam aliquam offerebantur, & ut aliquam peculiarem Dei perfectionem venerarentur. Sacrificia in actionem gratiarum Dei bonitatem colebant ob acceptum beneficium. Holocauſtum adorabat illius ſanctitatem; Sed JESUS CHRISTUS in oblatione ſua omnes Patris perfectiones adorat, gratias agit de omnibus beneficiis, & ſe per SS. Virginis manus præſentat ad exequenda omnia ejus conſilia; omniaque ejus decreta in hominum redemptione. Sancta die hac Maria nobis præclarum pietatis, & humilitatis exemplum ſuppeditat; quæ ſecum diſpenſare potuiſſet a lege ceteris mulieribus vulgo ſubeunda, quoniam ipſa puritas erat, tamen ſe confert in Templum earum Filium oblatura, nolens ſe ab aliis diſtingui mulieribus; vobis cogitandum relinquo, quænam fuerit S. Virginis hujus humilitas, & quænam eſſe debeat noſtra. *Idem.*

Virtutes, quæ S. Virginem in Purificatione ſua comitantur.

Attentius nobis conſiderandæ ſunt virtutes admirabiles, quas SS. Virgo in hoc exercet Myſterio. Celat gloriam ſuam nolens apparere, qualis eſt; oſtendit humilitatem ſuam apparens quod non eſt. Venit ſeſe purificatura, non ſecus ac aliæ Mulieres, ſit licet Virginum omnium puriſſima. A Lege hac humiliante immunis, illam in omnibus ejus circumſtantiis adimplet. Licet ſibi cariſſimus ſit Filius hic adorabilis, offert illum morti pro nobis, illum tamquam victimam Æterno Patri præſentans. Hoc illi ſtat caro pretio; audit enim quidquid triſtiſſimum, ac funeſtiſſimum ſibi portenditur; cui quanam obedientia ſemet ſubjicit, Deus meus! Quam conformis eſt ſpiritus Matris ſpiritui Filii; & uterque quam longe a noſtro diſſentit. *Idem.*

Meditatio vitiorum, quibus ſumus obnoxii.

Videri volumus, quod minime ſumus; ſuperbia noſtra pati non poteſt, ut videamur, quod ſumus. Luxus, faſtus, ambitio nos ad Altarium pedes uſque comitantur. Quid ſignificant ſuperbæ hæ honoris notæ, quas nullibi magis, quam in Templo appetimus? Tamen profunda S. Virginis humilitas nos allicit: nunquid ſemper erimus, aridi, ac ſteriles magnarum harum virtutum admiratores? Noſter puritatis amor magnam ciet in nobis conſcientiæ religionem? Quid facimus, ut acquiramus virtutem adeo neceſſariam, & religioſam. Qui mundi ſunt corde, hi tantum vident Deum. Nunquid legem tanta cum religione obſervamus, quanta Maria? Illam tamen obſervare magis tenemur? Ipſa nihil prætermittit eorum, quæ Deo placere poſſunt: nos vero ſaltem graviſſimum eſſe malum putamus illi diſplicere? an quotidie fere ſine conſcientiæ ſtimulis diſplicemus illi? Proh Deus! quot nobiſmet exprobrare debemus hac in re! Verum ſi aliunde cogitamus quidquid accidit in hoc Myſterio: omnia nobis ſunt documento. *Idem.*

a Simeon impatienter expectabat Domini adventum.

Bonus Senex, vir juſtus, & timens Deum, qui jampridem Meſſiæ præſtolabatur adventum, fit voti reus, & hac gaudet felicitate puerum JESUM inter ulnas ſuas excipiendi. Deus meus, quam gaudes temet communicare, ac tradere illis, qui te diligunt, atque deſiderant; & quam cito eos conſolaris, qui tibi fideliter, ac ferventer deſerviunt! Perſeverans in Deo confidentia nunquam fructu caret: *Nunc Domine*, Simeon ſuaviſſima conſolatione, & ineffabili gaudio cumulatus exclamat, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Heu! quam verum eſt ubi guſtatur Deus, Creaturas omnes diſplicere, homines, bona, vitam ipſam illi, qui æquum habet æternæ ſalutis conceptum. In communione recipimus Salvatorem eumdem, quem S. Simeon in Templo recepit in manibus ſuis. Ibi gratias eaſdem recipimus, ſed eaſdem ne diſpoſitiones afferimus? *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Ex frequentiſſimo Jeroſolymæ populo duo tantum Simeon & Anna vident Salvatorem.

Quinam ſunt, quibus videre contigit Salvatorem in Templo? S. Senex, qui tot annos Meſſiam videre cupiebat, & Vidua, quæ ſeorſim in receſſu vitam ducebat, quæ nunquam egrediebatur de Templo, ac dies, noctesque traducebat in precibus, & jejuniis. Hi duo tantum ex ingenti ea civitate hoc privilegio gaviſi ſunt. Deus in populi turba, & Mundi luce non invenitur. Electorum Dei numerus ſemper eſt minimus. *Idem.*

Virgo Sanctiſſima, nimis curæ tibi eſt ſalus mea, ut me in æternum perire permittas. Poſt Deum omnis conſolatio mea eſt in te, ſicut poſt Deum in te unice confido. Nonniſi pro ſalute mea ſuaviſſimum Filium tuum Deo Patri ſuo obtuliſti; ne patiaris me ipſum meæ calamitatis cauſſam fieri. Intercede mihi cordis corporiſque puritatem, ſine qua tibi placere non valeo. Intercede mihi gratiam accurate ſervandi legem; amandi Deum, eique cum perſeverantia ſerviendi: gratiam denique fovendi erga te pietatem, ac ſingularem devotionem, & ſuſtine ut te in toto vitæ meæ ſpatio, & in mortis exitu habeam tamquam Matrem; & ne permittas me quidquam perpetrare, quo indignus fiam, qui in albo famulorum, filiorumque tuorum recenſear. *Idem.*

Rationes, quæ B. Virginem impellere potuiſſent, ut ſe a lege purificationis eximeret.

Operoſum non eſt rationes invenire ad eximendum JESUM CHRISTUM, atque Deiparam a duobus mandatis quibus ſeſe hodie ſubjiciunt; facile eſt intelligere Legis dominum jugo illius ſubjectum non eſſe; & Virginem quæ conceperat, atque pepererat modo adeo admirabili potuiſſe ſemet diſpenſare a communi parientium purificatione. Sed noſtra pietate dignum eſt admirari profundam humilitatem, & voluntariam Matris, & Filii obedientiam, & longe dignius humilitatem, & obedientiam hanc imitari. *Tourneaux in anno Chriſtiano.*

Virginis obedientia, & ſubmiſſio.

Maria ſimpliciter obedit legibus difficillimis, atque ſuperbiæ infeſtiſſimis, quin ratiocinetur, quam ob rem ſit Mater effecta. Peculiarem non habet ordinem, ſequitur commune in lege præſcriptum, ſuoque exemplo confundit modicam obedientiam, qua plerique fidelium Eccleſiæ legibus parent; quamvis leges illæ nonniſi pro eorum ſalute fuerint conſtitutæ; ſed nolunt leges ſalutares, niſi commodæ ſint; omnes fere illas frangunt, optimates quidem per ſuperbiam, atque mollitiem, homines vero ex plebe per ignorantiam. Modicus eſt juſtorum numerus, qui ad imitationem Virginis, & JESU CHRISTI illas adimpleant cum caritate; quapropter S. Paulus ait, Legem non impoſitam eſſe juſto; jugo enim illius durum, & grave illis tantum videtur, qui neque legem, neque legislatorem diligunt: nam diligentes Deum, & amantes quidquid ille præcipit, nihil arduum putant, ut eidem placeant. Dei Mater non tenebatur lege matribus communi; ipſa inter Matres erat ſingularis; nihilominus ſeſe aliarum numero inſerit, ut nos doceat ſingularem eſſe virtutem, nihil habere ſingulare, & ſub communium legum obſervantia meritum excellens abſcondere. Ad apicem tempus in lege præſcriptum obſervat, non prævertit illud, nec momentum differt. Ubinam ſunt noſtræ diſpenſationes, excuſationes, ſubterfugia, diſſimulationes? Apage has nugas; deſeramus fallaces hujuſmodi opiniones, quibus acti quærimus Immunitates, & appetimus privilegia tamquam excellentiæ teſtimonia. Virtutem, gloriamque noſtram conſtituamus in ſervandis regulis, & legibus juſtitiæ. Impii non aliam legem habent, quam robur, ac vim ſuam. *Sit fortitudo noſtra lex juſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile invenitur.* Sed ſervi Dei e contra dicant: *Lex juſtitiæ ſit fortitudo noſtra*, quod enim injuſtum eſt inutile invenitur. *P. Nouet.*

Sapient. 2.

Maria cum Filio Jeruſalem pergit.

Quomodo B. Virgo ſeſe Jeruſalem confert deferens ſecum cariſſimum Filium in Templum, nunquam amovens oculos, & cor ab hoc divino objecto, cui prorſus inhæret! Sequimini illos ſpiritu, ac intuemini JESUM inter ulnas Matris ſuæ tamquam fontem puritatis, qui abluturus eſt omnia mundi peccata in Sanguine ſuo; inſtar accenſæ facis, divinitatis ſuæ igne fulgentem; & tamquam communem theſaurum, qui profoluturus eſt omnium hominum redemptionem. Mementote omnes vitæ noſtræ dies, dies eſſe expiationis, nonniſi momento obitus noſtri abſolvendos. Nemini licere in Cæleſtem Jeruſalem ingredi, antequam completi fuerint; nihil in illam introire, quod non ſit mundum, & niſi diluculo abluentis maculas animæ

veſtræ in vitæ fonte; vos damnandos eſſe, ut illas piacularibus flammis expietis. Cogitate, vos viatores eſſe ſuper terram, & Filium Dei lucem eſſe, qua inter ſæculi hujus tenebras illuſtramini. Ambulate donec lucem habetis, in virtutis acquiſitione progredimini, ne mora vos deprehendat, voſque ſua involvat umbra antequam ad eum ſanctitatis gradum perveniatis, quem a vobis expetit Deus. Denique cogitate vos creatos eſſe, ut ſupremo fruamini bono, & JESUM unicum futurum eſſe theſaurum, quem eſtis in æternum poſſeſſuri. Ne igitur alibi collocare velitis cor veſtrum; unum illum concupiſcite, unum illum amate, unum illum cogitate. Quid proderit vobis mundum univerſum lucrari, ſi illius jacturam feceritis, ſine quo eritis miſeri in æternum? *P. Nouet.*

B. Virgo aſcendit in Templū.

Pervenit B. Virgo cum JESU in Jeruſalem. Gaudium, quo afficitur ad adſpectum Templi, fervor, quo auguſtæ illius Ædis gradus aſcendit reminiſcens ſe in extrema pueritia ſua ſumma cum lætitia eoſdem aſcendiſſe. Reverentia, qua illuc pedem intulit, & devotio, qua ſeſe ad ſacrificium ſuum offerendum præparavit. Nunquam tot miracula viſa ſunt in magnifico eo Templo; nunquam ibi Deus melius fuit adoratus. Viſi ſunt homines virtute, & genere præſtantes, non autem Homo Deus. Viſæ ſunt Virgines, & Matres, ſed nunquam virgo Mater. Viſus eſt Deus adoratus ab Angelis, & hominibus; non autem Deus adorans. Viſæ ſunt Victimæ, & ſacrificia, non autem Victima, quæ omnia Mundi tolleret peccata. Proh! ſi ad Orationem, Miſſam, Communionem pergeres iiſdem cum ſenſibus, quos B. Virgo fovebat ingrediens Templum oblatura Victimam innocentem, quot conſolationibus & benedictionibus Cæli implereris? Quænam tibi eſſe deberet lætitia ad Eccleſiam eunti, ut divinorum Myſteriorum particeps fias! Quanam alacritate dicenda eſſent tibi Regis Prophetæ verba: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.* Quænam mea eſſe deberet puritas, Deus meus, ut in ſanctam Domum tuam ingrederer! quomodo auſim prodire coram te plagis ulceribuſque confectus, niſi miſericordia tua adjuvet ſpem meam, & animos addat, ut tibi enarrem infelicitatem meam: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.* Pro me B. Virgo, paruiſti legi Purificationis, quemadmodum pro me Filius tuus Circumciſionis legi ſe ſubdidit. Fac ut obedientia tua ſit mihi exempli loco, o creaturarum omnium puriſſima! & Sanguis Filii tui mihi lavacrum ſit ad emundanda omnia ſcelera mea. *Idem.*

Pſalm. 121.

Pſalm. 50.

Debemus noſmet offerre Deo, quemadmodum Filius Dei offert ſeipſum Patri in hoc Myſterio.

Facile eſt oſtendere in Purificationis Myſterio JESUM CHRISTUM offerre ſe Patri pro omnibus conſiliis, quæ habet ſe. JESUS enim videns ſe quodammodo cumulatum gratiis, quas Spiritus ſanctus effundit in animam ſuam, ne uno quidem momento illas patitur otiari. Harum enim efficit pretioſiſſimam, acceptiſſimamque oblationem Deo Patri. Ad hoc intelligendum conſiderate primum quis ſe offerat, & ſe illi tradat: quod donum eſt omnium maximum, ampliſſimumque. Plurimi offerunt Deo preces, eleemoſynas, jejunia, mortificationes, ſed pauci ſeipſos, & cor ſuum. Semper vero ſibi ſecreto voluntatis ſuæ diſpoſitionem reſervant. Partitio hæc diſplicet Deo; hoc non eſt ſacrificium Abel, ſed Cain, qui offerebat Deo terræ bona, *ſibique cor, ac voluntatem ſuam*, ut S. Auguſtinus inquit, reſervabat. Ne ita partiaris cum Domino tuo; offer te ipſum illi, ac dic illi cum Iſaia Propheta: Domine Deus meus poſſide me, quia a te creatus ſum; non alium novi Dominum niſi te: vel cum Davide: Me tibi trado *Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. P. Nouet ex Tomo 7. ſuarum Meditationum.*

Pſalm. 115.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Secundo JESUS tradit ſe Patri ſuo ſine ulla exceptione, cumque omnia ab illo recipiat, ita ſe totum offert illi. Ita quotidie tibi facienda eſt oblatio tuimet ipſius, omnium facultatum tuarum, talentorum, bonorum, motuum corporis, & animæ tuæ. Tertio: JESUS ſe offert omnibus, quin cancellos ullos conſtituat extenſioni obedientiæ ſuæ, quærit Patris ſui beneplacitum. Offert, ac mancipat ſe illi ad id exequendum quidquid deliberaverit de vita ſua, deque perſona Matris ſuæ, omniumque ſuorum. Secreto jam dicit illi, quod palam dicturus eſt in agone poſitus: *Non ſicut ego volo: ſed ſicut tu.* Pater mi, fac de me quidquid tibi placuerit; voluntatem meam tibi ſacrifico, neque aliud cupio, niſi placere tibi. Quarto loco JESUS offert ſe toto corde, & affectu puriſſimo, ſanctiſſimo, atque perfectiſſimo pro gloria Dei, & noſtra ſalute. Quod pro Deo facis hoc pari fervore animetur. Amoris tui magnitudine ſupple modicitati rei ejus, quam offers, offerens temetipſum, qui coram illo nihil es. Conjunge cor tuum cordi Salvatoris, vitam tuam ſuæ, parvitatem tuam ſuæ magnitudini, & oblatio tua pretium inæſtimabile acquiret. *Idem.*

S. Virgo ſubjicit ſe legi Purificationis, non quia hac tenebatur, ſed ut præberet exemplum.

Si S. Virgo ſe hodie purificat, nobis potius hoc præſtat, quam ſibi. Purificat ſe, & ſine labe eſt; verum eſt: ſed nos toti in peccatis verſamur, & minima nobis eſt noſmet expiandi cura. Magnum hoc ſequebatur ad verecundiam in nobis ciendam exemplum, & operoſum fuiſſet aliud præbere magis idoneum ad movenda impura corda noſtra, quam illud Deiparæ. Caveamus ne quid pereat de pretioſo hoc ſemine, quod Scripturæ hodierna die nobis exhibent. Studeamus ſerio expiare corda noſtra omni immunditiæ genere referta. Nobis perſuaſum ſit, opus eſſe, ut emundemur a cæleſti Puero, quem immaculata Virgo hodierna die in Domini Templo præſentat. Perpendamus attentius, quanta ſit animæ præſtantia, quam Salvator per gratiam ſuam expiare dignatur; quinam deinceps eſſe debeant hujus animæ affectus & deſideria, quam avulſa debeat eſſe a terræ hujus tricis, ut omnes ſuas affectiones in Cælum attollat uſque ad thronum illius, qui permittere dignatus eſt, ut Mater ſua licet ab omni labe vacua, ſe hodierna purificet die, nobis egregio futura exemplo vitam irreprehenſibilem ducendi. *Lambert in anno Evangelico.*

Reverentia S. Virginis erga Dei legem a Moyſe latam.

Cum lex Purificationis lata fuerit pro mulieribus vulgo, illi ſemet ſubjicere aliquid erat molle, & delicatum. Illam obſervans Maria diſſimulabat quod erat. Primo ſub hujus cæremoniæ integumento celabat ſuæ virginitatis gloriam. Secundo amittebat apud homines honorem divinæ Maternitatis. Tertio ſacrificabat voluptatem, qua affici poterat, ſi ab omnibus Sancta, pura, innocens haberetur. Tamen reverentia erga Legis auctorem evicit, ne ſecum a lege diſpenſaret, reſpiciens Filium tamquam pulcherrimum exemplum, quod imitaretur; neque illam puduit in Purificatione ſua id facere, quod minime puduit illum facere in Circumciſione. JESUS CHRISTUS enim in Circumciſione omnes divinitatis ſuæ characteres abſcondit; Maria in Purificatione ſua omnia celat divinæ Maternitatis indicia: in Circumciſione Dei Filius recepit in carne ſua characterem peccati: in Purificatione ſua Dei Mater ad peccati maculam quaſi eluendam offert Sacrificium. Quæ ſubmiſſio! quæ reverentia! quæ obedientia! quid fieri non poteſt, cum virtus adeſt? & quam verum eſt nihil impoſſibile amanti! Sed nihil majus eſt, quam ſeſe Deo ſubmittere: *Solitudo Virginum.*

Purificatio Matris, & oblatio Filii ad mortem Crucis, duplex fuit Mariæ ſacrificium.

Matris Purificationem excepit oblatio Filii. Proh Deus! quanto ſtetit pretio Mariæ hoc ſacrificium: Sanctorum Patrum ſententia eſt, hoc initium fuiſſe ſacrificii in cruce peragendi. Mariæ ſacrificium dicitur Matutinum, illud vero, quod offeret Filius, veſpertinum vocabitur. Qui judicium ferre velit ea exteriori hujus cæremoniæ apparatu nihil eſt non ſuave, & jucundum. Primo Maria offert Filium ſuum Deo per manus Sacerdotis. Secundo redimit illum ſiclis quinque. Tertio offert Sanguinem duarum turturum ut parcat Sanguini Salvatoris. Quem rigorem lex iſta complectitur? Sed myſticum velum aufer; & hujus cæremoniæ ſpiritum inſpice; & invenies puerum hunc aliquando in Cruce ſublatum iri; quinque plagis crudeliſſimis iri confoſſum, totumque illius Sanguinem pro Mundi ſalute eſſe effundendum. Fingi ne poteſt ſacrificium magis oppoſitum amori Matris? Matris unicum habentis Filium? Matris, quæ ſuum amorem non partitur cum Patre? Matris, quæ ſcit Filium, qui offertur a ſe Deum eſſe, & quæ ſingillatim prænoſcit quænam illum manent ſupplicia? En, Virgo ſanctiſſima, doloris gladius, qui primum cordi tuo vulnus inflixit. O quam manifeſtum altiſſimi obſequii tui erga Dei tui legem Argumentum hoc extitit ſacrificium. *Solitudo Virginum.*

S. Virgo legis hujus omnes ſervavit circumſtantias.

Maria non obtemperavit ſolum præcipuis Legis hujus articulis, ſed omnibus etiam ejuſdem paruit circumſtantiis. 1. Manſit domi ſuæ dies quadraginta, quin pedem efferret. 2. Sibi etiam aditum in Templum interdixit; Sanctis rebus abſtinuit, etiamſi Sanctum Sanctorum peperiſſet. 3. Par turturum obtuliſſe contenta, non obtulit agnum, ſive quod hæc erat oblatio divitum, ſeu quod in ulnis deferens Agnum ſine macula, qui venerat ad tollenda mundi peccata, coram veritate umbræ, & figuræ debebant evaneſcere. *Idem liber.*

Virgo ſancta maluit haberi Mater, ſicut ceteræ, quam ullum ſcandalum creare.

Quantum robur obtinet lex Dei in anima fideli! Sed quantum ædificat ſpiritus, quo Sancta Virgo hanc S. Purificationis cæremoniam animavit! Hoc illa præſtitit ad ſingularitatis ſpeciem, ſcandalumque evitandum. Credebatur eſſe Mater, ſed latebat Filium ejus eſſe Deum. Quid illa? Virginitatis ſpeciem ſacrificat, ut auferat ſcandalum, ſed amabilem hanc virtutem tuetur, ut placeat Deo. O quam verum eſt dicere obedientiam inſignes victorias referre! Quoniam ſancta hæc Mater ſuum quodammodo honorem ſacrificans ſe ipſam ſuperat ea in re, qua Virgini nihil antiquius eſt, ac jucundius. *Ex Solitudine Virginum.*

Virgo Maria in Purificatione ſua tres egregias virtutes exercet.

Maria partitur cum Filio ſuo humiliationes legalis hujus ceremoniæ Purificationis, quæ illam dedecore videtur afficere coram hominibus; labem quodammodo offundens duplici ſtatui divinæ Maternitatis, & puritatis ſui puerperii. Hoc in Myſterio illa tres præcipuas virtutes prætulit. Primo obedientiam ſemet ſubjiciens legi, a qua reipſa immunis erat, juxta eadem legis verba. Secundo puritatem, extremumque hujus virtutis amorem. Tertio paupertatem. Etenim offert Templo par turturum duntaxat, quæ oblatio erat pauperum, & eorum, qui omnibus fortunæ bonis erant deſtituti.

Nos

Digitized by Google

Nos fortaſſe per ſollemnia hæc vota in omnem vitæ noſtræ curriculum ad eaſdem virtutes ſervandas noſmet adſtrinximus; ſed quomodonam illas exercemus? Quomodo his votis perfungimur? Sequimurne egregium exemplum, quod hodierna die nobis præbet hæc Virgo, & Mater Sanctiſſima? Si ad hanc diem illam ſequi negleximus, illico in arena incipiamus. Hoc ad noſtram ſalutem pertinet ſemper ad ſublimiorem perfectionis apicem adniti. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo* 5.

Secundum Simeonis Prophetiam S. Virgo in corde paſſa eſt omnia vulnera, quibus Salvator confoſſus fuit in corpore.

Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Hæc pars eſt vaticinii, quod Simeon Deiparæ portendit; & quod ſæpe nimis in vita Sanctiſſimæ hujus Virginis adimpletum eſt. Omnes Filii ſui paſſiones fuerunt veluti totidem gladii, quibus cor ejus tranſverberatum fuit, per violentam repercuſſionem, quam percepit ex doloribus Filii, qui totidem inflixere plagas animæ Matris, quot ille recepit in corpore. Sed quanam cum heroica patientia, qua ſubmiſſione, generoſitate, amore hoc ſuaviſſimum genus Martyrii ſuſtinuit! Cogitemus, ac ſenſibus teneræ, vividæque compaſſionis meditemur dolores acerrimos & Filii, & Parentis: eoſque cum illis partiti, quodammodo eiſdem lenimentum aliquod afferemus. Eos igitur memoria repetamus; Altius in corde noſtro imprimamus, ut, ſi fieri poteſt, jugiter iiſdem occupemur. Nihil cogitare poſſumus ad alendam pietatem noſtram aptius, atque utilius. *Nemo aptior eſt ad meditandum Paſſionem CHRISTI, quam is, cui contigerit ſimilia pati*, inquit Auctor de imitatione JESU CHRISTI. *Moralis novi Teſtamenti. Tomo primo.* Cap. 5. l. 5.

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

ANNUNTIATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Hoc in Myſterio inveniri ratio conciliandi ſupremam dignitatem cum infima humilitate.

INCARNATIONIS divini Verbi Myſterium, data ratione, id in S. Virgine videtur efficere, quod facit in CHRISTO JESU. Videtur utrumque mutare, quin uterque iidem eſſe deſinant. Hæc eſt Creatoris humiliatio, & exaltatio Creaturæ: Quia Deus fieri nequit Virginis Filius, quin ſe deprimat, nec Virgo fieri Dei Mater, quin infinite ſupra id, quod eſt, aſſurgat. Tamen neuter vult aliquid amittere, Deus reipſa fit homo, & Deum eſſe non ceſſat. Virgo fit Mater, & non ceſſat Virginem eſſe. Dei Filius in hac altiſſima humiliatione, qua cum creatura confunditur, ſervat ſemper magnitudinem ſuam, & Virgo in ſuprema hac magnitudine, qua videtur ſupra Creatorem attolli, omnem ſuam tuetur humilitatem. Erat Virgo, erat ancilla Domini; Deus illam cumulat gloria per omnipotentiam, Maternitatem cum Virginitate conjungens, & ut ita dicam, cumulat plenitudinem gratiæ illius permittens, ut Ancillæ titulum cum Deiparæ titulo conſociet. Hæc eſt ea gratiæ plenitudo, quæ illam ſuſtinet contra plenitudinem gloriæ, & quæ quodam in ſenſu hanc eamdem gloriam excedit. Si enim Virginalis fœcunditas illam ſupra puras creaturas attollit; humilitas, quam in illa gratia cuſtodit, illam ſuper ipſius exaltationem exaltat, *Sermo Academiæ, anno* 1681.

Dei præſentia in Maria cauſa erat humilitatis illius.

Quid, quæſo, Mariam adeo humilem efficiebat, antequam Angelus loqueretur ad illam; niſi manſio, quam Deus in illa collocaverat? Quid attraxit Verbum in illam, ut ſibi recentem manſionem collocaret? niſi humilitas fidei, quam Spiritus ſanctus operatus eſt in corde ejus, antequam in ſinu illius JESU CHRISTI carnem formaret? Quid autem in cauſa fuit, ut maneret illius ancilla, cujus facta fuerat mater? Niſi Domini præſentia, qui eo magis erat in illa, quo ipſa erat humilior, & qui eo humiliorem efficiebat, quo eidem arctius hærebat? Profecto in Sancta hac Virgine litteræ ad apicem adimplentur mulieris, quæ ex ſterili facta fœcunda, erat figura Virginis, quæ Mater erat futura. *Dominus*, ajebat illa, *pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſublevat.* Innuebat proculdubio, cum Deus ſit arbiter ſupremus creatarum rerum omnium, ipſum eſſe, qui pauperes facit, & divites, qui efficit, ut illi quidem repant in pulvere, hi vero in throno ſedentes refulgeant. Verum Deus in Maria prorſus novum operatur prodigium, quia illam pauperem ſimul, & divitem facit, illam deprimit, & extollit. *Ex eodem ſermone.* 1. Reg 2.

Salvator eligens Mariam ſibi in Matrem ad altiſſimum magnitudinis apicem extulit.

Quot divitias in humilem hanc Virginem non afferet ille, in quo continentur omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; & in quo omnis plenitudo Divinitatis corporaliter habitat? Ad quem magnitudinis apicem non evexit illam eligens in Matrem ſupremi Domini univerſorum? Operatus in illa miracula, quæ naturæ univerſæ admirationem injiciunt, & aſſumens eam in ſocietatem magnificentiſſimi ex operibus ſuis, quod eſt omnium hominum ſalus? Tamen nihil pauperius, nihil abjectius hac Virgine in oculis ſuis. Quærite ab ea quid reſpexerit Deus in Ancilla ſua, ac reddet, humilitatem. Hæc proprie illa eſt, quæ, ut inquit Propheta, videt paupertatem ſuam, & remanet ſemper pauper in egeſtate ſua, nunquam ſe perſtringi patiens fulgore divitiarum quæ ſibi communicantur; ſcit enim ſe illa non habere ex ſe ipſa, ſed ex mera liberalitate illius, qui nunquam locupletat, & magis extollit animam, niſi cum ſuam miſeriam, & nihilum agnoſcit. *Sermo Academiæ anni* 1681.

Angelus, qui ſalutavit illam non reſpexit ejus nobilitatē ſed plenitudinē gratiarum quibus erat cumulata.

Angelus in hoc Myſterio unice conſiderat Mariam ex plenitudine gratiæ, quæ fuit præventa. Non dicit ipſam originem ducere a Regibus Juda, a Patriarchis, atque Prophetis; videlicet ex genere quo nullum ſanctius, antiquius, ac illuſtrius eſſet in terris. Immo neque virtutes ejus recenſet; ſed ſatis eſſe putat dicere illam eſſe gratia plenam, & Dominum eſſe cum illa, & pauciſſimis verbis, quæ ad eumdem ſenſum rediguntur, quandoquidem Deus nonniſi per gratiam in juſtis eſt, magnificentiſſimum illi compoſuit Elogium. *Secundus Sermo Academiæ pro anno* 1681.

Licet eſſe plena gratia ante hanc ſalutationem, tamen per divinam Maternitatem infinitum gratiæ incrementum accepit.

Quamvis Maria vere magna eſſet tunc temporis, quo ab Angelo gratia plena ſalutata fuit; adhuc tamen, audeo dicere, minus erat plena, ſi conferatur cum ea, qua plenior erat futura. Quod enim gratiæ incrementum non accepit, tunc cum adimpletum fuit hoc Myſterium, cui ut ſeſe præpararet, tantam gratiæ plenitudinem receperat? Quem igitur fulgorem non emiſit in animam ejus præſentia Dei, cujus Majeſtas eo magis effuſa erat in Templum hoc animatum, quo magis in illo erat ſepulta eodem præter propter modo, quo Sol totam continet lucem ſub nube, qua tegitur. Si Moyſes poſtquam cum Deo converſatus fuit in Monte, illinc deſcendit facie adeo fulgida, ut Judæi inde fuerint oculis capti; quomodonam ſuſtinere potuiſſent faciem Virginis in ſinu ſuo Verbum carnem factum geſtantis? Si ſplendor gratiæ non latuiſſet in fonte ſuo; & ſi idem prodigium, quo Filii magnitudo tegebatur, non extendiſſet ſe etiam ad tegendam magnitudinem Matris? *Sermo tertius Academiæ anni* 1681.

Maria perfecta fidelitate reſpondet omnibus gratiæ motibus.

Virgo Sancta eſt felix illa Creatura ab æterno a Deo prædeſtinata ut gratiam adeo eminentem reciperet, & ut eſſet tantæ capax fidelitatis. Simulac replevit illam Deus ſpiritu ſuo, penitus reſpondit motibus omnibus, quos ſpiritus hic illi inſpiravit. Simulac prævertit illam benedictionibus ſuis, illa nihil prætermittit, ut illas in uſum fidelem impendat. Ita præparata per gratiam, & virtutes ſuas attrahit Verbum in ſinum ſuum, & meretur eligi ex omnibus mulieribus, quæ illum concipiat. Nonne hæc ſimpliciſſima idea eſt, quam nobis adſtruunt hæc Angeli verba: *Ave gratia plena; Dominus tecum?* Si plena eſt gratia, & non eſt donis gratiæ, quæ non habuit, nullos non exerit conatus, ut gratiæ reſpondeat. Aliquid defuiſſet ex parte Dei huic plenitudini, niſi omnem gratiam ſuam Virgini largitus fuiſſet; & defuiſſet aliquid ex parte Virginis, niſi ſeſe totam gratiæ impendiſſet. Itaque quia plena gratia eſt, quia plene reſpondet gratiæ, Dominus eſt cum illa, dicit Angelus: Dominus in illam deſcendit ex illa carnem ſuſcepturus. *Sermo quartus Academiæ anni* 1681. Luc. 1.

Maria licet humilis, tamen non prætermittit gratias agere Deo propter exaltationem ſuam.

Sancta Virgo inter profundos ſenſus humilitatis ſuæ quibus Deus refert acceptam omnem divinæ ſuæ Maternitatis gloriam, nonne confitetur exaltationem ſuam, eum laudibus celebrat Dominum a quo exaltatur, & gratiarum copiam qua repletur, cum ejus prædicat miſericordiam, a qua illis repletur? *Magnificat anima mea Dominum*, exclamat illa, *& exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens eſt, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Beata proculdubio, eo quod acceperit

a Deo

a Deo hanc gratiarum plenitudinem, quæ erat neceſſaria ad præparandam in Creaturæ ſinu manſionem Verbi, hominem ſeſe facturi! Sed beatior, quia penitus reſpondens gratiæ merita eſt, ut ſinus ſuus ad Myſterium hoc adimplendum eligeretur. *Sermo 4. Academiæ anni 1681.*

Non poterat non eſſe Meſſiæ Mater, quia talis eſſe non poterat, niſi eſſet Virgo contra communem ſententiam Virginum Judæ.

Virgo Sancta, ne timeas: tantum abeſt, ut Meſſiam paritura votum tuum debeas infringere; ut quia votum hoc ſervas, ideo Meſſias eſt naſciturus ex te. Si potuiſſes de viro concipere, digna non fuiſſes, quæ conciperes ex Spiritu ſancto. Filius, quem tibi pollicetur Angelus, nonniſi in Virginis ſinu concipi poterat. Ne verearis ergo in diſcrimen adducere puritatem tuam aſſentiens Dei conſiliis, & electioni. Spiritus ejus deſcender in te; Virtus ejus operatura eſt in ſinu tuo, & Mater eris, quin Virginem eſſe ſinas. Addo præterea, illum, quam es paritura, acturum eſſe puritatem tuam conſecrans illam, & audeo dicere, te magis adhue Virginem futuram, cum facta fueris Mater. *Sermo 4. anni 1681.*

Fidelitas ejus Abrahæ fidelitatem ſuperavit.

Vix reſpondit Angelus Mariæ, puritatem ejus incolumem futuram, cum omnis hujus timor evanuit, omneſque illius quieverunt dubitationes. Quæ fides! quæ momento perſuadens ea, quæ hactenus erant inaudita, efficit, ut conſentiat Matrem fieri Virgo in voto ſuo conſtantiſſima! Fides hæc adeo prompta, ac vivida aperuit Virginis ſinum Verbo; fuitque velut manus, quæ hominem conjunxit cum Deo. Si Fidelium Pater juxta Dei promiſſionem ſperans Filium ea ætate, per quam non licebat illi ſperare, ſi inquam ſperans per fidem vivam contra ſpem, meritus eſt, ut poſteritas ſua ex omnibus nationibus eligeretur, ut ex ea oriretur reparator hominum: illa ex omnibus Virginibus, quæ per fidem ſimilem parata erat, ut crederet Angeli verbo, ſe concipiendo Filium Virginitatis jacturam minime paſſuram, nonne merebatur, ut inter omnes eligeretur paritura Meſſiam Patris ſui ſoboli promiſſum? Beata igitur quia credidit magna, quæ ſibi nuntiantur ab Angelo, Dei verbis, in ſe eiſe adimplenda. *Ex eodem Sermone 4.*

Maria quin ob tantam magnitudinem intumeſcat, ſit humilior.

Quos ſenſus huic S. Virgini immittit ſupremus honor, ad quem Deus illam attollit, & ſingularis hæc electio, qua inter omnes Virgines Iſrael decoratur? Tota humilitate ſua occupata, illius oblivisci non poteſt: & in tanta magnitudine totam ſentit, quam eſt. Quin cogitet quid ſit futura, intenta eſt ei, quod ex ſe eſt: & proprio nihilo, quod illi ſemper verſatur ob oculos tamquam velamento gloriæ ſuæ fulgorem temperante, illum reſpicit, ejuſque nitorem ſuſtinet, quin perſtringatur. Mox vero comparans hoc nihilum cum proxima elevatione, ſeſe abjicit, & humiliat coram Deo prout ab illo exaltatur, & honoratur. Repleta Spiritu ſancto, cujus virtute jam efformatus fuerat Meſſias in viſceribus ejus, jam Dei Mater effecta, ancillam ſe nominat. Hæ nequaquam ſunt humilitatis ideæ, quas in Virgine comminiſcar; Angelus teſtis eſt. Canticum illud Euchariſticum, quod illi Dei ſpiritus inſpirat, fidele eſt rei monumentum; Canticum, inquam, illud, in quo animam ſuam effundit coram illo: Dominus, exclamat illa, qui *depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Quam raro tanta invenitur modeſtia cum tanta elatione, tanta humilitas cum tanta gloria! *Ex eodem Sermone 4. anni ejuſdem.*

Deo refert acceptam magnitudinem ad quā ſublata eſt.

S. Virgo immerſa, ut ita dicam, in nihili ſui profunditate exuit omnem gloriam, quam divina Maternitas ipſi afferebat, ut totam acceptam referat Deo. Eliſabeth ad ejus conſpectum ſentiens exultare infantem, quem gerebat in utero, benedicta, inquit illi, inter omnes mulieres, egone digna ſum, *ut Mater Domini mei veniat ad me?* Sinceras, & jure ſibi debitas laudes audiens Maria, quin eas ſibi gloriæ vertat, Dominum ubique glorificat; & quin gaudeat ea æſtimatione, in qua habetur apud homines, de hominum duntaxat ſalute congaudet, quibus adfert ſecuritatem, ſe Domini ancillam appellans. Quin ſe magnam vocet, laudat ſolum Dei miſericordiam, quia magna operatus eſt in illa, & ſi dicit futurum, ut ſe beatam dicant omnes generationes, referens ad principium ſuum admirabilia, quæ Deus in ipſa operari dignatus eſt, meretur, ac attrahit ad ſe velut in infinitum gratias recentes. *Ex 4. Sermone Academiæ anno 1681.*

Integer, ac purus amor illius non alio expleri dono poterat, niſi Deo facto homine in utero ſuo.

Hujuſmodi eſt Dei Sapientia, ut ſenſim, & ſine ſenſu præparet creata ad opera ſua mirabilia, eaque per ignotas vias perducat ad eam magnitudinem, ad quam illa provehere decrevit. Non exercet in illis ſuam miſericordiam, ut ibi juſtitiæ ſuæ regulas non ſervet, & per admirabile conſilium, quod tamen juxta principium ſuum merus eſt ſuæ bonitatis effectus; ſit meriti ſui remuneratio. Ita voluit ut Virgo non ſolum reciperet auguſtam dignitatem Matris Dei, ſed etiam ut illam mereretur, quatenus creaturæ conditio pati poteſt. Inſpiravit illi ab infamia fugam ab omnibus viſibilibus abjectis, quæ corrumpunt, vel in nobis caritatem imminuunt, & quæ per extremam humilitatem ſuam pertimeſcebat; quandoquidem expavit, atque turbata eſt ad adſpectum Angeli humanam præ ſe ſpeciem ferentis. Genus illius, quod licet illuſtre, quia profectum ex Regibus Iſrael, obſcurum tamen erat per ſtatum, in quo illam providentia collocaverat, eam mundo abſcondit, ut illam Cæleſtibus communicationibus aptiorem efficeret; Sponſus, quem illi dederat, ut Myſterio tamquam velamen obtenderetur, quin cor ejus partiretur, ejuſque obſtaret ſanctitati, cum illa in perfecta conſenſione degebat, & hoc pacto imitabantur in terra caſtum amorem, quo puri ſpiritus ſe invicem diligunt in Cælo, quin aliquid imminuatur de illo, quo flagrant erga Deum. Sancta hæc Virgo millies conceperat Meſſiam corde priuſquam illum ſinu conciperet. Ipſa hujus adventum maturaverat ferventibus precibus, igniriſque votis, & quaſi unum amaret Deum, S. Bernardus inquit, Deus tradere huic voluit quod ipſa cupiebat. Quodvis aliud donum, nequaquam ſatis magna merces futura fuiſſe videtur, amori huic puriſſimo, atque integerrimo. *Sermo 2. Academiæ oblatus anno 1683.*

Humana eloquentia nequit exprimere ardores S. Virginis, poſt Verbum in ſinu ſuo conceptum.

Cui tanta eſt dicendi vis, & facultas, qui oratione complecti poſſit ardores, qui cor Mariæ Virginis inflammarunt poſtquam hoc Myſterium adimpletum fuit? Quis totum amoris ejuſdem pondus æſtimare poteſt: Erat illi manifeſta cognitio pulcritudinis, divinarumque perfectionum illius, quem ſinu gerebat. In ſingula fere momenta ſentiebat impreſſiones divinæ præſentiæ ſuæ. Hoc proculdubio gignebat in illa ſuaviſſimam contemplationem illam, quæ eſt commixtio quædam lucis, & amoris, requies jucundiſſima, & felicitas maxima animæ in terra. Et Sacer hic amor, prout progrediebatur ætas JESU CHRISTI, magis, magiſque inflammabatur dulciſſimis converſationibus, quas habebat cum illo, divinis vitæ ejus exemplis, admirabilibus doctrinis: quas attentiſſime hauriebat, & ſervabat in corde tamquam pretioſum gratiæ ſemen, & ſanctitatis. Denique dubitandum non eſt, quominus illa quæ magis amata fuit a Deo, quam aliæ creaturæ omnes, incomparabili ratione præ ceteris illum amaverit. *Secundus Academiæ Sermo anno 1683.*

Maria ad Angeli ſalutationem turbatur, & cogitat, qualis hæc eſſe poſſit ſalutatio.

Sanctus pudor cauſſa fuit propter quam Maria turbata eſt. Timor ejus nequaquam profectus eſt ex Sancti Gabrielis apparitione; namque ſuaviſſima illius converſatio cum Angelis erat. Sed turbata eſt. 1. Quia Angelus apparuit illi ſub ſpecie adoleſcentis pulcherrimi. 2. Quia ille ingreſſus eſt in cubiculum ſuum, quo nullus mortalium pedem intulerat. 3. Quia vidit ſe ſolam cum illo ſine ſocio, ſine teſte, ſine cenſore. 4. Quia ſibi maximum, & novum nuntiabatur Myſterium. Ipſa Virgo erat, & virginitatis votum nuncupârat, & dicitur ab Angelo conceptura, & futura Mater. Hinc illa turbatur.

Sed o S. Virgo! cur turbaris? non eris mater, niſi quia Virgo es. Deus homo efficiendus nonniſi ex Virgine naſciturus eſt; & Virgo nonniſi Dei Mater eſt futura? *Solitudo Virginum.*

Modeſtia qua Maria Angelo reſpondet.

Conſiderari poteſt modeſtia cum qua Maria Angelum alloquitur, & prudentia, qua illi reſpondet. 1. Non autem Sanctum Gabrielem reſpicere, neque in illum oculos figere, etiamſi illum reverenter alloquatur. 2. Nihil curioſius ab eo ſciſcitatur. 3. Prætermiſſis iis quæ ad dignitatem pertinent, ea quærit, quæ ad ſanctitatem ſpectant. 4. Angelus illi magnificum exornarat elogium Filii, cujus illa mater erat futura. Dixerat hunc futurum Altiſſimi Filium, Dominum feſturum eſſe in throno David Patris ſui, regnaturum eſſe in domo Jacob, regnumque ejus nullum finem habiturum. Maria parum illecta hiſce magnalibus, videtur id ſolum attendere, quæ ad ſuam pertinet puritatem. Quomodo, exclamat, fieri poteſt? Virum non novi, ſum Virgo, & talem me ſemper futuram vovi. O ſanctum colloquium! Heu! Si Eva eamdem habuiſſet modeſtiam, ſi hac uſa fuiſſet cautela! Niſi oculos ſuos fixiſſet tanta curioſitate in vetitam arborem: niſi paſſa fuiſſet ſe illicis fructus pulcritudine, blandiſque laudibus ſerpentis perſtringi; Clades illius non extitiſſet cauſſa noſtræ calamitatis; viveret illa, & nos non eſſemus mortales. *Solitudo Virginum.*

De miſſione Angeli Gabrielis.

Poterat Deus carnem noſtram ſuſcipere in Virginis alvo, quin hoc illi aurea nuntiaret, & quin ab illa præſtolaretur aſſenſum, ſed aliter fieri voluit plures ob cauſas. Primum quia decebat, ut Virgo divinum Verbum conciperet ſpiritu, antequam corpore, eique Mater fieret ſimul ſpiritualis, & corporalis. S. Auguſtinus arbitratur Virginem eiſe beatiorem eo quod concepit Dei Filium per fidem in corde, quam quod conceperit illum per operationem Spiritus ſancti in corpore, & poſterius hoc ſine priori nihil illi fuiſſe profuturum. Verum eſt Virginem diſtincte cognoviſſe per fidem, Dei Filium carnem ſuſcipere debere: verum neſciebat illum in ſinu ſuo divinum hoc Myſterium peragendum eſſe, niſi de hoc illam Angelus admonuiſſet; tunc enim credidit miraculum hoc in ſe implerum iri, & fides hæc illam beatam effecit: quemadmodum dixit illi Eliſabeth cognata ſua, Ratio altera reſpicit

eam-

Digitized by Google

eamdem Sanctam Virginem, quæ tantum recipere debebat donum cum reverentia, ac ea, qua fieri poterat, pietate, fide, humilitate, prudentia, caritate, obedientia, puritatis amore, aliiſque virtutis actibus, quos ea in occaſione eaercuit, ſubhmem dignitatem hanc promereri. Tertia, & potiſſima ratio eſt, quod volente Deo ſibi naturam noſtram deſponſare utriuſque partis conſenſus requirebatur. Sanctiſſima Virgo, Sanctus Thomas ait, naturæ humanæ perſonam gerebat, & ad illius conſenſum eacipiendum Angelus mittitur, quem ſi illa abnuiſſet, probabile videtur Deum nequaquam carnem induturum fuiſſe. *Pater Craſſet in Sermonibus ſuis in Adventu.*

Angelus Virgini apparuit in humana, ſenſibilique forma; cum enim Virgo Verbum divinum eſſet conceptura non tantum ſpiritu, verum etiam corpore, decebat, ut præter lumina admirabilia, quibus Angelus mentem illius illuſtrabat, ſeſe etiam oculis ipſius videndum præberet. Alioquin nuntium adeo inauditum, ac novum, quod Virgini afferebat, omnes requirebat certitudines, ne hæc crederetur illuſio. Fateor equidem intellectualem viſionem corporea tutiorem eſſe, & præſtantiorem; ſed cum utraque ſimul occurrit, effectus certior eſt quam ſi alterutra tantum haberetur. Virgo autem habuit utramque; nam ſimulac Angelus illam eatrinſecus erudiebat, intus replebat Deus animum ejus luminibus Cæleſtibus, quæ illam diſponebant ad Myſterium hoc credendum. *Pater Craſſet.*

Cur Maria turbata eſt? Virgo Angelum videns in carne ſua, ejuſque ſermonem audiens, magna formidine correpta fuit, ita ut turbaretur. Turbationis hujus cauſa non fuit Angeli adſpectus; familiare quippe erat illi uti conſuetudine beatorum ſpirituum; ſed aſpectus Angeli ſub humana ſpecie, qui in ejus cubiculo apparuit. Cum infinita eſſet puritas ejus, nunquam ſola cum homine inventa fuerat; hic illam terruit adſpectus, ac turbavit eam. Diſcite hinc, Sanctus Ambroſius ait, proprium eſſe animarum purarum ad intuitum perſonarum ſeaus alterius expaveſcere, & ad illecebras ſermonis earum turbari. Cum enim plurimi faciant ſuæ puritatis theſaurum, eorum omnium verentur occurſum, a quibus ille ſibi eripi poteſt. Ceterum norunt nullam eſſe adeo roboratam virtutem, quæ in vitii occaſione labefactari non poſſit; potiſſimum vero puritatem, quæ omnium maaime fragilis eſt, & ſcientes Deum ſuperbis animabus auxilium negare, eiſque ſolam relinquere viam fugiendi periculum, trepidant præ formidine, cum ſe in occaſione poſitas vident: E contra vero, quæ nullo habent in diſcrimine virtutem hanc, vel quibus nihil ſupereſt, cujus jacturam faciant, ſine metu in periculoſis verſantur ſocietatibus, aliorumque timiditatem irridere. *Pater Craſſet.*

Ea in turba, quam illi hæc peperit Salutatio, ſervavit omnem ſpiritus præſentiam in hac occaſione neceſſariam. Alia turbationis Mariæ cauſſa fuit Angeli ſermo ipſam non communibus laudibus extollentis. Humiles enim, ubi ſe laudari audiunt, contremiſcunt. Virgo igitur Sancta turbata fuit audiens laudes ſuas; verum turba ejus rationem minime perturbavit; e contra magnam ſervavit ſpiritus præſentiam, ac prudenter cogitabat quænam eſſet iſta ſalutatio, videlicet, unde profecta erat, & quo tendebat. Illa ſilet, ac meditatur, quid ſibi ſit reſpondendum. Hæret anceps inter cordis levitatem, & incredulitatem mentis, & ubi Dei conſilia intelleait, ſeſe illis cæca obedientia ſubjecit. *Idem.*

En ea Angeli verba: Inveniſti gratiam apud Deum. Conſideremus ſuaviſſimum hoc Angeli verbum: *Inveniſti gratiam apud Deum.* Hanc invenit illa, & ſibi, & nobis. Hæc plena eſt in ſe, ſed tanta plenitudine, ut in nos etiam effluat, & effundatur. O quantum bonum eſt gratiam inveniſſe apud Deum! Hominum gratia incerta eſt, fragilis, fallax, ſterilis, & ſæpe pernicioſa poſſidenti: ſed gratia Dei tuta eſt; Dei gratiam amittere, niſi ipſe velim, non poſſum. Omnia nobis bona veniunt cum gratia, & qui invenit illam, inæſtimabilem theſaurum invenit. *Pater Craſſet.*

Reſponſio Mariæ ad Angelu. Cum audiit Maria magnificas Angeli promiſſiones, videlicet illam concepturam eſſe Filium, qui regnaturus erat in ſolio David, reſpondit illi his vocibus: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hoc primum eſt verbum quod protulit Maria nobis a Sancto Luca Evangeliſta narratum. Qua in re animadvertenda eſt ſingularis prudentia quærendi modeſte, ac verecunde, quomodo fieri poſſet hoc miraculum, de quo ſecum Angelus loquebatur. Nam licet parum illam turbaſſent laudes ſibi ab eodem delatæ, turba tamen ipſius minime vetabat, ut diximus, quominus ad eaamen vocaret adeo miram propoſitionem. Quærit ergo, quomodo hoc eventurum eſſet, nec imitatur primam mulierem, quæ ſine metu comedit ex vetito fructu, ex quo callidus ſerpens injecit illi ſpem ipſam ſapientem, ac immortalem futuram, ſimilem Deo. Cave, anima Chriſtiana ab non communibus devotionibus, quibus neſcio quid lucis ineſt. Ne nimis ea animo revolvas, quæ in te accidunt; ſed poſtquam acta jam res eſt, conſule eos, qui tibi præſunt. Compone tuum ad judicium eorum, nec ita imprudens eſto, ut omnibus ſenſibilis devotionis illiciis te decipi ſinas. *Idem.*

Virtutes quas S. Virgo exercuit, ita reſpondens. Sancta Virgo præſetulit ſe adhuc integra in Annuntiatione ſua fidem admirabilem, credens incomprehenſibilia Trinitatis, & Incarnationis Myſteria, quæ ſibi declarata fuerunt per Angeli verba dicentis, Patri mentem eſſe dandi filium ſuum ipſi, quem illa Spiritus ſancti opera conceptura erat. Credidit etiam ſe ſimul Matrem, & Virginem futuram. Ipſa non petit miracula, ut credat, ea, quæ ſunt ita admirabilia, ſed ſuum mancipat judicium, ſibi perſuadens Deum eſſe omnipotentem, & ipſum facere poſſe, quod ipſa intelligere minime poteſt. Neque minus hæroicæ ſpei præbet argumenta ſeſe attollens ſupra omnes naturæ timores, & minime dubitans, quo minus Deus conſociare valeat res adeo diſſitas, atque oppoſitas, cujuſmodi ſunt humana, & divina natura; mors, & immortalitas, tempus, & æternitas, Maternitas, atque divinitas. Hanc etiam illius confidentiam cognata ſua Eliſabeth celebrat; continetur enim in fide, quæ illius peperit admirationem. Præterea in Annuntiatione ſua perfectam præſetulit caritatem volens quidquid vult Deus, & ſuam ſine exceptione voluntatem ſactificans, quin ullos obedientiæ ſuæ cancellos ſtatueret. Amor illius amplectitur omnia licet dura, & moleſta. O Cæli Deus quænam fuit voluptas tua, ubi vidiſti caſtam hanc Sponſam præbere tibi cor ſuum tanta cum amoris magnitudine, puritate, atque integritate! O præclarum ignem, qui innocentem hanc victimam aduſſit! O quam acceptus fuit Deo odor hujus ſacrificii perfectiſſimæ caritatis! *Pater Craſſet.*

In hoc etiam colloquio, quod habuit cum Angelo Maria, alias virtutes exercuit, quibus effecta eſt digna Dei Mater. Prima fuit inſignis humilitas, ſe quippe ancillam dixit, cum Mater ſalutaretur, indignam ſe rata, quæ ad tantum dignitatis apicem eveheretur. Altera fuit obedientia perfecta offerens ſe ad ea omnia efficienda, quæ ab ipſa expeteret Deus, quantumlibet ardua, quin ullos præfigeret terminos obedientiæ ſuæ. O humillima, & obedientiſſima Virgo, non miror, ſi te Deus ſupra creaturas omnes evexit, quoniam te infra omnes creaturas abjeciſti. Deus enim deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Deo placuiſti per Virginitatem tuam, ſed Deum per obedientiam, atque humilitatem concepiſti. O, ſi eſſem humilis, & obediens ſicut tu, deſcenderet in me Spiritus ſanctus, & per divinam operationem ſuam in me, & in proaimi mei corde conciperem Deum! *Idem.*

Fœdus, quod Maria Virgo in ipſo Incarnationis articulo contrahit, eſt admirabile. 1. Fit Dei ſponſa per virtutem, ac opus Spiritus ſancti concipiens; & mox particeps effecta eſt omnium qualitatum illius, hoc enim perfectiſſimum erat conjugium; & conjugii vi conjugum alter alterius omnia bona, & prærogativas poſſidet. 2. Fit Mater Dei concipiens hominem, qui vere Deus eſt; qui cum eſſet in utero ejus, adhærebat illi tamquam arbori fructus, qui arboris partem conſtituit, ut divus Thomas ait, qui addit, filium in ventre matris partem eſſe matris, qui nondum efficit perſonam a matre diſtinctam, quoad vitam, victum, & conſervationem. *Idem.*

Quo ſolatio affecta fuerit Virgo Maria in ipſo Incarnationis momento. Aſſerunt nonnulli Doctores Mariam palam vidiſſe divinam eſſentiam; Æquum enim arbitrantur eſſe, ut Mater perfecte cognoſcat naturam Filii, quem eſt paritura; Saltem nemo ire poteſt inficias, illam expertam fuiſſe lætitiam paullo diſſimilem a gaudio Beatorum. Si enim beatitudo ſita eſt in perfruitione Dei per emanationem eſſentiæ ipſius in omnes facultates noſtras, & in perfecta unione cordis noſtri cum extremo fine ſuo, ea quo eait gaudium incomprehenſibile, quod illud omnino pervadit, quis concipere poterit gaudium Sanctiſſimæ Virginis eo momento quo facta eſt Sponſa Spiritus ſancti, & Mater Dei? Excepit enim ſinu ſuo omnem Divinitatis Oceanum, & ingreſſa eſt in gaudium Dei eo pacto, quod eſt incommunicabile beatis omnibus, videlicet quatenus Mater, & Sponſa. Boni in terra ineffabilibus ſolatiis perfunduntur; cum Deus illis communicat gratiam unionis, quæ ſpecies eſt ſpiritalis conjugii, quod contrahit cum animabus puris, quæ ſatis diu quæſiverunt ipſum per bonorum operum praxim, per jugem mortificationem, & orationis uſum. Admiremur eminentem hanc Sanctæ Virginis dignitatem, per quam in Dei familiam ingreditur. Cui enim diait unquam Deus: Tu es Sponſa mea dilecta; Tu es Mater mea? Et quænam eſt creatura, quæ Deo dicere poſſit, Tu mihi Sponſus es, Tu Filius meus, ego hodie genui te? Ego tibi vitam contuli, ego illam tibi ſervo; ego quodammodo unum, & idem ſum tecum? *Idem.*

Qualitas Matris Dei fons eſt omnium magnalium in Maria. In Mariæ Virginis ſinu increata Sapientia Corpus accepit, per quod ab hominibus viſa eſt. Scriptura paucis nobis oſtendit & Sanctæ hujus Virginis dignitatem, & eam, quæ nobis eſt eandem colendi neceſſitatem. In tempore peperit quem Deus ab æterno genuit. Hoc eſt omnium magnalium illius fundamentum. Ex illa Dei Filius carnem accepit, per cujus ſacrificium nos Deo reconciliavit; & Sanguinem, quo nos eaplavit, ut faceret ſibi populum in oculis ſuis acceptabilem, ac peculiariter ſibi devotum, qui in æternum juris eſſe ſui,

popu-

populum electum, & ſecretum a gentibus, quæ Sanctam illius legem repulerunt. En quid incomparabili huic Virgini debemus. Hoc fundamentum eſt meritorum ſuorum in nos, & ſimul honorum, quos religioſa pietate illi præſtat Eccleſia. Per hanc Sapientia in Eccleſiam migravit, ut ibi novam ſedem conſtitueret, nunquam mutandam. *Tourneaux in anno Chriſtiano tomo 3.*

Poſſumus eſſe cognati Salvatoris ſi non corpore ſaltem ſpiritu.

Quæ nobis utilitas eſt, Domine, participes fieri poſſe ejus, quod maximum eſt in maxima, & præſtantiſſima omnium creaturarum! Illam ſuper homines, Angeloſque colimus, quia Mater tua eſt; & nobis quoque glorioſam hanc offers qualitatem, quippe dixiſti eum, qui fecerit Patris tui voluntatem, hunc futurum tibi Fratrem, Sororem, & Matrem. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt: ille meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Non poſſumus ipſi, ut illa corpus tribuere; ſed poſſumus & debemus imitari fidem, & obedientiam illius, quæ excellentius illam ſecundum ſpiritum & ſororem, & Matrem tuam conſtituerunt. Hoc nos quoque tibi eſſe vis, ſed nonniſi per gratiam tuam hoc eſſe poſſumus. Tu unus, qui potuiſti eligere tibi Matrem ſecundum carnem, vales nos tibi facere Matres, & cognatos hoc ſpirituali pacto, quod nobis proponis. Tunc enim vere cognati erimus tibi, ſi non audiverimus ſolum Legem tuam, ſed ſi adjuti gratia tua illam ad unguem ſervare adnixi fuerimus. *Tourneaux in anno Chriſtiano.*

Matth. 12.

Quid ſibi velit eo verbi gratia plena. Virgo majorem gratiæ plenitudinem accepit, quam omnes Sancti.

Ave Maria, gratia plena.... Plenum eſſe gratia ſecundum Scripturarum conſuetudinem ſignificat vel Deo acceptum eſſe, vel plenum donorum Spiritus ſancti, plenum virtutis, & Sanctitatis. Maria duplici modo fuit gratia plena; eo Deo carior, quo cumulatior donis, atque virtutibus, per quas homo fit Deo carus. Alii ſunt Sancti qui in Scripturis pleni gratia dicuntur; verum cum Deus accommodet gratiam electorum ſuorum iis conſiliis, quæ habet de illis, intellectu facile eſt, cum deſtinaverit Deus hanc Virginem futuram Dei Matrem, quod illius dignitatem ſuper Sanctos omnes extollit, ipſum huic majorem gratiam communicaſſe, vel potius majorem plenitudinem, & gratiæ copiam quam ceteris. *Idem.*

Admirabilis prudentia Virginis in Angeli ſalutatione.

Cæleſtis nuncii ſalutatio Mariam Virginem turbavit; hic modeſtiæ ipſius effectus fuit. Multo magis illi placebat ſuam cogitare tenuitatem, quam audire ſe plenam gratia dici, & inter Mulieres benedictam. Laudes ſemper metuendæ ſunt; quarum vulgatiſſimus effectus eſt, animum corrumpere. Potiſſima ratio efficiendi, ne decipiaris, & turberis quotieſcumque laudibus exciperis; eſt temet colligere, & cogitare attentius miſeriam tuam, & naturæ tuæ nihilum. Virgo hæc prorſus divina turbatur, ſed perfecte ſemper eſt juris ſui. Turba ejus non prohibet quominus ſerio cogitet, quod videat, & audiverat. In ſemet tacita *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Prudentia illam hortabatur, ut ſerio eventum adeo ſingularem perpenderet, & perfecte noverat opus periculoſæ plenum eſſe aleæ conſilia nimis celeriter arripere. Videmus quomodo in hac occaſione Sancta Virgo ſe geſſerit, ac inde haurire debemus leviter nimis credenda ea, quæ nobis dicuntur; verum ſimul etiam nobis proferendam non eſſe incredulitatem; quod faciunt aſſerti quidam ſpiritus fortes, qui animum appellere nequeunt ad credenda ea, quæ ſub oculos non cadunt. Hac de re nos admonet Sanctus Paulus Apoſtolus, cum ait: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Hoc Sancta Virgo præſtat egregie! A Spiritu ſancto edocta conſilium hoc ſecuta eſt. Hinc aſſerit Evangelium, illam ſeſe collegiſſe, ac diligenti examine quæſiviſſe quid ſibi cogitandum eſſet de iis, quæ ſibi narrabantur ab Angelo mirabiliter in ſinu ſuo perficienda. Admirabilis hæc Virginis prudentia Angelum cogit, ut illi palam omnia hæc ſacra aperiat Myſteria. Dicit itaque fore ut Filius ejus Altiſſimi Filius dicatur, fore, ut ſedeat in throno David Patris ſui, ejuſque regnum omni fine careat. Hinc Sancta hæc anima videns, hanc eſſe Dei voluntatem, ſtatim ad ſe reverſa plenum, liberumque præbuit divinis conſiliis aſſenſum. *Lambert in anno Evangelico Tomo 5. & Recens Auctor.*

Luc. 1.

ad Theſſ. 5.

Praxis omnium virtutum efficit Virginem gratia plenam.

Maria Virgo eſt gratia plena, quia omnibus Cæli donis cumulata eſt, omneſque poſſidet virtutes. Hic fons eſt veræ felicitatis illius. Diſcamus hodierna die quænam ſit vera Chriſtiani felicitas; quæ beatitudo ad quam anhelare debet omnibus momentis vitæ ſuæ. Virgo Maria Beata eſt, quoniam invenit gratiam coram Domino, quia virtutes omnes exercuit. Omnis ergo Chriſtiani felicitas eſt invenire gratiam apud Deum, & ſola ratio ad felicitatem hanc perveniendi eſt animam ſuam Chriſtianis virtutibus locupletare. Chriſtianus creſcit in gratia prout in virtutum praxi progreditur. Cum inſignem progreſſum obtinuit, cum diutina exercitatione eo pervenit, ut carnis ſuperet cupiditates, cum Chriſtianæ virtutes præaltas jecerunt radices in cor illius; cum in omnibus actionibus ſuis ſequitur Religionis principia: dici poteſt plenus gratia. Quam felix eſt hominis ſtatus, quia carus eſt Deo ſuo! Quam in illo ſibi complacet Deus, qui illum in dilectorum ſuorum albo recenſet! Quanta eſſet felicitas noſtra ſi de nobis dici poſſet, nos eſſe plenos gratia. *Lambert in anno Evangelico. Tomo 5.*

Maria non Sanctos tantum ſed & Angelos omnes ſuperavit plenitudine gratiarum, & meritorum.

Quoſcunque conatus exeramus, nunquam licebit nobis pervenire ad eam gratiæ plenitudinem, quæ in Adorabili Virgine inventa eſt. Illa Sanctitate ſuperavit non ſolum omnes homines, qui fuerunt, ſed etiam qui futuri ſunt uſque ad exitum ſæculorum. Collocata fuit ſuper Cæleſtes ſpiritus, quoniam illos omnes virtute, ac ſanctitate ſuperavit: *Archangelos excellentia ſuperat ſanctitatis.* Conemur ſaltem imitari virtutes ejus; quandoquidem illas exæquare non licet. De Martyrum Principe Sancto Stephano legimus illum fuiſſe *plenum gratia, & fortitudine.* Conſilium ineunt Apoſtoli eligendi Diaconos, a quibus in opere miniſterii ſui juvarentur, eoſque eſſe volunt plenos Spiritu ſancto, & ſapientia. Plures Sancti appellati fuerunt pleni gratia; ſed omnes generatim, & ſingillatim locum Sanctæ Virgini concedebant. *Idem.*

Act. 6.

Ibidem.

Miſſus eſt Angelus ad Mariam, quam ſibi elegerat, & præparaverat Deus Matrem ſibi futuram.

Cum adveniſſet momentum ab æterno conſtitutum a Deo pro mortalium reconciliatione, Angelus Gabriel, qui Danieli Prophetæ prædixerat adventum, & mortem Meſſiæ ante quadringentos annos, & ultra, & qui deinceps ante ſex menſes miſſus fuerat ad Zachariam Sacerdotem, ut nuntiaret ei nativitatem Præcurſoris Meſſiæ, miſſus quoque fuit ad Virginem, cui nomen Maria ex Tribu Juda, & Regio ſemine, quandoquidem erat de domo David. Hanc elegerat Deus futuram Meſſiæ Matrem; occupaverat illam omnibus Cæli muneribus, a primo Conceptionis ejus articulo, eamque tanta ſuperfluentium gratiarum copia repleverat, ut Cælo univerſo eſſet admirationi, Patres inquiunt, & meritis atque ſanctitate perfectiſſimas creaturas ſuperaret. Quamquam per virtutem, cujus nunquam hactenus exemplum præluxerat, illa ſeſe devoviſſet Deo, ut tota vita Virginitatem ſervaret; tamen divina Sapientia voluerat, ut juſto nuberet viro, cui nomen Joſeph ex eadem domo, ea qua ipſa orta erat, qui futurus erat cuſtos honoris, teſtis, ac protector Virginitatis ejuſdem; tutor, ac nutritius Filii ex illa ſola naſcituri. Manebat illa in parvulo oppido Nazareth, ubi Angelus apparuit illi, eo tempore, Sanctus Bernardus ait, quo ipſa creaturis ceteris inviſibilis ſeſe immolabat Deo ſuo in fervore altiſſimæ contemplationis. Cæleſtis hic nuntius reverentia, & obſequio plenus erga illam, quam reſpiciebat tamquam Dominam ſuam, *Ave*, dixit illi, *gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Hæc ſalutatio complectebatur magnificentiſſimum elogium; quippe aſſerebat illam repletam eſſe omnibus Spiritus ſancti donis, poſſidere virtutes omnes in ſupremo gradu; omnibus cumulatam eſſe benedictionibus; & nullam eſſe creaturam, quæ illa in oculis Dei eſſet acceptior. *Pater Croiſet.*

Sancta Virgo erubuit, & turbata eſt ad Angeli adſpectū.

Adſpectus Angeli ſub hominis forma peperit aliquid formidinis in Virginum puriſſima. Pudor ejus illam rubore ſuffudit, ac turbari viſa eſt. Id intellexit Angelus, eamque confirmavit: *Ne timeas Maria*, dixit illi, *inveniſti enim gratiam apud Deum*; hic tibi Filium daturus eſt, idque fieri vult quin puritas tua Virginalis detrimentum patiatur. Concipies Filium utero, paries illum, vocabiſque eum JESUM. Magnus hic erit undequaque, & ex inſignibus miraculis, quæ operaturus eſt, facile Filius Altiſſimi cognoſcetur. Quatenus Filius ſuus erit de domo David, quandoquidem ex Regali genere prodiiſti; ſed ille non ſucceſſionis jure regnaturus eſt, ſed longe aliis titulis ei ſummum debetur imperium. Quatenus verus Dei Filius dominabitur in omnes populos, & corona illius non erit ex metallo confecta, qualis Regum terræ eſſe ſolet. Novam inſtituet Monarchiam, videlicet in Eccleſia Dei viventis, & non alios habebit imperii ſui fines, quam orbem univerſum, neque alios durationis terminos, quam ipſam æternitatem. Non operoſum eſt aſſequi, quinam tunc fuerint ſenſus humillimæ Virginis. Illa intelligere non poterat, quomodo potuiſſet Deus in ipſam oculos conjicere, ut tantum hoc Myſterium compleretur in illa. Ceterum Matris qualitas illam deterrebat, adeo cordi erat illi Virginitas. Quapropter ab Angelo ſciſcitata eſt, quomodo hoc poſſet fieri, quod ſciſcitata non fuiſſet, inquit Sanctus Auguſtinus, niſi Virginitatis votum antea eliciuiſſet: *Quod profecto non diceret, niſi Virginem ſe antea voviſſet. Idem.*

Libro de Virginitate.

Angelus omnem aufert Virgini dubitationem.

Ut ſciſcitanti ſatisfaceret Gabriel, declaravit ei Deum unum Filii hujus Patrem futurum, cujus Mariam Matrem eſſe volebat. Spiritum ſanctum, nempe virtutem Altiſſimi, divinitus in illa formaturum eſſe fructum, qui eidem ſinu ferendus erat, & Virginitatem ejus adhuc puriorem evaſuram. Denique ex illa Puerum naſciturum, qui & vocari, & vere eſſe debebat Filius Dei, in quo corporaliter reſideret tota plenitudo, omneſque theſauri ſanctitatis, divinæque Sapientiæ. Diſce, addidit ille, miraculum, quod nuper operatus eſt Deus in Eliſabeth cognata tua. Non ſperabatur ultra fore ut ſenio confecta gignere poſſet. Attamen ſextum jam menſem ventrem fert. Nihil arduum omnipotenti, & qui filium largiri potuit effœtæ

muberi

mulieri poſt annos ſterilitatis, Virgini quoque poteſt tribuere. *Idem.*

Quid intelligendum per gratiæ plenitudinem, de qua loquitur Angelus loquens cum Virgine Maria.

Domini nuntius non alio nomine S. Virginem ſalvere jubens appellat illam, *gratia plenam:* ſed verba hæc nonne complectuntur quidquid perhonorificum fingi poteſt? Cuinam enim convenire poſſunt, niſi illi, quæ ſinu ſuo erat geſtatura Salvatorem, fontem ipſum omnium gratiarum? Sed quanam in re hæc gratiæ plenitudo conſiſtit? SS. Doctores tria plenitudinis genera diſtinguunt, eaque unanimi conſenſu in Dei Matre inveniri fatentur. Plenitudo ſufficientiæ, ut loquuntur; eaque ſignificat Mariam cumulatam fuiſſe donis Spiritus ſancti. Plenitudo ſuperabundantiæ, qua Maria poterat locupletare etiam alios donis gratiæ, quin aliquid deperiret de ea, quam poſſidebat; & Plenitudo ſupereminentiæ; Maria enim ſola plures poſſidebat ſpirituales divitias, quam omnes ſimul Sancti poſſideant. Num mirum eſt, quod Mater ipſius Auctoris gratiæ ita ſit gratia referta? Si quid mirum eſt, illud ſane eſt, quod ad illam confugere negligimus in tanta gratiæ affluentia, in qua illam fulgere conſpicimus. *P. Segneri in Meditationibus ſuis.*

Profunditas humilitatis S. Virginis fuit menſura Maternitatis Dei ad quam fuit evecta.

Si Virgo Sanctiſſima ex omnibus creaturis fuiſti gratiæ pleniſſima, hoc tibi contigit, quia ex omnibus Creaturis humillima fuiſti. Omnia debens humilitati, illius pretium agnoviſti; & noluiſſes eſſe Dei Matrem, ſi illius jacturam ſubitura fuiſſes. Hic in ſe humilitatis amor requirebatur, ut ad gloriæ apicem eveheretis, Dei tui Mater effecta. Humilitatis eſt gloriam parere: ideoque gloria ſublimior eſſe debet fructus altiſſimæ humilitatis. S. Virgo per humilitatem ad excelſum veræ magnitudinis faſtigium evaſit: illa ſemper ſervavit humilitatem. Homo per ſuperbiam ſe contemptibilem reddidit, & cum ſit contemptibilior, ſemper tumet ambitione. A te peto, Domine, pretioſum hoc donum humilitatis, donum, quod ſecum cetera affert dona: & illud per interceſſionem humillimæ Virginum omnium flagito: ut ſicut illa, parvulus in oculis meis in me propitios oculos tuos convertere merear. *Pater Segneri in Meditationibus. Tomo 3.*

Quo magis Virgo elevatur per dignitatē, quæ ſibi annuntiatur ab Angelo, eo magis ſe deminuit, & humiliat.

Si quid poterat efficere, ut Maria ſuam cognoſceret Magnitudinem, & adverteret animum ad illud diſcrimen, cum quo a Deo fuerat excepta, & eam præeminentiam, qua reliquas ſuperabat, hoc illud erat profecto, quod ipſi ab Angelo fuerat nuntiatum. Tamen quin aliquid ſimile animo ſecum volutaret, ſeſe collegit, ac ſui nihili, ſuæque infirmitatis perſuaſa hæc tantum ex ipſius ore verba deprompſit, quæ cordis ipſius ſenſum exprimebant: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Vide humilitatem*, S. Ambroſius inquit, *vide, Ancillam ſe dicit, quæ Mater eligitur, nec repentino exterrita promiſſo eſt.*

Ambr. l. 2. in Lucam.

Abbas Trappenſis, Tomo 3. Moralium Conſiderationum in Sanctum Lucam.

Sancta Eliſabeth Teſtimonium, quod in tantam illius gloriam cedebat, non aliam in illa efficit impreſſionem, quam illi abjectionem coram Deo, & hominibus ſuadere; cumque ſe ipſam excutit, nihil in ſe videt, propter quod potuerit Deus in illam oculos ſuos conjicere, ut eam tanta miſericordia cumularet præter paupertatem ſuam, & infinitum illud vacuum, quod abſcondebat illi virtutes omnes, & qualitates, ac ſpirituales divitias, quæ illam ſuper omnes Angelos extollebant. Noverat ipſa, quemadmodum teſtatur, Deum deturbare potentes de ſede, & ad illam humiles exaltare, ipſum bonis replere inopes, & eſurientes. Sed ſtatus hic adeo ſublimis, ad quem Sancta hæc Virgo diſcit ſe deſtinari, invenit, & parit in illa ſenſum tantæ humilitatis. Hic eſt Electorum character, in magnitudine ſua ſeſe abjicere; eorum vero, qui id genus non ſunt, eſt in ipſa abjectione intumeſcere; illi quo majores ſiunt, eo magis in rebus omnibus ſe humiliant: *Quanto magnus es tu, humilia te in omnibus. Eccleſ. 3. Idem.*

Duo notanda in eo modo quo Angelus S. Virginem ſalutat.

Modus, quo Angelus ſalvere jubet Mariam exigit, ut duo conſideremus, primum quorum eſt reverentia, & modeſtia, qua verba hæc nobis proferenda, ubi noſmet conformaturi ſpiritui Eccleſiæ, & antiquæ Servorum Mariæ conſuetudini, hanc Angelicam repetimus Salutationem. Hæretici improbant, atque contemnunt hoc genus cultus, quo Mariam honoramus frequenti hujus orationis repetitione. Sed praxis hæc cenſura digna non eſt, immo probata, & ſancta eſt; ſed improbanda eſt ratio illa, qua mente huc illuc diſtracta, ore præcipiti, & parum religioſo more, juſto, ac laudabili hoc fungimur munere: Cave igitur ne in vitium hoc incidas, corrige te hodie, & in poſterum. Secundo loco conſiderandum eſt, Angelum, ubi hanc Virginem ſalutat, non vocare illam Cæli Reginam, non Dei Matrem, non Filiam Abrahæ, vel David, ſed tantum *gratia plenam;* ut intelligamus nihil eſſe præſtantius gratia Dei, & hanc præferendam eſſe bonis, honoribus, voluptatibus, nobilitati, ingenio, omnibuſque talentis. Itane tu judicas? Si ita eſt, quid tibi efficiendum non eſt, ut vel illam ſartam tectam tuearis, ſi jam pretioſum hunc Cæli theſaurum poſſides, vel reparare contendas, ſi illius jacturam es paſſus? *Moralis novi Teſtamenti Patris la Neuville Tome 2.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS.

Maria ubi audivit S. Eliſabeth ventrem ferre, viam ingreditur gratæ ſaturæ.

Angelus qui nuntiaverat Mariæ Myſterium Incarnationis Filii Dei, ſimul nuntiaverat etiam miraculoſam Eliſabeth Cognatæ ſuæ graviditatem, quæ licet ſterilis, atque ætate provectior, jam ſextum menſem ferebat Puerum, qui Meſſiæ futurus erat Præcurſor. Gaudium, quo Maria affecta eſt ob felicitatem hujus Mulieris a Deo electæ, ut Mater eſſet Præcurſoris Filii ſui: officium gratulationis, quod ſibi quantocyus obeundum eſſe arbitrabatur, cupiditas illam Viſitatione ſua juvandi, cognitio, quam hauriebat a Deo mirabilium, quæ per ipſam facturus erat in hac Viſitatione: hæc ſimul omnia in cauſſa fuerunt, ut in arena conſilium caperet, quin ne unum quidem differret diem abeundi. Caritas, S. Ambroſius ait, non patitur moram. Iter longum erat, & arduum, via non admodum S. Virgini facilis; ſed zelus, & caritas vicerunt, ut ſpretis, ſuperatiſque difficultatibus omnibus, nullis laboribus deterreretur. Omnis enim voluptas illius erat divinos afflatus ſequi, & opera Dei publicare. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Salutatio S. Eliſabeth, & Filii ejuſdem exultatio.

Cum perveniſſet in Hebron recta perrexit domum Zachariæ, ac ingrediens invenit Eliſabeth obviam ſibi venientem. Hanc ſalutavit, amplexa eſt, & vix loqui inceperat, cum ſemeſtris Puer quem utero gerebat Eliſabeth repente cæleſti illuſtratus lumine vidit in caligine carceris ſui eos, qui illam Viſitatione ſua dignabantur, cumque fari nondum poſſet, eo modo quo potuit JESUM, ac MARIAM veneratus eſt exultatione admirabili, quæ, S. Chryſologus ait, indicium fuit ejuſdem gaudii, ac reverentiæ. Id ſenſit Eliſabeth, & lumine ſupernaturali, quod Filium illuſtrabat, in Matrem reſiliente agnovit incomprehenſibile Myſterium Incarnati Verbi: anima ejus repleta fuit Spiritu ſancto, & gaudio cumulata elata voce exclamavit, *benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui:* Simulque conſiderans ſupremam Mariæ dignitatem, ſe indignam cenſuit, quæ domui ſuæ illam reciperet. Et unde hodierna die hæc tanta felicitas, addidit, ut Domini, Deique mei Mater me dignetur inviſere? Hæc gratis eſt, cui gratiam referre parem nequeo, & quæ mihi ſtuporem injicit, atque ruborem. Filius, quem ventre fero, jam ſenſit te adeſſe, vix enim ipſa audii verba, quibus ſalutem dixiſti mihi, ipſe etiam audiit illa, & præ gaudio exultavit. O te vere beatam, Cognata mea ſuaviſſima: o te Beatam, quæ ſimpliciter, & haud hæſitanter ea credidiſti, quæ Dei nomine tibi Angelus dixit! Utique omnipotens Deus, qui cœpit exequi in te magna, & admirabilia, perficiet ea, quemadmodum ſperaſti; ipſe promiſit, ac fidem præſtabit. *P. Croiſet.*

Humilis reſponſio Mariæ ad S. Eliſabeth, & Canticum quod illa tunc effudit.

Nil humilius, nihil verecundius reſponſione S. Virginis ad id celandum quod in illius laudem cedere poſſet. Acceptam Domino refert gloriam omnem, & loquitur ſolum de illis, quæ ipſi debet. Animata Spiritu ſancto, quo plena erat, tunc edidit Canticum illud quod primum eſt novi Teſtamenti, & quod præſtat antiquis, cum pietatis ſpiritu, qui ibi undique fulget, tum ſententiarum nobilitate, ac ſtyli majeſtate. Hoc pretioſiſſimum eſt monumentum profundæ humilitatis Mariæ, actus profundiſſimæ gratitudinis, & præſtantiſſimum exemplar actionis gratiarum. Magnificat, tunc Maria cecinit, anima mea Dominum, qui in me operatus eſt mirabilia: uni illi laus, & gloria. Id mecum reputare non valeo, quin illum adorem tamquam Deum meum, quin venerer tamquam Salvatorem meum, & tamquam Filium diligam. Dignatus eſt

reſpicere humilitatem ancillæ ſuæ, neque ſibi Matrem eligere. Scio hinc omnes gentes argumentum deſumpturas admirandi, ac celebrandi in futura ſæcula felicitatem meam; verum ſi quid in me eſt magnum, ac ſublime, uni illi accepta referenda eſt omnis gloria. Ipſe de nihilo eduxit me, & illi debeo quidquid ſum, Ex me ſum nihil; ipſe auctor eſt omnium mirabilium, quæ omnes populi admirabuntur, & prædicabunt in me, & quæ ipſa prædicare non poſſem. Confitebuntur Nationes, Omnipotentem mihi magna feciſſe, & manum ejus non eſſe minus potentem, quam Sanctum ſit nomen illius. *Idem.*

Admirabilis effectus quem peperit præſentia Verbi in perſona S. Joannis Baptiſtæ.

Noſtis, Auditores, quam admirabilem effectum peperit Incarnati Verbi præſentia in hoc Puero, qui futurus erat ejus Præcurſor. Quomodo anima ejus divinitus illuſtrata ante tempus fungi inceperit munere ſuo, quomodo hic acutus gratiæ radius a Filio repente ad Matrem reſiliens, fecerit ut illa penetraret Myſteria, quæ Spiritus ſanctus operatus fuerat in Maria, ac illico lumine gratiæ inſpirata protulit ea verba, quæ delegit Eccleſia ad perficiendum elogium Mariæ, quod inchoaverat Angelus Gabriel, & quæ omnia complectuntur incomparabilis Virginis hujus Magnalia: *Benedicta tu inter Mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Sed ne cogitetis earum converſationem ſimilem fuiſſe infelicibus illis laudum, atque venenatarum aſſentationum commerciis quæ frequentiſſima ſunt in Mundi hujus Viſitationibus; utramque ſuperbiendi anſam arripere, ex iis Myſteriis, ad quæ adimplenda electæ fuerunt a Deo, & ſibimet ultro citroque ſenſus ſecretæ oblectationis immittere, ut ſibi complaceant. E contra certare videntur inter ſe utra ſe magis abjiciat. Altera quidem ſe indignam fatetur, quæ a Dei Matre inviſatur; altera vero nihil in ſe deprehendit, quod Verbum in ſinum ſuum allicere potuerit, niſi nihilum ſuum. Earum colloquium non aliud eſt quam communicatio virtutum, atque gratiarum, quibus repletæ ſunt: & Maria licet ſupra Eliſabeth elevata, huic præferri non poteſt niſi quod humilior eſt, ac verecundior. Quam longe abhorret ab hac ratio viſitationum, & converſationum noſtrarum? *Abbas du Jarry.*

Maria, & Eliſabeth colloquentes prophetant.

Maria Virgo repente ſupernaturali lumine videt antiquas Domini promiſſiones, & perfectum earum complementum, millies una ipſa magis perſpicax, majoribuſque privilegiis ornata, quam omnes ſimul Prophetæ. Ex eo colloquio, quod ſimul habuerunt Maria, & Eliſabeth, S. Ambroſius ait, liquet, utramque prophetaſſe per Spiritum ſanctum, quo plenæ erant, & per merita filiorum ſuorum: *Duplici miraculo prophetant Matres ſpiritu parvulorum.* Maria tribus menſibus commorata eſt apud Eliſabeth, & facile conjici poteſt, SS. Patres inquiunt, quantum profuerit domui Zachariæ illa permanſio, & quam uberem gratiarum, & benedictionum copiam S. Virgo illi promerita fuerit. Si enim Dominus adeo liberaliter benedixit domui Obededom, & iis omnibus, quæ ad ipſum pertinebant, eo quod Arca fœderis tres menſes apud ipſum commorata fuerat, quibus benedictionibus cumulatam fuiſſe credimus felicem Eliſabeth familiam, ubi Maria tres menſes eſt diverſata? Puritas, quam ſemper coluit S. Joannes, Ambroſio teſte, effectus fuit hujus unctionis, & gratiæ in animam ejus effuſæ per S. Virginis præſentiam; quæ ex Sancti ejuſdem ſententia expectavit, donec Eliſabeth erat paritura, & videre voluit naſci eum, cujus cauſſa potiſſimum ſe illuc contulerat; poſtquam vero fuit teſtis eorum miraculorum, quæ in hac Nativite contigerunt, ſeceſſit Nazareth reverſura. *Pater Croiſet.*

Mirabilia, quæ Viſitatio illa complectitur.

Hæc Mariæ Virginis Viſitatio tot tantaque miracula complectitur, & Mariæ adeo glorioſa fuit ut Eccleſia quotannis memoriam illius recoli juſſerit; peculiarem diem feſtum inſtituens. Et ſane hic ille dies eſt, quo SS. Virgo palam tunc primum Dei Mater cognita fuit, & tamquam talis in honore habita. Per S. Virginis verbum JESUS CHRISTUS Præcurſorem ſuum ſanctificavit, & merito dictum fuit, S. Joannis Sanctificationem primum fuiſſe miraculum, quod per S. Virginem operatus fuerit Deus. Nihil melius oſtendit poteſtatem, quam Matri ſuæ contulit Salvator, S. Bernardinus ait poſt S. Bernardum, quam ratio, quam Salvator ipſe in gratiarum ſuarum diſtributione ſervavit. Vult ne ſanctificare Præcurſorem ſuum, antequam oriatur? per Mariam hanc illi gratiam largitur. Vult ne ſe ipſum Mundo oſtendere per primum miraculorum ſuorum aquam mutans in vinum in Nuptiis Canæ? expectat hoc ſibi peti a Maria, per hoc oſtendere cupiens, ut Patres docent, quemadmodum ille ſemet nobis dare voluit per Mariam, velle etiam, ut per eamdem gratias ſuas recipiamus: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. Idem.*

Bern. ſerm. 3 de Nativ. Dom.

Maria Dei Mater effecta, gratia hac mutur ſanctificans S. Joannem & omnem domum illius.

Conſideremus, quæſo quam plena Myſteriis ſit iſta Viſitatio. Vix S. Virgo effecta eſt Dei Mater, cum viam corripit ad S. Joannem, totamque Zachariæ domum ſanctificandam. Vix os aperuit ſalutatura Eliſabeth, cum hæc repletur Spiritu ſancto, & Puer, quem gerebat utero, gratiis cumulatur. Salvator vult, ut Mater ſua ſit inſtrumentum primæ Sanctificationis, quam operatur in Mundum veniens. Virgo ex eo tempore fungitur munere Mediatricis, quod deinceps tanta cum ſua quidem gloria, noſtra vero utilitate erat obitura. JESUS CHRISTUS, S. Bernardus ait, per myſticam Viſitationem hanc nobis oſtendere voluit, Matrem ſuam aliquando plurimum collaturam eſſe ad ſalutem noſtram, eo quod particeps erat futura Operis Redemptionis noſtræ, & quia maximam erat habitura facultatem ad gratias pro illis obtinendas, qui ad ipſam confugerent; *Studeamus*, hic Pater inquit, *per Mariam ad JESUM aſcendere, qui per Mariam ad nos deſcendit. P. Croiſet.*

Fructus Viſitationis Mariæ in SS. Eliſabeth, & Zacharia. Luc. 1.

At enim quid boni attulit Zachariæ, & Eliſabeth Matris Dei Viſitatio? Hoc nos docet S. Lucas, cum ait, ad Mariæ ſalutem dicentis vocem *Repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth.* Hæc poſſidebat jam Spiritum hunc per ſanctificantem gratiam, & habitualem Caritatem, quæ ipſam, virumque ejus Zachariam juſtos effecerat coram Deo; ſed illum perfectiori adhuc ratione poſſedit per plenitudinem donorum illius, per fidem majorem, ac magis illuſtratam per diſtinctiorem Salvatoris cognitionem, cujus accedentis majori amore incenſa eſt: per vividiorem luminis, & amoris impreſſionem, quam in mente, & corde ejus effecit præſentia Dei, qui illam inviſere dignabatur, per conſtans conſilium, quod tunc cepit ne in minimis quidem rebus illi diſplicendi; per metum, ferventioremque pietatem, per incrementum pacis, & gaudii, quod in omnes animæ ipſius facultates ſe effudit, denique per fidelem, beatamque perſeverantiam in virtute: hæc enim totidem ſunt Spiritus ſancti dona, quibus per Viſitationem hanc Zacharias, & Eliſabeth repleti fuerunt. *Idem.*

Feſtinatio Mariæ in Viſitatione hac obeunda, ut motibus Spiritus ſancti obſequeretur.

Si ad examen vocamus eximias Virtutes, quas Maria in hac Viſitatione Caritatis pleniſſima exercuit; quænam celeritas in ſequendis motibus Spiritus ſancti, quo animata eſt? Edocta de conſiliis Dei erga S. Præcurſorem, non hæret; nihil remoratur illam, non naturæ gracilitas, non itineris difficultas, non viæ longinquitas. S. Virgo cognoſcit, Deum a ſe hanc viſitationem expetere: abit, currit, pervolat. O quam verum eſt, Spiritus ſancti gratiam moram, ac tarda non pati molimina. Sed quodnam humilitatis prodigium in Maria! Univerſi Orbis Regina quatenus Mater Dei jure ſuo exigere poteſt obſequia non ab Eliſabeth tantum, ſed ab omnibus etiam mortalibus; ſed illa eam prævertit. Stupet Eliſabeth hunc ſibi a Maria honorem adhiberi, & Mariam ſtupor Cognatæ obſtupefacit. Hæc tota eſt in prædicandis Dei erga ancillam ſuam miſerationibus, intenta præſtando opellam ſuam, quam humilitas illi veluti officium ſuadet. Quot fulgent virtutes in ſanctis hiſce converſationibus! His argumentum præbent Dei Magnalia, infinita ejus Miſericordia, gratiæ miracula; Sed quinam ſunt fructus illarum? Joannes in Matris Eliſabeth ſinu ſanctificatur; Eliſabeth ipſa Spiritu ſancto repletur; Zacharias cæleſtibus donis cumulatur; benedictiones Domini uberrime in omnem familiam effunduntur. Mariæ Viſitationes nunquam minus ſunt utiles. Omnia ſunt Sancta, omnia ſunt proſpera, ubi illa faveat, & ſuffragetur. *P. Croiſet.*

Animadverſio.

Viſitationes urbanitatis, & officii cauſſa, quas in Mundo ultro citroque obeunt mortales, eſto, ſemper ſunt utiles, ſemper ne ſanctæ ſunt?

Viſitationes Mundi, ac præſertim nobilium non ſunt ſimiles Viſitationi S. Virginis.

Fructus ſemper cauſſis reſpondent. Nobiles in Mundo, otioſi meliorem vitæ ſuæ partem in viſitationibus obeundis tranſigunt. Conſiderate quænam earum ſint cauſſæ? Quænam converſationum ſint merita? Viſitationes iſtæ ſunt ne omnes Chriſtianæ? paucæ Viſitationes, quarum cauſſa non ſit cupiditas aliqua. Sine obtrectatione languet converſatio. Quantum temporis in obeundis hujuſmodi viſitationibus perditum; verum, ut plurimum, temporis ne ſolius ſit jactura? Quot ſaluti pericula! Quot inſidiæ integritati poſitæ! In his voluptatum vel otii, inertiæque Viſitationibus Mundi ſpiritus quomodo nitet! Ibi fides atteritur, illic tepeſcit pietas, ibi verſutior, ac blandior. vanitas ſuas exerit artes, ſua oſtentat lenocinia. O Deus, quam fertile pœnitentiæ argumentum in hora mortis futuræ ſunt Mundi hujus Viſitationes! Si urbanitas, ſi officium, ſi caritas nos cogunt Viſitationes obire: harum exemplum ſit Mariæ Viſitatio ad Eliſabeth cognatam ſuam. Tempus vitæ nimis pretioſum eſt, nec in inanibus Viſitationibus tranſmittendum. Quam mihi, Domine, pœnitentiæ cauſſam præbent Viſitationes, quas hactenus feci! Tempus, hoc tempus, quod adeo pretioſum eſt, adeoque breve, non illum eſt ſolum, cujus jacturam ſum paſſus. Sed ope gratiæ tuæ, & per interceſſionem S. Virginis ſpero, illas impoſterum mihi pœnitentiæ argumentum nequaquam futuras. *Idem.*

De Mund. Viſitationibus.

Hodiernæ viſitationes in Mundo ſunt elegans otioſitatis commercium, ubi per plurima urbanitatis officia, & bonæ fidei, & amoris ſpeciem ultro citroque ſibimet illudunt mortales, Parum temporis ut plurimum

Digitized by Google

mum pejus impenditur; niſi Caritas, officium, vel urbanitas in cauſſa fuerint. Perraro viſitationes habentur, quæ minime noceant. Religio non omne viſitationis improbat genus; ſunt quædam Chriſtianæ; quædam ergo licent; ſed nunquam licent, cum ſalutis adeſt periculum. Oportet, ut caritas, vel ſaltem urbanitatis officium ſemper earum ſint cauſſæ. Domeſtica negotia, ac multo minus ad ſalutem noſtram ſpectantia pati debent temporis, quod in iis teritur, detrimentum. Otioſi vitam ſuam traducunt obeundis ultro, citroque viſitationibus. Quantum in morte invenient inane. Argumentum eſt conſcientiæ parum tranquillæ, & inquieti animi, domi ſuæ manere non poſſe. Abſtinete ab omni minus neceſſaria viſitatione, eas tantum obite, quæ caritatis ſunt, vel officii, & urbanitatis, & in illis omnibus, quas obieritis, eas, quæ ſequuntur regulas ſervate. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Regulæ in Viſitationibus ſervandæ.

Viſitationes infrequentes eſſe opus eſt: omnis aſſiduitas periculoſum innuit adfectum aliquem, vel ſaltem minus Chriſtianam otioſitatem. Breves eſſe decet: præter jacturam temporis, tædium, & importunitas a prolixis viſitationibus ſeparari non poteſt. Spiritus anguſtiores, & muti plerumque ſeſſiones habere ſolent diuturniores, & credunt tibi obſequi, cum importunis ſibi viſitationibus negotium faceſſunt. Quaſdam obire viſitationes, urbanitatis eſt; has perage cum ea verecundia, quæ ædificet; Quaſdam alias caritatis eſt; has perage ſtudioſius. Colloquia ſunt velut anima viſitationum: ſed ſi hæc anima vitioſa eſt, ſi converſatio verſatur circum narratiunculas, quibus plerumque ſecretum virus admiſtum eſt, circum recentem veſtium, ornatuum, ac ſumptuoſum ſupellectilium cultum, circum voluptuarios cœtus, circa alia id genus, quæ Mundi Spiritum perflant, & fovent: Viſitationes hujuſmodi nunquid Chriſtianas putas? Cura, ne loquaris niſi de iis rebus, quæ efficere nequeant, ut te ibi fuiſſe pœniteat. Imitare in omnibus viſitationibus tuis virtutes, quas Maria in illa exercuit, quam S. Eliſabeth præſtitit: nullam fac, quæ non æquiſſimam habeat cauſſam; de chriſtianis rebus tantum colloquere; non niſi multa cum verecundia, & modeſtia viſitaturus accede. Viſitatio, cui omnes hujuſmodi qualitates inſint, non carent fructu. Memento viſitationes ex optima cauſſa proficiſci poſſe, & nihilominus non vacare periculo: noſtræ ſalutis inimicus verſutus eſt, & cupiditas, quæ præ ceteris metuenda eſt, induit perſonam. Etiamſi ſpecioſus ſit color, viſitationes paullo frequentiores cum iis, qui ſunt ſexus alterius, ipſæ ſunt tentationes.

Gaudium, & admiratio S. Ambroſii ob Mariæ Viſitationem.

Stupet S. Ambroſius animo ſecum reputans celeberrimam hanc Viſitationem tot Myſteriis, Prophetiis, & prodigiis connotatam. Eliſabeth, inquit primam audit Mariæ vocem, ſimulque Joannes ſentit gratiam JESU CHRISTI. Duæ Matres extrinſecus recolunt gratiæ mirabilia, & Joannes intus agnoſcit opera. JESUS CHRISTUS replet Joannem gratia adhærente Præcurſoris Miniſterio, & S. Joannes duplici miraculo ſuum munus prævertit; denique Maria, & Eliſabeth, concludit S. Ambroſius, intrinſecus animatæ ſpiritu filiorum ſuorum colloquentes proferunt Oracula, & Vaticinia. *Pater Croiſet.*

Myſteria, & documenta, quæ in hac Viſitationis feſtivitate inveniuntur.

Præſentia JESU, S. Auguſtinus ait, efficit, ut S. Joannes in Matris utero exultet. Eliſabeth ad Mariæ conſpectum repletur Spiritu ſancto, gaudium, humilitas, & gratitudo Mariæ divino prorſus modo refulgent in admirabili Cantico, quo reſpondet benedictionibus, quibus ab Eliſabeth cumulatur, & utraque, S. Ambroſius inquit, tot proferunt oracula, quot verba. Quæ Myſteria, quæ documenta in Sancta Viſitatione occurrunt! Hic videntur cauſſæ, quæ nobis habendæ ſunt in illis, quas ipſi facimus, & uſus a nobis faciendus earum, quas nobis intrinſecus exercet Deus. Invenitur in illis ſpecimen omnipotentis auctoritatis, qua gaudet apud Deum Maria; & argumentum conſolatione plenum confidentiæ, quam in Maria habere debemus. Eximiæ virtutes, quas exercet illa in Viſitatione hac officioſa, & caritate referta, nos debent erudire, & mirabilia, quæ ibi operatur Deus, noſtram ciere debent devotionem erga divinam hanc Matrem, & efficere, ut ad exemplum Eccleſiæ jugiter illam invocando ſentiamus ipſam poſt JESUM CHRISTUM eſſe vitam, conſolationem, & ſpem omnium Fidelium. *Idem.*

Zacharias, & Eliſabeth ſupernis illuſtrati luminibus, ſumma cum lætitia excepere Mariæ viſitationem.

Si Zacharias, & Eliſabeth jure obſtupuerunt, quod Maria hactenus non Mundi ſolum oculis abſcondita, ſed illis etiam familiæ ſuæ, Judææ montes tranſiiſſet hujus Viſitationis cauſſa, cum id ne putarent quidem; dicere poſſum, auditores, Viſitationem hanc eo tempore, quo minime ſperabatur, nequaquam illis ſollicitudinem & curam afferre debuiſſe. Quid expectare poterant a dilecta, & officioſa Cognata, niſi verba conſolationis, & pacis, niſi opellas benevolentiæ, & caritatis, quamvis eos tantum conſuluiſſent ſenſus, quos natura, & Cognatio ſuadet? Sed ubi ſuperioris luminis ope ſe ſe extulerunt ſupra has conſanguinitatis rationes, & in ejus perſona cognoverunt Dei Matrem illos ſua Viſitatione dignatam, tunc corda eorum patuerunt lætitiæ; quam in ſe ipſis ſenſerunt, quin Maria illis diceret, ſe non niſi in ſpiritu pacis eos conveniſſe. *Ex Elogiis Sanctorum. Tomo 2.*

Benedictiones quas attulit Mariæ Viſitatio &c.

Ingreſſa eſt domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth, & hæc vivens Arca novi Teſtamenti plures illis attulit benedictiones, & gratias, quam Arca veteris ſuper domum Obededon attraxerat. Mater Spiritu ſancto repleta fuit, filius ſanctificatus in ſinu ſuo gaudio exultavit, & pater, quem incredulitas ſua mutum reddiderat, quamprimum loquendi recipit facultatem, ut benedicat Domino Deo Iſrael, qui viſitaverat, & fecerat redemptionem populi ſui. Hoc Viſitationis tempus præteriit, Fideles, ſed conſolamini: Ad hanc quoque diem in animabus veſtris Viſitationes fiunt, ac perennantur, niſi vos obicem aliquem ponitis. Vos adhuc viſitat gratia ſua Deus iſte bonitatis; vos adhuc redimit, ac incolumes præſtat per infinitam miſericordiam ſuam: ſed quomodonam hoc Viſitationum Myſterium in vobis peragitur! & qualiter affectos vos eſſe decet, ut earum præclarum uſum faciatis? Hoc dicere poteſtis ex ipſis hujus diei Feſti circumſtantiis. *Idem.*

Filius Dei nondum natus fungitur Salvatoris munere erga Præcurſorem ſuum.

JESUS CHRISTUS recens in Mariæ ſinu conceptus diutius pati non poteſt parvulum Præcurſorem ſuum in umbra mortis, & ſub captivitate peccati. Illum hinc liberare feſtinat, & inexpectato nativitatis ejuſdem die, vel donec corpus illius formatum, & omnino perfectum fuiſſet, attendere vult potentiam ſuam per ſpeciem quamdam præmaturæ reſurrectionis. Jam vobiſmet ſub hac figura videre videmini, quid in hujus diei acciderit feſtivitate. Maria, quæ nuperrime dixit Angelo ſe ancillam eſſe Domini, & quæ ipſo maxime elationis ſuæ tempore nunquam oblita fuerat ſuæ humilitatis, cælitus afflata ſeſe transfert in domum Eliſabeth, cujus Puerum originale peccatum necaverat. Nihil eam moratur magis quam Giezi, in impetu motus, quem illi imprimunt Caritas, & ſecreta Cæli mandata; ſed longe diverſa ab illo Prophetæ famulo, qui inanime tantum, ac inutile ferebat inſtrumentum, ſinu ſuo geſtat Dominum Prophetæ ejuſdem, vitam datura Præcurſori Filii ſui. Mater, quæ intelligere neſcit, undenam inſperatum hoc proficiſcatur miraculum, prior obſtupeſcit, & experta filium ſuum præter ordinem moveri, profeſſa eſt Filium exultaſſe præ gaudio ad primos Virginis affatus. O beatum Puerum cæleſtibus præventum benedictionibus, & accedente Deo Salvatore, nondum Pueri formam habente, ſanctificatum, beatum Puerum, qui videt gratiæ lumen, antequam diei; & in cujus gratiam Deus Redemptor feſtinat peccatum impugnaturus, & Patri oblaturus primitias naturæ ſanctificatæ, & innocentis. *Idem.*

Unde oriatur humilitatis ſenſus in S. Eliſabeth a Maria viſitata?

Quid cogitabat Eliſabeth, ut hos humilitatis ſenſus conciperet? Duo, quæ vobis quoque cum illa cogitanda ſunt. Quam magnus eſt Deus, & quantum ſe humiliet. Infinita illius magnalia, & infinitas ejus humiliationes: quid ſit in ſemet ipſo, in ſinu Patris ſui: quid ſit in terris, & quid fieri dignatus ſit in Matris utero. Perſonæ ſuæ Majeſtatem, & exinanitionum ſuarum profunditatem: quid nobis daturus acceſſerit; & quanti ſteterit illi, id nobis dare; loquor cum Tertulliano, & S. Proſpero. *Elogia Sanctorum Tomo 1.*

Humilitatis rationes, quæ Mariam cogunt viſitatione ſua prævenire Eliſabeth.

Rationes, quæ videbantur retardare debuiſſe S. Virginem, urgent illam, ut diſceſſum maturet. Tantum abeſt, ut illi præſtentur obſequia Matri Dei debita, ut feſtinet Cognatam viſitatura; cujus feſtinationis eſt cauſſa utilitas, quam hæc Viſitatio paritura eſt. Mater Salvatoris prævenit Joannis Matrem eodem ſpiritu, quo JESUS CHRISTUS alia in occaſione S. Joannem præveniet. Complementum votorum, quæ nuncupat Deo in gratiam Eliſabeth, eam extrema replet lætitia, Sanctus Ambroſius ait; gaudium ſuum ingeminat ardorem zeli ſui; diſcedit ſine mora, ambulat ſine intermiſſione, pervenit ſine laſſitudine, ridenti ore Eliſabeth domum ingreditur, eam tanta affectione ſalutat, quanta humilitate; & replet Filium, & Matrem gaudio, & admiratione. *Abbas du Jarry.*

Qualitas Matris Dei inſpirat S. Virgini altiorem humilitatem.

Recens Matris Dei dignitas, ad quam Maria erat evecta, quin illi vanitatem immitteret, humiliorem effecit; nam ſicut ipſa teſtata eſt, Deus magna facturus in illa reſpexerat ſolum humilitatem ancillæ ſuæ. Magnitudo ſua illam non extollit, ſed ſuo intenta officio eſt, ut eidem ſit fidelis. Audit Cognatam ſuam ventrem ferre; putat eam ſibi adeundam, ut eidem gratuletur, ſuamque operam præſtet. Intenta igitur tantum eſt, ut huic ſatisfaciat officio, & ignorat, quænam bona paritura ſit viſitatio cum adeo pura, humilique caritate peracta. *Tourneaux in anno Chriſtiano.*

Viſitationes, quæ propter Deum fiunt, ſemper ſunt cū Spiritus ſancti gratia conjunctæ.

Felices viſitationes, in quibus fertur JESUS CHRISTUS ad eos, qui inviſuntur, quarum colloquia a Spiritu ſancto dictantur: in quibus nemo ſuas laudes immiſcet, vel alienas carpit, ſed gloria omnis Deo accepta refertur. Sancta Virgo Cognatæ ſuæ dicit ſalutem, non fallaci urbanitate, ſed piæ

humilitatis ſenſu, quæ munus ſuum ſtudet obire. Eliſabeth, & illa non de terrenis negotiis colloquuntur, ſed ſe ſummo illo Myſterio, quod Deus operaturus erat in terra. Non ſe mutuo inanibus, vel fallacibus laudibus extollunt; ſed Eliſabeth Mariæ fidem commendat; Maria vero Deo acceptas recipit laudes, quæ ſibi deferuntur. In hujuſmodi viſitationibus, quæ caritatis cauſſa fiunt, & quibus comes adeſt humilitas, JESUS CHRISTUS ſe ſe prodit, Spiritus ſanctus ſe communicat proximus ædificatur, & Deus, qui ibi honoratur, efficit, ut eos inde fructus homines percipiant, quos ne ſperare quidem auſi fuiſſent. *Idem*.

Oratio ad Deum ut per gratiam omnes viſitationes noſtras ſanctificet.

Domine, qui ex Matris utero incipis per Præcurſoris tui Sanctificationem magnum noſtræ ſalutis opus, viſita nos per ſalutarem gratiam tuam. Sanctifica noſtras viſitationes, illis adeſto; earum eſto principium, & finis, ſicuti fuiſti Viſitationis Mariæ. Fac ut illuc afferamus, & inde hauriamus Spiritum tuum. Eſto noſtrorum colloquiorum argumentum, & objectum laudum noſtrarum, Humilitas efficiat, ut noſtra iis, quos inviſimus, præſtemus officia; ut Caritas nos urgeat ad illis omnem afferendam opem, qua indigent, ac pares ſimus, qui eiſdem opitulari valeamus. Urbanitas noſtra humilitate Chriſtiana fulciatur, qua edoceamur alios prævertere obſequiis, atque intrinſecus noſmet illis ſubjicere, quos ordo Providentiæ tuæ infra nos extrinſecus collocavit. Concede quæſo hanc mihi fidem Domine, quæ S. Virginem effecit Dei ſui Matrem, & profundam hanc humilitatem, quæ effecit, ut ſua merita ignoraret, ſe ſe tamquam creaturam duntaxat ſuam habitura, & meræ Miſericordiæ tuæ acceptam relatura ea Myſteria, quæ operabaris in illa. Fac, Domine, ut velut illa, nos quoque parvuli ſimus in oculis noſtris, ut in tuis vere, & ſolide magni futuri ſimus. *Tourneux in anno Chriſtiano*.

Maria per hanc viſitationem oſtendit ſe noſtram eſſe debere mediatricem erga Filium ſuum.

Quemadmodum ad Matris preces JESUS CHRISTUS primum ſuorum miraculorum operaturus eſt, ita per organum, & divinæ hujus Matris præſentiam ſuum Præcurſorem ſanctificat. Vix Miſericors hic Deus carnem aſſumpſit, cum declaravit, S. Bernardus ait, a ſe Matrem conſtitutam fuiſſe gratiarum ſuarum diſtributricem. Dicite, Pater idem ajebat ſcribens ad Lugdunenſes Canonicos, dicite, Virginem Mariam ſibi, & nobis ſontem gratiarum inveniſſe, dicite illam eſſe ſalutis Mediatricem, & ſæculorum Reparatricem. Hoc jure dicetis, hoc enim illud eſt, quod univerſa canit Eccleſia. *Hæc mihi de illa cantat Eccleſia: Quod ab illa accepi, ſecurus teneo, Pater Croiſet in Aſceticis*.

S. Joannes poſt hanc Mariæ viſitationem incipit exercere Præcurſoris officium.

SS. Chryſoſtomus, & Leo animadvertunt, S. Joannem Baptiſtam ſingulari gratia præventum, prima vice Præcurſoris officium obiiſſe, & perhibuiſſe teſtimonium lumini, quo illuſtrabatur. Nondum loquendi facultate præditus erat, tamen ex eo temporis momento ſenſus exprimit ſuos prophetica exultatione, quaſi diceret: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata Mundi*, jam incipit tollens peccata mea. Poſt hoc ne quæratis, unde fiat, ut in Matris ſuæ utero exultet: ratio, & libertas in anteceſſum illi conceſſæ fuerant; poterat ne ſine actione, & ſine motu permanere, accedente Deo, a quo beneficiis cumulabatur? Poterat ne ſine emotione inſignem recipere gratiam, qua ſe præventum videbat; videlicet deletam in ſe videns eam, quam hæreditatis jure ab origine peccati acceperat maculam? Poterat ne, quin exultaret, videre ſe inſperato tempore ſanctificatum, & ad miniſterium ceterorum præclariſſimum deſtinatum? *Elogia Sanctorum Tomo 2.*

Vix Maria Incarnatum Verbum concepit, quum ſe contulit ad ſanctificandum illum, qui futurus erat Præcurſor Filii ſui, hunc deferens in domum Zachariæ.

Sancta ſollicitudo, qua Maria feſtinavit ſanctificatura Cognatam Eliſabeth, totamque illius familiam, fecit, ut ad illam afferret Auctorem Sanctitatis paulo poſtquam in ſinu illius Corpus acceperat. Quæ dona! quæ gratiæ! quæ beneficia Dei Filius felici huic impertit familiæ! 1. Effundit gaudium, lumen, Sanctitatem in animam Sancti Joannis, qui cœpit videre, & annuntiare divinum Juſtitiæ Solem in Mariæ ſinu latentem, eum adhuc in Eliſabeth utero clauderetur. 2. Replevit Eliſabeth luminibus Spiritus ſancti, eique revelavit magnalia æterni Verbi ab æterno geniti in ſinu Patris in ſplendoribus Sanctorum, concepti in caligine, & ſilentio, & in Virginis ſinu exinaniti. 3. Communicavit Zachariæ Prophetiæ donum, effecitque ut ille portenderet vincula Iſrael tandem eſſe infringenda, & Nationem liberatum iri, Poterat Dei Filius, quin e Nazareth egrederetur, hæc omnia operari miracula, ſed ſe geſtari voluit a Maria domum Eliſabeth, & ab eadem nonnihil conferri benedictionibus, quas in omnem ejus familiam effudit, ut diſceremus, Deum paucas conferre Electis ſuis gratias, niſi per Mariam. Quinam zelus! Quæ caritas! Maria vix Mater effecta eſt, cum incipit eſſe apud Filium ſuum pro mortalibus advocata! Gratiæ habeantur Deo virtutum, qui ad nos ſalvandos accedens, vult Matrem ſuam participem eſſe Myſterii noſtræ Redemptionis. *Liber, cui titulus: Virginum ſolitudo*.

Cauſſæ quæ Mariam impellunt ad S. Eliſabeth, viſitandam.

Cum Maria ab Angelo didiciſſet, Eliſabeth, quæ ſterilis erat, jam ſextum ante menſem concepiſſe Puerum in ſenectute ſua, incredibili alacritate ad illam ſe contulit. 1. Eo ſe contulit ducta non ſpiritu quidem curioſitatis, ſed Religionis, 2. Non cauſſa incredulitatis, ſed Caritatis. 3. Non ut certa fieret veritatis oraculi de Joannis Baptiſtæ Conceptione, ſed Cognatæ auxilium latura, & ſemet ipſam humiliatura eidem obſequium præſtando. Satis illi non eſt ſemet humiliare coram Deo, & Angelis, ſe humiliare vult etiam coram hominibus. Se confert procul a Nazareth, ubi Omnipotens fecerat potentiam in brachio ſuo. Pergit in centrum Montium Judææ. Eliſabeth exultabunda præ gaudio, ubi primum Mariam adeſſe cognovit, eam Dei Matrem appellavit: Maria nihili ſui humilitate permota, ſe Domini ancillam vocat. Sed cum hæc viſitatio dici queat revelatio Divinitatis Incarnati Verbi, necnon divinæ Maternitatis Mariæ: Maria uni Deo acceptam refert omnem gloriam laudum, quibus extollitur; ſe humiliat, ac deſcendit eo uſque, ut Cognatæ ſuæ abjectiſſima præſtet officia. O quanta Magnitudo eſt in humilitate, cum aliquis Deo uno inferior, reliquis omnibus Superior eſt! Quanta eſt animæ generoſitas, cum oblita quidquid eſt, ita per humilitatem deſcendit, ut per dignitatem, ac ordinem ſuum mereatur extolli, *Ex ſolitudine Virginum*.

Maria apud Eliſabeth permanens omnem ædificat Zachariæ familiam.

Donec JESUS CHRISTUS Præcurſorem ſuum ſanctificabat affluentia gratiarum, quas in animam ejus effundebat; Maria ædificabat familiam Zachariæ ſenſibus pietatis, & religionis, quos illi inſpirabat. Poſſumus ne memoria repetere quod illa in Cantico ſuo admirabili cecinit, quin repleamur obſequio erga Supremam Dei Majeſtatem? Poſſumus ne ſublimiorem concipere ideam potentiæ illius, qui deponit potentes de ſede, & humilem opilionem de ovilis ſui caligine aſſumit, ut ſuperbi Regis teneat locum? Poſſumus ne aliquid cogitare majus, ac dignius infinita ejus miſericordia, quæ de progenie in progeniem ſe effudit in eos, qui Nominis ejus Sanctitatem reformidant? Inſpirari ne poteſt acrior, ac vividior grati animi ſenſus erga Creatorem ſuum, qui eſurientes replet bonis; qui in clientelam ſuſcepit Iſrael famulum ſuum; & adimplet ea, quæ locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula? Quam ſublimes concipit ſenſus anima Dei ſpiritu repleta! Quam ſibi complacet Deus audiens ſe laudibus celebrari lingua adeo pura, qualis eſt Mariæ lingua! Felix Zachariæ domus, ubi tres menſes permanet Maria! Si Deus benedixit Obededom, & omni domui illius, quia Arca fœderis, quæ non niſi Mariæ figura erat, tribus ibi menſibus quievit; quot gratias, & benedictiones credenda eſt Maria per præſentiam ſuam domui S. Eliſabeth promeruiſſe? Quot ibi germinare virtutes viſæ ſunt, quæ pretioſi extitere fructus ſanctarum collocutionum, & exemplorum Matris Dei! *Ex ſolitudine Virginum*.

Septem præcipuæ virtutes, quas Maria præ ſe tulit in viſitatione Eliſabeth.

Prima Virtus, quam præ ſe tulit Maria zelus eſt annuntiandi omnibus, quos novit, JESUM CHRISTUM. Voſmet diſponite ad pretioſam hanc gratiam recipiendam; hic primus eſt Viſitationis ſuæ finis; ne aliud vobiſmet in veſtris obeundis proponatis. Secunda eſt amor proximi; qui invideat bonis Eliſabeth, Maria gaudet, gratulatur illi, eaque recentibus ſtudet cumulare. Tertia humilitas eſt. Maria convenit Eliſabeth, licet inferiorem ſibi, hac mente, ut illi ferat opem, eique ſe utilem præbeat. Quarta eſt ſancta, & fervens actuoſitas. Diſcedit, ſacer Textus ait, cum feſtinatione, ſed ea feſtinatione, quæ teſtis eſt ardoris animæ ſuæ, & quæ nihil de modeſtia ejus imminuit. Quinta ſuavis eſt, ac religioſa in converſatione affabilitas; quibus illecebris plena fuit. Nihil horum memorat Scriptura, ſed dubitare nefas, quominus vim habuerit ſanctificandi S. Joannem, adhuc in Matris utero latentem. Sexta Virtus eſt ſincerus Mundi, laudumque ſuarum contemptus. Si Eliſabeth Mariæ texit encomium, Maria nullo afficitur laudum ſenſu, omnemque honorem rejicit in Deum; ſi loquitur Maria, os aperit, ut Dei laudes canat, ejuſque prædicet Magnalia. Hac una in re diſſertiſſima eſt, muta vero in iis, quæ ad ipſius pertinent laudem. Nam vetat humilitas, non eas fateri gratias, quibus aucti ſumus a Deo, ſed eas vetat prædicare, tunc vero potiſſimum, ſi præter ordinem ſint. Sapientius, totiuſque conſilium eſt de ſe, de ſuis, eorumque bonis, loqui pauca; & aliter ſe gerere Mundi guſtus eſt, infirmitas, quæ animos offendit; ſed in illis, qui Deo devoti ſunt, ſuperbia eſt, non condonanda, & quæ de ſe loquentes efficit contemptibiles. Septima demum viva eſt erga Deum gratitudo ob univerſa beneficia, quæ ab eodem large, effuſeque recepit. Quo exuberantis lætitiæ impetu magnificat Deum Patrum ſuorum? Quibus verbis celebrat ejus miſericordiam, potentiam, fidelitatem, juſtitiam? Imitamini Sanctiſſimæ hujus Virginis gratitudinem, & ne vereamini in exceſſum incidere. In laudibus quas deferetis Deo, omnia elogia veſtra, omnes locutiones

Digitized by Google

citiones veſtræ ſemper erunt beneficiis ejus minora. Nequaquam Domine, cor meum nunquam ſatis laudabit te, & os meum ſemper replebitur gloria tua, & ſi fieri poterit, omnes laudes quas omnia creata tibi detulerunt, ſuperabo. *Moralis novi Teſtamenti Patris la Neuville. Tome 1.*

Nullus recipitur fructus ex Mundi viſitationibus, quibus tamen mortales occupari ſolent.

Quem fructum percipere poteſtis ex omnibus inutilibus viſitationibus, quas obire conſueviſtis, & quæ communem vitæ veſtræ occupationem conſtituunt? Quid inde proficitis, quid diſcitis? Tempus teritis, proximum læditis, Deum obliviſcimini, voſmet diſſipatis, omnem ſæculi voluptatem percipitis, omnia placita, ſenſus, & mores. Vanitatem veſtram alitis, & otioſitatem veſtram: & utinam minime quæratis aliquando funeſta cupiditatibus veſtris nutrimenta! Avertat Deus, ne adeo aſſiduæ, & frequentes viſitationes veſtræ, hæ viſitationes frequenter acceptæ, ac redditæ ſub ſpecioſo urbanitatis, honeſtatis, ſocietatis fuco degenerent in viſitationes affectionis, atque impudicitiæ. Sed viſitationes, quas poſco, vel potius Deus poſcit, vos ædificabunt, & ſanctificabunt. *P. Bourdaloue in Chriſtianis adhortationibus. Tome 1.*

Deus prævenit peccatores, ſicuti prævenit S. Joannem Baptiſtam in Matris utero.

Viſitatio JESU ad S. Joannem effecta nos docet, quomodo nos Deus gratia ſua viſitet, atque præveniat; cum non licet nobis per noſmet illum adire. Miraculoſa S. Joannis lætitia coram JESU CHRISTO exultantis oſtendit nobis divinas gratiæ operationes in animabus noſtris, cum illi fideles ſumus. Peccator conſiderari poteſt, vel tamquam actu in peccati ſtatu poſitus, quin de ſua cogitet converſione, vel tamquam actu egrediens de peccato per veram converſionem; vel tamquam generoſe dimicans contra effectus peccati per veram pœnitentiam. Ne miremini ſi dico ſublimem S. Joannis Baptiſtæ Sanctitatem non prohibere, quominus illum conſiderare valeamus tamquam imaginem peccatoris in triplici hac ſtatus varietate, in qua illum vobis exhibui. Primum poſt ſuæ Conceptionis momentum, ad illud uſque, cum mirabiliter ſanctificatus eſt in ſinu Matris per JESU CHRISTI Viſitationem. Filius hic, ut alii, in peccato conceptus, cum minime poſſet illinc per ſe evadere, non ne exhibere nobis poteſt peccatorem in flagitiis ſuis ſepultum, & ad Deum redire neſcium, niſi illum perquiſiverit gratia? In felici autem momento quo ſecretæ gratiæ impreſſiones deleverunt originale peccatum in Sancti Joannis anima, & effecerunt, ut eniteſceret per ſenſibiles notas interius gaudium, quod Meſſiæ præſentia gignebat in illo; divinus iſte Præcurſor non ne imago eſt animæ ope gratiæ confringentis vincula, quibus peccator obſtringitur, & interiori gaudio, & lætitia exultantis, quia ſe a crudeli captivitate ſolutam cognoſcit? Denique non ne perfectiſſimum præbet Sanctus hic iis peccatoribus exemplar, qui ſerio admituntur, ut deſtruant in ſe peccati reliquias per laborioſas Chriſtianæ pœnitentiæ exercitationes? Quidquid autem facit in hac ſtatuum varietate peccator, hoc debet gratiæ, quæ prævenit illum antequam agat, quæ illum agentem comitatur, & in variis certaminibus, illi ſubeundis, roborat, ut integram de peccato victoriam referat. *Ex Specimine Panegyricarum Orationum Tomo primo.*

S. Virgo ſtatim incepit poſt Incarnationem Verbi ſanctificare Præcurſorem Domini quem ſinu ſuo deferebat.

Poſtquam Angelus nuntiavit Mariæ complementum Myſterii Incarnationis; & miraculum, quod operatus fuerat Deus in gratiam ſterilis feminæ, perſuaſit ipſi illud, quod in Virginis gratiam erat operaturus, celeriter corripit iter viſitatura Eliſabeth cum qua Cognationis vinculo minus erat conjuncta, quam caritatis; Et Salvator, qui vult Præcurſoris ſui Sanctificationem, quam per Virginem operatus eſt, eſſe tamquam adumbrationem quamdam, & formam operis ſalutis noſtræ, illi hujus itineris conſilium immittit. Si Apoſtolus locutus in eorum perſona, qui in animarum converſione ſtudium, operamque tranſmittunt, dicebat; *Caritas CHRISTI urget nos:* Sancta Virgo ad Cognatam inviſendam proficiſcens dicere poterat: JESUS CHRISTUS ipſe, Caritas eſſentialis me urget, ac agit in eam domum, ubi efficere debet, ut agnoſcatur per vocem meam, & effundat Spiritum ſuum in eos, quos ſum inviſura. Hæc igitur Mater ſimul & Virgo ſequitur motus caritatis, quibus agitur, quin ſciat magnos effectus, quos eſt paritura: ſed qui ducit illam, & qui in illa operatur, ſua habet conſilia. Sanctæ hujus Virginis vox non auditur ſolum ab Eliſabeth, verum etiam a Puero, quem ventre gerit. Hic convertit ſe ad lumen incluſum in Virginis alvo, & incipit munus Præcurſoris, oſtendens Matri ſuæ adventum Domini. Hunc aliquando Judææ univerſæ nuntiabit: hic latens ſub modio illuſtrat ſaltem locum, in quo continetur, & motus corporis ſui muti feſtinat perhibere teſtimonium, cujus nondum lingua particeps eſſe poteſt. *Sermo Primus Academiæ oblatus anno 1683.*

2. Cor. 5.

Homines S. Virginis novo Cognatæ ipſius teſtimonio confeſſa generatim fatetur Myſterium, quod in ſinu ſuo patratum eſt.

Eliſabeth edocta teſtimonio Filii, quem ſinu geſtabat ſuo, in ea, a qua viſitabatur, agnovit Matrem Domini ſui, & omnium prima illam Beatam vocavit, quo nomine in omnem deinceps æternitatem erat appellanda. Ipſi quoque Mariæ ſtupor inceſſit propter admirabilia, quæ in ipſa Deus operatus erat. Norat quidem ſe Mundi Salvatorem concepiſſe, ſed ignorabat fortaſſe, ſe illum geſtantem in domum Eliſabeth eo ſalutem quoque allaturam. Humilitas ſua, quam ſatis admirari non poſſumus, ſilentio obruerat Magnalia, quæ in illa operatus fuerat Omnipotens, ipſaque recentia fieri videbat, quibus humiles cordis ſui ſenſus prodebantur. Denique una cum Cognata ſua Eliſabeth confeſſa eſt Beatæ nomen deberi, ſed ipſa ſola cognoſcit, quia jure ſuo ſibi pollicetur nominis hujus in omne tempus poſſeſſionem: *Ecce enim ex hoc* ait, *beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens eſt. Sermo primus Academiæ anni 1683.*

Luc. 1.

Profunda Virginis humilitas non permittit, niſi ut ex parte aperiat magnalia, quæ in ſe Deus operatus eſt.

Sanctorum eſt celare gratias inſignes, quas divinitus acceperunt, quaſi furto illas ſurripuiſſent. Dei approbatione contenti, de humana non admodum laborant. Metuunt ſemper, ne vanitas ſibi theſaurum ſuum auferat; & ſi de illo tenentur verba facere, perfecte conciliant neceſſitatem, quam illis veritas injicit cum ſenſibus, quos illis ſuadet humilitas. Hoc pacto Virgo Sancta operatur. Tenera Caritas, qua Cognatam ſuam Eliſabeth complectitur; generoſa erga Deum gratitudo non patiuntur ipſam ſilentio obvolvere admirabile Myſterium, quod in ſinu ſuo peractum eſt: ſed de eo tamquam Myſterio verba facit. Magnificæ, ac ſublimes illius locutiones profecto eximiam in nobis ideam cient; ſed nequaquam eamdem penitus nobis explanant. *Ex eodem Sermone.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

DE DOLORIBUS SANCTÆ VIRGINIS,

vel Maria ad pedes Crucis JESU Filii ſui.

Dolores B. Virginis Mariæ videntis Filium patientem, & morientem in Cruce.

CERTIUS noſtræ erga JESUM CHRISTUM dilectionis argumentum eſt, illum ad Crucem ſequi. Qui ad hanc propius accedunt, cariores ſunt, ac fideliores ejus amici. Hinc cum Maria virgo magis incenſa ſit hoc igne divino, quam alii ſimul omnes, propior quoque eſt Filio ſuo. Quis concipere poteſt extremum dolorem, quo torquetur illum in miſero hoc ſtatu intuita? Quidquid efficere poteſt, ut affectus ſentiatur, in illius martyrio invenitur. Filium amat toto Cælo magis quam matres omnes diligant quælibet ſuos. Hæc filii ſui melius agnoſcit meritum, ſanctitatem, & ſupremam ejuſdem excellentiam. Penetrat in plagas illius, cumque melius cognoſcat mollem, ac delicatam corporis ejuſdem conſtitutionem, melius ſcit, quod ille patitur, & magis ad vivum omnibus ejuſdem conatibus afficitur. *Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te, Filia Jeruſalem? Magna eſt velut mare contritio tua;* & ſicut in mari ne una quidem gutta eſt, quæ non ſit amariſſima, ita in corde tuo, ne minima quidem dolore vacat particula. Si cogitas Matrem hanc in profundo triſtitiæ pelago immerſam, qua conficitur, corpus quidem ſtat ad Crucis pedem, ſed cor eidem Cruci tribus clavis confixum eſt. Primus quorum eſt vis, & vehementia amoris ſui; Alter eſt vis mentis ſuæ, quæ illi omnem dolorum JESU acerbitatem repræſentat. Tertius tandem eſt, ſua erga illum miſeratio. Amor ejus ſimul & Patris dolor eſt, & Matris; habens alterius quidem fortitudinem, alterius vero teneram affectionem: eſt gladius

Thren. 2.

Google

anceps, qui in medullas ipſas pervadit, qui cor ejus tranſverberabat, ejuſque ſpiritum ſecat, quemadmodum Simon Propheta prædixerat. *Pater Nouet in parte 2. ſuarum Meditationum.*

S. Virginis dolores rerum eſt Martyrium ceterorum cruentiſſimum.

Non ſolum eſt Martyr, ſed Regina Martyrum. Quemadmodum eſt Regina Virginum, quia in ſummo perfectionis apice Virginitatem coluit, eſt etiam Regina Martyrum, quia genuit caput eorum, quia obtulit vitæ ſuæ Sacrificium, quod pretioſius eſt Sacrificio Martyrum omnium; quia ſocia fuit Martyrii Filii ſui, deſiderio ſuſtinens quidquid Filius re ipſa ſuſtinebat; & vere plus patiens, quam Sancti omnes in teterrimis cruciatibus ſuis perpeſſi fuerunt. Quidquid crudelitatis illi pertulerunt, hoc leve eſt, B. Virgo, ubi cum doloribus tuis comparetur, neque potuiſſes, ut arbitror citra mortem tot tantaque perferre tormenta, niſi Spiritus Vitæ, Spiritus Conſolationis te confirmaſſet, ac interius tibi perſuaſiſſet, Mortem Filii tui non eſſe mortem ad excidium tendentem, ſed triumphum omnia illi ſubjicientem. O Mater amoris, & doloris! fac, ut te amem, fac ut exemplo tuo patiar. Regina Martyrum fac me tui Martyrii participem. Amor tibi attulit Crucem; fac, ut Crux in me ciat amorem. Et ſi ad amandum, patiendum, atque moriendum eſt; hanc quæſo mihi impetres gratiam, ut quæcumque a Deo ſunt, diligam uſque ad Paſſionem, & Mortem. *Idem.*

Virtutes, quas Maria ad Crucis pedes exercuit.

In maximis adverſitatibus maximæ virtutes exercentur. B. Virgo apud Crucem ardentiſſimam exercet caritatem; conſentiens Morti Filii ſui pro Dei quidem gloria, mortalium vero ſalute. Conſenſum præſtitit Myſterio Incarnationis admirabili fide, quam S. Eliſabeth laudibus extulit, *Beata, quæ credidiſti.* Eumdem præſtat Myſterio Paſſionis cum admirabili conformitate Conſiliis Dei; ubi agitur de Morte, ac doloribus Filii ſui, qui actus eſt maxime Heroicus amoris, cui non alter extitit ſimilis. 2. Profundam exercuit humilitatem, ſuſtinens contemptus, omneſque Calvarii contumelias. 3. Magnam præ ſe tulit conſtantiam, invictamque patientiam ſtans in tanta hac tempeſtate, velut ſcopulus inter fluctus, quibus circumundique petitur, quin moveatur. Princeps Angelorum in Cælo ſtare non potuit, neque prima hominum in terreſtri Paradiſo; ſed B. Virgo ſtat in Calvario. Doloeum ipſius magnitudo, mortis ſpectaculum, hominum furor, & dæmonum rabies nequeunt proſternere corpua illius, nec ſacras animæ ejuſdem operationes prohibere. *Idem.*

Amor Cruci affigit Matrem una cum Filio.

Quænam Mater magis doloris gladio tranſverberata fuit, quam Maria per funebres dies Paſſionis, & Mortis Filii ſui! In Calvario potiſſimum ſimul jungens teneros naturæ ſenſus, cum ſanctis motibus gratiæ, emans cum reverentia JESUM CHRISTUM tamquam Deum ſuum, eumque cum benevolentia complectens, tamquam Filium, experta eſt amorem divinum, qui in viſcera ejus deſcenderat, illa ſuccendiſſe, atque convertiſſe in viſcera amoris, caritatis, miſericordiæ. Et profecto cuinam interiori martyrio non patuit, cum ad conſpectum Filii ſui in Cruce vulneribus ſaucii, & ſanguine manantis; caritas hæc æque fortis, ac mors affigens tenerum cor ejus Cruci, non ſecus ac Filium ſuum, ac efficiens, ut ad vivum omnem ſentiret ſævitiam, quam manus barbaræ, & impiæ in Sacrum Filii ſui Corpus exercebant, & animam ejus tot jaculis confodiens, quot ille vulneribus ſauciabatur, in illa caſdem pareret triſtitiæ, doloriſque impreſſiones, quot plagas tormentorum violentia Filio inferebat? Nonne potiori jure, quam Apoſtolus dicere poterat, *CHRISTO confixus ſum Cruci?* Ita eſt.

Galat. 3.

Clavis Cruci confixa ſum cum Filio meo. Cor meum lancea cum illius corde confixum eſt; Pedes, manuſque meæ tenebratæ ſunt, & amor effecit, ut mortem illius ſuſtinerem. *Sermo 4. Academia oblatus, anno 1682.*

De doloribus Mariæ, ejuſque divinæ voluntati conformitate.

Cum Sancta Dei Mater vidit ſuaviſſimum Filium ſuum odiis, perſecutionibus, & calumniis affectum, cum latronibus deputatum, ac infami arbori ſuſpenſum, a principibus, potentibuſque per teterrimum injuſtitiæ ſcelus oppreſſum; dolore quidem confectum eſt cor illius; ſed ipſa illud obtulit Æterno Patri tamquam victimam illi pro peccatis hominum delitam. Illi procul dubio majorem attulit dolorem cauſſa, propter quam Filius mortem ſubibat, & propter injuriam Deo factam, quam propter horribilie ejus tormenta, & in hac re conſideravit magis Dei voluntatem, & gloriam illi ceſſuram, quam familiæ ſuæ dolorem, & dedecus. Omnes illius voluntates ſubjectæ erant & conformes voluntatibus Dei, & æquo animo ferebat mortem Filii, quam tantopere diligebat, & mortem adeo turpem in oculis hominum, ſciebat enim Deum ita imperaviſſe. *Auctor recens, & Anonymus.*

Tunc adimpleta fuit Simeonis Prophetia: & quare Maria tot tantiſque doloribus expoſita fuerit.

Mirum, & vix credibile videtur illud, quod S. Senex Simeon SS. Virgini ſignificavit; vix enim fingi poteſt eum inveniri potuiſſe in tali ſtatu, ut locutionibus adeo duris, & non vulgaribus ſenſus ſuos deberet exprimere; animam videlicet illius quodam veluti gladio eſſe tranſverberandam. Verum ſi nobis licet aliquas cauſſas conquirere, ecce nonnullas, Primum opus fuiſſe, ut virtus præſtantiſſima, qualis erat Mariæ non vulgaribus tentationibus probaretur. 2. Matrem debuiſſe habere perfectam cum Filio ſimilitudinem; & quemadmodum infinitæ erant Filii paſſiones, illas Matris non longe diſſimiles eſſe debuiſſe. Tertie eſt, tribulationes eſſe ornatum, gloriam, & decorem animarum magnarum. *S. Auguſtinus.*

Quæri poſſet, quomodo hæc adeo Sancta creatura, tot gratiis cumulata patere potuerit iiſdem perſecutionibus, quibus obnoxius fuit Filius ejus. Facilis patet reſponſio, nullam extitiſſe mulierem, cujus vita pluribus obnoxia fuerit perſecutionibus præ vita illius. Quid enim paſſa non eſt, donec Salvator vitam hanc mortalem peregit! Caritas ſumma, & amor, quo illum proſequebatur, cauſſa erat, ut maximum dolorem perciperet ex iis, quæ Filio ſuo inimici moliebantur. Judaici populi perfidia, impotentia, & invidia Scribarum, & Phariſæorum, quæ jugiter augebatur, blaſphemiæ, calumniæ; ut miracula, & prodigia, quibus Judæam replebat, haberentur veluti præſtigia & illuſiones. Mors denique illius, ignominiæ, opprobria, contumeliæ, cruciatus ſæviſſimi, quibus laniatus fuit, totidem fuerunt lethalia vulnera, quibus Virginis cor fuit lancinatum. *Idem.*

Cauſſæ dolorum quos paſſa eſt Maria ad Crucem.

1. Amor prima fuit cauſſa martyrii, quod Mariæ cor perpeſſum eſt; ſi enim cor videre non poteſt pati illum quem diligit, quin miſereatur, & ſi doloris magnitudo exæquet magnitudinem amoris ſui, nullum cor unquam perpeſſum eſt crudelius Martyrium, quam cor Virginis hujus innocentis. 2. Cum JESU, & Mariæ corda ex eodem Sanguine coaluerint, Maria ad vivum ſenſit quidquid doloris Filio pepererunt flagella, clavi, ſpinæ, quæ lancinarunt Corpus JESU morientis: hæc enim omnia Matris cor vulnerarunt. 3. Dolores illius adeo acres, & univerſales fuerunt, ut vocata fuerit Martyr, Regina Martyrum, & pluſquam Martyr. Martyres in carne tantum infirma, ac mortali paſſi ſunt, ſed Mariæ anima ſubjecta fuit doloris impreſſionibus; donec Martyrum corpus dilaniaretur, cor eorum conſolatione repletum erat; ſed cor Mariæ plenum erat mœrore. Martyrum ſupplicia diviſa fuerunt; eorumque dolores alii aliis ſucceſſerunt; ſed Mariæ anima doloribus abſorpta fuit, & cor illius amaritudine penetratum, tamquam ſpongia in maris medio. Amabile Cor Mariæ, quod thronus eras amoris, & in abyſſum doloris mutatum es; fac me tui mœroris conſortem! Calvarii ſaxa contrita ſunt; & cor meum nullo afficitur ſenſu? Angeli pacis amare fleverunt, & oculi mei te vident in Cruce animam efflare, quin lacrymam fundant? Mortuorum cadavera de monumentis ſuis prodierunt, & ego adhuc ſepultus ſum in pravorum habituum meorum ſepulcro! Plures Judæi videntes te præ dolore morientem, reverſi ſunt percutientes pectus ſuum, exprimentes dolorem cordis ſui ea triſtitia, quam eorum facies palam ferebat: ſed non dolores tui, non ſanguis tuus, non tua mors ex oculis mei lacrymulam elicuerunt, & cor meum non tetigerunt. *Solitudo Virginum.*

Dolores Filii cauſſa fuerunt dolorum Matris.

JESUS doloribus obrutus, expirans in oculis Genitricis fuit altera cauſſa martyrii, quod cor Matris ſuſtinuit. Non latet, quanta ſit in corde Matris dilectio. Deus, qui præcepit Abrahæ, ut manu propria offerret ſibi, & immolaret filium ſuum Iſaac, pepercit Saræ, noluitque ipſam huic intereſſe Sacrificio, quia cor matrum, majori dilectione repletum eſt, quam patrum: Sed non pepercit cordi Mariæ. Damnavit morte Filium ejus, & illam adeſſe voluit Sacrificio Unigeniti ſui, qui toto Cælo magis, quam Iſaac erat emabilis. Quod amantiſſimæ huic Matri Martyrium, videre Filium ſuum morientem, contemptum, irriſum, flagellis diſcerptum, ſaturatum opprobriis, nudatumque expoſitum carnificibus, & profanis oculis militum! Si Filiæ Jeruſalem miſeratæ hunc amoris Deum bajulantem Crucem ſuam ſequebantur in lacrymas effuſæ, quam dolorem pepererunt clavi, flagella, ſpinæ, quæ totum Domini Corpus, & Caput cruentarunt, in anima Deiparæ? Quo impetu, S. Bernardus ait, torrens paſſionis Filii irruebat in ſinum Matris? Si omnes, ſingulique ſenſus JESU CHRISTI paſſi ſunt ſupplicium ſuum, cultrum ne ex iiſdem ſuppliciis in Mariæ cor non penetravit? O luctuoſum commercium! O triſtis pœnarum communicatio! O cor Mariæ ſpeculum fidele triſtitiæ cordis Filii tui, cur dolorem tuum cum corde meo non partitis? *Idem.*

Graviſſimo dolore torquetur nullum valens afferre ſolatium Filio patienti.

Maria ſub Cruce videns Filium ſuum pati, quin ullum ei afferre ſolatium poſſit, hanc crudeliſſimam putat circumſtantiam Martyrii Filii ſui. Dolorem hunc ſuſtinere non poterat Agar Iſmaelis Mater: cumque eſſet in deſerto, neque ei ſuppeteret, unde aleret Filium ſuum, poſuit illum ad arboris pedem, cumque extremum illi fixiſſet oſculum, mœrore confecta, ſublatis in Cælum oculis recedens exclamavit. Heu! *Non videbo morientem Puerum.* Major quidem fuit Mariæ fortitudo, & conſtantia; ſed

quan.i

quanti hæc illa ſtetit! Quiſnam eſt Matris dolor videre Filium in omnibus Corporis ſui membris ſaucium, quin liceat ipſi vulnera ejus detergere; videre Filii pedes, & manus Cruci ſuffixos, nec poſſe clavos revellere; frontem ſpinis coronatam, & illas auferre non poſſe; caput inclinatum, illudque ſuſtinere non poſſe, oculos cruore ſuffuſos, eoſque non poſſe abluere? Meditamini id, quod cor meum ad vivum ſentit, & lingua mea ſatis non valet exprimere. Salvator obrutus, & exhauſtus ob cruorem ex venis ejus effluentem, triſtem illam vocem emittit, *Sitio*; illi hauriendum præbetur fel cum aceto: nec licet dolenti Matri unica aquæ gutta morientis Filii linguam madefacere! O crudele ſpectaculum! Filius doloribus confectus videt ſub pedibus ſuis Matrem; ab illa videtur; opem poſcit, cupit illa quidem præſtare, ſed illi negatur. Quod Martyrium! O Virgo Sanctiſſima: ecce adimpletum venerabilis Simeonis Vaticinium. Ecce fatalem doloris gladium, tuam animam pertranſeuntem. *Idem*.

Mariæ Virtutes in Calvario.

Maria in Calvarium aſcendens præclarum nobis præbet conſtantiæ, ac fortitudinis exemplum non amplius in creatura ſpectatum. Stat illa juxta Crucem ea animi magnitudine, quæ digna erat Matre Dei. Perpendite omnes heroicæ hujus actionis cæremonias. 1. Virgo erat modeſta, Sancto pudore plena, quæ imperterrita media inter milites incedit, quin obſtupeſcat. 2. Mater erat amantiſſima, quæ recta pergit ad Crucem, cui Filius ſuus ſuffixus erat. 3. Hunc videt, & ab hoc videtur; ibique adſtat uſque ad triſtis, cruentique hujus ſpectaculi finem, quin illam vel minimam animi imbecillitatem præ ſe ferat. Quæ conſtantia! quæ generoſitas! Ubi David audit mortem Filii ſui, paternus amor viri fortitudinem fregit. Regales ædes clamoribus, & ejulatibus perſonuere; oblituſque eſt tot lacrymas tantum viſum dedecere: *Fili mi, Abſalom, Abſalom fili mi: quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te: Abſalom Fili mi, Fili mi Abſalom.* Quinam amor in Patre! Sed quænam imbecillitas in Rege, & in Rege victore Gigantum, & Philiſtinorum! Maria vidit Filium morientem, ſed nil tale in ipſa viſum fuit. Natura univerſa turbata eſt, ut Sacer Textus ait, moriente JESU: Velum Templi ſciſſum eſt, terra tremuit, luna viſa eſt ſanguine ſuffuſa, Sol in Eclypſim incidit: mortuorum monumenta aperta ſunt, & in tanto rerum omnium tumultu Sanctiſſimæ hujus Matris conſtantia labefactata non eſt. Maria dolorum exceſſum ſuſtitnit, ſtetit donec cruentum illud ſpectaculum manſit: excepit extrema Filii ſuſpiria, extremaque verba morientis; audiit ingentem clamorem illum, qui in Cælum uſque pervaſit, & Animam ejus a corpore ſeparavit, quin in queſtus, & ejulatus erumperet, vel aliquid faceret quod illam minus deceret, vel indignum eſſet invicta fortitudine Matris Dei. O quantas vires habet anima, quam ſuſtinet Deus! & quid ferre non poteſt cor, quod per amorem ſuſtinet? *Idem*.

2. Reg. 18.

Maria ſuam præſetulit divinæ voluntati conformitatem juxta Crucem.

Perfecta ſubmiſſio cæleſtibus imperiis fuit virtus altera, quam in Calvario præſetulit Maria, Cordis ſui amor, & innocentia Filii ſui erant illi æquiſſimum querimoniæ argumentum. Matri jus erat conquerendi de crudelitate, qua in Filium ſæviebatur; Matri Sanctæ ſas erat horrere turpiſſimam mortem, qua afficiebatur hominum integerrimus; ſed Divinæ Voluntati ſubmiſſa neutrum fecit. Heu! Nonne præſtitiſſet ſemper ſterilem fuiſſe, dicebat Mater Jacob, & Eſau inter partus dolores, quam vitam dare filiis, qui mihi per hoſce dolores inferunt necem? Maria in Calvario graviores pertulit dolores, quia Mater erat, quam extitiſſent illi, a quibus immunis fuit, cum peperit in Bethlehem; quia erat Virgo. Sed quin quereretur, quinam cum obedientia accepit amarum Calicem Paſſionis Filii ſui! Domine, ad omnia paratum eſt cor meum: junge Filio Matrem; fac, ut moriar doloribus meis finem factura: vel mortem differ, ut meum Martyrium producam. Nimis felix, modo vivens, & moriens victima ſiam obedientiæ! O Deus! Hujuſmodi ſubmiſſio quam præclarum eſt fortitudinis argumentum! Quanti meriti eſt! Quantis remuneratione digna! Sed in Mundo quam rara! *Solitudo Virginum*.

Admirabilis Caritas, quam Maria præ ſtabit juxta Crucem.

Ardentiſſima Caritas fuit tertia virtus, quam Maria oſtendit in Calvario, hæc enim fecit: 1. Ut in locum Filii in Cruce animam exhalantis ſibi Joannem adoptaret. 2. Ut mereretur eſſe Matrem, & hominum omnium Mediatricem; ad illis gratias obtinendas adjiciens Martyrium ſui cordis Sanguini pretioſo Filii ſui. 3. Se extendit ad omnes generatim, & ſingillatim, ne exceptis quidem Filii ſui crucifixoribus; & quin illos execraretur tamquam juſtum iræ ſuæ objectum, pro ſingulis induit viſcera miſericordiæ. Hoc quantum eſt, & quam dignum Dei Matre! *Montes Gelboe nec ros, nec pluvia veniant ſuper vos, quia ibi cecidit clypeus fortium*. Hæc fuit imprecatio Regis Prophetæ poſt mortem Saul, & Jonathæ. Mariæ ſenſus longe ab his abhorruerunt. Illa non maledixit Calvario, qui Filii ſui Sanguine irrigatus eſt; neque concupivit, ut ad illius mortem ulciſcendam de Cælo

2. Reg. 1.

deſcenderet Igneus imber, ſuper mortis ejuſdem auctores: ſed e contra ſeſe Patris Æterni conſiliis conformans, & immenſam Salvatoris caritatem imitans, qui pro Mundo univerſo mortem ſubibat, obtulit mortem illius pro illis omnibus, pro quibus Filius ſuus preces fudit; quin excludere quempiam a beneficio Redemptionis, cæcitatem mentis excuſavit, optavitque videre cor eorum mollitum ad adſpectum rupium, & ſaxorum, quæ contrita fuerunt: obtulit illa dolores ſuos, ac ſe ipſam morti. O amoris, o caritatis exceſſum! Mater orat pro Filii ſui parricidis! illa parata eſt morti ſubeundæ pro illis, qui vitam Filio ſuo abſtulerunt; illa crudele doloris Martyrium patitur, & orat pro auctoribus illius. Non ne hoc præſtantiſſimum eſt caritatis exemplum ſecundum illi duntaxat, quod ipſe JESUS CHRISTUS reliquit? Sed ſenſus adeo nobiles, & generoſi non ne digni erant Matre Dei? *Solitudo Virginum*.

Maria ad Crucis pedem nihil egit indignum glorioſa maternitate.

S. Ambroſius conſiderat Mariam ſub Cruce ſtantem, quæ per maternam pietatem contempſerat pericula, quæ diſcipulos perterruerant. ibi illa nihil egit non dignum Matre Dei. Oculis pietatis contemplabatur Filii ſui vulnera; quia ex triſti hoc ſpectaculo non tam operiebatur mortem Salvatoris, quam Mundi ſalutem Sanguine illius redimendi. Stabat, ſequitur Pater idem, ut ſe ipſam offerret; ac ſi fieri poſſet, aliquid adderet oblationi JESU CHRISTI vitam ſuam pro totius Mundi ſalute offerentis. Tunc procul dubio anima Sanctæ hujus Virginis penetrata fuit gladio, quem illi Senex prædixerat Simeon die Purificationis ſuæ, cum obtulit Templo Filium ſuum. Tacita Vaticinium illud exceperat; ſimulque tacita illud adimpleri videbat tot tantoſque inter dolores pacem ſervans; namque juxta Salvatoris exemplum hauriebat cum ſubmiſſione amarum calicem, quem Deus illi præbebat; & fide naturam roborante quo major erat dolor illius, eo perfectior erat obedientia. Tenerum cor iſtud patiebatur quidquid JESUS CHRISTUS ferebat in corpore per virtutem omnibus naturæ affectionibus ſuperiorem; offerebat illa, & ſacrificabat ſe cum illo, & ſicut ille adorabat Patris Æterni voluntatem, in id unum intenta, ut ſe ſe illi penitus conformaret. *Tourneaux in anno Chriſtiano. Tomo 4.*

Quas ob cauſſas Eccleſia tribuit S. Virgini titulum glorioſum Reginæ Martyrum.

Non ſine cauſſa Mariam Martyrum Reginam vocat Eccleſia; nemo eſt ex illis Chriſtianæ fidei Propugnatoribus qui acerbius præ illa Martyrium ſubierit. Volumus ne æquam concipere ideam paſſionum Sanctæ hujus Virginis; aſſequamur ſi fieri poteſt Magnitudinem, ardorem, & puritatem amoris ejuſdem erga ſuaviſſimum Filium. Tormenta, quæ in corpus exercentur, leniri poſſunt, immo etiam mulceri interioribus deliciis, quas effundit Deus in animam; & inventi ſunt Martyres, quibus inter ardentes flammas non defuit refrigerium non ſecus ac tribus Pueris in Babylonis fornace. Sed longe acerbior eſt plaga, cum ipſa anima gladio tranſverberatur. Tale fuit Virginis hujus Sanctæ Martyrium. *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit*. Maximo dolore conficieris, ait illi Simeon, cum Maria ſecum tulit in Templum Filium ſuum. Contumeliæ, quibus ille ſaturabitur, tibi totidem erunt tamquam ictus gladii, qui in ſinum ſuum infigetur. Mater nunquam amavit Filium, ſicuti Maria Salvatorem dilexit. Non latet, quid Salvator perpeſſus fuerit in vita ſua mortali, quas humiliationes, quam paupertatem, quas perſecutiones, ac Paſſionis ſuæ tempore, quos dolores, quæ opprobria. Hinc conjiciamus quid paſſa fuerit Maria, quæ teſtis fuit eorum omnium, quæ dilectiſſimus pertulit Filius. Nunquam Martyrium adeo prolixum fuit, vita trium ac triginta annorum Salvatoris menſura eſt temporis, quo SS. Matris Martyrium permanſit. *Pater Croiſet Tomo 3.*

Luc. 2.

Quos dolores pertulit Maria, dum Filius duceretur per viam Jeruſalem ad Calvarium.

Attentius, quæſo, ad examen vocemus, quid perferendum fuerit Mariæ tempore Paſſionis, & Mortis Filii ſui Salvatoris Noſtri. Habitus ſemper fuit tamquam cumulus inhumanitatis, & velum ſuppliciorum omnium maximum cogere filios, ut teſtes eſſent tormentorum, quibus eorum Parentes afficiebantur, ac ut morti eorum adeſſent. Hinc intelligere poſſumus quinam paſſionis exceſſus, & quantus dolor extiterit SS. Virgini videre, quanam indignitate, quibus contumeliis, qua ſævitia Salvator raptus fuerit per urbem Jeruſalem, & quo cum ſacrilegio exceptus fuerit apud Sacerdotes, apud Pilatum, & apud Herodem, nec non in omnibus impiis illis Tribunalibus. Sed Maria non patitur ſolum tamquam matrum omnium tenerrima, verum etiam tamquam teneri Mater ſciens Filium hunc ſibi cariſſimum, qui per ſummam nequitiam, ac ignominiam ita coinquinatur, verum eſſe Deum. Dum ſæviſſima illa ſæviret flagellatio, quænam Filio verbera infligebantur, quæ cor, animamque Virginis non ulcerarent? *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 3.*

Quid Maria paſſa fuerit, dum Salvator flagellaretur, & crucifigeretur.

JESUS poſt diram hanc flagellationem, cum vix illi hominis ſupereſſet figura, oſtenditur populo ad ciendum in illo ſenſum aliquem miſerationis: &

populus hic humani generis horror, & execratio ferarum inſtar magis ſitit illius Sanguinem, elataque voce clamat, crucifigatur. Quam impreſſionem peperit in corde afflictiſſimæ Parentis objectum adeo triſte, & quos pugionis ictus in cor ejus barbari clamores illi pertulerunt! Tamen in æterni Patris conſiliis ſatis non eſt, quod S. Virgo cruento dilectiſſimi Filii ſui Sacrificio conſentiat; adſit, oportet; propriis oculis illum videat viribus, & Sanguine exhauſtum, ac ſub Crucis ſuæ pondere fatiſcentem. Audiat, oportet, omnes ictus malleorum, quibus configuntur clavi pedes manuſque ambas, illius terebrantes. Videat, oportet, illum in Cruce ſublatum, & in hac Cruce probris, & contumeliis affectum, tandem in Cruce hac, & inter acerrimos, ſæviſſimoſque dolores animam efflantem. Quæ vulnera, quæ tormenta, quinam dolor in JESU, quem Mater hæc non paſſa fuerit in anima! Nonne citra miraculorum omnium maximum Matri huic præ dolore coram Filio moriendum erat? Vel ſaltem poterat ne illi ſuperſtes eſſe? Ullum ne extitit unquam Martyrium majus hoc, quod propter amorem noſtri paſſa eſt Virgo Sanctiſſima? Quinam autem æquior titulus, ac melius partus, quam Reginæ Martyrum? Num reminiſcimur illam propter noſtræ ſalutis amorem tanta cum ſubmiſſione, ſilentio, & ſine querela pati? Quos amoris ſenſus caritatis, & gratitudinis fovere nos decet erga Dei Matrem, quæ ut ita dicam gloriæ ſibi vertit, noſtram quoque eſſe Matrem? *Idem ibidem*.

Qua in occaſione inſtituta fuerit feſtivitas dolorum Mariæ.

Pars, quam in Paſſione, & Morte divini Filii ſui, habuit Deipara, cujus illa omnes dolores pertulit, omnia opprobria, quibus ille ſaturatus fuit, omneſque amaritudines, quibus anima ejus fuit repleta, occaſionem præbuerunt piæ ſolemnitati, quam celebrat Eccleſia, ſub titulo dolorum B. Virginis feria ſexta poſt Paſſionis dominicam. Ratio illa pathetica, qua SS. Patres, de illa verba faciunt, teſtis eſt venerationis, & pietatis ſingularis, qua Fideles omnibus temporibus coluere divinæ hujus Matris amaritudines, quæ in cauſſa fuerunt, ut ab Eccleſia decoraretur titulo *Regina Martyrum*: quæ omnia ſatis probant ſenſus pietatis, & gratitudinis, quos ſemper fovit Eccleſia erga internos dolores hujus Virginis univerſorum Dominæ, ab illis Filii ejuſdem inſeparabiles. Propter nos illos paſſa eſt, quemadmodum Salvator ipſe propter amorem noſtri illos ſubierat. Igitur teterrimum eſſet in nobis ingrati animi vitium, ſi participes eſſe detrectaremus dolorum Matris hujus triſtiſſimæ, quæ non ſecus ac Filius ſuus pro nobis, & cauſſa noſtra ſuſtinuit. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 3.*

S. Virgo per eos dolores, quos pertulit in morte & Paſſione Filii ſui, nos ad Crucis pedem peperit.

Maria peperit divinum Filium ſuum ſine dolore, ſed non niſi inter dolores acerrimos Paſſionis, & Mortis hujus Filii ſui, facta eſt Mater noſtra per hæc verba Salvatoris ipſius ad dilectum Diſcipulum ſuum: *Ecce Filius tuus, ecce Mater tua*. In Calvario, ad Crucis pedes, inter tormina, ut ita dicam, doloris acerrimi, qui uſquam extiterit, Salvator expirans in Cruce hæc protulit verba: & cum S. Joannes e Patrum ſententia omne humanum genus repræſentaret: Salvator in hujus Diſcipuli perſona declaravit omnibus S. Virginem eſſe Matrem noſtram; nobiſque omnibus præcepit, ut tamquam Matrem haberemus, coleremus, diligeremus eique famularemur ea reverentia, confidentia, affectu, & obſequio, quod pro tali Matre fovere debent illi, quibus contigit in filiorum ejus albo connumerari. *P. Croiſet ibidem*.

Compati debemus doloribus Mariæ in Paſſione Filii ſui.

Miſeratio jejuna, & mere theoretica parum movet; Dolentis perſonæ triſtitiam partiri, eſt iiſdem vere affici. Si Salvator patitur, ac moritur pro ſalute noſtra; propter amorem noſtri Beatiſſima Virgo patitur adeo prolixum, & crudele Martyrium. Quæ durities! quæ nequior ingratitudo, quam non affici iis doloribus, quos S. Virgo cauſſa noſtra ſuſtinuit! Nobiſmet tantam exprobremus ſævitiam. Heu! quis cogitat colere, ac gratias agere SS. Virgini pro iis, quæ paſſa eſt pro nobis? Quot moriuntur, qui ne id ne cogitaverint quidem! Irreligioſam hanc oblivionem reparemus zelo, quo impoſterum peculiariter venerari debemus qualibet pietatis praxi feſtum diem dolorum SS. Matris ab Eccleſia conſtitutum. Singulari veneratione proſequamur omnia doloroſa Myſteria hujus Reginæ Martyrum, ut ſaltem mereamur gratiam protectionis ſuæ in fatali maximæ noſtræ neceſſitatis articulo, quo indigebimus præſertim interceſſione illius, cum nobis prodeundum erit ad terribile Tribunal Filii ipſius. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 3. recens Auctor*.

S. Virgo incepit pati ab eo momento, quo Simeon prophetavit.

Ambigi nequit quominus SS. Virgo perfecte edocta fuerit Redemptionis noſtræ Myſterium; ex quo facta eſt Mater Salvatoris, & omnes illius circumſtantias exploratas habuerit. Cum Pater Æternus elegiſſet illam in Filii ſui Matrem, conceſſerat illi ſuper hunc Filium jura omnia, quæ habere poteſt Mater in Filium ſuum. Fuit igitur opus, ut Morti illius, & Sacrificio aſſentiretur pro hominum ſalute. Hoc fuit Sacrificium illud quod fecit cariſſimi Filii, cum obtulit illum Templo, ubi Simeon Propheta portendit illi futurum ut Filii paſſio ſimul eſſet Paſſio Matris. *Ecce poſitus eſt in Signum, cui contradicetur*: Videlicet Judæi quodammodo ſimul diſputaverunt, quiſnam majoribus contumeliis, & opprobriis Meſſiam conquinaret. Fiet ille præcipuum objectum odii, & crudelitatis eorum: *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; tu vero Mater animam habebis gladio confoſſam, videlicet tu inde graviſſimum dolorem percipies. Contumeliæ quibus Filius tuus dedecorabitur, totidem erunt veluti pugionis ictus, quibus cor tuum tranſverberabitur. Dolor, quem inde percipies, morte ipſa erit acerbior, & ſi minus una cum Filio tuo morieris, toties eris moritura, quoties Filium tuum patientem videbis. Per amorem noſtrum Mater iſta admirabilis, iſta dolorum Mater conſenſit morti Filii ſui, & haud ægre excepit dolores, quos ipſi allatura erat Paſſio, & Mors hujus Filii, quem unice diligebat pro generis humani ſalute. Nunquid æquum erat, ut nobis Paſſionem, Mortemque celebrantibus Salvatoris hominum, una ſaltem dies conſecraretur ad celebrandam Paſſionem Virginis, & Matris adeo amabilis? *Pater Croiſet in Aſceticis Tomo 3.*

Luc. 2.

Ibidem.

Maria paſſa eſt in corde quidquid J. C. paſſus eſt in corpore.

Bern. Carnot. de laud. Virg.

Mente aſſequi non licet, quid S. Virgo fuerit perpeſſa tempore Dominicæ Paſſionis, & mortis; hoc autem propter ſalutem hominum. *Omnino unum erat CHRISTI, & Mariæ holocauſtum. Ambo pariter offerebant; hæc in ſanguine cordis; ille in Sanguine carnis.* Amor compatiens in Matris anima operabatur, quod clavi, flagella, ſpinæ, & lancea in corde adorabilis Filii. *Vicit ſexum, paſſa eſt ultra humanitatem*. Addit idem Auctor: quia magis torquebatur paſſionibus Filii ſui, quam ſi eadem paſſa fuiſſet in ſe; quandoquidem magis, quam ſe ipſam amabat Filium hunc ſibi cariſſimum, cauſſam dolorum ſuorum. Hac eadem de cauſſa S. Hieronymus ait, alios fuiſſe Martyres, quia pro JESU CHRISTO mortui ſunt, Mariam autem Martyrem ſuper alios fuiſſe, morientem cum JESU CHRISTO. *Martyres alii fuere moriendo pro CHRISTO: Hæc commoriens CHRISTO Martyr fuit*. *Idem*.

Idem.

D. Hieron.

Mariæ dolores tanti fuerunt, ut unus tantum ſatis fuiſſet ad mortem unicuique inferendam.

S. Bernardinus Senenſis animo reputans dolorem extremum, quem Paſſionis tempore SS. Virgo paſſa eſt, ait, tantum fuiſſe, ut *ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, divideretur, omnes ſimul interirent*, Filius tuus, Virgo Sancta, Divus exclamat Bonaventura, paſſus eſt in Corpore, tu vero in anima tua: Sed omnia vulnera in ſingulos Corporis ejuſdem artus diviſa ſimul collecta inveniuntur in corde tuo. O ſuaviſſimum Cor Mariæ! cur mihi mutatum es in abyſſum amaritudinum, & dolorum? Quos amoris, venerationis, doloris, & gratitudinis ſenſus fovere debemus, conſiderantes Sanctum Cor iſtud mutatum in pelagum amaritudinis? *O ſuaviſſimum Cor amoris! aſpicio cor tuum, & jam non eſt cor; ſed fel amarum, & abſynthium*: Hujuſmodi ſenſibus religioſis mœroris, admirationis, & gratitudinis Sancti coluerunt dolores, & Paſſionem Deiparæ; iiſdemque nos quoque ad eorum exemplum eos honorare debemus. *P. Croiſet in Aſceticis Tomo 3.*

Simeonis verba ad Virginem.

S. Simeon dixit Mariæ: *Tuam ipſius animam pertranſivit gladius*. Prophetæ Vaticinium adimpletum eſt. Ut de hac re vobis perſuaſum ſit, meminiſſe ſatis eſt, Mariam ſtetiſſe prope Crucem Filii ſui, nunquam ab illa receſſiſſe, ac Matrum omnium fuiſſe teterrimam. Ex amore doloris exceſſum arguite; dum Filius ſuus digna indignaque omnia perferret. Perſecutiones acerrimæ, ictus violentiſſimi, crudeliſſima tormenta nihil habent, quod cum doloribus ejus valeat comparari; & non ſatis apte exprimuntur, cum dicimus animam ejus tamquam gladio fuiſſe confoſſam. *Lambert in anno Evangelico Tomo 1.*

Propheta prædixerat dolorem quem aliquando Virgo erat perpeſſura.

Liquet S. Senem Simeonem portendiſſe Mariæ Virgini extremum dolorem, quo erat conficienda in morte Filii ſui, & ipſam ex hac prædictione cognitionem obtinuiſſe explicitam, atque certiſſimam eorum, quæ erant eventura in obitu Salvatoris, & quorum dolorem acerrimum ipſa perceptura erat in corde ſuo. Hoc illi jam erat compertum ſeu per Dei revelationem, per Bibliorum lectionem, quæ palam de Salvatoris morte loquuntur, ſeu quia Prophetiæ Spiritu erat prædita. Sed hæc Simeonis verba ceteris luminibus lucem attulere, atque ex illo tempore in anteceſſum vidit quidquid erat paſſura in Calvario, quod non longe aberat. Providentia, quam auſtera es Matri Dei tui! Si illam deſtinas hos dolores ſubituram; cur non abſcondis enſem, qui tot tantaque vulnera illaturus eſt; cur mentem illius adeo funeſtis Vaticiniis perturbas? *Birons in Myſteriis Virginis Mariæ*.

Maria parata erat perferendis doloribus, quibus conficienda erat in morte Filii ſui; ideoque dolores illius quam acutiſſime perduraturi.

Cum Martyr vitam fundit propter JESUM, unum duntaxat peculiare tormentum ſubit. Caput illi amputatur; cor gladio configitur; ſemel moritur, momento ſupplicium ejus prætervolat; ſed cum Martyrio ſe præparat, diſpoſitio hæc ſe ad omnia extendit ſupplicia; ex toto hoc temporis ſpatio patitur, ac dici poteſt, hic toties mori, quoties morti ſubeundæ præſto eſt. Hinc Deus videns corda fidelia, ac generoſa, quæ deſtinavit ad ſubeundos propter gloriam ſuam cruciatus, ipſis aperit pœnas, & mala, quæ ſunt perpeſſu-

peſſu-

peſſuri, ut libenter illa ſuſtineant, ut ſuſtineant illa etiam antequam tempus eorumdem ſuſtinendorum adveniat, ac tantundem gloriæ es animi ſui præparatione recipiant. JESUS crucifigendus eſt, abſolutiſſimam habuit mortis ſuæ cognitionem a primo vitæ ſuæ articulo. Maria particeps futura eſt dolorum ejus; particeps quoque ſit cognitionum illius. Deus mittit Prophetam ad eam, a quo ipſi gladius oſtendatur, quo eſt vulneranda. Quem illa percipit fructum ex hac prædictione, & funeſtis hiſce luminibus? illa dolori ſe præparat, & offert cor ſuum huic gladio. Ipſe Prophetiæ terminus hunc incipit ſenſum. Oraculum eſt quod hinc quidem repræſentat dolorem, quem præſtolatur, inde vero addit lenimentum, & cauſam, propter quam illum ſubire tenetur. *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit*. Gladius eſt; ecce dolor, ſed eſt gladius JESU, ecce ratio lenimenti: *Ipſius* eſt gladius JESU, quia hic doloris ſubjectum eſſe debet, & cauſa. Ratio lenimenti eſt, quia illa pati debet ad conſpectum tormentorum illius; quæ miſeratio de corpore Filii in Mariæ cor traducit. Quam graves ſunt dolores Matris, quandoquidem ſunt iidem ac Filii! Quam amabiles ſunt dolores Matris, quandoquidem Filius eos gignit in Matre. *Ipſius*. Hic Virginis gladius eſt, quia mortis JESU ſit particeps; ſed propter amorem ſibi, mater has plagas recipiet: Quam glorioſa hæc ſunt vulnera! *Ipſius*; Sed hic erit Mariæ gladius, efficiet enim ut aliquando ad filii exemplum mater patiatur. Videt illa ex primo ipſo vitæ momento JESUM compertum habere Patris ſui decretum, quo mori jubetur. Ipſa vero ſe exhibet futuram victimam per hæc verba: exhibeo tibi in anteceſſum cor meum ad excipiendas omnes indignationis tuæ plagas, mihi corpus aptaſti, ut eſſet tibi victima, Deus meus, hoc a Providentia tua recipio, & ex hoc temporis momento offero tibi corpus hoc, & cor ad recipiendas omnes impreſſiones dolorum, quos mihi inferre tibi placuerit. *Bireat in Myſteriis Mariæ Virginis*.

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

VITÆ MARIÆ VIRGINIS

poſt Mortem Filii ſui ad Suam.

Maria ſemper conjuncta fuit Filio ſuo per amorem Sanctiſſimum.

JEſus Chriſtus aſcendens in Cælum reliquit Matrem ſuam in terris, ut præſentia ſua ſolatium fidelibus afferret, eoſque exemplorum ſuorum Sanctitate ædificaret. Sed hæc ſeceſſio nequaquam fregit arctiſſimam conjunctionem quam, amor Matrem inter & Filium pepererat. Hæc illi conjuncta fuit Spiritu, unum illum omnium cogitationum ſuarum argumentum proponens: Illi conjuncta fuit actionibus, propter illud duntaxat agens. Illi conjuncta fuit corde illum unice diligens. Illi conjuncta fuit ſublimi contemplatione, ne uno quidem momento a divina ipſius præſentia recedens, Si enim Moyſes in fervore orationis ſuæ facie ad faciem cum Deo collocutus fuit: Si Religionis noſtræ primus Martyr vidit Cælum apertum, & Filium Dei ſtantem ad dexteram Patris: Si S. Paulus uſque ad tertium Cælum raptus fuit; ſi dilectus Diſcipulus per extaſim vidit Majeſtatem Dei Virginibus illam quocumque ſubſequentibus ſeptam, & magnificentiam cæleſtis Jeruſalem, cujus eximiam nobis hypoſtaſim exhibet: quoties Maria, quæ a primo Conceptionis ſuæ momento Deum vidit, juxta complurium Doctorum ſententiam, cum illo facie ad faciem collocuta eſt, donec in terris permanſit? Quoties illi patuit Cælum, ut ibi theſaurum ſuum proſpiceret? quoties in Spiritu rapta fuit uſque ad Solium, ubi ſedet Filius ſuus, & viſa fuit princeps Virginum quocumque ſequentium illum, cujus eſt Mater: Nonne dicere poſſumus illa interdiu, illa noctu occupata Filio ſuo, hunc effectum fuiſſe animam, & vitam cordis ſui? O quam beata vita eſt cordis de Deo tantum, & cum Deo viventis! Quandonam fiet, Domine, ut cor meum tibi penitus adhærens non niſi vivat de te? *Ex Solitudine Virginum*.

Sanctus hic amor nutritus, & auctus fuit uſu Sanctiſſimæ Communionis.

Frequens Communio fuit divinum alimentum, quod ſervavit conjunctionem, quam amor inter cor JESU, & Mariæ fecerat. Naſcentis Eccleſiæ fideles perſeverabant, S. Lucas ait, in communione fractionis panis. Maria quæ omnibus præcellebat fervore, & amore, recipiebat quoque ſingulis diebus Corpus adorabile, & pretioſum Filii ſui Sanguinem, ſed qua fide, qua reverentia, qua devotione particeps fiebat auguſtiſſimi hujus Sacramenti? Quas extaſes, quos amoris impetus experiebatur, poſtquam eodem Sinu receperat eum, quem eodem conceperat? Conſiderate hoc in loco Eccleſiæ, Sanctorumque Patrum ſententiam eſſe, hoc idem eſſe Corpus, eumdemque Sanguinem, quem Dei Filius accepit a Maria, quod ipſi colimus, & in Euchariſtico Sacramento recipimus. Nonne enim S. Auguſtinus ait, caro, quam manducamus ad ſacram Menſam accedentes, caro eſt, quam a Maria Dei Filius accepit? Nonne docet S. Joannes Damaſcenus, Corpus Salvatoris, quod formatum eſt ex Sanguine Mariæ, & quod eſt in Cælo dari nobis in hoc amoris Sacramento? Nonne Eccleſia adorat in Hoſtia Corpus Filii Dei natum ex Virgine illius Genitrice? Heu! Quis unquam exprimere poſſet quibus amoris, ac venerationis ſenſibus illud Maria in communione reciperet? Qua cum voluptate cum illo colloqueretur; quo fervore ſe ſe illi conjungeret; quo gaudio præteriti memoriam recoleret, quomodo illum Sinu caſto receperat, quomodo illum lacte Virginali nutriverat, quomodo illum inter ulnas geſtaverat, quomodo ultro citroque ſexcenta illi dederat, & ab illo receperat oſcula. O JESU! O Fili mi! O Corpus adorabile Salvatoris mei factum impaſſibile, & immortale; felici hoc momento me recipientem te, nihil unquam a te poterit ſeparare. O me beatam quo fecerim, & aluerim corpus, quod factum eſt pretioſum alimentum animæ meæ! Per jugem auguſti hujus Sacramenti frequentationem Sanctiſſima Virgo ſtrenue ſemet roboravit inter adverſitates, quibus vita noſtra eſt obnoxia. Per illam ſeſe intimius Filio, Deoque ſuo ſe ſe conjungens patienter expectavit tempus, quo cum illo in omnem æternitatem erat conjungenda. Hæc ſpes omnes erant ejus deliciæ; hæc jugiter occupabat Spiritum ejus, eamque ineffabilibus conſolationibus replebat, omnibus vitæ momentis; hæc illam adducens ad beatum hunc terminum tandem obtinuit perfruitionem ſuaviſſimorum amplexuum Filii ſui in omnem æternitatem. *Ex libro de Solitudine Virginum*.

Magna Mariæ voluptas erat inviſere ſancta loca.

Ardentia deſideria, quibus Maria videre cupiebat oculis ſuis, & ſine ullo integumento adorabile Corpus JESU, quod non niſi ſub myſticis Panis, Vinique Symbolis intuebatur, fuerunt fideles interpretes cordis ſui, quod toto vitæ ſuæ ſpatio ſacrum aluit commercium, quod habuit cum Filii ſui corde. Frequens communio hæc ferventis deſideria ciebat. SS. Locorum præſentia, quæ identidem inviſebat, augebat illa, frequentes Viſitationes, quibus colebatur ab Angelis a Filio ſuo ad illam miſſis, illa inflammabant. Quis exprimere poſſet teneros cordis ejus affectus ad conſpectum venerabilium Redemptionis noſtræ monumentorum, quæ Salvatoris miracula, & præſentia decoraverant? Heu! exclamabat illa, ex puriſſimis Sanguinis mei guttis efformatum Corpus hoc adorabile, quod in omnem æternitatem erit Sanctorum, Angelorumque lætitia. Ibi primum vidi æternum Verbum indutum infirmitate carnis meæ. Ibi eidem ſexcenta caſta oſcula fixi. Hic in Cruce animam exhalavit. Ecce monumentum, in quo Corpus ejus unguentis illitum collocavi. De montis hujus vertice victor Mortis, de hoſtibus agens triumphum, ſecum vehens animas Patriarcharum in Cælum aſcendit. O meum cor! Quid igitur adhuc facis in terra? O Fili mi! Cur non trahis Matrem tuam tecum? Felix antrum Bethlehem, pretioſa columna, Crux adorabilis, quæ adhuc ejus Sanguine rubes. S. Olivarum mons, ubi adhuc aliqua video Filii mei veſtigia, quanta voluptate de te cogitans perfundor! Quam ſuavia ſuſpiria in Cælum jaculabatur, qua feſtinatione dicebat Angelis ad ſe a Filio miſſis, ite, atque eſtote fideles votorum meorum interpretes; revertimini, & dicite dilecto meo, quod amore langueo? Quot modos cor diligens Deus invenit, ut ſe illi conjungat! Ne unum quidem diei momentum præterire ſinebat Virgo Sanctiſſima, quo ſe Deo non conjungeret, quem ſciebat eſſe præcipuum æternæ ſuæ felicitatis objectum. *Ex libro, cui titulus: de Virginum Solitudine*.

Quid fecerit ſancta Virgo annis tribus, & viginti quibus vixit poſt Aſcenſionem Filii ſui.

Maria poſt Salvatoris Aſcenſionem, & Spiritus ſancti deſcenſum tres & viginti annos dixit. Licet ardens, ac vivum eſſet divinæ hujus Parentis deſiderium ſequendi in Cælum ſuaviſſimum Filium ſuum, adhuc in terra permanſit propter naſcentis Eccleſiæ, & Fidelium conſolationem. Opus erat, ut ejus præſentia ſuppleret quodammodo abſentiæ corporali JESU CHRISTI. Auctoritas, qua gaudebat in Cælo maxime erat utilitati fidelibus, qui erant in terra primis temporibus

per-

perſecutionis; nihil magis eorum fidem confirmabat, quam ſcire Mariam adhuc vivere. Hæc eorum erat Oraculum, refugium, præſidium. Virtutem eorum ſolidabat, & zelum animabat. Doctores docebat, Sapiens inquit Idiota, & Apoſtolis ipſis Oraculum erat: *Doctricem Doctorum, Magiſtram Apoſtolorum:* & Rupertus Abbas aſſerit, illam quodammodo ſuppleviſſe doctrinis ſuis eas, quæ Spiritus ſanctus, qui, ut ita dicam, in menſura tantum tradiderat Apoſtolis, atque Diſcipulis, & quas e re non cenſuerat illis aperire; & S. Patres teſtantur, a Maria potiſſimum S. Lucam hauſiſſe peculiares circumſtantias pueritiæ JESU CHRISTI, ideoque dici in Evangelio, quod *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Pater Craiſet.*

Luc. 2.

Idem ſequitur argumentum.

Tota Sanctiſſimæ Virginis per hos annos tres ſupra viginti vita non aliud fuit, niſi exercitium juge amoris puriſſimi, perfectum omnium virtutum exemplar, oratio non intermiſſa, & oratio hæc extaſis perennis. Sæpe inviſebat Sancta loca, quæ Salvator ſanctificaverat præſentia ſua Myſterium noſtræ Redemptionis adimplens. Quamvis divina hæc Mater in terris eſſet, cor tamen ſeparatum non erat a corde cariſſimi Filii, qui erat in Cælo. Pauci elapſi ſunt dies, quibus JESUS CHRISTUS non apparuerit illi; nullus, quo cum Angelis familiariter non verſaretur, iis vero potiſſimum, qui ad inſerviendum ei erant deſtinati, & quamvis procul eſſet a Cæleſti Jeruſalem, dum permaneret in terra, omnibus tamen illius deliciis affluenter perfruebatur. *Idem.*

Virgo Maria, & Apoſtoli Jeroſolyma decedere tenentur propter perſecutionem Judæorum.

Duodecim fere anni erant, quibus Maria Jeroſolymæ permanebat, cum Apoſtoli, atque diſcipuli inde egredi coacti fuerunt propter perſecutionem a Judæis illatam fidelibus. Si admirabiles Evangelii progreſſus illam cumulabant lætitia, lætitia hæc mixta erat dolore, quem furor Judæorum Eccleſiam perſequentium ciebat. Maria Jeroſolyma excedens cum S. Joanne ſe contulit Epheſum; & ubi paullo perſecutio deferbuit, rediit Jeroſolymam, ubi in reliquum vitæ ſpatium permanſit. Interim Apoſtoli fidei lucem in univerſum ferme terrarum orbem pertulerant, & Eccleſia jam ubique locorum ſolide conſtituta, tempus erat, ut Maria terram relinqueret, eamque velut exilii locum reſpiceret. Jam optabat illa felix illud momentum, quo iterum conjungenda erat cum dilectiſſimo Filio, cum Gabriel Angelus illi diem, & horam triumphi ejuſdem nunciavit. Cum ob ſingulare privilegium ſemper extitiſſet immunis ab originali peccato, & ab alia quavis criminis labe in vita ſua, obnoxia non erat morti, quæ eſt peccati pœna; ſed cum JESUS CHRISTUS ſe ſe morti ſubjecerit, noluit Maria ſe eidem ſubripere. *Idem.*

Amor paupertatis in Maria.

Oportebat, ut Maria unice paupertatem diligeret, quandoquidem eo tempore, & apud eam Nationem dilexit illam, ubi terræ adeps magis, quam Cæli ros cupiebatur... Erat unigenita, ſpes, ac præſidium totius familiæ, unica hæres SS. Joachim, & Annæ divitum, qui partem divitiarum ſuarum in alimoniam Sacrorum Miniſtrorum Templi impendebant, & in inſignes eleemoſynas erogabant. Sed ut paupertatem coleret, corde a ſuis opibus avulſo, quam iis frueretur, illam tenere amavit in tota vita, neceſſarium ſibi tantum reſervans, ſimplici, frugalique utens victu cum S. Joſeph, & nutriens filium JESUM labore manuum ſuarum. Quæ generoſitas! quæ animi magnitudo! Sed quæ Mariæ gloria dicere poſſe, ad exemplum Filii ſui ab ultima uſque pueritia ſe amaviſſe paupertatem, & ſicut ipſum, vixiſſe pauperem, & ſicut ipſum pauperem obiiſſe! O quam amabilis eſt paupertas: quoniam fuit objectum amorum JESU, & Mariæ, fuitque pulcherrimum ornamentum Regis, & Reginæ hominum, & Angelorum. *Ex libro de Solitudine Virginum.*

Ejuſdem argumenti.

Cum Mariæ perſuaſum eſſet, divitiarum amorem fontem eſſe omnium vitiorum, ipſa dilexit paupertatem tamquam Virtutum Reginam, tantaque dilectione eam proſequebatur, tamquam ſi Mater fuiſſet ſua. Non ſatis eſſe putans obtuliſſe Deo omnium bonorum ſuorum proprietatem, ſacravit illi arborem, & fructus, avulſit cor ſuum ab amore divitiarum, & abrenuntians cupiditati earumdem poſſidendarum pauper fuit profeſſione, & affectu, confidens in Dei Providentia, cui curæ eſt paſcere volucres Cæli, & qui oblectatur induere magnificentius agrorum lilia, quam umquam in gloria ſua Salomon fuerit indutus. Obtulit Deo ſuperfluum rerum earum, quibus uti licebat, fuit pauper in cubiculo, pauper in cibo, pauper in indumento. Illi ſua ſacrificavit deſideria, ſua jura, ſuam ſpem. O quam pretioſa Virtus eſt paupertas! quam felix eſt anima, quæ relinquit omnia, quæ ſperare poteſt, & reddit quidquid poſſidet Evangelicam hanc ſibi Margharitam comparatura. *Ex eodem libro.*

Ejuſdem argumenti continuatio.

Maria paupertatis perfectionem ad extremum uſque apicem evexit. Amavit paupertatem, & paupertatis effectus, contemptum, neceſſitatem, incommoditatem, quas aſceticæ vitæ Magiſtri tres paupertatis filias appellant; videlicet amans quidquid in hac virtute moleſtius, & durius eſt, ſuperfluum, & commodum abſcidit; hilari animo, neceſſarium ſibi deeſſe paſſa eſt: negata ſibi domus in Bethlehem, quia pauper erat; par turturum, quod obtulit ſe ſe in Templo purificans, hoc enim erat Sacrificium pauperum: opulenta Magorum munera ita pauperum manus effuſa; ſtabulum, quod elegit, ubi Dei Filium in lucem daret; lintea, quibus illum involvit, præſepe, quo velut incunabulis uſa eſt, paleæ, ubi puerum depoſuit, nonne apertiſſima ſunt indicia amoris ſummi, quo paupertatem proſecuta eſt? Vulpes ſua habent cubilia, & aves Cæli nidos ſuos; Maria vero adeo pauper eſt, ut coacta fuerit commodatum accipere a beſtiis antrum obſcurum, ac tetrum, ut ibi pareret Solem Juſtitiæ. Quænam fuit Sanctiſſimæ huic Virgini conſolatio, ubi paupertatem delicias ſuas, vidit in honore habitam, & ſanctificatam in Incarnati Verbi perſona! *Ex libro, qui inſcribitur: Solitudo Virginum.*

Obedientiæ Amor in Maria.

Poſt JESUM CHRISTUM nemo melius Maria Obedientiæ pretium agnovit; nemo poſt illum vehementius amavit. Profitens imitari obedientiam Filii ſui per hoc Sacrificium ſuam ſacrificavit libertatem, obtulit quidquid ſibi erat pretioſiſſimum, & toto vitæ ſuæ curriculo fuit Obedientiæ victima. Obedit omni hominum generi, Sacerdotibus, ſacratiſque Miniſtris per annos undecim, quos in Templo commorata eſt; S. Joſeph quoad ſimul vixerunt, obſequens illi, ac ſe ſe eidem ſubjiciens tamquam Sacræ Familiæ capiti; Deo in omne vitæ ſuæ ſpatium, tamquam Auctori eſſentiæ ſuæ, & Regulæ actionum ſuarum. Hoc pacto obedire nonne hoc eſt eſſe victimam Obedientiæ? Sed quomodo poterat non amare virtutem hanc, quando hic fons eſt omnium Magnalium ipſius? Eva per inobedientiam periit in terreſtri Paradiſo, ac pereundo nos quoque perdidit univerſos. Maria vero per obedientiam ſuam ſalvavit ſe, ac ſalvans ſe vitam tribuit omnibus. Per hanc Mater Dei facta eſt, per hanc pacem Cælum inter ac terram compoſuit; per hanc Creatori ſuo novam contulit vitam, ac novam eſſentiam: *Fiat mihi ſecundum Verbum tuum.* O admirabilem obedientiæ virtutem, quæ vim tribuit Virgini geſtandi in Sinu ſuo illum, qui duobus digitis terræ pondus ſuſtinet. Quis non amet virtutem, quæ creaturæ jus præbet imperandi Creatori ſuo, & quæ Creatorem creaturæ ſubjecit. *Ex Solitudine Virginum.*

Luc. 1.

Obedivit Maria ergo omnes.

Verum in quo paruit Maria? in omnibus eodem cum amore, quo paruit omnibus perſonarum generibus: 1. Paruit in iis, quæ ipſi magis erant incommoda. 2. Paruit in iis, quæ erant duriſſima, & objectiſſima. 3. Paruit legi in iis, quæ erant Virginis puritati contumelioſiſſima, & Matris amori maxime oppoſita. 4. Paruit edicto Cæſaris Auguſti media hyeme, & cum nonum jam menſem ventrem ferret; Quid hoc magis incommodum? Diſceſſit in Ægyptum profectura in ſumma aeris inclementia, & arcta commeatum inopia, quid hoc durius? Se ſe ſubmiſit Legi Purificationis ſolis mulieribus irrogatæ, quid Virginis puritati contumelioſius? Obtulit Filium ſuum morti, ut faceſſeret mandata Patris æterni; fuit ne unquam Sacrificium magis oppoſitum Maternæ dilectioni?... Amaviſſe obedientiam eo pretio, quo illam amavit Maria, non ne eſt pretio cariſſimo obediendi voluptatem ſibi comparare? Sed voluptas efficiendi voluntatem Dei, nonne omnem mulcebat hujus obedientiæ amaritudinem? *Ibidem.*

Ejuſdem argumenti.

Denique modus, quo Maria ſemper obedivit, apertiſſimum eſt amoris, quo obedientiam complectebatur, argumentum. Etenim ſi, ut ſis obediens, obediendum eſt tibi cum celeritate, cum ordine, cum voluptate, cum conſtantia, cum pura, rectaque Deo tantum placendi intentione, nulla umquam obedientia perfectior fuit Sanctæ Virginis obedientia. Præſto, ut cæteris omnibus Cæli nutibus obſequeretur, non ne nocte concubia ſurrexit, ut in Ægyptum eodem cum fervore confugeret, quo inde egreſſa eſt? Nonne eadem alacritate paruit Edicto Cæſaris, qua legi Moyſis? Fidelis in ſequenda voluptate Dei pro vitæ regula, non ne deſideria ſua accommodavit tempori præſcripto, quin momentum vel maturaret, vel moraretur? Finem imponens Sacrificio vitæ ſuæ, quemadmodum illam inceperat: nonne dicere poteſt cum Filio ſuo, a quo præclaram hanc virtutem hæreditatis quodammodo jure acceperat: Domine, toto vitæ meæ ſpatio ea feci, quæ tibi placita erant, & fui *Obediens uſque ad mortem*... O beata Nativitas! O ſancta Vita! o pretioſa mors Virginis, quæ cum Maria dicere poteſt a primo vitæ ſuæ momento ſe conſecraſſe Deo, ſe ad extremum uſque ſpiritum obtemperaſſe, ac viventem, & morientem victimam Obedientiæ extitiſſe! *Ex Solitudine Virginum.*

Puritatis amor in Maria.

Quamquam Maria virtutes omnes dilexerit, tamen puritas, abſit invidia verbo, amica fuit virtus illius, & cordis ſui deliciæ. Illam dilexit tamquam virtutem, quæ in maximum ſibi honorem ceſſit, & quam ipſa præ ceteris coluit. Illam dilexit tamquam virtutem, cui debet auguſtiſſimam Matris Dei qualitatem, cum enim ille ſit princeps Virginum, non niſi ex Matre Virgine poterat naſci. Illam dilexit tamquam virtutem, quam ipſa magis quam ceteras coluit; dicere enim poſſumus puritatem eſſe fructum, & beatam Mariæ productionem; ipſam enim prima fuit, quæ efficeret, ut Angelica hæc virtus amaretur, & coleretur, cum antea in terris contemneretur. Hæc recens eſt oblatio, & novum

vum Sacrificium, quod amor ejus invenit. Quinam honor puritati! Sed quæ gloria Virgini fragilis ſexus, decoræ formæ, florentis juventæ in terris vixiſſe cum eadem puritate, qua Angeli in Cælo! Virginitas ornamentum eſt, & corona Virginum; tu vero Dei Mater caſtiſſima ornamentum es, & corona Ipſius Virginitatis. *Ex libro cui titulus: Virginum ſolitudo.*

Ejusdem argumenti.

Cum Maria Virgo eſſet corpore, & ſpiritu, parem habuit zelum ad tuendam corporis, & cordis ſui puritatem. Tantus fuit amor tuendæ puritatis cordis ſui, ut ſola Maternitatis cogitatio illam perturbaverit, cum Angelus aperuit illi conſilium, quod ab æterno Deus de illa conceperat; tantumque fuit deſiderium ſervandi puritatem corporis ſui, ut illa nequaquam præbitura fuiſſet conſenſum verbis Angeli, ſi Mater effecta Virginitatis detrimentum fuiſſet paſſura; ſed poſtquam concepit Verbum carnem factum, & poſſedit hoc cæleſte donum, qua ſedulitate ſervavit puritatem cordis, & corporis, quæ facta erant Templum vivens, ubi Deus, qui Virgines facit, novem menſes quieverat? O Virgo Sancta! dilecta Altiſſimi Filia tota pulcra es, & nulla unquam macula fuit in Te? Tota pulcra es per actionum tuarum ſanctitatem, tota pulcra per cogitationum tuarum puritatem; tota pulcra es, quia corporis tui puritas omnium Virginum puritatem excedit; tota pulcra es, quia puritas cordis tui omnium Angelorum ſuperat puritatem; tota pulcra es, quia cum ſemper fueris Virgo corpore, & Virgo corde, nihil labem intulit tuæ puritati: *Tota pulcra es, amica mea, tota pulcra es. Ex eodem libro.*

Cant. 4.

Amor Mariæ erga Salvatorē Filium ſuum.

Non eſt amor ſupra amorem Matris erga Filium, Princeps nimium amabilis, dicebat David Jonathæ mortuum plorans: te unice amabam, ſicut Mater Unigenitum ſuum. Sed Mariæ amor erga JESUM matrum omnium amorem excedit; totus enim amor, quem aliarum matrum cor cum patre partitur, collectus erat in ſolo corde Mariæ. Caritas, cum qua novem menſes ſinu ſuo geſtavit Salvatorem, eumque aluit lacte Virginali in ejus infantia; perfecta ſympathia temperamenti, ac propenſionis triginta trium annorum colloquiis effecta; cognitio, quæ erat illi Divinitatis, Sanctitatis, Sapientiæ, pulcritudinis, ceterarumque amabilium qualitatum Filii ſui, tituli ſunt, quibus innititur prælatio conceſſa amori Mariæ, quæ JESUM CHRISTUM ardentiori amore proſecuta eſt, quam quo mera creatura Creatorem ſuum amare potuerit. Amavit illum amore naturali, amore acquiſito, amore ſupernaturali, amore benevolentiæ, amore prælationis, amore conſtanti, ut illa nihil niſi illum amante, nihil extra illum, nihil niſi propter illum amante, cor ſuum nunquam fuerit diviſum. O Deus! quod cor! qui amor! O cor Mariæ, quam felix es, quod totum impenſum fuiſti dilecto tuo, quod unum illum poſſediſti! O Deus quantam tibi afferre debuit voluptatem inveniſſe cor, quod tantum amaret te, quantum creatura mera te poſſit amare! *Ex libro de ſolitudine Virginum.*

Amor Mariæ erga proximū.

Deus amari non poteſt, niſi ſimul ametur & proximus. Hoc nos docuit dilectus Diſcipulus: hoc Sanctum eſt exemplum, quod Maria, quæ Mater eſt Sanctæ dilectionis, nobis reliquit. Ipſa omnes dilexit homines, & tamquam opus manuum Dei, & tamquam pretium Sanguinis Filii ſui. Ullum ne bonum eſt, quod illis non concupierit? Quonam ardore ſalutem eorum optavit? Quid prætermiſit, ut illi cooperaretur? Vix æternum Verbum ſuo ſinu conceperat, cum illud in Zachariæ domum tulit, ut ibi S. Joannem ſanctificaret. Poſt quadrageſimum a puerperio diem obtulit eumdem in Templo futurum noſtræ Redemptionis pretium. Primum miraculum, quod ab illo petiit, non fuit in gratiam ſuam, ſed eorum, a quibus ad nuptias Canæ fuerat invitata. Quemadmodum Filius in Cruce neminem a Redemptionis beneficio prohibuit, ipſa in Calvario ſuos obtulit dolores pro omnibus, ne uno quidem excepto. Omnes ſibi adoptavit in Filios in S. Joannis perſona. Et in hujus adoptionis ſequelam eos omnes in ſuam clientelam ſuſcepit; factaque eorum Mater eſt, & Mediatrix, & apud Filium ſuum advocata. O immenſa caritas! O ardens amor, o Dei, & hominum Mater, da mihi locum aliquem in ſinu tuo; qui continuit illum, quem Cæli, & terra capere non poterant! Aperi mihi cor iſtud, quo geſtas omnes electos, & aſylus eſt peccatoribus ad te confugientibus. Quam beatus eſt, qui illic admittitur: quandoquidem non timet, ſe ab aditu Paradiſi prohiberi! Quid metuendum illi, qui gaudet patrocinio Matris Judicis, Deique ſui? *Ex ſolitudine Virginum.*

S. Lucas in paucis verbis, quæ de S. Virgine dicit egregie divinam illius nobis delineavit imaginem.

Fatendum eſt, S. Lucam nobis S. Virginis imaginem delineantem, ſimul exhibuiſſe nobis virtutes illas, quibus erat ornata. Ibi deprehenditur modeſtia magis, quam Angelica, cum fulgenti Majeſtate; pudor cum pulcritudine. Facile fidem habere poſſumus iis, quæ S. Dionyſius Areopagita teſtatus eſt; neque mirum nobis videtur, quod nonniſi ſancta deſideria, ſanctaſque excitaverit cogitationes in cordibus hominum, qui tabulam hanc prorſus cæleſtem intuentur. Et profecto Sacer hiſtoricus, qui uſus eſt calamo, & penicillo, ut ſupereminentes admirabilis hujus Virginis virtutes ad intuendum proponeret, in divina hac adumbratione taliter excelluit, ut pro certo affirmare valeamus, non poſſe melius ſpiritum, faciem, lineamenta, omniaque cæleſtia ejus ſtudia repræſentari. *Pater Senault ex Oratorio Tomo 3.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

DE MAGNALIBUS MARIÆ VIRGINIS.

Electio quam efficit J.C. Matris, fons eſt omnium Magnalium Mariæ.

CUM verbum decreviſſet habere Matrem in terra, ſicut habebat in Cælo Patrem, oculos conjecit in Mariam, elegitque illam ex omnibus creaturis, ut eveheret illam ad hunc apicem dignitatis, qui fons eſt omnium ejus Magnalium. Primum enim per privilegium electionis hujus ſecrevit eam a reliquis vulgo creaturis, & ab hac corrupta maſſa filiorum Adæ, quæ efficit, ut alii naſcantur mortis Filii, cum hæc nata ſit Filia vitæ, quo nomine S. Dionyſius Alexandrinus illam appellat. Deinde ex ea, ut S. Bernardus ait, ſeorſim mundum effecit, quem non in nihilo quemadmodum viſibilem hunc Mundum fundavit, ſed in Sanctitate, atque Juſtitia cum admirabili ad tres divinas Perſonas relatione; relatione videlicet affinitatis cum Patre, conſanguinitatis cum Filio, fœderis cum Spiritu ſancto, cum quo cooperatura eſt ad Verbi Incarnationem. Denique illam conſtituit in primo Mundi loco, poſt ſe quidem, ſed ita prope ſe, ut nihil inter utrumque interſit, neque intereſſe poſſit, quod non ſit Deus eo uſque, ut illi admirabilem contulerit poteſtatem in divinam Perſonam ſuam, volens, ut illa quatenus Mater auctoritatem haberet in ſe ipſum, & ſi dicere fas eſt, jus imperandi. *Pater Nouet Tomo 7. Meditationum ſuarum.*

Conjicite quænam ſit ejus poteſtas in omnes ſubditos Regni ſui, & quanam reverentia colenda ſit vobis, vobis inquam, qui ex numero ſervorum ejus eſſe gloriamini. Virgo Sanctiſſima, ſummopere gaudeo, & tibi gratulor ob hanc Electionis tuæ felicitatem, & confiteor te ſupremam Dominam meam, & Dei mei Matrem cum omnibus reverentiæ, & obſequii ſenſibus, quos concipere valet anima mea. Verbum Incarnatum, dignus non ſum, qui ad gloriæ thronum accedam, quem Matri tuæ præparaſti; ſed quæſo per zelum, quo illius honorem zelas, ut meo ſuppleas defectui, & permittas mihi, ut offeram illi obſequia, quæ tu illi præſtitiſti in terris, & quæ illi præſtas adhuc in Cælis, illam diligens ex corde, & ita ero audax, ut ab illa petam cor ſuum, ut ardorem te, tibique gratias agam ob ea plurima beneficia, quæ per illius interceſſionem mihi conferre dignatus es, & omnia auxilia, quæ ab eodem accepi. *Idem.*

Electio hæc fons eſt omnium gratiarū, quas Maria accepit, & omnium dolorum, quos pertulit.

Cum Verbum elegerit, ac prædeſtinaverit ad divinam Maternitatem Beatiſſimam Virginem, deinceps illam prædeſtinavit non ſolum ad prærogativas honoris, quæ ſupremam hanc decent dignitatem, & gratiis neceſſariis ad illam evehendam ad eminentis Sanctitatis faſtigium, verum etiam ad paſſiones, & dolores, ut ſimillima fieret imago Paſſionis, & Mortis illius. Quippe Filii prædeſtinatio exemplar fuit prædeſtinationis Matris; & ſicuti omnes prærogativæ Sanctiſſimæ humanitatis CHRISTI JESU fluunt a perſonali unione, quam habuit cum Verbo: ſimili pacto omnes gratiæ, quæ communicatæ fuerunt S. Virgini oriuntur a propinquitate, quam habuit cum Sancta hac Humanitate; propinquitate Sanguinis, & Subſtantiæ, quam decebat conjunctam eſſe cum perfecta conformitate bonorum, & malorum, actionum, & paſſionum, vitæ, & morum. Cum ergo Verbum Incarnatum per paſſionem intrare deberet in gloriam ſuam, & per Crucem ſuam Mundum redimere, ſimiliter opus erat, ut Mater ejus aliquid ad hominum ſalutem, & per dolorum viam ad Magnitudinis ſuæ apicem aſcenderet. *Idem.*

Docet

Digitized by Google

Dei Filius ex Patrum ſententia locum adhibuit Mariam in opere noſtræ Redemptionis. Homil 129. de temp.

Docet Apoſtolus, nos in JESU CHRISTO habere Advocatum, & Mediatorem apud Æternum Patrem: *Advocatum habemus apud Patrem*, & cauſſam addit S. Auguſtinus: *Nemo enim præter ipſum redemptor noſter*. Hoc tamen non prohibet, quominus SS. Patres Mediatricis munus deferant SS. Virgini, ac teneant illam ſingulari gratia ſociam voluiſſe in opere noſtræ Redemptionis. *Ave*, S. Baſilius dicit illi, *Ave inter Deum, & hominem Mediatrix intercedens*, proſtraviſti tandem medianum parietem, quo ſeparabantur. *Ave*, dicit illi S. Ephrem, *Ave Mediatrix glorioſiſſima; Ave, univerſi terrarum Orbis reconciliatrix*. S. Anſelmus illam *reparatricem Orbis perditiſſimi* appellat; S. Bernardus eam ſalutis Mediatricem, & ſæculorum reparatricem nominat, nec refugit dicere: *Per hanc homo redemptus eſt; & Verbum Dei caro factum eſt*. Unde arguit Mundum illi plurimum debere eo quod procuſavit captivis libertatem, ægris bonam valetudinem, miſeris conſolationem, peccatoribus veniam, juſtis gratiam, Angelis gaudium, tribus divinis Perſonis gloriam, & ſuaviſſimo Filio ſuo noſtræ humanitatis coronam. *P. Novet Meditat. Tomo 7.*

Orat. in Annuntiatione.

Orat. ad Virg. Orat. de Excell. Virg Epiſt. 174.

Serm. ſup. Salve.

Adſpirationes piæ ad B. Virginem. Serm. 93.

Merito omnia creata oculos ſuos in S. Virginem convertunt; quidquid enim creatum fuit amantiſſima Omnipotentis Dei manu in ordine naturæ, S. Bernardus ait, per illam, in illa, & ex illa inſtauratum eſt in ordine gratiæ. Illam igitur hodierna die inſpiciamus tamquam Advocatam, & Mediatricem noſtram. Dicamus illi cum S. Bonaventura: *Ad te levavi oculos meos Regina, quæ regnas in cælis! Adjutorium noſtrum ſit in virtute Nominis tui!* Deduc omnes actiones noſtras in eum finem propter quem creati fuimus. Eſto benedicta in Cælo, & in terra, in mari, & in abyſſis. O Virgo Sanctiſſima! *Nullus eſt, qui ſalvus fiat niſi per te, o Domina! Nullus eſt, qui intra cæleſtem curiam ingrediatur, niſi per te, o piiſſima! Idem.*

In Pſalter. B. Virg.

S. German. de Zona, Faſc. Deiparæ.

Quibus rationibus innixi Patres Mariam Mediatricem appellent.

Ad examen paulliſper vocemus, quibus rationibus innixi Patres glorioſum Mediatricis titulum paſſim deferant in ſcriptis ſuis. Dicunt alii hoc unum eſſe privilegium prædeſtinationis ipſius, & effectum ſingularis amoris, quo illam proſequitur Deus: qui tantus fuit, ut illam inter Electos omnes ſibi delegerit Deus in Redemptionis, & ſeparationis gratiæ miniſterium, ut omnibus ſuis præeſſet operibus. Hac de cauſſa, S. Irenæus inquit, noluit Deus operari Incarnationis Myſterium ſine Virginis conſenſu; *Quia nempe*, ait ille, *vult illam Deus omnium bonorum eſſe principium*. Quidnam iſtud? Quia, ut S. Hieronymus, gratia diviſa eſt, cum aliis datur Virginibus; ſed tota plenitudo gratiæ, quæ eſt in JESU CHRISTO invenitur etiam in S. Virgine, licet alio modo; quia in JESU CHRISTO eſt tamquam in Capite, quod illam influit in omnia membra, in Matre vero eſt tamquam in collo, quod illam recipit, & ubertim in omnes Fideles transfundit. *Quia in CHRISTO fuit plenitudo gratiæ tamquam in capite influente, in Virgine vero, tamquam in collo transfundente*. Alii hoc privilegium in Deiparæ dignitate conſtituunt: quæ illi confert jus quoddam in bona Filii ſui, eique communicat omnia ejus Magnalia, quantum mera creatura eorum particeps fieri poteſt. Quod nihil officit gloriæ Redemptoris: quandoquidem illa nihil habet, quod ab illo non obtinuerit, & quod illi acceptum non referat. Hinc illi omnes fere honoris titulos deferunt, qui ad ejus Filium pertinent, quin hunc ſe lædere, vel huic ſe diſplicere vereantur; neque enim eos poſſidet niſi eo permittente, ac ſuffragante. Hoc in ſenſu Sanctus Bernardus admirabili huic Virgini dicit: *Tu electa, ut Sol, ille inquam Sol Solis conditor; ille electus ex omnibus, quæ ſunt: tu ex omnibus quæ per ipſum ſunt*. Eodemque in ſenſu Sapiens Idiota illam vocat *Advocatam apud Filium, ſicut Filius apud Patrem*; & S. Bonaventura ob eamdem rationem aſſerit, *Filium Virginis eſſe ſummam Sanctorum cortinam*, alteram vero eſſe Mariam. Quare? quia illis procurat favorem cariſſimi Filii, & per hoc gratias, quæ ſunt neceſſariæ? ut ad gloriam perveniant. *P. Novet in Meditat. Tomo 7.*

In Prol. Contempl. B Virg.

In Spec. Lect 4.

Maria in gloria ſeorſim locum obtinet tamquam Princeps Prædeſtinatorum inter puras creaturas.

Ex quo Pater Æternus deſtinavit gloriam ſuam Filio ſuo Unigenito, quatenus Primogenito Prædeſtinatorum, illam deſtinavit Mariæ, quatenus Matri JESU CHRISTI; & quomodo JESUS CHRISTUS in Cælo ſeorſim locum tenet ſuperiorem illi omnium Electorum, quatenus Rex eorum, ita SS. Virgo diſtinctum occupat locum, ac ſuperiorem illi Sanctorum omnium, quatenus illorum Regina. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate*. Stabit gratias poſtulatura, non ſedebit, ut JESUS CHRISTUS, cujus unius eſt gratias largiri; *A dextris Filii ſui*, non a ſiniſtris; quia hominum quærit felicitatem, quin ad eorum concurrat miſeriam. *In veſtitu deaurato*, non ex auro contexto; quia gloria ejus non aliud eſt quam participatio gloriæ JESU CHRISTI, cujus naturalis eſt gloria; *circumdata varietate*, quoniam colliget in ſe varios gloriæ gradus, quibus Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Virgines diſtinguuntur. Illecti ſublimi hoc gloriæ gradu, ad quem Maria eſt evehenda, nihil ne agemus ad potentem illius protectionem nobis procurandam? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Maria terribilis eſt inferno. & hæreſi.

SS. Virgini his omnibus qualitatibus præfulgenti, quas hactenus in illa ſumus admirati, non deeſt, unde terrorem incutiat. *Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*. Non tamen nobis, ſed hoſtibus noſtris terrorem debet incutere, contra quos eſt velut *caſtrorum acies ordinata*. En quid illos turbat, ac terret. Solus S. Virginis adſpectus terret, & fugat dæmones. Quid dico? ſolum illius Nomen eos ſternit, diſſipat, & in profundas latebras ſeſe recipere cogit. Sed invocatum Mariæ Nomen, non infernus tantum reformidat, ſed hæreſis etiam firmiſſimum illius præſidium, & uberrimum ejus perfugium. Hunc Mariæ de inimicis fidei triumphum gratulatur Eccleſia per hæc verba: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo Mundo*. Quomodo vero illas interemit? Pariens Salvatorem, qui ubi in terris viſus eſt, omnes, qui tunc graſſabantur, errores diſſipavit. Hoc etiam præſtitit erudiens Apoſtolos poſt obitum Filii ſui, illos ſuſtinens, iiſque inſpirans animum citra metum in omnes terrarum plagas deferendi JESU CHRISTI Evangelium. Denique per interceſſionem ſuam de Cælo robur præbens Pontificibus, Monarchis, Præſulibus, Sanctis Doctoribus, omnibuſque fidei propugnatoribus, qui hæreſi perſonam auferre, eamque impugnare contendunt. Maria ſemper præſto eſt ad bellum inferendum adverſus Domini inimicos: qui illam nequeunt ſuſtinere. Quocumque in ſtatu ſimus, nobis terribiles adverſantur inimici; confugiamos ergo in clientelam illius, quæ *terribilis eſt, ut caſtrorum acies ordinata. P. Segneri Tomo 5. ſuarum Meditationum.*

Cur Dei Filius Mariam ſibi ſociam delegerit in opere noſtræ Redemptionis.

Quamvis SS. Patres vulgo Mediatricis, & Redemptricis titulum tribuant SS. Virgini, non ideo exiſtimandum eſt, ut S. Bernardus animadvertit, Salvatorem hac ſocietate indiguiſſe: neque enim ambigitur quo minus ipſe ſolus ſufficiens fuerit ſalutis noſtræ Mediator. *Omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt*. Quidquid boni operamur, ipſo auctore operamur; ipſe nobis tribuit nobis & velle, & poſſe. *Sed nobis bonum non erat hominem eſſe ſolum*. Ipſe *fidelis & potens Mediator eſt inter Deum, & homines*, qui repulſam non patitur cum intercedit pro nobis. Sed illud oblivioni tradendum non eſt, quod cum ſit Deus, ſublimis hæc Majeſtas hominibus eſt objectum propter quod metuunt, & contremiſcunt. Ita ut ſi nobis infinite videtur amabilis, non minus ſit nobis etiam terribilis. Hac de cauſſa Patres teſtantur ipſum voluiſſe ſibi Sociam eligere Mediatricem, quæ interceſſione ſua judiciorum ſuorum ſeveritatem moderaretur: *Opus eſt Mediatore apud Mediatorem: neque alter utilior quam Virgo*. Hæc Mediatrix eſt, quæ illum nobis propitium poteſt efficere. Quis autem efficientius hoc præſtare valeat, quam Beatiſſima Mater? Quis majorem apud illum obtinet auctoritatem, quis majorem pro nobis habet caritatem? Quem timorem habere poteſt miſericordis hujus Dominæ humana fragilitas? Nihil habet auſteritatis, nihil terroris; hæc ipſa clementia eſt, & omnis fons ſuavitatis; quemadmodum Filius ejus eſt fons omnium gratiarum, vita omnium viventium, & vitæ principium. *P. Novet in Meditationibus Tomo 7.*

S. Bernard. ad Cor. 2.

S. Bernard. in illud Signum Magnum.

Tanta eſt Mariæ excellentia, ut Scriptura non meminerit triumphorum J. C. quin illam in partem vocet.

S. Virgo ita conjuncta eſt cum Filio ſuo, ut nequeat in æternitate ſejungi, neque in tempore. De Filio Dei cogitare non poſſumus, quin ne Matre illius cogitemus; & ex quo Pater iniit conſilium illum dandi nobis, decrevit dare illum nobis per hanc SS. Virginem. Hinc Sanctæ litteræ, quæ explicant in tempore, quod in æternitate continetur, nunquam loquuntur de Filio, quin Matris meminerint; & Prophetæ qui alterius elogium ſcripſerunt, ſimul & alterius celebrarunt. Si Moyſes in Geneſi portendit Serpentis excidium, id iis explicat verbis, quæ nos in ancipiti relinquunt, utrum Filius ne, an Mater triumphatura ſint de hoc humani generis hoſte; legimus enim: *ipſa conteret caput tuum*, cum in alia verſione legamus: *Ipſe conteret*: ut, procul dubio Mater ſemper inveniatur cum Filio, uti agitur præſertim de victoriis, atque triumphis. Hac de cauſſa Propheta Iſaias nobis hoc magnum enarrans prodigium, quod ſtuporem erat allaturum univerſo Mundo, docens, Virginem ſimul etiam Matrem futuram: *Ecce Virgo concipiet*, ſtatim ſubdit, Filium ejus ab ipſis incunabulis victorem futurum, & ad pedes illius venturos eſſe tres Reges, qui illi omnium Gentium nomine tributum perſolvent. *Pater Senault ex Oratorio Tomo 3.*

Iſaiæ 7.

Virginis cultus conſtitutus eſt unanimi populorum omnium conſenſu.

Unanimis omnium Populorum conſenſus in conſtituendo peculiari cultu Sanctiſſimæ Virginis, apertiſſimum eſt argumentum excellentiæ, & Magnitudinis ejus. Quomodo enim populi adeo remoti, adeo moribus, & conſuetudinibus inter ſe diſſidentes potuiſſent tot ſæculis hac in re conſentire, niſi reſpexiſſent Sanctam Virginem tamquam per dignitatem, & propter merita ſua ſupra omnes homines, & omnes cæleſtes mentes poſitam? Templa, quæ in illius honorem

norem omnibus ſæculis, omnibuſque in Mundi regionibus ædificata fuerunt, non ne exigere debent a nobis cultum, qui illi debetur? Quid igitur nobis ſentiendum eſt de mortalibus, qui parati ſunt ad nectendas ſemper difficultates, quæ officiunt Mariæ Virginis laudibus, & prærogativis, qui ſemper recentes comminiſcuntur rationes, ut in ſuſpicionem, invidiamque trahant cultum noſtrum, atque pietatem? ut illam coarctando ei omnem abrogent fidem, eamque extinguant? Poſtquam primi noſtræ Religionis doctores eloquentiam ſuam exhauſerunt in Mariæ laudibus celebrandis; poſtquam de ſpe lapſi ſunt inveniendi verba ſatis apta ad hujus argumenti amplitudinem, & incomprehenſibilem perfectionem puritatis, nec non immenſam gloriam triumphi ejuſdem in cæleſti Jeruſalem: poſtquam S. Auguſtinus fatetur ſibi deeſſe vocabula quibus debitas Mariæ laudes rependere valeat: *Quibus te laudibus efferam, neſcio*: Audebit ne quiſquam aſſerere, ſe timere, ut nimium aliquid proferat? Audebit quiſquam increpare has pietatis adeo religioſas ſanctas, utiles omnibus fidelibus praxes, Roſaria, Scapularia, Congregationes? Satis eſt vos tenere illam meram eſſe creaturam; poſt hoc laudes veſtras, quoad vobis placuerit, exagerate, nihil dicetis, quod nimium, immo neque quod ſatis ſit. Verum quidem eſt, quo magis mores in deterius abierunt, ſimplicitatem cultus ſemper magis in dubium fuiſſe vocitam. Devotio erga Mariam nimis efficax eſt ſalutis noſtræ præſidium, ut Salutis noſtræ inimicus illam tollere non adnitatur. Hæretici ſolum impetu facto erupuerunt contra hanc multitudinem diei feſtorum in Mariæ Virginis honorem inſtitutorum; contra Infinitum hunc numerum Templorum, atque Altarium ſub illius Nomine Deo ſacratorum: contra multiplicem hanc pietatis praxim, ab Eccleſia inſtitutam ad alendam devotionem hanc erga illam. Sancta hæc Virgo Scopulum eſt in quem errores omnes alliſi ſunt. Una ipſa de omnibus Hæreſibus triumphum retulit; nulla fuit, quæ Mariam non laceſſeret; nulla quoque fuit, quam Maria non diſſipaverit, vicerit, profligaverit. *Pater Croiſet in Aſceticis*.

Filius Dei obediens Matri, huic tribuit ſuper omnia creata ſummam auctoritatem.

S. Virginem poſtquam divinum concepit Verbum factam fuiſſe Univerſorum Dominam, probare arduum non eſt. Patres omnes ita ſenſerunt, & in ſcriptis reliquerunt. S. Joannes Damaſcenus credidit illam, quæ Dei Filio imperaverat ſecundum S. Lucæ fidem: *Et erat ſubditus illis*, jus obtinuiſſe imperandi creatis omnibus, & homines, Angeloſque illi ſubditos eſſe oportere, quandoquidem unicus Patris Filius eidem ſubditus eſſe voluerat: *Rerum omnium conditarum Domina effecta eſt Virgo: cum Creatoris Mater extitit*. Ratio vero, quæ hanc conſtituit poteſtatem, & omnia cogit creata, ut admirabili huic Matri ſe ſubjiciant: eſt, quia Deus illis hoc præluit exemplum, quia ſe ipſum illi ſubdidit, quia ab illius ore legem accepit, & quia illam tamquam Matrem obſervans, ut Dominam coluit. Hoc nos docuit Evangelium, cum dixit Salvatorem ſubditum fuiſſe Matri ſuæ, & procul dubio in Matris gratia S. Joſepho, qui illius vere Vir erat. Unde fidenter arguere poſſumus, quandoquidem illa imperabat Filio ſuo, & Deo ſuo, jus quoque habuiſſe imperandi omnibus, qui ſunt Deo ſubditi. *Pater Senault ex Oratorio*.

Quantum debemus Mariæ quod nobis dederit Filium ſuum pro noſtra ſalute.

Ex puriſſima ſinus hujus Virginis ſubſtantia ab omni labe vacua Corpus ſuum ſibi increata ſumpſit Sapientia, per quod ſe hominibus viſibilem præbuit. Superexcellens hæc Creatura in tempore peperit illum quem Deus genuit ab æterno. Hoc omnium magnalium Mariæ fundamentum eſt. Ex illa unicus Dei Filius carnem accepit, cujus Sacrificio reconciliavit nos Patri, & Sanguinem, quo nos expiavit, ut eſſemus populus acceptabilis in oculis ejus, & peculiariter illius ſervitio devotus. Hoc fundamentum eſt eorum, quæ debemus plurima huic SS. Virgini; hic proficiſcuntur honores, & cultus, quos adeo religioſa pietate illi impendit Eccleſia. Huic innititur principio confidentia illa, quam omnes animæ Sanctæ conſtituunt in meritis Virginis hujus Incomparabilis, Virginis utuce dilectæ Patri Sanctæ Majeſtatis, hujus Matris, quam Filius ſuus, & Deus ſuus tanta proſequitur benevolentia. *Tourneaux in anno Chriſtiano. Tomo 8.*

Virtutes, & Cœli dona, quæ S. Virginem diſpoſuerunt, ut Dei Mater eſſet, & illum ſuo ſinu reciperet.

Ut S. Virgini deberemus manſionem, quam JESUS CHRISTUS inter nos facturus deſcendit, quanam cum plenitudine ſpiritualiter manſit in anima illius per gratiæ ſuæ præſentiam, antequam corporaliter habitaret in ſinu illius per Incarnationis Myſterium? Quænam erat puritas virginalis corporis illius, ex quo factum fuit illud, quod propter noſtram ſalutem accepit Sapientia eſſentialis; quæ profitetur ſe in corpore ſubdito peccatis nequaquam habitaturam? Quænam erat Sanctitas hujus animæ, quæ coram Deo gratiam invenerat, cum qua Dominus erat per plenitudinem ſpiritus, antequam eſſet in illa per præſentiam Corporis, fidei, humilitatis, a qua pendere, ut ita dicam, voluit hominum ſalutem per conſenſum, quem ab eadem petere dignatus eſt ad noſtræ Redemptionis Myſterium? Electa, & deſtinata ante omnia ſæcula, ut eſſet in tempore Mater Domini ſui, quæ non accepit dona ab illo, qui creaturis ſuis omnes largitur gratias, omneſque neceſſarias virtutes ad opera, quibus deſtinat illas? Corpus ejus præparatum fuit ea puritate, & virginitate, quæ caret exemplo; anima vero ardenti caritate, & altiſſima humilitate, Deo illam per has virtutes præparante ad magnum illud Myſterium, quod in illa erat peragendum. *Idem Tomo 12.*

Magnum Mariæ privilegium geſtaſſe in ſinu ſuo Dei Filium.

Evangelica Mulier Filio Dei dixit, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti*, cui Salvator reſpondit; quin immo *beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud*; nequaquam infieiari voluit, quod mulieris verba indigitabant. S. Virgo ipſa quoque in Cantico ſuo dixerat fore ut illam beatam dicerent omnes generationes, quia reſpexerat Deus humilitatem ancillæ ſuæ; & Eliſabeth Spiritu ſancto repleta illam beatam vocaverat, quia per fidem ſuam merita fuerat videre in ſemet adimpletum id quod Dei nomine illi Angelus prædixerat. Salvator beatos dixit oculos, qui ipſum videbant, & aures quæ illum audiebant; & ſi illum videre idem eſt ac beatum eſſe, quid tandem erit illum peperiſſe, illum uberibus ſuis aluiſſe? Non negat ille realem, veramque beatitudinem Matris ſuæ: ſed aliam proponit, quæ omnibus convenire poteſt hominibus, qualis eſt illius audire verba, eaque adimplere. *Idem*.

Cum Maria eſſet gratia plena, nulla ei deeſſe poterat virtus.

Nulla fuit unquam puritas cum hac puritate conferenda, quæ effecerat, ut, quemadmodum neſcio quis Eccleſiæ Doctor teſtatur, præferret qualitatem Sponſæ Dei ſecundum Spiritum, illi Matris Dei ſecundum carnem, ſi alteram nequiviſſet adipiſci citra jacturam alterius? Quæ tandem virtus deeſſe poterat creaturæ, quæ gratia plena vocatur, non quidem ab hominibus, qui & falli, & fallere poſſunt in laudibus, quæ ab ipſis deferuntur; ſed ab Angelo, vel potius a Deo ipſo, cujus Angelus non niſi miniſter erat, vel Interpres? *Ex Sermone primo Academiæ anni 1681.*

Humilitas Mariæ eo major eſt, quo altius Deus illam exaltare cupit.

Quis non admirabitur hanc adeo conſtantem S. Virginis humilitatem, quæ tot inter magnalia, & honores ſubſiſtet? Eſſe humilem ſine meritis; neceſſitas eſt. Eſſe humilem cum quibuſdam meritis; hæc virtus eſt. Sed eſſe humilem cum plenitudine meritorum, & gloriæ, prodigium eſt, quod uni convenit JESU CHRISTO, & poſt hunc Matri illius in gradu quidem inferiori, quam JESU CHRISTO, ſed ceteris quibuſcumque ſuperiori. Quiſnam melius illa adimplevit illud Sapientis præceptum: *Quantum major es, humilia te in omnibus*. In quonam oſtendit Deus fulgidius veritatem hanc ſæpe a Filio ejus repetitam, *Qui ſe humiliat exaltabitur*; qui eſt Ens ſupremum, ideoque principium, & menſura omnis magnitudinis. Homo igitur vere magnus non eſt, niſi quatenus, ut ita dicam, propior ſit Deo: & omnis elatio quæ non accedit ad hoc Ens inſtare quidem poteſt, non tamen vera eſſe, dicique Magnitudo. Virgo Mater vere magna eſt, & maxima omnium creaturarum; quia divina Maternitas proxime ad divinitatem accedit. Quod vero in illa meritum eſt hujus Magnitudinis, ad quam Deus illam attollit, niſi humilitas hæc, quæ illam in oculis ſuis minimam exhibet. Exaltat Deus illos, qui ſe humiliant, arguamus ergo, quandoquidem ille exaltat Mariam ſuper omnia creata; nihil in creatis rebus eſſe humilius illa. *Ex eodem Sermone*.

Tanta licet ſit ejus magnitudo, vult tamen ſubſiſtere in nihilo ſuo.

Subjicit ſe tandem Providentiæ conſiliis Maria, ſed quo pacto? Salutatur tamquam Creatoris ſui Mater, & ſe Ancillam vocat. Attollitur ad apicem Divinitati propiorem, & ipſa ad gradum nihilo propiorem deſcendit. Obliviſcitur quidquid illam efficit in oculis Dei pretioſam, & nonniſi ſuæ meminit humilitatis, tamquam libramenti cujuſdam, ut ſe ſe deprimat eo magis, quo magis exaltatur. Verbo, Angelus relinquit illam, Virginem Matrem, & ancillam Domini. Videlicet duplici divinæ potentiæ, & miſericordiæ miraculo, humilitas ſubſiſtit cum magnitudine, & quidquid recens addit Cælum Mariæ, non ſinit, ut pereat aliquid eorum, quæ poſſidebat. *Ex eodem Sermone*.

Tanta eſt qualitas Deiparæ, ut complectatur quidquid dici poteſt in honorem Virginis Mariæ.

Sanctæ Mulieres, quæ Mariam præceſſerunt, & quarum Scriptura conſecrare voluit Elogia, ſingulæ aliquam referebant particulam futurorum munerum, aut virtutum ejus, ac partiebantur, ut ita dicam, inter ſe gratias, quæ in una illa excellentius erant colligendæ. Nihil profecto comparandum cum eximia qualitate Deiparæ, quæ illi erat præparata; & ſicut quidquid homines, Angelique concipere poſſunt de Deo in hoc ineffabili nomine continetur, ita quidquid magnum in creaturæ laudem cogitare poſſunt, hoc Deiparæ nomen complectitur. Si Pater Æternus contemplatus Filium ſuum in ſplendoribus gloriæ ſuæ dicere potuit: *Ego hodie genui te*; hoc non ſecus ac ille dicere potuit Maria. Quod prodigium i Naturæ

univer-

univerſa liberali Creatoris ſui dexteræ debet eſſe ſuum. Creator autem ſuum eſſe dignatur accipere a Creatura ſua; ſi omnia in Cælo, in terra, & in Inferno genua flectunt Nomini Salvatoris, ut S. Paulus ait; nonne addere poſſumus, audito Mariæ nomine, illius, quæ genuit ipſum in tempore, omnia creata debere ſuum illi obſequium teſtari? *Sermo 2. Academiæ anni 1683.*

Potentia, bonitas, & ſapientia Dei ita cumularunt Mariam ut hujus dignitas omnem excedat menſuram.

Quomodonam metiri poſſum elationem illius dignitatis, quæ infinitis poſt ſe relinquens ſpatiis naturam univerſam, & ipſum etiam gratiæ ordinem ſuperans aſcendit uſque ad ineffabilem cum Deo affinitatem? Quis ſatis æſtimare poſſet uberem hanc divini amoris effuſionem in humilem ejus ancillam, & theſauros, quos includere voluit in hoc vaſe Electionis æternæ? Nunquam, Domine, nunquam incomprehenſibilis amoris tui ignes magis illuxerunt, quam cum ex mortali Creatura feciſti Matrem Filii coæqualis tibi. Enituit infinita Sapientia tua in hoc, quod ſecretum nacta eſt conſociandi Virginitatem cum fœcunditate, quin alterius gloria alteri officeret. Enituit potentia tua, quia omne bracchii tui robur exercuiſti, ut faceres opus adeo mirabile, quale eſt illud Hominis Dei. Sed bonitas tua ad exceſſum evaſit, quod partiri dignatus es cum Virgine in caligine ſua delitescente incomparabile privilegium gignendi Unigenitum tuum. Homines nunquam admirabuntur, quod oblecteris eximiis cumulare beneficiis Sanctam hanc Virginem; quandoquidem ſciunt, te illi eum dediſſe, in quo tu tibi bene complacere conſueviſti, permittens per ſingularem hanc gratiam, ut illa, æque ac tu, dicere valeat: *Hic eſt Filius meus dilectus. Ex eodem Sermone.*

Votum Virginis quod in probrum illius ceſſurum videbatur, fuit magnalium ejus fundamentum.

Maria Virginitatis votum eliciens contra conſuetudinem Virginum Juda, nullo habuit in diſcrimine, quod ſeſe objiceret id faciens hominibus contemnendam, tamquam ſuo populo inutilem. Nihili fecit apud ſuos haberi in opprobrio, dummodo illi placeret, quem pro amoris ſui objecto delegerat. Et profecto hac in re non lex, non exemplum, cujus via eſt maxima, illam edocuit; ſed interior unctio gratiæ, & liquet, illum, qui futurus erat Filius ejus, in anteceſſum fuiſſe illius præceptorem: quandoquidem votum hoc quod videbatur ceſſurum eſſe illi in notam infamiæ, deinceps omnium magnalium ejus extitit fundamentum. Profecto quænam eſſe poterat dignior Dei Mater illa, quæ omnium prima ſpem abjeciſſet fore ut hominis alicujus mater exiſteret? Quinam ſinus potiorem habere poterat ſimilitudinem cum Æterni Patris ſinu, quam ille Virginis, quæ omnium puritatem ſuperabat? Hac de cauſa nullo habuit Maria in diſcrimine hominum opprobrium, quandoquidem futurum erat, ut inter mulieres eſſet benedicta, & omnes nationes, quod illa prædixit, beatam illam prædicarent, & gloriam nominis ſui celebrarent. *Sermo alter Academiæ anni 1683.*

Virgo in hac ipſa vita poſſedit ſummum bonum; & in quo ſenſu.

Si ut quis beatus ſit, ex Divo Auguſtino poſſidere debet bonum, quod illum replere poteſt, ſimulque poteſt amari, quandoquidem poſſeſſio ſine amore faſtidium parit; & amor ſine poſſeſſione res plena ſit ſollicitudinis: quam nobis in terris ideam fingere poſſumus beatitudinis potiorem illa, qua Virgo Sanctiſſima perfruebatur? Nonne illa ſupremum poſſedit donum, quandoquidem cum illo intime conjuncta fuit ita ut propius creaturæ ſummo bono hærere minime liceat? Rex Cæli, & terræ, cujus adſpectus Sanctorum felicitatem conſtituit plurium menſium ſpatio illius pars fuit, eo modo quo pars arboris fructus eſt ex illa pendens. Non aliam habuit manſionem, niſi anguſtum uteri ipſius ſpatium; non alium cibum, niſi quo illa veſcebatur, & quem in lac immutabat. Dicere poterat æquiori jure, quam Canticorum Sponſa in ardore amoris ſui, & exceſſu admirationis ſuæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Inter ubera mea commorabitur. Tenui eum nec dimittam. Sermo idem.*

Cantic. 8.

Deus Mariam creans fecit perfectiſſimam omnium creaturarum quæ valeant excogitari.

Conſiderare poſſumus Deum poſſe quidem plures mundos, ampliores, & pulcriores hoc, quem creavit, & in quo vivimus, creare. Facere poteſt ſydera nitidiora, Cælos fulgidiores, terram productionibus ac prodigiis cumulatiorem; eaque ſine numero: Sed ſit licet omnipotens facere nequit Matrem nobiliorem, præſtantiorem cultu noſtro, devotione, obſequio, veneratione digniorem, Dei Matre. *Majorem Mundum Deus facere poteſt*, S. Bonaventura inquit, *Majorem Matrem, quam Matrem Dei facere non poteſt.* Quamobrem Evangelium pro omnibus encomiis ſatis eſſe putat aſſerere Mariam eſſe JESU CHRISTI Matrem; *de qua natus eſt JESUS, qui vocatur CHRISTUS.* Quid ergo dicere poſſum, B. Virgo de te, deque laudibus tuis, S. Auguſtinus exclamat, quandoquidem quidquid dicere potero, omnes ſuperat laudes, quas tuæ meretur dignitatis amplitudo: *Cum de te quidquid dixero, minor laus eſt, quam dignitas tua meretur. Quæritis, qualis Mater?* S. Eucherius ait, *quærite potius qualis Filius*: Concipite quid ſit Fillus Dei, Sanctus Gregorius inquit, & quidnam ſit Mater ejus, intelligetis. *Pater Croiſet in Aſceticis. Tomo ſecundo.*

Math. 1.

Deus Mariam Sanctitate plenam creans intellexit creare objectum dignissimum &c.

Cum Deus Mariam delegit ad divinam Maternitatem extollendam, non conſideravit in illa neque generis nobilitatem, neque mentis talenta, neque perfectiones perſonæ. Verum eſt, Maria etiam ſecundum Mundi hujus æſtimationem erat creaturarum omnium abſolutiſſima. Ex David, ac tot aliorum Regum genere orta, quot majores numerabat, omnem eorum gloriam hæreditatis jure obtinuerat. Naturalibus ornata prærogativis, quas a Deo acceperat, erat, ut S. Bernardus ait, præſtantiſſimum ſæculorum omnium opus. Sed nihil horum impulit Deum ut illam venturi Meſſiæ matrem eligeret, quæ Mundi pareret Salvatorem. Mariam igitur elegit Deus propter ejus Sanctitatem, virtuteſque eminentes, quibus præ ceteris coruſcabat. Hæc puritas ſine exemplo, pulcritudo ſine labe, humilitas ſine termino, caritas, & purus amor erga Deum, qui Seraphin ipſorum amorem ſuperabat. Mulier Evangelica nonne merito exclamabat: beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. Poſt Deum, ullum ne eſt objectum admiratione, obſequiis, amore noſtro dignius, & poſt cultum Deo debitum, quæ veneratio, quis cultus Deiparæ nobis impendendus non eſt? *Pater Croiſet Tomo* 2.

Quamcumque lucem gratia Sanctificans in animas noſtras effundat, non prohibet quominus Deus ibi ut plurimum quaſdam labes deprehendat, quæ licet illum ad iracundiam non provocent, illius tamen amorem imminuunt. Sed S. Virginis virtus hanc commixtionem non patitur; radii, qui in ejus anima reſulgent, nullam nebulam ibi patiuntur; & efficiunt, ut omnium perfectionum commixtio ibi videatur; & nulla inter tot lumina labes occurrat. Modeſta eſt citra adfectationem, gravis citra ſuperbiam, ſimplex citra imprudentiam, humilis citra abjectionem; mortificata ſine moroſitate, tranquilla ſine inertia, cauta ſine anxietate, devota ſine illuſione: ita ut pura exiſtens venerabilis ſit in oculis Nuntii hujus Cæleſtis, qui eo magis illam afficit honore, quo magis illam pretioſiſſimis gratiis exornatam videns, ab omni leviſſima etiam labe videtur immunis. *Ex tertio Sermone Academiæ anni 1681.*

Verba Cantici Mariæ Virginis ſunt ampliſſimum Panegyrici ejus argumentum. Luc. 1.

Ampliſſimum juſtarum laudum argumentum, quibus SS. Virgo ab Eccleſiæ inſtitutione cumulata fuit, & in omnem cumulabitur æternitatem, verba ſunt, quæ ipſa protulit de ſe in ſuo Cantico loquens: *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Sed perinde ac imperfecte tantum per illa verba ſenſum ſuum expreſſiſſet; addit, *fecit potentiam in brachio ſuo.* Et ſane quid in Creatura præſtantius inveniri poteſt quam illi vitam præbere, a quo ſuum eſſe eadem accepit? Ut homines fierent Dei Filii, opus erat, ut Deus ſecundum ſua æterna conſilia fieret homo: ideoque JESUS CHRISTUS paſſim in Evangelio hoc nomen uſurpat. Sed non poterat Deus fieri Filius hominis, niſi Creatura fieret Dei Mater: & duo hæc prodigia invicem ita erant conjuncta, ut Virgo jure dicere potuerit: Fecit mihi magna qui potens eſt, & me gloria cumulavit, ex quo dici potuit, Omnipotentia Unigenitum ſeſe humiliaſſe, & exinaniiſſe. *Sermo 1. Academiæ in verba illa:* Beatam me dicent omnes generationes. *Anno 1683.*

Ibidem.

Gratia, quam præparavit Deus Virgini.

Maria in Dei Sinu concepta fuit infinitis ſæculis antequam in utero Matris conciperetur. Omnia creata gloriæ ſibi vertere poſſunt, eo quod ab æterno adfuere ante oculos Creatoris ſui; ſed ſingularis Mariæ prærogativa fuit; 1. Eſſe primum objectum amoris ipſius, & in quo ille ſibi bene complacuit: 2. Ita amatam fuiſſe, ut partim propter illam mundum creaverit, & humanam carnem ſuſceperit. 3. Primum obtinuiſſe locum in ordine Æternorum Increatæ Sapientiæ decretorum; quæ eſt Eccleſiæ ſententia, Mariæ tribuentis eadem verba, quæ Salomon dixit de Filio Dei; *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram, nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes gravi mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar.* Hoc primum eſt principium Magnalium Mariæ; nam vi primæ hujus gratiæ concipimus quidquid in illa ſummum eſt, eamque conſideramus ſecundum SS. Patrum ſententiam velut opus omnium ſæculorum, & abſolutiſſimum æterni conſilii Dei opificium, tamquam pulcherrimam Creatoris imaginem, præſtantiſſimam ideam, & exemplar excellentiſſimum poſt CHRISTUM JESUM: fecundum quod Deus Mundum creavit. Cum enim cogitabat de Filii ſui Incarnatione, deque creatione Angelorum, & hominum, ſibi formabat Imaginem Mariæ, quam ex eo momento deſtinabat futuram Verbi Incarnati Matrem, Reginam Angelorum, hominum Mediatricem, & Reparatricem Mundi. O S. Virgo! Virgo incomparabilis, cui nulla par fuit umquam, vel futura eſt, quam beata es, eo quod ſemper occupaveris animam Dei tui, & ſemper amata fueris a Creatore tuo. Hæc gratia prædilectionis, quæ principium eſt beatitudinis Mariæ, eſt etiam principium noſtræ. Cum Sapientia, & bonitas Dei ſint æternæ, ille reſpexit me in nihilo meo ante mundi creationem. Ipſe æque felix fuiſſet ſi permanſiſſet in æterna ſolitudine ſua, ſed per amantiſſimum intuitum,

quem

quem confecit in nos, elegit me inter infinitas creaturas, quæ eſſe poterant, & nunquam erunt. *Liber cui titulus, Virginum ſolitudo.*

Cur Deus voluerit naſci de Maria, & habere matrem in terris.

Cum poſſet Deus ſibimet efformare Corpus congruæ magnitudinis, quemadmodum efformaverat Corpus Adam, maluit naſci ex Matre, & Matre, quæ ſimul eſſet & Mater noſtra, & Sua. Mater hæc eſt Maria, quam elegit ex omnibus Mulieribus, ut illam ad hanc ſupremam dignitatem eveheret. Quam glorioſa Mariæ hæc electio eſt! Eligitur Mater futura Filii, cujus Deus unus eſt Pater. Tota Dei gloria eſt habere Filium Deum, æqualem Deo, magnitudine, ſapientia, potentia parem Patri. Tota Mariæ magnitudo eſt eſſe Matrem ejuſdem Filii. Quiſnam eſt Angelus ille, cui Deus dixerit unquam: Filius meus es tu; ego hodie genui te? Hunc omnes Angeli Dei venerentur, & colant: ſed quænam eſt mulier, cui Deus unquam dixerit: tu Mater mea es? Ego ab æterno elegi te, ut ex te naſcerer. Tu Mater eris mea, & ego Filius ero tuus. Homines adorabunt te, Angeli obedient tibi; ego ipſe, licet ſim Deus, & a nemine pendeam, obediam tibi. Quo gaudio Virginis hujus cor non fuiſſet afficiendum ſi habuiſſet vitam, quam nondum habebat niſi in mente Dei? Quanti fecit illa gratiam hanc, ex quo concepta fuit in utero Matris ſuæ? quo ardore conſecravit Deo ſuo primum ſui cordis ſuſpirium, ut ei præberet ſpecimen grati animi ſui. *Idem.*

Deus, qui gratias quas ſuis tribuit creaturis aptat earum ſtatui & dignitati, plures contulit Mariæ quæ futura erat Mater illius quam reliquis creaturis.

Cum Deus ſit Intellectus infinite ſapiens, præparat creaturis omnibus ſubſidia congruentia ſtatui, ad quem illas appellat; ita eligens Mariam futuram Matrem ſuam, propter hanc electionem ſtatuit plus gratiarum illi conferre, quam omnibus meris creaturis. Hæc veritas ſolidiſſimis innititur argumentis. 1. Dignitati Matris Dei, ad quam erat prædeſtinata. Poſt qualitatem Filii Dei poteſt ne aliquid majus concipi? 2. Unioni, quæ eſſe debet in Filium & Matrem, quorum uterque eamdem habent carnem, & ſanguinem. Ulla ne creatura arctius adhæſit Creatori? 3. Parti, quam erat habitura in opere eximio ſalutis mundi. Nonne ſola eſt creatura, quæ ad illam aliquid contulerit, ſuppeditans illi corpus, quod per effuſionem pretioſiſſimi Sanguinis fuit pretium noſtræ Redemptionis? Quibus igitur gratiis præventa non fuit, ut cum dignitate ſuſtineret qualitatem adeo eminentem? Ecce, o SS. Virgo, omnes Filiæ Jeruſalem ingentes ſibi divitias cumulaverunt, omnes in oculis Dei videbantur meritis

Proverb. 5.

ornatæ, ac ſpecioſæ, *ſed tu ſupergreſſa es univerſas.* 1. Supergreſſa es univerſas, quia nulla eſt, quæ tibi gratia non cedat; 2. Quia tu una plures gratias obtines, quam omnes ſimul homines, & Angeli. *Supergreſſa es univerſas;* nam Sanctitas, puritas, gratiæ tuæ tantum ſuperant illas omnium creaturarum, quantum claritas ſolis ſuperat Stellarum claritatem, & qualitas Matris Dei ancillæ ſuperat qualitatem. *Tu ſupergreſſa es univerſas.* Benedicta ſit in æternum Sancta hæc, & nova Jeruſalem deſcendens de Cælo a Deo, & quæ fuit Auguſtum Tabernaculum, in quo requievit Deus cum venit, ut habitaret in nobis. *Ex ſolitudine Virginum.*

Qua gratiarum ſuperabundantia cumulavit Deus S. Virginem, ut præpararet ad Myſterio Incarnationis Dei.

Ut deberemus S. Virgini incolatum, quem Salvator intra nos conſtituit, qua cum plenitudine ſpiritualiter commoratus eſt in anima illius, antequam habitaret corporaliter in Sinu ejus per Myſterium Incarnationis? Quænam erat puritas corporis hujus Virginalis, ex quo illud formatum eſt, quod pro noſtra ſalute ſuſcepit æterna Sapientia, quæ profitetur ſe in corpore ſubdito peccatis non habitaturam? Quænam erat ſupereminens Sanctitas hujus animæ, quæ invenerat gratiam apud Deum, cum qua Dominus erat per plenitudinem Spiritus ſancti, antequam eſſet in illa per præſentiam Corporis ſui? Quænam erat ſuperexcellentia divinæ Creaturæ hujus, a cujus fide, & humilitate voluit, ut ita dicam, efficere, ut penderet hominum ſalus per conſenſum quem per interpretem Angelum petiit ab illa antequam noſtræ ſalutis Myſterium impleret? Quibus gratiis fere infinitis ornata non erat Cæleſtis hæc Virgo: quandoquidem voluit Deus agere cum illa de Redemptione mundi totius? Deſtinata, & electa ante ſæcula, ut eſſet in tempore Mater Domini ſui, & Dei? Quibus donis aucta non fuit ab eo, qui creaturis ſuis elargitur gratias, & virtutes omnes, quæ neceſſariæ ſunt ad opera, quibus abſolvendis deſtinatæ ſunt! Ipſa vivens fuit Tabernaculum, in quo increata Sapientia exercebat coram Deo miniſterium, & novæ Legis Sacrificium. Immaculatum Corpus illius fuit Sanctuarium, in quo Summus Pontifex, Sacerdos magnus novæ Legis induit ſe tegumentis noſtræ humanitatis, & per Virginitatem, quæ carebat exemplo, per ardentiſſimam caritatem, ac profundiſſimam humilitatem, per quas Deus illam præparabat inſigni Myſterio, quod in ipſa erat perficiendum. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo 8.*

Cauſſa beatitudinis in Maria fuit ſeſe in omnibus conformare voluntati Dei.

Mater Redemptoris fuit omnium creaturarum feliciſſima. Quorſum iſtud? Quia fuit plena gratia: quia eximiæ virtutes ejus fuerunt in cauſa, ut gratiam in oculis Domini inveniret. Ipſa eſt Mater Salvatoris; ideoque omnium Creaturarum ſublimiſſima; ſed vera ejuſdem beatitudo eſt, JESUM CHRISTUM concepiſſe corde, antequam conciperet gremio: eſt perſpexiſſe Voluntatem Dei quoad vixit: eſt in omnibus actibus ſuis id unum quæſiviſſe, ut Dei conſilia ſcrutaretur, eaque adimpleret. Felicitas ergo Sanctæ hujus Virginis eſt, inveniſſe gratiam apud Deum; quod ſane maximum eſt bonum, quod Fideli in terra viventi contingere valeat. Hoc quoque illud eſt, quod Sanctam hanc animam ad altiſſimum honoris faſtigium evexit, quo creatura ſperare valeat ſe perventuram; & hoc effecit, ut quo pluribus gratiis S. Virgo cumulata fuit, eo magis ſeſe humilem præbuerit coram infinita Dei Majeſtate. Millies beatus Fidelis ille, qui nihil prætermittit, ut eoſdem ſenſus aſſequatur! *Lambert in anno Evangelico Tomo 5.*

Cur Dei Filius ſibi inter nos matrem elegerit, cum ſibimet effingere poſſet corpus paſſibile.

Tota pulcra es, amica mea, & macula non eſt in te. Et creaturis omnibus intelligendi vi præditis nulla eſt, quæ majorem habeat rationem ad Verbi Incarnationem, quam SS. Virgo. Dei Filius humanitatem aſſumpturus illam ab æterno ſibi in Matrem elegerat; & ideo jam ex tunc decreverat illam gratiis omnibus cumulare, quarum mera creatura capax eſt. Dei Filius carnem ſuſcipere volens, poterat ſibimet corpus effingere; voluit tamen illud debere huic Virgini quatenus Matri ſuæ. Cur hoc? ob cauſſas quatuor. 1. Ut amplius Patrem ſuum honoraret, demiſſius ſeſe humilians coram illo ſub abjectiſſima qualitate Filii hominis. 2. Ut perſonam haberet, erga quam poſſet toto vitæ ſuæ curriculo exercere officia obedientiæ, juſtæ ſubmiſſionis, & hoc pacto præbere nobis exemplum virtutis hujus adeo excellentis. 3. Ut Virginem hanc Sanctiſſimam ad tantam eveheret dignitatem, ut infra illam eſſet, quidquid Deus non eſt. 4. Ut in hac adorabili Virgine Matre ipſi invenire poſſemus perfugium, ſubſidium, gratiam, ſpem, opem qua indigemus, & quam juſtiſſimus terror, ſed nimius fortaſſe prohiberet, ne directe quæreremus in Deo conſcii noſtrummet ipſorum, & plurimis iniquitatibus diffluentes. Admiremur hoc in loco omnia hæc bonitatis, & clementiæ conſilia. Agamus gratias auctori, qui in hac S. Virgine dedit nobis Advocatam apud ſe. Veneremur ſupremam ejus Sapientiam, quæ quodammodo reparare novit Evæ peccatum per ſuam SS. Matrem. *Moralis novi Teſtamenti Tomo 8.*

Maria prima omnium puritatis extulit vexillum.

Maria Virgo prima fuit, quæ, ut loquitur S. Ambroſius, puritatis vexillum extulerit: Et unus Dei Spiritus, qui illam Matrem effecturus erat, immiſit illi deſiderium ſemper tuendæ Virginitatis; cujus in veteri Teſtamento nullum viderat præceptum, quo cogi poſſet, neque conſilium, quod hanc illi ſuaderet, neque exemplum, quod illam ſollicitaret. Oratio hanc illi oblationem ſuaſerat. *Oblatio mea Virginitas mea.* Amor ipſius excogitaverat hoc inventum, ut coleret Deum, cum interim peccatores recentes quotidie rationes excogitent quibus eumdem laceſſant. *In Panegyricis Sanctorum Pater Senault Oratorii Tomo 1.*

Chriſtianæ mulieres quotidie inveniunt virtutes, quas in Virgine imitentur; quia Sancta eſt univerſalis.

S. Bern. hom. 1. ſuper miſſus eſt.

Cum Maria Virgo ſit Sancta univerſalis, Chriſtianæ mulieres ſemper in illa novas deprehendunt virtutes quas imitentur. Ipſa enim æque humilis eſt ac pura, & quæ nequeunt Virginitatem ſervare, humilitatem poſſunt exercere. *Audis Virginem, audis humilem,* S. Bernardus ait: *Si non potes Virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis;* & ſi poſterior hæc imitatio non eſt adeo honorifica tibi, erit tamen utilior priore, quia glorioſa quidem eſt Virginitas, ſed humilitas eſt neceſſaria; illa ſuadetur, hæc imperatur, atque ut omnia verbo complectar, Sancti eſſe poſſumus ſine Virginitate, ſed ſine humilitate Sancti eſſe non poſſumus. *Laudabilis Virginitas, ſed neceſſaria humilitas; illa conſulitur; iſta præcipitur. Idem.*

Prærogativæ quas obtinuit Maria eo momento, quo Verbum Caro factum eſt.

Prima omnium prærogativarum, quas Virgo Sanctiſſima obtinuit ex ipſo momento Incarnationis Filii ſui fuit Virginitas cum Maternitate conjuncta, & cum divina Maternitate. Mater Dei! ah! qui non obſtupeſcit audito nomine incomprehenſibilis hujus dignitatis, ſane ignorat quid ſit divinitas, S. Joannes Chryſoſtomus inquit. Cohte ergo, veneremini in æternum admirabilem hanc dignitatem, ſed ſimul veſtrum metipſorum reminiſcamini. Mementote vos quodammodo in ſacra Synaxi hunc honorem partiri, quandoquidem idem Incarnatum Verbum ibi recipitis. Eſtote ergo, ſi fieri poteſt, æque puri, caſti, ferventes ac illa; ſed heu! quam procul abeſtis ab hac perfectione! ſaltem hoc fatemini, & erubeſcite. Altera prærogativa eſt ſubjectio, quam Verbum præſtare Matri dignatum eſt, in utero ejus. Omnibus in rebus pendet ab illa, tamquam fructus ab arbore, cui inhæret. *Benedictus fructus ventris tui.* Virgo Sancta; in hoc ventre puer hic Deus vivit, ac reſpirat. Omnia recipit ab hac divina Matre, cum qua unum duntaxat, idemque eſt. O Sancta Unitas! O Sanctificans unio Matris, & Filii! Divina JESU Mater; divine Mariæ Fili, facite, ut ego quoque in hanc ineffabilem unionem admittar. Tertia prærogativa eſt augmentum gratiarum, quæ inceſſanter a Filio redundant in Matrem per incrementum,

tum, quod in ſingula momenta in infinitum, ut ita dicam, excreſcit. Quot autem hujuſmodi momenta in novem menſium ſpatio? Vos ipſi meditari poteſtis, aſſequi vero non item. Fons benedictionum, atque gratiarum; ſine ut aliquæ in me defluant, vides enim, Deus, paupertatem, ac miſeriam meam, miſerere mei. Quarta Mariæ prærogativa conſiſtit in honore, quo inſignita eſt effecta veluti rivus omnium gratiarum, quas Deus hominibus communicat poſt ſuam Incarnationem. Per ejus miniſterium S. Joannes in utero Eliſabeth ſanctificatus fuit: per eam quoque, & interceſſionem ipſius nobis Filius gratias concedit. Quam qualitatem in S. Virgine fatetur, & colit Eccleſia, quandoquidem ſingulis diebus hanc illi dirigit orationem, nunquam ſatis repetendam: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & mortis hora ſuſcipe. Ex morali novi Teſtamenti Patris la Neuville Tomo* 1.

Maria ſemper exercuit opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia. S. Hieron. epiſt. ad Euſtoch.

Beatiſſima Virgo perfecte omnia obiit officia vitæ activæ, quæ ſita eſt in exercitatione operum miſericordiæ ſpiritualium, & corporalium, nec non in praxi virtutum omnium, S. Hieronymus ait, hanc eſſe Arcam Teſtamenti intus, & extra laminis aureis conveſtitam; intus quidem per amorem, cæleſtiumque rerum contemplationem; extra vero per caritatem, & bonorum operum praxim. Divinitus exercuit illa corporalia miſericordiæ opera cum Filio ſuo, geſtans illum novem menſes in viſceribus ſuis, nutriens illum tamquam Filium ſuum, ſerviens illi, tamquam Domino ſuo, eumque ſubſequens quocumque tamquam Deum ſuum. Eximie exercuit ſpiritualia opera miſericordiæ erga S. Joannem procurans animæ ipſius ſanctificationem, & ferens ad illum gratiæ auctorem. Utraque vero ſimul exercuit mirifice cum S. Eliſabeth, parienti aſſiſtens, & in domum ejus inferens Cæli benedictiones: exercetque nobiſcum quotidie nobis corporis, animæque bona procurans cum inexplicabili caritate. Maria, S. Bernardus ait, abundat piæ caritatis affectibus, & beneficæ Caritatis operibus practicis. Adeſt vocata omnium neceſſitatibus; omnibus eſt omnia; aperit miſericordiæ ſuæ ſinum converſis, ut accipiant omnes de plenitudine ſua gratiam pro gratia. Eſt Arca diluvii: *Arca nunquam quieſcens.* Arca ſemper in motu, qui nos defert per fluctus proceelloſi pelagi Mundi hujus uſque ad æternæ beatitudinis portum, & quæ ſalvos facit, quicumque ingrediuntur in illam. Templum eſt Miſericordiæ, quod *omnibus patet, & nemo patitur repulſam.* Omnes peccatores recipiuntur, & nemo aditu prohibetur. *Meditationes Patris Nouet Tomo 6.*

Maternitas S. Virginis fundamentum omnium magnalium ipſius.

Fundamentum omnium magnalium S. Virginis eſt Maternitas. Propterea Eccleſia illam iis omnibus, quibus poteſt, honoribus colit eam nobis repræſentans divinitatem illius, cujus eſt Mater. Nihil meræ creaturæ honorificentius eſſe poteſt, quam Matrem eſſe Creatoris. Tuliſſe ſinu ſuo, & in lucem edidiſſe hanc Sapientiam, quæ ab æterno in Deo eſt, & quæ erat cum illo, antequam ulla exiſteret creatura, & per quam creata ſunt omnia, hoc proculdubio eſt quidquid glorioſius illi fingi poteſt; hoc extollit eam ſuper omnia, quæ non ſunt Deus. Nobis quoque conſideranda eſt S. Virgo, quatenus Domus, & janua Sapientiæ hujus, clamantis: beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Hæc eſt Sapientiæ janua, nam per illam Dei Filius ingreſſus eſt in Mundum cum corpore, quod aſſumpſit, ut nos ſalvos faceret. Hæc domus eſt ejus, quoniam divina iſta, & eſſentialis Sapientia, quæ in aliis Sanctis eſt per luminum ſuorum communicationem, eſt etiam peculiari modo in S. Virgine per corpoream manſionem, quam in ſinu illius facere voluit. Poſſumus ergo ad hanc januam accedere, & ad Divinam Sapientiam contendere per viam, qua ad nos venire dignata eſt. Poſſumus etiam diſcere quomodonam nobis audienda ſint præcepta, & ſervandæ viæ Sapientiæ ex illius exemplo, de qua dictum eſt, quod conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo, & cui Sancta mulier Spiritu ſancto repleta hoc perhibuit teſtimonium: beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino. Sapientia Æterna clamat; beatus qui audit me, beatus, qui ambulat in ſemitis meis; & Incarnata Sapientia, quæ ipſe eſt Dei Filius, in Evangelio, cum laudibus extolleretur Mater ſua eo quod ipſum peperiſſet, beati, exclamat, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Tourneux in anno Chriſtiano Tomo* 11. Luc. 2. 46.

De honore S. Virgini debito.

De honore Beatiſſimæ Virgini debito ratiocinari oportet ſecundum principia, quæ ſequimur ferentes judicium de gradu, quem tenet. Omnibus enim, quibus ratio eſt, fatendum eſt Mariam in terris eſſe colendam, quemadmodum in Cælo colitur; & ſicuti nullum elationis excogitari poteſt faſtigium, quod Mariam minime deceat, dummodo cum Deo non confundatur, concipi nequit cultus quem non debeamus illi, dummodo abſit ab adoratione in ſpiritu, & veritate, quæ uni Deo eſt adhibenda. *Abbas du Jarry.*

Magnitudo Mariæ in Cælo.

Principium elationis creaturæ non tantum eſt propria ejus excellentia, quantum ejuſdem unio cum Deo. Quemadmodum Humani Verbi licet natura ſua ſit inferior natura Angelorum, nihilominus toto Cælo elatior eſt ſublimibus hiſce Mentibus per unionem hypoſtaticam: ita S. Virgo Cæleſtibus illis Spiritibus inferior, recepit tamen gradum magnitudinis ſuperiorem magnitudini eorum per arctam conjunctionem, quam habuit cum Filio ſuo, habita fuit pro vera Matre Dei, omnes hi tituli adhærentes auguſtæ huic qualitati cum illa eidem attributi fuerunt, ita ut nullus adeo ſublimis ſit gradus, ad quem Deus creaturam valeat attollere, quem Sanctæ Matri non reſervaverit, & relinquens infra illam quidquid non eſt Deus, S. Bernardus ait, nihil ſupra eamdem poſuerit, niſi ſe ipſum, ita ut licet maximum ſit intervallum Deum inter, & Mariam, tamen extremos divinitatis fines propius attingat, & nihil ſeparet illam a Filio ſuo, niſi inacceſſibile illud lumen, in quo ſolus habitat. *Idem.*

Quodnam ſit fundamentum gloriæ S. Virginis.

Aliud fundamentum gloriæ Deiparæ innititur parti, quæ in Domini noſtri Paſſione ceſſit illi. Et ſane quoniam tota JESU CHRISTI, quatenus hominis, elevatio, ut S. Paulus Apoſtolus docet, innitatur humiliationi Crucis, & oportuerit JESUM CHRISTUM pati, ut intraret in gloriam ſuam, ut ipſe teſtatus eſt; nonne æquum erat, ut quæ particeps fuerat dolorum, atque opprobriorum Paſſionis ejus, particeps quoque fieret abundantius ejus gloriæ, quæ præmium eſt dolorum, & opprobriorum illius? Cogitate triſtitiam Mariæ apud Crucem Salvatoris in Calvario, ut rite judicetis de Mariæ gloria ad thronum JESU CHRISTI in Cælo. Conſiderate illum amaritudinis, & doloris Oceanum, in quo demerſa fuit terribili illo momento, & hæc menſura eſt Oceani hujus lætitiæ, & conſolationis, qua diffluit hoc glorioſo die. Quemadmodum vulnera JESU CHRISTI morientis fuerunt vulnera Mariæ dolentis, S. Bernardus ait, gloria JESU CHRISTI reſurgentis quodammodo fuit gloria Mariæ triumphantis. Quemadmodum illa partita eſt omnia maledicta, & contumelias Judæorum; ita partitur hodie laudes omnes, & benedictiones aulæ Cæleſtis. *Idem.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

DE MORTE MARIÆ VIRGINIS.

Mariæ exemplum nos docet mori morte ſanctorum.

NULLÆ unquam fuit coram Deo mors magis pretioſa, quam Mariæ, quia nulla fuit unquam vita meritis affluentior, quam ſua. Ex hoc principio argumentemur, quandoquidem conſtat mortem ſapienter prævisam, & quam vita bona præceſſit, viam eſſe rectiſſimam, tutiſſimamque, per quam ad ſalutis terminum perveniamus; argumentemur inquam nobis jugiter incumbendum eſſe ad colligendum hunc meritorum theſaurum, qui ſanctificare debent mortem noſtram ſecundum Deum, eamque Beatam efficere. Profecto omnia in morte nos deſerunt; & opera tantum bona nos ſequuntur. Hæc autem bona opera pro Deo ſuſcepta (neque enim alia meritoria ſunt) ſola erunt, quæ nobis ſupererunt, & quæ nobiſcum afferemus. Itaque hoc modo agitur, ut noſmet bonis hujuſmodi locupletemus, & hac in re eo majori nobis utendum eſt ſedulitate, quod fortaſſe miſeri ex eorum numero ſumus, qui noviſſimi venerunt; & qui nonniſi ſero operari inceperunt, & theſauros in mortem cumulare. Ecce quo omnes vitæ noſtræ actiones ſpectare debent; ecce quid nos debet excitare! ne unam quidem negligamus, nulla quippe eſt a qua pretium, & ſanctitas mortis noſtræ non pendeat. Niſi eo tendant omnes cogitationes noſtræ, ad nos æquiori jure, quam ad Martham hodierna die

Digitized by Google

Luc. 10.

dic referenda eſt illa Salvatoris exprobratio: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima: Porro unum eſt neceſſarium. P. Bourdaloue in Chriſtianis adhortationibus Tomo 3.*

Quid efficerit pretioſam coram Deo Mariæ mortem.

Mariæ Virginis Mors non ſolum pretioſa fuit coram Deo propter merita præcedentia, verum etiam propter gratias, divinoſque favores, qui illam concomitati ſunt. Ex hujuſmodi gratiis una eſt, S. Virginem morientem nullum mortis dolorem expertam fuiſſe. Quinam ſunt angores, & anguſtiæ, quibus vulgo ad proximæ mortis intuitum opprimimur? In ea ſingulariter Scripturæ verbum impletur. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt; & non tanget illos tormentum mortis.* Hæc autem gratia conceſſa fuit Mariæ, & quia per antonomaſiam juſta erat, & quia perfecte ab omnibus terrenis rebus erat avulſa. Peccatum enim, S. Paulus ait, eſt ſtimulus mortis; & Mundi amor pœnam, & dolores mortis ingeminat. En duæ cauſſæ, quæ aliquando nobis efficere poſſunt mortem horribilem; peccatum, quod in morte potiſſimum ſentitur, & Mundi amor, quia nonniſi cum dolore relinqui poteſt id, quod cum adhæſione poſſidetur. *Idem.*

Sapient. 3.

Ardentia Mariæ mortem expectantia ſuſpiria.

Quam tardo, & lento pede accedere videtur Virgini Sanctiſſimæ deſiderabile hoc mortis momentum? Quam ſevera illius amori fuit hæc viginti annorum integrorum abſentia, qui a Filii ſui morte ad obitum Matris effluxerunt! Ardentes impetus, quos perfunctoria viſio Cæleſtium pulchritudinum in S. Pauli corde excitavit, & quos ille diſertiſſime in ſuis Epiſtolis expreſſit? Sanctæ impatientiæ mortis, quas Mundi tædium, & ſpes beatæ æternitatis nonnunquam in fidelibus pariunt animabus, quæ ſub tribulationum pondere gementes concupiſcunt propitium momentum illud, quod eſſe debet beatitudinis ſuæ principium, & finis miſeriarum! quam leves, & debiles eſtis imagines impetus, & impatientiæ admirabilis hujus Matris præſtolantis tempus relinquendi terram, ut ſeſe dilecto Filio ſuo in Cælo conjungeret! Quam triſtia ſuſpiria ex tenero corde illius non revellebat importunus corporis obex, qui illam ſeparabat a Filio, & qui videbatur cancellis coercere velle divinos impetus, & amoris ejaculationes! *Abbas du Jarry.*

Admirabile certamen amoris, & ſubmiſſionis voluntatibus Dei in Mariæ corde.

Nunquam ne meditati eſtis hoc caritatis, perfectæque obedientiæ certamen in admirabili hujus Virginis corde; dum ardentiſſimæ caritatis motus illud ejaculabantur in Cælum; opus erat, ut obedientia omnem horum motuum impetum retarderet, ad hoc ut in terris adhuc permanere aſſentiretur; opus erat ut ſua divinæ voluntati ſubmiſſio in corde ipſius conciliaretur cum ardenti illius videndi deſiderio: opus erat, ut idem amor cohiberet motus, quos excitabat; cieret deſiderium impatiens videndi Filium ſuum; ſimulque efficeret, ut ſine querela privationem illius ſuſtineret: ut cum docilitate expectaret, donec Dei manus importunum hunc corporis ſui carcerem infringeret. Quot ſuſpiria in ſingula momenta cogebatur emittere per vehementiam amoris, qui illam aſſidue attollebat in Cælum? Sed inter obedientiæ cancellos ſubſiſtens offerebat hoc pacto æterno Patri puriſſimum ſacrificium, quod unquam e ſimplici creatura acceperit, ac ſe obedientem præbebat eo uſque ut vitam produceret ad ejus arbitrium, non ſecus ac Filius ſuus factus fuerat obediens uſque ad mortem, quemadmodum eidem placuerat. *Idem.*

Imitari debemus Virginis vitam, ſi pari cum tranquillitate mori volumus.

Num. 23.

Proculdubio imago mortis adeo Sanctæ, adeo ſuavis, atque tranquillæ qualis eſt Mariæ Virginis aliquam efficit in animis noſtris impreſſionem; atque inter ſenſus pietatis, quos nobis inſpirat, in imo corde tacita dicimus: *Moriatur anima mea morte juſtorum: & fiant noviſſima mea horum ſimilia;* atque inter turbas, ac dolores, qui ab extremo illo momento ſeparari non poſſunt, aliquid beatæ illius tranquillitatis percipiam, quæ Mariæ obitum comitata eſt. Sed ad gratiam hanc aſſequendam, modo noſmet a Mundo divellere incipiamus. Sicuti quodvis momentum ſecum auſert vitæ noſtræ particulam, auferat ſecum etiam partem incompoſiti amoris noſtri, quo terræ inhæremus. Ita operemur, ut noſtræ cupiditatis fons exhauriatur, ut ita dicam, prout annorum noſtrorum curſus minuitur, ac tandem feliciter noſmet inveniemus amore vacuos erga creata; cum amor hic non proderit, niſi ut jacturam eorum doleamus. Cupiditas noſtra cum viribus noſtris atteratur: Affectiones noſtræ ſenſim, & ſine ſenſu nobiſcum emoriantur, ut velut arbor, cujus radices in anteceſſum convellere adniſi ſumus, ultro corruit, & ſine conatu, animæ noſtræ ſolutæ, atque a terrenis affectibus expeditæ, quibus totidem veluti radicibus Mundo inhærent, ſine vi ſeparentur, labantur, & ut ita dicam, per ſe decidant in manus Dei, qui occurret ad eas noviſſimo eo momento accipiendas. Tandem enim ſibimet ſuavem, ac tranquillam polliceri vitam, & ea facere omnia, quæ ad illam crudelem, ac non ferendam nobis præſtandam requiruntur: in horas ſingulas recentia ſuggerere illicia cupiditati, quæ inceſſanter a nobis eſſet mortificanda; quotidie infelicia roborare vincula, quæ nobis eſſent frangenda, & credere nos quiete, ſine terroribus, atque turbis, quæ ut plurimum mortem peccatorum comitari conſueverunt, morituros, hoc eſt ſe ipſum mirum in modum decipere. *Abbas du Jarry.*

Cum Maria per amoris impetus obierit, omnia creata ſimul doluerunt & lætata ſunt.

Quid expectatis Fratres? Nequeo diutius tenere animos veſtros in ancipiti. Nonne tempus eſt, ut oculis veſtris objiciam Sanctam hanc Virginem omnibus decoratam virtutibus, gratiæ muneribus auctam, in extaſi; & raptu potius quam in agone expirantem, & extremas ſacrati cordis palpitationes in conſummatæ caritatis impetus convertentem? Reor vos Myſterii hujus magnitudinem admirantes vobis fingere Angelos hominesque non ſine miraculo congregatos ad excipienda extrema ejus ſuſpiria, gemitus horum, qui lacrymis proſequuntur obitum communis omnium parentis, & illorum epinicia Reginæ ſuæ corollas nectentium: circumſtantias mortis ejuſdem cum triumphi ſui apparatibus commixtas; & tributum, quod naturæ perſolvit, celebratum obſequiis eorum, qui maxime in Cælo, ac in terra coruſcant. *Abbas du Jarry in Sermone de Virginis Aſſumptione.*

Firmitas, & conſtantia Mariæ in obitu.

Si verum eſt, quod Patres omnes vulgo ſentiunt, totam Eccleſiæ fidem incluſam fuiſſe in S. Virginis anima a primo obitus Filii ſui momento ad illud uſque reſurrectionis ejuſdem: Si Eccleſia potiſſimum in ſacratæ hujus Virginis honorem dicavit diem illum, licet ipſi triſtiſſimum, quo ſola illam tutata eſt adverſus inferorum vires, quæ adverſus eam prævalere omni contendebant niſu: Si in generali illa trepidatione, quam tragicus Salvatoris deceſſus omnibus injecerat ejus diſcipulis: cum omnis miraculorum ejus fulgor erat quodammodo obrutus Crucis opprobriis, quo omnia divinitatis ſuæ argumenta prorſus deleta videbantur contumeliis, quibus adorabilis ejus humanitas fuerat coinquinata, & omnia Chriſtiani ædificii fundamenta ruinam, ac irreparabile excidium portendebant; ſi inquam omnia vel diruta erant, vel nutantia: Virgo illa manet inconcuſſa: Quæ fortitudo: quæ ſpes fidem illius comitatur in extremo articulo mortis ejus? cum poſt tot gratias receptas exercitaſque virtutes, cum tot lumina fidei illius abſtulerant caliginem, quæ aliorum offuſa fidei eſt, atque in illa reliquerant ſolum obedientiam, & humilitatem, quæ ſunt virtutis hujus fundamenta? *Idem.*

Tedium, quo Maria affecta erat rerum creaturarum, effecit, ut ex hac vita ſummo cum gaudio excederet.

Ad Mariæ gloriam dicamus illam non ſolum ſine dolore ex hac deceſſiſſe vita, verum etiam extremo cum gaudio; namque tantum aberat ut creatis rebus adhæreret, & incompoſito quopiam illarum amore teneretur, ut eas ſemper contempſerit, & nullo in diſcrimine habuerit; quia ab ipſis incunabulis ineffabilibus Cæli donis locupletata, quorum pretium, ac præſtantiam norat, vixerat omnino aliena a bonis omnibus, quæ fluxa, & fragilia ſunt, quorum nihilum, miſeramque noverat vanitatem. Quippe deſtinata ad primam apud Filium ſuum ſedem obtinendam, honores omnes, omnes dignitates, omnemque Mundi gloriam ſpectabat tamquam fumum inanem; neque enim in ſæculi voluptatibus & gaudiis quidquam invenire poterat præter amaritudinem. *Abbas du Jarry.*

Maria in hora mortis immunis fuit ab horroribus quibus aliæ creaturæ vulgo affici ſolent; & quare.

Mariæ Virginis obitus immunis fuit ab iis ſymptomatibus, tetriſque convulſionibus, qui ſunt extremi, violentique conatus, quos exerit mors ad animam a corpore divellendam. Et conſtat ratio: gladius enim doloris, qui diram hanc efficit ſeparationem jam Virginis hujus animam pertranſierat ad crucis pedem. *Omnia vulnera CHRISTI morientis*, S. Bernardus ait, *erant vulnera matris dolentis;* atque ut idem Pater ait, amorem tunc cum fœnore exegiſſe dolores omnes, quos paſſa non erat parturiens, nos æquo jure dicere poſſumus, hunc eumdem amorem effeciſſe, ut in anteceſſum illa omnes ſubiret pœnas, quæ morienti erant ſubeundæ: quandoquidem non liquet, S. Ambroſius inquit, neque ex Scripturis, neque ex Hiſtoriæ monumentis SS. hanc Virginem doloroſam mortem ſuſtinuiſſe. *Nec Littera, nec Hiſtoria*, Pater laudatus inquit, *docet Mariam ex vita migraſſe corporalis necis paſſione. Abbas du Jarry.*

Virgo ſancta præ amore mortua eſt: videlicet per caritatis exceſſum.

Præ amore mori, eſt mori per exceſſum Caritatis, & per ſuavem conatum, quem amor exerit, ut liberet animam a vinculis, quæ illam ſuo corpori adnectunt, ut illam conjungat cum Deo, qui amoris æternæque quietis centrum eſt. Ita mortua eſt Maria. Mater pulcræ dilectionis poteratne alia mori dextera, quam amoris? Cum ejus Conceptio fuerit Immaculata, & vita ejus puriſſima; mors in illa non fuit peccati pœna; non obiit longo annorum uſu attrita, non morbis abſumpta: Corpus enim illius terreſtri Paradiſo temperatius, immune fuit cupiditatum motibus, quæ paullatim temperamentum corporum noſtrorum evertunt; ſed obiit per extaſim ſuaviſſimam, tenerumque raptum, & ardoris, atque caritatis exceſſum. Obiit, quia amor ſuus a primo vitæ ſuæ momento ad extremum uſque ſpiritum ſemper creverat; cumque cor illius tantum non eſſet, ut cum amplius capere non poſſet, tandem diſſectum eſt, ut liberior pateret aditus igni ſacro caritatis, qui nimis in arctum erat redactus. Ita cor hoc amoris igne ſuccenſum eumdem finem nactum eſt, ac fax, quæ paullatim abſumitur, & ſine violentia, quæ obeundo proxima puriorem, ac ſuaviorem flammam emittit. O quam tranquilla fuit iſta mors! Nonne æquum erat, ut quæ ſine voluptate conceperat, ſine dolore pepererat, ſine dolore mo-

reretur? & Dei Mater, quæ pulcræ dilectionis Mater extiterat, fieret victima caritatis? *Pater Segneri.*

Exultat morte Mariæ immunis a doloribus, deſideriis, fragoribus qui morientem perturbant.

Præteritorum memoria primum eſt morientis peccatoris ſupplicium: ſed quam jucundum Mariæ ſolatium adeo ſancte vixiſſe! quæ conſolatio, ne unum quidem vitæ ſuæ momentum perturbare potuiſſe in morte cordis ſui tranquillitatem! gratia, S. Paulus ajebat, in me vacua non fuit, & hæc gaudii, & conſolationis ſuæ erat cauſſa. Sed Maria ſola eſt, quæ dicere poſſit, gratiam in ſe operatam fuiſſe, & omnes, ac ſingulos dies, & momenta vitæ ſuæ eadem plena extitiſſe. 1. Plena, quia ſemper fidelis fuit in conſervanda gratia, & referendo quæſtu cum fœnore ex talento ſibi concredito. 2. Plena, quia amor Virginitatis, paupertatis, cæterarumque virtutum, ne momento quidem intepuit. 3. Plena, quia ſemper meritis crevit, ipſa Canticorum Sponſa ferventior. Si ſenſus illius vincti erant per ſomnum, & quietem noctis, cor ejus, quod ſemper vigilabat in jugi caritatis exercitatione verſabatur; cumque amor ipſius nunquam interpellatus fuerit, illa ſemper Deo conjuncta fuit, & illi Deus. Qui adeo Sancte omnia vitæ ſuæ momenta impendit, moriens poteſtne mœrore confici, quod nimis diu caruerit Dei ſui perfruitione? *Idem.*

Ejuſdem argumenti.

Cuinam mors ſuavior, atque acceptior fuit, quam Mariæ? quiſnam tranquilliori mente, ac facie magis imperterrita illam adventantem conſpexit, immunis ab omnibus ſollicitudinibus, quas terræ bona gignunt, quæ illa Deo ſacrificaverat? Cum ejus cor unice adhæreret Filio ſuo, & ſpiritus abſorptus eſſet in Deo, deficiente paullatim corpore, & fatiſcente præ deſiderio videndi Salvatorem ſuum, anima inde ſine ulla vi egrediebatur. Hæc illinc eadem cum facilitate receſſit, qua fructus ad maturitatem perductus ab arbore avellitur, & decidit ultro: illinc exiit tanta cum alacritate, quanta captivus in libertatem vindicatur, & quanta exul ab exilii ſui loco revocatur. Hinc SS. Patres de Virginis hujus morte loquentes illam ſomnum vocarunt, tranſitum de terra in Cælum, intimamque unionem cum Deo. O ſuavem ſomnum! o beatum tranſitum? o mortem præclaram! Quam jucundum eſt ſimiliter mori! *Idem.*

Glorioſæ prærogativæ conceſſæ Virgini poſt mortem. Ejus incorruptibilitas in ſepulcro.

Integritas Corporis Mariæ, quod triduo permanſit in tumulo æque recens, atque integrum, ac ubi vivum erat, prærogativa eſt illi poſt mortem conceſſa. Hæc debebatur Corpori S. Virginis plurimas ob cauſſas. 1. Non decebat Deum, ut SS. Genitricis ſuæ Corpus, quod vivens ejus Templum extiterat in Terra tumuli corruptionem ſentiret. 2. Corpus ejus erat illa terra Virgo, quæ cum nullas ex Adæ peccato ſordes contraxiſſet, maledictionis a Deo latæ ab ipſius mundi primordio contra protoparentem noſtrum particeps eſſe non debebat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* 3. JESUS, & MARIA una, eademque cum eſſent caro, ad Filii gloriam ſpectabat, ut Matris ſuæ corpus a vermibus, & putredine præſervaretur. 4. Miracula, quæ jam operatus fuerat Deus ad ſervandam pretioſi hujus Corporis integritatem, dum viveret, pignoris erant loco, ut etiam poſt mortem ſimilia fierent ad prohibendum, ne Sanctum Templum ſuum dedecore afficeretur. Cur enim per prodigium, quod nunquam viſum fuerat, & quod fortaſſe non videbitur ultra, in Maria Virginitatem cum fœcunditate conjunxerat? Cur Dei Filius ex ſinu caſtiſſimæ hujus Virginis prodiiſſet puriori modo, quam radius ex Sole egrediatur? Cur tot miracula ad ſervandam Corporis hujus Virginis, & Innocentis puritatem, ſi poſt mortem redigendum erat in pulverem? Si balſamo vis ineſt præſervandi a putredine corpus mortuum, num minus virtutis erat Filio Dei ad præſervandum Corpus Matris ſuæ? *Idem P. Segneri.*

Quomodo mors Virginis conformis fuerit morti J. C.

In morte, ac ſepulcro bonum invenio, quod movere debet corda eorum, qui vere fideles ſunt: eſt autem cum Salvatoris morte conformitas. Nonne æquum eſt, ut nocentes moriantur, quandoquidem innocens mori voluit? Sed nonne jucundum eſt tranſire per ſtatus omnes, quos ille pro nobis ſuſcepit, & exhaurire reliquam Calicis partem, ex qua haurire dignatus eſt? S. Virgo, quæ nullam peccati labem contraxerat, & quæ non tenebatur pœnam mortis ſubire, eam tamen peramanter ſubiit, ut ſimilis fieret dilecto Filio ſuo: Illum in hoc ſtatu mortis adoraverat, illum in frigidis ſepulcri tenebris contemplata fuerat; & ſicut illi ipſi, qui amant, oblectantur in ſemetipſis exprimere quidquid in amato objecto intuentur, illa quoque mortis hujus illecta ſpecie cupiet eadem ſe immunem non eſſe, & aliquando mortis ejuſdem imaginem referre gaudebit. Ita juxta hos ſenſus animæ virtutibus præditæ, quæ Salvatorem diligunt, ejuſque colunt Myſteria, mortem quoque diligunt & ſepulcrum. Hæ ſunt cogitationum ſuarum deliciæ, & ſuarum meditationum illicia. Quandonam erit, inquiunt, fauſtus ille dies, vel formoſa nox mortis, quæ me Domino meo conformem efficiet? Tunc in alto ſilentio, ut ille, dormiam, in ſuavi ſopore quieſcam; recedam in ſolitudinem ſepulcri, ut ſim illi ſimilis, & in hac conformitate beatior ero, quam ſi omnes mundi theſauros poſſiderem. Scio, ubi tranſiero per ſtatum mortis ipſius, me participem fore ſtatus Reſurrectionis ejuſdem; & poſt haſce tenebras a me videndum eſſe diem æternitatis. *Auctor recens.*

SUPPLEMENTUM

Ad Titulum

ASSUMPTIONIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Principium exaltationis Mariæ humilitas.

MORS pretioſa Mariæ, cui vita adeo Sancta, & divina præceſſit, efficiat, ut ſubinde nos colligamus quæſituri, quid nobiſmet in morte expectare poterimus, judicium ex vita noſtra ferentes. Si enim in nobis deeſt bonorum operum theſaurus, qui requiritur ad excitandam in nobis ſolidam ſpem, fore ut ingrediamur in gloriam, quam S. Virgo poſſidet, petamus gratiam bene vivendi per merita illius, quam cum Eccleſia ſuppliciter poſcimus, ut oret pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ; & quandoquidem, Domine, in Beatiſſima Virgine reſpexiſti humilitatem; nam virtus hæc in cauſa fuit (uti inſignis ſanctitate Pater teſtatur) ut Filii tui Mater efficeretur: *Humilitate concepit:* Ita hodierna die virtutem hanc admiramur, quippe eſt gloriæ, ac triumphi ipſius fundamentum. Verum cum tu Domine illi profundam hanc humilitatem inſpiraveris, quandoquidem omne donum perfectum deſurſum eſt a Patre luminum; nos illam per ipſius preces a te deprecamur una cum gratia imitandi vitam adeo Sanctam, & Chriſtianam, cujus nobis eadem reliquit exemplum recedens a nobis de Filii ſui manu receptura coronam, quam tantæ Matris caritas merebatur. *Auctor recens.*

De Mariæ gloria judicium ferendum eſt ex morte ejus.

Cupiens Eccleſia magnam nobis adſtruere ideam triumphi Mariæ, dicit, illam quaſi cedrum exaltatam fuiſſe in Libano, & quaſi cypreſſum in monte Sion; illam radices poſuiſſe in populo honorificato; & in plenitudine Sanctorum poſuiſſe ſedem ſuam; Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans dediſſe odorem, & quaſi myrrham electam ſuavitatem odoris: indigitare nobis deſiderans magnificis id genus locutionibus ſodalitatem felicitatis ipſius, & gaudium, quod inde Cælum, & terra percipiunt. Tantæ hujus felicitatis principium eſt peperiſſe illum, quem Deus gignit ab æterno. Ex illa Dei Filius carnem accepit, per quam nos Deo reconciliavit, & oblectatus eſt ſuper entia omnia illam attollere, quæ illi mutuata fuerat noſtræ reconciliationis materiam. Volumus ne adhuc judicare qua cum plenitudine gloriæ habitet in Cælo Maria? Sciendum eſt qua cum plenitudine gratiæ Dominus quieverit in ſinu illius. Quænam erat puritas Corporis Virginalis, ex quo ille formatus eſt qui eſt æterna Sapientia, & qui profitetur ſe non habitaturum in corpore ſubdito peccatis. Nonne æquum erat, ut Virgo, quæ vivebat in terris, quemadmodum Cæleſtes Spiritus vivunt, habitaret cum illis aſcendens in Cælum cum eo triumpho, quem hodierna die celebramus? Electa, & deſtinata ante omnia ſæcula ut eſſet in tempore Mater Domini ſui, quibus muneribus aucta fuit ab illo, qui hodie illam participem efficit ejus gloriæ, quam accepit a Patre? Ipſa fuit vivens Tabernaculum, in quo increata Sapientia coram Deo exercebat miniſterium, & ſacrificium novæ legis; & modo habitat in Templo increatæ Sapientiæ, ubi ſe offert tamquam victimam, quæ amoris igne conſumitur. *Auctor recens.*

Maria docet quanam re Sanctorum beatitudo conſiſtat.

S. Virgo illico poſt mortem ſuam adiit poſſeſſionem beatitudinis, & gloriæ ſuæ. Hoc eſt Myſterium; quod hodie celebramus, & quod proprie dicimus Aſſumptionem. Sed quam ob cauſſam judicamus illam ad Cælorum apicem ſublatam fuiſſe, & quomodo credimus

illam

illam ad id aſcendiſſe faſtigium? Num Deus illam coronans rationem habuit duntaxat divinæ Maternitatis ejuſdem? Fateamur potius illum coronare voluiſſe non divinam tantum Maternitatem, ſed ſanctitatem, & bona opera illius. Quot ex JESU CHRISTI majoribus a Deo reprobati fuerunt, quia licet majores, & proavi illius tamen impii, & infideles fuerunt? *P. Bourdaloue in Christianis adhortationibus. Tomo 2.*

Omnes fideles ad Mariæ pedes procidunt.

Ex quo Maria beatum ſuum emiſit ſpiritum, omnes ad pedes illius procubuere, eos lacrymis irrigantes. Fideles omnes, qui erant Jeroſolymis, & in ſuburbanis oppidis feſtinantes confluxerunt honorem delaturi Sancto huic corpori, Sanctuario Verbi carnis facti, & Arcæ novi Teſtamenti. Nullus accurrit æger, qui non convaluerit, & S. Joannes Damaſcenus, qui ad nos tranſmiſit, quod per traditionem acceperat, dicit, Judæos ipſos expertos fuiſſe effectus hujus poteſtatis, & miraculorum ejus fuiſſe participes. Poſtquam ſinguli pietati ſuæ fecere ſatis, elatum fuit corpus hoc in locum monumenti, ſingulis fidelibus cum accenſis facibus ſubſequentibus; quippe Judæi non ſolum non prohibuerunt funebrem hanc pompam, ſed venerabundi ſocios ſeſe dederunt fidelibus, & pompam effecerunt celebriorem.

Pompa funebris B. Virginis.

Corpus Sanctum magna cum reverentia depoſitum fuit in ſepulcro, quod antea fuerat præparatum. Apoſtoli ultro citroque ſeſe conſolabantur, & cum fidelibus dies, noctesque traducebant prope monumentum conſociantes voces & cantica cum canticis Angelorum, qui triduo non ceſſarunt, quo minus palam audirentur. Sed minime decebat, S. Auguſtinus ait, quod Salvator in Sepulcro relinqueret Corpus, in cujus ſinu factus erat caro, quæ quodammodo, ut ille dicit, erat ſua. *Caro enim JESU, Caro Mariæ.* Auderet ne quiſquam, addit, opinari, Dei filium qui venerat non quidem legem tollere, ſed adimplere, ſeſe diſpenſaſſe ab officio vel minimo, quod præſtare debet filius matri ſuæ? At Lex eadem quæ jubet matrem coli debere, vetat omnia, quæ illam dedecore afficere poſſunt: *Lex enim ſicut honorem matris præcipit, ita inhonorationem damnat.* Cum ergo potuerit JESUS CHRISTUS, Sanctus idem Doctor concludit, Matris corpus eximere a corruptione; audebitne quiſquam aſſerere, illum hoc facere noluiſſe? Corporis corruptio opprobrium eſt humanæ naturæ; quod cum JESUS CHRISTUS perhorreſcat, dicendus eſt ab illo Matrem ſuam liberaſſe. *P. Croiſet.*

S. Thomas dolens quod non adfuiſſet Mariæ morienti obtinuit, ut ſibi illius ſepulcrum recluderetur.

Et ſane S. Thomas, qui unus erat Apoſtolorum, qui abeſſet cum Deipara obiit, cupiit ſaltem ſacrum hoc videre depoſitum, cum permiſiſſet Deus illum procul eſſe, ut glorioſa Matris ſuæ reſurrectio evulgaretur. Hujus Apoſtoli pietati ſatisfaciendum eſſe ceteri cenſuerunt, tumuluſque reſeratus eſt. Sed obſtupuerunt omnes, non enim invenerunt quidquam præter veſtes, & linteamina, quibus ſacrum Corpus fuerat involutum, & quæ ſuaviſſimum efflabant odorem, quemadmodum S. Joannes Damaſcenus teſtatur. *Poſt tres dies angelico cantu ceſſante.* Angelorum concentus triduo perſonuerat; qui cum poſt triduum ceſſaſſet, recluſo monumento Corpus non inventum eſt; & intellectum eſt, divinum Verbum, quod carnem aſſumere dignatum erat in S. Virginis ſinu, nequaquam permiſiſſe, ut corpus adeo purum obnoxium eſſet corruptioni, ſed voluiſſe, ut poſt tertium diem reſurgeret, & inexpectata generali corporum reſurrectione effeciſſe, ut triumphans in gloriam ingrederetur. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Sententia S. Auguſtini de puritate Mariæ.

S. Auguſtinus ait, cum promiſerit Sanctis Deus per os Regis Prophetæ, ſe non permiſſurum, ut illi videant corruptionem, ſe credere non poſſe Sanctum illud Corpus, in quo æternum Verbum humanam carnem acceperat, relictum fuiſſe vermibus, ac putredini; quæ ſola cogitatio illi horrorem ciebat: *Sentire non valeo, dicere perhorreſco.* Quis autem comprehendere poteſt, S. Bernardus exclamat, qua gloria univerſorum Regina in Cælum aſcenderit! Quo amoris impetu tot Angelorum legiones occurrerint illi! quo reverentiæ ac venerationis ſenſu, quibus Canticis, & Epiniciis illam triumphantem comitati ſunt! Nullus unquam glorioſior extitit triumphus; & quis hoc dies celebrior, S. Hieronymus inquit, quo SS. Virgo in Cælum aſſumpta eſt? audeo dicere, exclamat Beatus Petrus Damiani excepta Divinitate, Mariæ Aſſumptionem majori cum pompa, & apparatu peractam fuiſſe, quam aſcenſionem ipſius JESU CHRISTI: etenim in Salvatoris Aſcenſione Angeli tantum illi obviam occurrerunt; ſed in Aſſumptione Mariæ præter hos Beatos Spiritus ipſe Dei Filius occurrit Matri, eamque ad ſublimiorum Cælorum verticem comitatus eſt. Num mirum eſſe debet, S. Bernardus inquit, ſi Cæleſtes illi Spiritus admirantur, & clamant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum?* Quaſi dicerent, quænam creatura mera hujus gloriam, & Sanctitatem exæquabit; hujus

Cantic. 8.

unquam quæ *aſcendit de deſerto innixa ſuper dilectum ſuum. Idem.*

Qua cum alacritate, & honore a Filio ſuo excepta fuerit Maria.

Honor, quo olim Salomon Matrem ſuam excepit, fuit adumbratio illius, quo hodierna die Salvator Sanctiſſimam Virginem recepit. Surrexit Rex, illi obviam occurrit, illam obſequenter ſalutavit, cumque in throno ſediſſet, ad dexteram ſuam Matri ſolium extrui juſſit. Hodierna die adimpletum fuit prodigium illud, quod S. Joannes in Cælo tantopere admiratus eſt. Mulier amicta Sole, habens ſob pedibus Lunam, & duodecim ſtellarum coronam in capite. Si oculus hominis nunquam vidit, S. Bernardus ait, ſi auris nunquam audivit, ſi in cor hominis nunquam aſcendit, quid præparavit Deus diligentibus ſe, quis fando explicare poterit, vel aſſequi mente quid præparaverit Matri diligenti ſe magis quam omnes homines illud ſimul dilexerint, & illi, quam ipſe quoque ſingulari dilectione proſecutus eſt: *quid præparavit gignenti ſe?* Fieri nequit, ut quiſquam dicere poſſit, quiſnam ſit exceſſus gloriæ, & ſublimitas throni SS. Virginis, SS. Patres inquiunt. Non eſt cur miremur, addit Arnaldus Carnotenſis: Gloria Mariæ in corpore, & Anima in Cælo non eſt ſimilis gloriæ aliorum. Hæc particularem obtinet ordinem, tenet locum toto Cælo ſublimiorem loco ipſorum Angelorum: gloria enim quam poſſidet Maria, non ſolum gloria eſt ſimilis gloriæ Verbi Incarnati, ſed quodammodo eadem: *Gloriam cum Matre non tam communem judico, quam eamdem.*

Noſtram excitare debemus pietatem, & fidem in hac tanta ſollemnitate.

Hujus diei feſtivitas noſtram ciere debet pietatem, confirmare fidem, excitare confidentiam, quandoquidem revocat in memoriam nobis, ut S. Bernardus ait, habere nos in Cælo Dominam, quæ ſimul noſtra Mater eſt, mediatrix omnipotens apud ſupremum mediatorem, & Advocata, cui Redemptor nullam detrectare gratiam poteſt. *Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra.* Ecce ſcala peccatorum, pergit idem Sanctus, ecce magna mea confidentia, ecce ſpei meæ fundamentum. Virgo Sanctiſſima, unica, ut ita dicam, es ſpes peccatorum, S. Auguſtinus ait; per te ſperamus criminum noſtrorum veniam, per interceſſionem tuam remunerationem noſtram expectamus. Omnis poteſtas data eſt illi in Cælo, & in terra, dicit S. Anſelmus, & nihil illi impoſſibile, quæ in deſperatiſſimo quoque ſalutis ſpem poteſt relevare. Quidquid nobis eſt ſpei, gratiæ, & ſalutis, nobis perſuaſum eſt proficiſci a precibus, & auctoritate Mariæ; Si nunquam repulſam ferre cupis, memento per Mariæ manus offerre, quidquid Deo vis offerre. Spes eſt eorum, qui ſalutem deſperant, S. Ephrem docet, portus eorum, qui naufragium fecerunt, unicum perfugium eorum, qui quavis ope deſtituti ſunt. *In manibus ejus ſunt theſauri miſerationum Domini*, S. Petrus Damiani ait; denique S. Joannes Damaſcenus concludit: *Devotum tibi eſſe, o beata Virgo, eſt arma quædam habere, quæ Deus iis dat, quos vult ſalvos fieri. Idem.*

Serm. de aquæductu.
Serm. 18. de Sanctis.
De laudibus Virginis.
Ibidem.
Orat. de Aſſumpt.

Ejus glorioſa Reſurrectio, & in Cælum receptio.

Mariæ corpus reſuſcitatum eſt poſt tertium diem, ex quo conditum fuit in monumento. In Cælum elevatum eſt, poſitumque in throno, qui Dei Matrem decebat. Hæc alia eſt vitæ glorioſæ Virginis Mariæ prærogativa. In Cælo ſeorſim ſeparatum obtinet gradum. Quis exprimere poteſt pompam, qua illuc delatum eſt? Quis aſſequi gloriam qua fruitur? Incarnatio JESU, & Aſſumptio Mariæ ex S. Bernardi ſententia, æque ſunt incomprehenſibiles. Dei Filius occurrit illi, & ipſa ſuper illum innixa, tamquam ſuper dilectum ſuum aſcendit. Hæc illum in terris geſtaverat; & in amoris retributionem, & grati animi ſignum ille ipſam attollit, neque jam ad tertium uſque Cælum, quo S. Paulus raptus fuerat, ſed ſuper omnes Choros Angelorum. Hunc illi honorem præſtat ex animi voluntate, & officio. Æquum erat, ut locus, ubi poſitum in Cælo eſt Mariæ corpus, reſponderet illi, ubi Dei Filius in terra quieverat. Sed quemadmodum in terris nullus vel ſanctior, vel auguſtior fuit locus, quam Mariæ ſinus, ubi recepit filium ſuum, ita in Cælo nullum eſt Solium illo magnificentius, in quo Dei Filius Matris ſuæ Corpus collocavit. Quæ magnitudo! quæ ſublimitas! quæ prærogativa, inniti ſuper illum, ſub cujus pedibus Angeli Mundum portantes demittunt alas ſuas, & præ reverentia incurvantur! Qualis honor videre ſe in throno ſedentem uni Deo inferiorem, ſed omnibus ſuperiorem rebus, quæ non ſunt Deus! Quis aſſequi poſſet Sanctæ hujus Matris lætitiam videntis Filium ſuum, & ſe juxta illum poſitam! Quoties exclamavit illa? Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam! Ecce Virgo Sanctiſſima beatam hæreditatem quam elegiſti, & quæ nunquam auferetur a te, & qua in æternum perfruens. *Ex ſolitudine Virginum.*

Quidquid contulerit ad gloriam triumphi SS. Virginis.

Conſideranda nobis ſunt admirabilia omnia, quæ collecta in hujus diei ſollemnitate S. Virginis triumphum glorioſiorem effecerunt. Pretioſa illius mors, puriſſimi amoris effectus: anticipata ejus reſurrectio, Sanctitatis honor, Aſſumptio ejus in corpore ſimul, & anima in Cælum, potiſſimum gloriæ ipſius argumentum! Quot miracula in una tantum ſollemnitate! Quot argumenta gaudii, confidentiæ, venerationis, amoris in hac feſtivitate! Quam ſpecioſa eſt Deiparæ vita! Sine peccati labe concepta, a primæ vitæ momentis plena gratia, omnibus virtutibus aucta, quinam meritorum acervus, qui-

nam theſaurus in morte ? Amor potius, quam mors vitæ adeo ſanctæ terminus eſt: non per infirmitatem, vel virium defectum, ſed ut in omnibus ſe conformet dilectiſſimo Filio moritur Maria. Sed quænam fuit lætitia, & ineffabilis hujus animæ Deo tam acceptæ gloria, cum de Sacro egreſſa Corpore a JESU CHRISTO recepta fuit, & ab hoc cariſſimo Filio per conſertam ſpirituum Cæleſtium turbam perducta uſque ad thronum Dei ? Sed Corpus hoc adeo purum, Incarnati Verbi Sanctuarium, caro hæc ex qua Spiritus ſanctus formaverat adorabile Corpus JESU CHRISTI poteratne eſſe putredini obnoxium ? Adeo pretioſis reliquiis terra digna non erat ita ut fierent tantum objectum venerationis populorum, ſed in Cælo erant collocandæ; quæ res Dominum impulit, ut quam citiſſime Sacrum hoc Corpus educeret de ſepulcro. Mors ſancta, reſurrectio glorioſa, Aſſumptio triumphans, quam copioſus es fons conſiderationum, quæ uberem nobis tribuunt conſolationem ! Nullus unquam triumphus extitit hoc magnificentior, auguſtior, fulgidior. Tota ſimul Cæleſtis aula Deiparæ in occurſum ſeſe effudit; omnes beati ſpiritus gradum celerarunt, ut hominum, Angelorumque Reginam ſummo exciperent cum honore. Qua cum magnificentia, qua cum gloria in Anima & Corpore aſſumpta eſt Maria ſuper ſublimes, cæleſtoſque mentes, & poſita ad dexteram Filii ſui, a quo omnem recipit poteſtatem, & cui omnem ſuam debet gloriam ? Gaudia noſtra conſociemus hodierna die cum gaudiis Cæleſtis Jeruſalem in tanta hac Deiparæ gloria, admirantes, & venerantes Aſſumptionem illius, ac triumphum in Cælo, cujus ſplendor, & majeſtas rapit in admirationem omnem aulam Cæleſtem. Cogitemus cum alacritate, ac fiducia hanc Dei Matrem, noſtram quoque Matrem eſſe; Reginam hanc, quæ tantum poteſt apud Deum, noſtram quoque Patronam eſſe, mediatricem, & advocatam, & in nobis poſitum eſſe efficere, ut hæc ærarii omnipotentis cuſtos, & gratiarum diſpenſatrix, nos in carorum ſuorum albo recenſeat. *Pater Croiſet in Aſceticis.*

Quinam ſit exceſſus gloriæ S. Virginis.

Dici nequit quinam ſit exceſſus gloriæ, & ſublimitatis throni Virginis Sanctiſſimæ. Maria erat gratiæ Sanctuarium; Deus illam in thronum gloriæ convertit. Univerſorum Regina cum ſit, ipſe tantum Rex illi præcedit. Adeo exaltata eſt, ut dici poſſit, Deus illi omnem gloriam ſuam communicaſſe. Adeo potens eſt apud Deum, ut poteſtatis ejus magnitudo vix, & ne vix quidem percipi valeat. Maria tria recepit, quorum Deus unus meritum, ac pretium concipere poteſt: Auguſtiſſimam Deiparæ dignitatem, plenitudinem gratiæ, qua locupletata fuit, & remunerationem in Cælo utrique parem. Cum remuneratio qua gaviſa eſt congrua fuerit gratiæ, quæ eſt germen, & menſura ipſius; cumque gratia ſit congrua magnitudini auguſtæ dignitatis Deiparæ, quæ infinita eſt; gloria, qua fruitur, tantum ſuperat gloriam qua homines, Angelique perfruuntur, quantum qualitas Matris Dei ſuperat meræ Creaturæ qualitatem. Superat gloriam Virginum, quarum Regina eſt, gloriam Martyrum, quorum prototypus eſt, Apoſtolorum, Patriarcharum, Angelorum, quia illos ſuperat zelo, fide, caritate. Poſita in ſublimiori ſede Regni Filii ſui, quibus acclamationibus Regina appellata fuit ? Sed poteſtas, quam habet, cum congrua ſit loco, quem tenet; quodnam nobis eſt ſpei, & lætitiæ argumentum, quoniam poteſtas, quam inde recipit, certam nobis facit protectionem ſuam; & gloria, quam poſſidet, nobis certiſſimum eſt illius argumentum, quæ promiſſa fuit ? O quæ conſolatio hæc eſt homini teneram pietatem foventi erga Dei Matrem! Quodnam confidentiæ argumentum veris Mariæ famulis! *P. Croiſet.*

Quis poſſet digne exprimere beatitudinem, qua Virgo Mater nunc in Cælis perfruitur? Non eſt mortalis de eadem verba facere. Si cæleſtis illa ſedes locus eſt, ubi Deus ſuam erga electos oſtentat magnificentiam ubi ille propria coronat dextra, ſuiſque cumulat deliciis, quid tandem pro creaturarum omnium puriſſima reſervat? Si ille indelebilibus inſculpſit characteribus præceptum colendi eos, quibus vitam debemus; quomodonam ille hoc munere fungitur erga Matrem ſuam? Cum oculos noſtros perſtringat, noſque illiciat hæc gloria, qua illa ſupra Cæleſtes mentes extollitur, & propius accedat ad lumen illud inacceſſibile, ubi inhabitat Deus: ſilentium noſtrum illam melius commendat, quam verba; & nunquam melius texemus ejus encomium, quam cum fatebimur illam elogiis omnibus eſſe ſuperiorem. *Auctor recens.*

Ratio ſuiſmet commendandi Mariæ.

Cælum te poſſidet Virgo Sanctiſſima, ſed nos nequaquam amittimus te. In tanta hac gloria tua non oblivifceris noſtri, & de throno, ubi ſedes, non dedignaris erga nos convertere oculos tuos. Quo propior es fonti gratiarum, plures in nos effundes. Hac ſpe ſuffulti ad pedes tuos proſternimur, tibique humillima vota noſtra offerimus, & preces effundimus. Te tamquam Dominam noſtram colimus, te tamquam miſericordiæ Matrem invocamus, reſpicimus te tamquam refugium, aſylum, ſolatium, ſpem noſtram dignare quæſumus recipere nos hac triumphi tui die in numerum ſervorum tuorum, atque filiorum. Noſmet in æternum ſervitio tuo devovemus. *Pater Croiſet.*

S. Virgo pietatis efficienda.

Quandoquidem hodierna dies eſt triumphalis SS. Virginis dies, ſimulque dies liberalium donorum ejuſdem eſto etiam dies noſtræ conſiderationis: Acri, ſinceroque dolore ducti, eo quod hactenus illi frigide famulati fuerimus, veniam petamus ignaviæ noſtræ, ſingulari pacto noſmet ſervituti illius devoveamus; polliceamur nullam abituram diem, quin illam peculiari cultu colamus. Omnis confidentia, ac ſpes noſtra in illius bonitate ſit repoſita, & in potenti protectione Matris miſericordiæ. Exemplum ſecuti cujuſdam ex piiſſimis Regibus noſtris ſub illius clientela non vos tantum, ſed filios, ſubditos etiam, totamque familiam veſtram collocate, hodierna die exhortamini domeſticos, filioſque veſtros, ut ſua veſtris vota conjungant, iiſque teneram inſpirate pietatem, filialem, conſtantemque confidentiam erga Dei Matrem, in vita æque ac in morte; & ſicuti pius ille Monarcha voluit devotionem ſuam publicam eſſe, ne erubeſcamus noſtram præ nobis ferre, & mementote ſententiæ S. Anſelmi aſſerentis, ſicut familia tota ſolide, ſancteque glorioſæ Virgini devota non perit; ita nobis credendum non eſſe, quod Dei benedictio inveniatur in familia, in qua Virgo glorioſa non colitur. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Præparatio ſpiritus, qua mortalium ... & ... requiritur ſolemnem hanc diem celebrantia.

In feſtis diebus in honorem principum hujus Mundi inſtitutis, quilibet conferre aliquid ſtudet eorum celebritati veſtium ſumptu, & elegantia, elogiis magnificis, & exquiſitiſſimis muneribus. Male celebramus ipſi diem adeo ſollemnem, qualis hic eſt, niſi diligenter expiare, & exornare contendimus animam noſtram Sacramentis, niſi Deiparæ laudes celebramus, niſi præbemus illi præclara argumenta amoris, grati animi, & noſtræ devotionis. *Idem.*

Maria humilitatis ſuæ perfectionem celebrationem ... fuit. Ad Epheſ. 4. Luc. 1.

Humilitas præcedit gloriam, non ſecus ac effectum ſuum cauſſa. Hæc S. Job ſententia eſt: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Profecto merito applicari poteſt S. Virgini, quod Apoſtolus dicit de Filio Dei ipſius. *Quid eſt quod aſcendit, niſi quia primum deſcendit in inferiores partes terræ?* Cur S. Virgo ad tantum honoris apicem aſcendit: niſi quia primum per profundiſſimam deſcendit humilitatem. Fides inconcuſſa, puritas Angelica, cæca obedientia; verbo, eommixtio virtutum omnium maxime eminentium confluebant ad illam inter creaturas omnes Sanctiſſimam efficiendam: tamen ejus humilitas magis, quam ceteræ virtutes Dei ſui oculis placuit. Illam beatam dicent omnes generationes, *quia* Dominus *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Huic S. Virginis teſtimonio inhærentes Patres humilitati ejus acceptas referunt ſingulares, eximiaſque prærogativas, quibus Deus illam exornavit. Patres etiam dicunt, ſicut ſuperbia fuit vitium, quod Deus maxime deteſtatus eſt in prima muliere; humilitatem eſſe debuiſſe virtutem, quam maxime amavit in Matre. Humilitas autem cum in Maria cauſſa fuerit potiſſima, propter quam facta fuit Mater Salvatoris: fuit etiam fons gloriæ, quæ illam toto Cælo Sanctis omnibus ſubliniorem conſtituit. Ne ſperemus ergo nos in Cæleſti regno diſtinctum iri, niſi quatenus in Mundo fuerimus humiles. *P. Segneri in Meditationibus Tomo 3.*

Triumphus Mariæ ingreſſæ in Cælum.

Si Biblia teſtantur Dominum poſſediſſe Mariam *in initio viarum ſuarum*, aſſerunt quoque, Deum illam poſſediſſe in fine, ac termino curſus ejuſdem, eique dediſſe coronam juſtitiæ, quam promiſit diligentibus ſe. Angeli numero carentes, quos vidit Daniel omnipotenti obſequentes, *decies millies aſſiſtebant ei*, concomitati ſunt Mariæ triumphum, ut illum efficerent celebriorem. O partem optimam, & partium omnium pretioſiſſimam, quam ſibi delegit Maria! Quid non merebatur anima tot virtutibus plena! Quis concipere poſſet, quænam in Cælo ſit magnitudo, auctoritas, felicitas S. Virginis ? Ut aliquam vobiſmet fingere poſſitis imaginem, fingite vobis quidquid omnium filiorum efficere valeat in gratiam Matris optimæ inter Matres omnes; quidquid amicorum omnium generoſiſſimus, ac fideliſſimus efficere poſſit in grati animi monumentum propter beneficia, quibus ab amico fuit cumulatus; quidquid ditiſſimus, ac potentiſſimus Regum omnium dare poſſit illi ex ſubditis ſuis, quem ſummo habet in pretio: hæc omnia nihilum ſunt ſi conferantur cum iis, quæ in Mariæ gratiam JESUS CHRISTUS facere voluit. Ægypti Rex ſatis ſe honorare arbitratus eſt Joſeph imperii ſui regimen cum illo partitus. Aſſuerus ratus eſt magnum Mardochæo ſe honorem deferre, cum illi diem tribuit, quo in triumphi morem per urbem veheretur. Credidit David inſigni favore proſequi Miphiboſet, illum ſibi menſa accumbere convivam jubens. Salomon inſignium Matri ſuæ honorem præſtare putavit, in throno ſuo illam aſſidere permittens: Sed favores id genus leves ſunt adumbrationes honoris, quo hodierna die in Cælum excipitur Maria. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Hodie oſtendit Deus ma...

Illius tantum eſt qui in mortalis hujus vitæ peregrinatione

nationе

[mag]nificentiam ſuam in gratiâ Mariæ.

natione exceptus fuit in Virginis ſinu, fieri thronum ejus, quam in ſuæ felicitatis, & poteſtatis ſocietatem vocavit. Illius tantum eſt, qui infinitis plenus eſt deliciis infinitos conferre theſauros illi, quam ſuper omnes Adæ filias dilexit, & quæ ſublimioribus virtutibus fideliter omnibus gratiis ejuſdem reſpondit. Illius tandem eſt, qui Deus eſt, remunerari, ut decet Deum, illam, quam ſibi elegit in Matrem, & quæ digne obiit ea officia omnia, quæ huic titulo inhærent. Gloria, quam Deus ſuis electis impertit, modo effectus eſt meræ ipſius miſericordiæ, modo juſtitiæ, & aliquando etiam magnificentiæ. Cum largitur gloriam pueris, qui poſtquam baptiſmi lavacro regenerati ſunt, ex viventium numero expunguntur, hic effectus eſt gratuitæ ipſius miſericordiæ. Cum illam tribuit iis, qui ſub jugo legis conſenuerunt, hic effectus eſt juſtitiæ ſimul & miſericordiæ; ſed cum hodierna die illam concedit Mariæ, hic ſimul effectus eſt miſericordiæ, juſtitiæ, & magnificentiæ. Tale fuit ineffabile Mariæ privilegium triumphi ipſius die. Sanctitas ejus dum viveret, major erat, quam ceterorum. Plus dedit Deo, plus ab illo recipiet; majorem meritorum numerum collegit, locupletiores theſauros inveniet: Anima, & corpus illius plura Deo præſtiterunt obſequia, uberior illi tribuetur remuneratio, & pro Matre ſua Deus omnem ſuam oſtendit magnificentiam. *Elegia Hiſtorica Tomo* 2.

Maria in Solio gloriæ ſuæ non ubi... eſt noſtri.

Poſtquam glorioſa Virgo a Mundo receſſit Cæli poſſeſſionem aditura, ubi modo eſt tamquam Domina, & Regina, nequaquam exiſtimandum eſt, nihil nobis eſſe cum illa, vel nihil nobis ab illius bonitate, & amore eſſe expectandum. Profecto perfecte reſpondit conſiliis, quæ Deus de illa conceperat; cum peperit mediatorem, qui nos reconciliavit Æterno Patri ſuo, cooperata eſt in opus redemptionis noſtræ, offerens Filium ſuum; cui ſuperſtes fuit ad non ita modicum tempus, ut naſcentem fulciret, ac tueretur Eccleſiam, quæ illius exemplis, præſidiiſque indigebat. Sed in Cælo, quo hodierna die aſcendit, nobis præbet apertiſſima ſuæ poteſtatis, & bonitatis indicia erga ſingulos noſtrum per ſingularem protectionem, quam negat nemini opem ſuam imploranti. Ibi attentius, ac utilius vacat noſtræ ſalutis negotio; ibi loquitur pro nobis, ac nos protegit apud ſupremi Judicis tribunal; ibi noſtra mediatrix eſt apud Filium ſuum; & ibi tandem nobis validiſſima impetrat ſubſidia, ſine quibus in jugi pereundi diſcrimine verſaremur. Ita ut ſicuti Mundi Salvator poſt Aſcenſionem ſuam habitat in Cælo, ut pro nobis loquatur, & intercedat pro nobis apud Patrem, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*: (Ad Hebr. 7.) ſimili pacto Mater ejus glorioſa poſt ſuum Aſſumptionis triumphum, nobis adſtat, & valido ſuo patrocinio nos juvat. Beati, qui illud ſibi valent promereri. Si enim ſibi propitiam efficere valent hanc Cæli Reginam, profecto ſibi omnium felicitatum fontem inveniunt. Hoc nos debet impellere, ut illam in honore habeamus, ſerviamus illi, eique cultum, & obſequia noſtra adhibeamus, ac tandem in ea poſt Deum omnem confidentiam noſtram collocemus. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Ejuſdem argumenti.

Quantacumque fuerit SS. Virginis poteſtas in Filium ſuum dum viveret; tamen non liquet hac uſam fuiſſe, niſi ſemel in hominum gratiam; tunc videlicet cum ad illius preces Salvator primum edidit miraculorum ſuorum in nuptiis Canæ. Ceterum quamvis de illius caritate & poteſtate dubitandum non ſit, nobis nonne infinita ſuppetunt argumenta, quibus probare valeamus, illam ſexcentis aliis in occaſionibus utramque exercuiſſe, in quibus poterat auctoritate ſua miſeris graviſſima impetrare ſubſidia? Ratio autem hujus rei petenda eſt ex reſponſione, quam dilectus hic Filius tribuit illi, cum primum pro memorato effectu ad illum confugit; horam ſuam nondum acceſſiſſe; videlicet, quemadmodum tempus, & momentum providentia præſtitutum erat, nondum eſſe tempus efficiendi, ut Matris ſuæ apud ſe potentia coruſcaret; & illius auctoritatem nobis utiliorem aliquando futuram, cum melius veras noſtras agnoſceret neceſſitates: præterquamquod cum noſtræ redemptionis opus nondum adveniſſet, nondum tempus erat fructus ejuſdem nobis applicandi: Modo vero cum Salvator in Cælum aſcendit, & feliciter illud adimplevit conſilium, propter quod in terras deſcenderat, & Mater ejus cum illo exaltata fuit, hæc quoque ut ille adit poſſeſſionem ſuæ poteſtatis; quia hoc tempus eſt, hic eſt locus, ubi illam debet exercere; quapropter inſignis quidam ſanctitate Vir ad illam per apoſtrophem ſe convertens, dicit illi: *Data eſt tibi omnis poteſtas in Cælo, & in terra, & nihil tibi impoſſibile.* Omnipotens Virgo, collata fuit tibi omnis poteſtas in Cælo, & in terra; utrobique tamquam Dominam geris, & nihil eſt ultra vires tuas poſitum: quoniam poteſtas tua non alia eſt, quam poteſtas filii tui. Qua in re hoc tantum diſcriminis intercedit, quod Filius hanc habet ex ſe, quatenus Deus, & homo; Maria vero per gratiam, & communicationem; quod non prohibet quominus hæc eadem ſit poteſtas, eodem pacto quo poteſtas, quam ſupremus hic Dominus communicat Miniſtris ſuis, tantum abeſt, ut quidquam deroget Principis auctoritati, illam potius corroborat, & re vera, una eademque poteſtas eſt. Hoc nobis ſemel præſupponendum eſt, neque iterandum; ne anſam præbeamus noſmet redarguendi iis, qui hæreſeos labe infecti ſunt, vel inanem præſeferunt zelum; quaſi Creatori adimeretur quidquid unanimi conſilio beatæ huic creaturæ Patres tribuerunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

SS. Virginis aſſumptio fuit Angelis cauſſa admirationis. Cant. 8.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens? Maria aſcendit de deſerto, hoc eſt de Mundo, ubi nonniſi calamitas eſt, & afflictio ſpiritus, quæ nonniſi pœnis, & amaritudinibus repletur; & nihilominus inde *deliciis* tantum *affluens* aſcendit. Sed quænam eſt, quæ de hac vita tanto cum gaudio egrediens, tanta cum pompa aſcendit in Cælum? quæ deferens in mortali corpore naturæ ſuæ ſpiritum perfectiſſimis intellectibus ſuperiorem, ad altiſſimum gloriæ gradum evehitur? & quæ infra ſe relinquens quidquid non eſt Deus, ſupra thronum ſuum non videt, niſi thronum dilecti ſui, ſuper quem innixa in Cælum attollitur? *Innixa ſuper dilectum ſuum.* En quid hodierna die Angeli admirantur, & jure; quis enim cogitaſſet fieri poſſe, ut creatura ad tantum gloriæ apicem poſſet pervenire? Quis credidiſſet de Mundi hujus deſerto exire poſſe ita omnibus numeris abſolutam creaturam, quæ mereretur evehi per choros Angelorum, & occupare thronum Divinitati propiorem? Ita tamen exaltata eſt illa, quam Rex gloriæ honorare voluit, (Eſther.) quam ab æterno dilexit, & quam ſibi in Matrem ante ſæcula elegerat. *Abbas du Jarry.*

Quanam lege judicium ferre poſſumus de magnitudine Mariæ.

De S. Virginis magnitudine ſecundum legem hanc judicium ferre poſſumus. Principium exaltationis creaturæ alicujus, non tantum propria eſt illius excellentia, quam ejus conjunctio cum Deo. Ita ſicuti Verbi humanitas, quamvis inferior naturæ Angelicæ, fuit nihilominus ſupra ſublimes illos intellectus per hypoſtaticam unionem ſublata; S. Virgo, etiamſi infra Cæleſtes hos ſpiritus poſita, recepit tamen gradum magnitudinis ſuperioris naturæ illorum per arctam unionem, quam habuit cum filio ſuo, eumque pro vera Dei Matre habita fuerit, omnes tituli Auguſtæ huic qualitati inhærentes illi cum eadem attributi fuerunt: ita ut nullus ſit gradus adeo ſublimis, ad quem Deus extollere poſſit creaturam, quem non reſervaverit Matri ſuæ, & relinquens ſub illa quidquid non eſt Deus, S. Bernardus ait, ſuper eandem unum ſe collocavit. Ita licet ſemper infinitum reliquum ſit intervallum Deum inter & SS. Virginem, illa tamen extremos divinitatis limites attigit, & nulla re a Filio ſeparatur niſi lumine inacceſſibili, in quo ille ſolus inhabitat. De honore autem qui debetur illi ſecundum idem principium arguendum eſt, ſecundum quod de loco, quem illa obtinet, judicamus. Omnis enim rationabilis ſpiritus fateri debet S. Virginem in terris tantum eſſe colendam, quantum honoratur in Cælo; & ſicuti fingere non poſſumus tantam honoris ſublimitatem, quæ non deceat Dei Matrem, dummodo cum Deo non confundatur; coli nequit cultu illi non debito, dummodo abſit ab adoratione in ſpiritu, & veritate, quæ uni tantum Deo debetur. *Abbas du Jarry.*

Menſura gloriæ S. Virginis non ſecus ac illa Salvatoris, quatenus hominis eſt menſura paſſionum ejus.

Unum ex fundamentis ejus gloriæ, qua in Cælo perfruitur Virgo Sanctiſſima, conſtitutum eſt in eo, quod in Salvatoris paſſione non mediocrem partem habuerit. Et ſane, quandoquidem JESU CHRISTI quatenus hominis exaltatio, uti nos docet S. Paulus Apoſtolus, in Crucis humiliatione ſita eſt, & oportuit CHRISTUM pati, ut ipſe teſtatus eſt, ut intraret in gloriam ſuam; nonne æquum erat, ut quæ in partem acceſſerat dolorum, atque opprobriorum Paſſionis ejuſdem, copioſius particeps quoque fieret gloriæ, quæ præmium fuit dolorum, atque opprobriorum illius? Conſideremus igitur triſtitiam SS. Virginis ad Crucem in Calvario ut judicium feramus de illius gloria apud thronum JESU CHRISTI in Cælo. Conſideremus hunc Oceanum amaritudinum, & dolorum, quibus immerſa fuit funeſtiſſimo illo momento hæc anima; hæc eſt menſura hujus Oceani lætitiæ, & conſolationis, quam recepit glorioſo triumphi ſui die. Quemadmodum JESU CHRISTI morientis plagæ fuerunt plagæ Matris hujus deſolatæ, S. Bernardus ait, gloria JESU CHRISTI reſurgentis quodammodo gloria eſt Mariæ triumphantis. Quemadmodum illa particeps fuit omnium maledictionum, atque contumeliarum, blaſphemiarumque, quas Judæi in Filium ſuum evomuerunt, hodie fit particeps omnium laudum, & benedictionum aulæ Cæleſtis. *Idem.*

Terra cum digna non eſſet poſſidere Sacrũ Virginis Corpus; hoc in Cælum fuit transferendum.

Quinam verus Eccleſiæ filius negare poteſt glorioſæ huic Virgini tria privilegia, quorum poſſeſſionem ſolemni hac die nacta eſt, incorruptibilitatem carnis, glorioſam ejus reſurrectionem, ac triumphalem in Cælum exaltationem? Cum poſita ſit ad Filii ſui dexteram, poſtquam omnibus gratiæ divitiis locupletata fuit, omnibus gloriæ theſauris cumulatur. Quinam dignus Eccleſiæ filius Virgini huic Sanctiſſimæ tria hæc negare poteſt privilegia, quæ illi celeberrima veritatis oracula conceſſerunt? S. Auguſtinus ait ſe perhorreſcere cogitantem Corpus Deiparæ vermibus in prædam ceſſiſſe; quia

Caro Salvatoris, cum ex Sancti hujus Doctoris ſententia, ſit quodammodo caro Virginis Sanctæ; privilegia carnis Filii extendenda ſunt ad carnem Matris. Ubi autem, niſi in Cælo eſſe poteſt corpus hoc Virginale, quod peperit Auctorem vitæ? Quomodo fidelium pietas, quæ tanta ſedulitate collegit Sanctorum oſſa, & quæ tamquam publicæ venerationi objectum propoſuit mini nas quaslibet res, quæ per contactum Salvatoris conſecratæ fuerunt: quomodo, inquiam, jacturam feciſſet pretioſiſſimæ reliquiarum omnium in ſacro corpore Virginis hujus prorſus Cæleſtis? Sed terra digna non erat, quæ poſſideret ſacrum illud vas repletum omni unctione divinitatis, cui Templi loco fuerat: neque ullus alius erat locus, qui illam decere poſſet, niſi ille, quem Filius ejus illi præparaverat prope thronum ſuum, & ſuper omnes Angelos. *Abbas du Jarry*.

DE DEVOTIONE
ERGA BEATISSIMAM VIRGINEM.

Devotio erga S. Virginem conſtantis eſt auctoritatis, & probatiſſimæ omnibus Eccleſiæ ſæculis.

DEVOTIO erga Delparam ita Eccleſiæ auctoritate comprobata eſt, ut nullus vere catholicus non norit illius utilitatem, & ſibi illam impenſius non exiſtimet excolendam. Eccleſia Latina, & Græca ita conſentiunt, ut nullum ſchiſma utriuſque conſormitati nequaquam offecerit. In Oriente æque ac in Occidente publicæ preces Beatæ Virgini funduntur, & vota nuncupantur: ſollemni ritu dies feſti in illius honorem coluntur, Deo templa ſub Deiparæ nomine dedicantur; ejus Imagines populis colendæ in aris proponuntur: Nomen ejus in Sancto Sacrificio invocatur. Nihil melius hanc ſtatuit verizatem, quam conſormis hic Græcorum, Latinorumque conſenſus; cum potiſſimum ad ſecedendum a nobis ſuopte ferantur ingenio. Græcorum Patrum ſententia, ut facile videre eſt, conſormis eſt ſententiæ Patrum Latinorum, ubi ſermo eſt de Immaculata Virginis Conceptione. Devotio erga Virginem, confidentia in illius apud Deum auctoritate, & bonitate erga peccatores, in illius patrocinio & miſericordia, eſt omnium temporum, ætatum omnium, & omnium conditionum. Utrique a Patribus noſtris hanc Doctrinam accepimus per conſtantem omnium ſæculorum traditionem a JESU CHRISTO, uſque ad nos. Græci hodierna die eoſdem ſovent ſenſus de devotione erga hanc Matrem miſericordiæ, quos olim ſovebant S. Athanaſius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Baſilius, S. Joannes Chryſoſtomus, S. Cyrillus, S. Joannes Damaſcenus. Ita S. Bernardus nobis illos tranſmiſit, quemadmodum acceperat a Sanctis Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Hildephonſo, aliiſque primorum temporum Patribus. Quamquam non alia nobis ſuppeteret ratio præter traditionem hanc ab Apoſtolis profectam, præter vim, quam jam obtinebat tempore Epheſini Concilii: poſſet ne jure dubitari? Hæc conſpiratio Sanctorum, Capitls Eccleſiæ, Præſulum omnium, Doctorum, & Populorum, quam ſuperbia, diverſa hominum ſtudia, artes humanæ nequaquam corruperant; ardor hic omnium Orthodoxorum non ſolum in propugnando peculiari dogmate, de quo agebatur; ſed in extollendis eo majori contentione magnalibus, ſanctitate, & eximiis Mariæ Virginis privilegiis, quo majori conatu ſpiritus erroris tunc malignius impugnabat; zelus hic in elogiis eidem frequentius texendis, eique ædificandis magnificis templis; zelus hic adeo vividus, univerſalis, probatus, poterat ne aliud habere fundamentum, quam ſolidam traditionem quæ quotidie magis convaluit, & quam illi tantum labeſactare auſi ſunt, quos Eccleſia a ſinu ſuo procul rejecit. *Pater Croiſet in Aſceticis*.

Novitas omnis vitanda eſt, quam ſpiritui parum catholici invehere conantur circa cultum Virgini debitum.

In devotione, quæ habenda eſt erga incomparabilem Dei Matrem, quam Eccleſia tamquam Reginam Sanctorum veneratur, cavendum eſt, ne quæ novitas fiat, & ut ſemper ſervetur regula reverentiæ, quæ Deiparam decet. Hæc in re conſulenda eſt ſenior, & religioſior antiquitas. Legitimi ejus honores in dubium revocandi non ſunt, ſub ſpecie abrogandi fictitios, & ſuperſtitioſos, quos decepta illi deſerebat antiquitas. Vitandi ſemper ſunt verſuti Scriptores quidam, qui ſpecioſis nominibus contegunt irreligionem ſuam, & ſurripiunt Deiparæ ſcriptis ſuis, quod eidem tribuiſſe videbantur ſpecioſis titulis, blandiſque proœmiis. Illam nobis propitiam reddimus eo cultui, qui neque ſuperſtitionem, neque incredulitatem redoleat, & illa ſuper Sanctos, Angeloſque ſublata, Deum duntaxat, & JESUM CHRISTUM infinite ſuper illam poſitum intuemur. Nomen hujus Auguſtæ Virginis cum illo Divini ejuſdem Filii præponendum eſt actionibus noſtris. Non inficior preces noſtras ad Deum dirigi poſſe, quin per Mariam intróducantur, ſed aliunde ſcio, omnia cum Mariæ interceſſione melius ceſſura. Paſtores quorum doctrina pura eſt, ſententiam hanc amplectuntur, eamque communicant animabus, quæ illorum regimini ſubjacent, eo vero tempore potiſſimum, quo catholicus ut ſpiritus fortis gloriam aucupetur, de Sanctorum invocatione ratiocinatur, tamquam hæreticus; & in dubium revocans, quam teneat fidem, profanis ſermonibus perſtringit veritates, quas adorat, cum conſcientia, & pudor inveniendi ſe ſibimetipſi contrarium, revocant ipſum ad traditionem, & Fidem. Tridentinæ dumtaxat Synodi verbis opus eſt, ut probemus fidelibus, Sanctos, qui cum JESU CHRISTO regnant, offerre Deo ſuas preces pro hominibus; ſed præſertim proficuum eſſe, & ſalutare invocare S. Virginem cum perſeverantia, & humilitate, & ad illius interceſſionem conſugere ad obtinendas gratias a Filio ejus JESU CHRISTO, qui unicus eſt Redemptor noſter, & per quem unum ſalvi ſumus. *Auctor recens*.

Sperate poſſumus nos participes futuræ felicitatis dilecti diſcipuli, & filii Mariæ.

Quis ſe beatum non duceret, ſi vivere poſſet cum illa, quæ novem menſes geſtavit in ſinu ſuo Verbum incarnatum, & cui contigit triginta annos cum illo permanere in jugi præſtantiſſimarum virtutum exercitatione? Quis non invideret electo diſcipulo tantam felicitatem, quanta eſt frui præſentia, & colloquio Mariæ in abſentia JESU? Sed ſi oraverimus, uti opus eſt, Verbum hominem factum, & in cruce mortuum per exceſſum bonitatis erga nos, nonne ſperandum eſt, nobis dicturum eſſe: Ecce Mater veſtra, & Matri, ecce filii tui? Liberalis eſt gratiarum ſuarum erga eos, qui cum fide, confidentia, corde recto, ſine ſimulatione, & mendacio illum deprecantur. Dignatus eſt nos eligere cohæredes in Regno Patris ſui, & dignatur nos hæredes ſcribere curarum genitricia ſuæ. Hæc ipſa haud ægre ſibi tot filios adoptabit; magnus filiorum numerus illi gravis non erit, neque tantus erit unquam, ut eorum neceſſitatibus opem ferre non valeat. Omne illius deſiderium eſt, neminem perire eorum, qui Sanguine Filii ſui redempti fuerunt. Confugiamus igitur ad Salvatorem, & confidentia pleni enixe rogemus illum non ſine lacrymis, ut nos exhibeat Matri ſuæ, eique oſtendens ſingulos noſtrum, dicat illi, *Ecce Filius tuus*, eamque nobis oſtendens dicat; *Ecce Mater veſtra*. Quæ noſtra erit felicitas ſub tantæ Matris protectione verſari! Quis nos poterit ab illius brachiis convellere? Quæ tentatio, quæ adverſitas nos proſternere poterit, donec Matri Dei nobis opem ferre placuerit? Non erimus primi, quos illo ſua juravit ope in graviſſimis neceſſitatibus? Quot ante nos illam invocarunt; & ulluſne inventus eſt, qui ſe repulſam paſſum fuiſſe conqueratur? Omnes immo experti ſunt, quam ſuave, ac utile ſit illam Matrem habere. Ipſa contrivit antiqui ſerpentis caput; & qui confidunt in illa, tuto ambulant ſuper Aſpidem, & Baſiliſcum, ſuper Leonem, atque Draconem. *Bellarminus Tomo 4. Opuſculorum*.

Sententia S. Ephrem Syri hac in re.

Videsmus, quid ſentiant Sancti, qui jure adnumerari poſſunt illis, quibus Salvator dixit æque ac Sancto Joanni, *Ecce Mater tua*. In eximio enim quodam elogio, quo Sanctus quiuiam Pater habet Sanctiſſimæ Virginis, ait, illam ſine macula eſſe, & ab omni labe puram, eſſe univerſorum Reginam, & qui tentantur a diabolo ut deſperent, in eadem omnem ſpem ſuam reponere; & mox ad illam converſus, tu es, inquit, illi, tutiſſimus portus iis, qui adverſa jactati ſunt procella; tu mundum totum conſolaris; captivi, & qui in ſervitute detinebantur ſuam tibi debent libertatem. Tu protegis pupillos, tu exhilaras ægros, & nemo ſalvatur ſine te. Expande ſuper me alas tuas, auxiliare mihi, recipe me in clientelam tuam, miſerere mei, qui ſum lutum, & ſordes. Ac tandem concludit: Virgo puriſſima, Salve; pax, gaudium, ſalus humani generis! O filia Joachin, & Annæ, S. Joannes Damaſcenus exclamat, o Mundi Regina; excipe peccatoris preces, qui licet peccator, non ceſſat unice te diligere, & colere tamquam illam, a qua omnem ſuam conſolationem expectat, cui totam vitæ ſuæ rationem remittit, per quam ſperat ſe in gratiam reverſurum cum Filio tuo, & cujus ſavorem ſpectat tamquam pignus ſalutis ſuæ. Exonera me gravi pondere peccatorum meorum; adjuva me, ut ſuperem tentationes, ut ſancte vivam, ac tandem Cæli beatitudinem obtineam. *Idem*.

Sententia ſtupenda a S. Anſelmo.

Sanctus Anſelmus loquens de Mariæ magnalibus hæc habet: Quibus Deus gratiam concedit, ut ſæpe de illa cogitent, eamque tenero complectantur amore, hi profecto videntur inſignem aſſecuti ſuæ ſalutis, atque prædeſtinationis characterem. Eodemque in opere addit

ali-

Digitized by Google

aliquid, quod gravius eſt. Nonnunquam citius ſolatium percipimus invocato nomine Mariæ, quam JESU unigeniti ipſius; non eo quod illa vel majorem obtineat dignitatem, vel Mater ſit Filio potentior; quia Filius non recepit a Matre magnitudinem, ac potentiam, cum e contra Mater utramque a Filio receperit. Unde nam fit ergo, ut ubi gratiam petimus, ſæpe celerius voti damnemur, confugientes ad Matrem, quam ad Filium, dicam ingenue quid ſentiam. Filius eſt Dominus, & judex hominum, hujus eſt illis præmia, ac ſupplicia partiri bene, vel male meritis. Cum igitur ille ab omni perſonarum genere invocetur, non ita cito votis illorum ſubſcribit, & juſte differt petitionibus eorum annuere; ſed cum Mater ejus precibus oratur, licet peccator non mereatur per ſe id aſſequi, quod petit, Matris hujus auctoritas facit, ut cito exaudiatur. *Idem.*

Sententia S. Bernardi in eodem argumento.

Tandem vero nemo S. Bernardo melius exprimit amorem maternum, quo Maria proſequitur filios ſuos, neque dilectionem obſequio, & confidentia affluentem, qui illam tamquam Matrem colunt, & obſervant, qui ejus numen implorant. Hic idem Pater ait, rite conſiderate, quem amorem, quam devotionem erga Mariam nobis immittere velit ille, qui in ipſa omnium bonorum poſuit plenitudinem; mens illius eſt ut fateamur illi acceptam referendam eſſe ſpem, ſanctificationem, & ſalutem noſtram. Igitur toto pectore adnitamur, addit ille, ut omnibus affectibus, ac deſideriis cordis noſtri incomparabilem Virginem colamus: talis enim eſt voluntas illius, qui optavit, ut quidquid boni nobis eſt, illud per Mariam obtineremus. Denique idem perſequens argumentum ait: Filioli mei, hæc ſcala eſt, per quam peccatores aſcendunt in Cælum; hoc maximum eſt ſubſidium meum, hoc columen ſpei meæ. *Bellarminus Tomo 4. Opuſculorum.*

Spes hæc innititur poteſtati, & bonitati Sanctæ Virginis. Quatenus Dei Mater, omnia poteſt; petat ſatis eſt, ut obtineat; Quid enim talis Filius tali Matri negare poteſt? Illa ergo obtinere poteſt nobis gratiam perſeverantiæ, cui adnexa eſt ſalus noſtra. Verum ſi poteſt, num dubitandum, an velit? *Non facultas illi deeſt, nec voluntas.* Quomodo fieri poſſet, ut Sancta hæc Virgo, quæ Mater eſt Miſericordiæ & Matrum omnium optima, non amet ſervientem ſibi, & ſe diligentem? Et ſi amat illum, poteſtne illi negare ſummum bonum, quod illi procurare poteſt? Non rejicit illa nequiſſimos peccatores, quomodo fideles famulos repellet? Hinc plures Sancti Patres dixere, fieri non poſſe, ut verus B. Virginis famulus reprobetur. *Sicut impoſſibile eſt, ut ii, a quibus oculos ſuos avertit: ſic neceſſarium eſt, quod ii, ad quos ſuos oculos convertit, juſtificentur, & glorificentur.* Et ſane quomodonam JESUS CHRISTUS æternis adjudicare poſſet ignibus verum Matris ſuæ famulum, & pro quo Sancta hæc Virgo ſuam interponeret auctoritatem, niſi hæc illum pro illo adhiberet, qui eidem fidelem præſtitiſſet ſervitutem? *Chriſtiano Conſiderationes.*

D. Bern.

S. Anſelm.

Piæ adſpirationes ad Mariam.

Quæ felicitas recenſeri inter Deiparæ famulos; quoniam illa Cæleſtes promeretur gratias ſervientibus ſibi! Quid expectandum non eſt ex protectione, quæ æque potens eſt, ac tuta? In piis interceſſionibus tuis apud Deum omnem ſpem meam colloco. *Hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ.* Licet Infernus totus ſæviat in me, licet violentis tentationibus urgear; licet mundus cum nefariis exemplis; & voluptas cum omnibus illiciis ſuis me perdere adnitantur, nihil erit mihi formidandum dummodo me in clientelam tuam digneris accipere. O *Maria, o nomen, ſub quo nemiul deſperandum.* Beatus alboque lapillo notandus ille dies, quo me tibi devovi! Væ mihi niſi amavero te! Heu! quamvis ſexcenta mihi eſſent corda, hæc nondum ſatis eſſent ad te digne diligendam. Ad ſuppiendum hunc mei cordis defectum, omnes te diligant Angeli, homineſque, o Sancta Virgo, cum omni affectionum ſuarum latitudine poſt Deum. *Eadem.*

D. Bern.

Proteſtatio impoſterum illi melius deſerviendi eamque imitandi.

Offero totum cor meum tibi, Mater miſericordiæ Maria. Illud multis nominibus tuum eſt. Ne renuas, quæſo illud, quamvis adhuc infideliſſimum tibi; quandoquidem ſtat impoſterum, quam hactenus fideliorem tibi ſervire ſervitutem. Poſt tot annos, quibus me tibi famulum profeſſus ſum, quid egi pro te? qua in re imitatus ſum te? quantumvis hoc illud eſſet, quod requirebas ex me, tamquam pignus fidei meæ? Volo impoſterum omnes exercere virtutes, quarum exemplum mihi præbuiſti, ſervire tibi volo, & amare te eo amore, qui per me fieri poſſit maximo. Iterum me totum tibi devoveo, & ſub ſuum patrocinium in reliquum vitæ meæ ſpatium confugio, præcipue vero pro hora mortis meæ .... O Sanctiſſima Dei Mater! Refugium peccatorum, Diſpenſatrix gratiarum Cæli: ne deneges mihi gratias, quas largiris omnibus invocantibus te. Nemo te oravit, qui opis tuæ effectum expertus non fuerit. Hoc mihi ſperandi locum facit, te nequaquam neglecturam, vel reprobaturam orationem meam, qua ſupplex poſco, ut in albo famulorum tuorum recenſear. *Conſiderationes Chriſtiano.*

Oratio ut admittamur in album ſervorum illius.

Devotio erga B. Virginem ſemper Eccleſia habita fuit tamquam nota prædeſtinationis.

Devotio erga Sanctiſſimam Virginem ſemper in Eccleſia habita fuit tamquam præſagium ſalutis, & ſenſibilis character prædeſtinationis. *Tu certa es arrha ſalutis meæ,* Sanctus Joannes Damaſcenus inquit. Poſt JESUM CHRISTUM es, o Beata Virgo *ſpes unica peccatorum,* & obſervatum eſt nullum unqusm exrtitiſſe hæreticum, qui non adverſatus fuerit cultui Matris Dei; quaſi non eſſe poſſet aliquis inimicus Filii, niſi ſimul eſſet, & Matris. Vos autem perfiteamini toto vitæ veſtræ tempore zelotes futuros, fideleſque Deiparæ famulos; vobis cordi ſit ſolida hæc pietas, & poſt CHRISTUM JESUM in Mariam confidite. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur,* Sanctus Bernardus ait, *quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam;* quia ut idem alibi ſubdit, *nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret. Pater Croiſet in Aſceticis.*

Serm. 5. in Nativ. Mariæ.

Serm. 3. in Vig. Nat. Domini.

Per Mariam recipimus bona, & gratias, quas Deus nobis confert.

Quemadmodum Pater Æternus nobis per Mariam dare voluit Filium ſuum, voluit etiam ſecundum laudati Patris ſententiam, nos omnia habere bona per Mariam, & per illam ad ipſum noſtra aſcendere vota. Itaque Eccleſia nonne preces, quas vulgo fundit, concludit Oratione, quam dirigit ad Mariam? Quidquid Patri Filius offert, illi gratiſſimum eſt: quidquid Maria offert Filio, huic eſt acceptiſſimum. Pater nihil Filio, nec Filius Matri negare poteſt; neque Mater illis, quos tamquam veros ſibi famulos reſpicit; tamquam filios ad illam fidenter confugientes. Eſtote ex hoc numero. Neque ſatis eſſe putetis teneram fovere pietatem erga Mariam; illam filiis, ac domeſticis veſtris inſpirate; & miſereamini eorum, qui nullo habent in diſcrimine hanc Electorum parentem. Eidem offerte familiam, conſanguineos veſtros, & quidquid veſtrum eſt. Singulariter voſmet ſervitio ejuſdem devovere, & præſertim ne obliviſcamini quod Sanctus Bernardus ait: JESUM CHRISTUM cum venerit ad redimendum humanum genus, in Matris ſuæ manibus gratias depoſuiſſe quæ ſunt pretium hujus Redemptionis. *Redempturus genus humanum, univerſum pretium contulit in Mariam.* Idem.

Bernardus ſerm. 3. in Nativ. Mariæ.

S. Mariæ nomen eſt omnibus venerabile.

Eccleſia poſtquam celebravit feſtivitatem S. Nominis JESU, e re cenſuit illam celebrare Nominis Mariæ. Auguſtum hoc Nomen adeo venerabile Angelis ipſis, non minus colendum eſt hominibus. Non Cælum, neque terra, Virgo Sanctiſſima, exclamabat S. Franciſcus agnovit Nomen poſt illud dilectiſſimi Filii tui, a quo Fideles plures recipiant gratias, majorem concipiant ſpem, majoremque ſuavitatem guſtent, quam Nomen tuum. Beatus, qui veneratur, & amat Nomen tuum Virgo Sancta, S. Bonaventura exclamat; gratia tua illum ſuſtinebit in adverſis, & producet in illo fructus in copia, ubi irrigatus fuerit vivis fontibus gratiæ Salvatoris. O Auguſtum Mariæ Nomen! addit ille, quomodo Nomen ſuum non celebrabitur, quandoquidem ne proferri quidem poteſt, quominus proferens illud fructum percipiat. Quam glorioſum eſt nomen tuum! Quam admirabile, Sancta Virgo, quoniam, qui invocant illud fidenter, in mortis hora non reformidant. *Glorioſum, & admirabile eſt nomen tuum, qui illud retinent non expaveſcunt in puncto mortis.* Qua pace, qua gratiarum affluentia non gaudent illi, qui inceſſanter Sanctum hoc Nomen tuum venerantur? *Pax multa,* idem ſemper loquitur S. Bonaventura: *pax multa obſervantibus Nomen tuum Mater Dei. Pater Croiſet in Aſceticis.*

Nominis hujus Excellentia.

Idiota.

Raymun. Jordan.

Abbas Cellenſis.

Huic Nomini tanta virtus eſt, Sanctus quidam Abbas inquit, *Tanta virtutis eſt, & excellentiæ hoc nomen ut Cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, cum Maria nominatur.* Utique Sanctus iſte vir ſubdit: *dedit tibi, Maria, tota Trinitas Nomen, ut in Nomine hoc, omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Profecto, S. Bernardus ait, Mater Dei non poterat habere Nomen, quod illam melius deceret, niſi Nomen Mariæ, nec quod melius ſignificaret illius Magnalia, excellentiam, & dignitatem. Maria pulcra eſt, ac renidens ſtella, quæ ſuper immenſum hoc Mundi pelagus ſublata dux eſt eorum, qui proceloſum hoc navigant mare. Oculos amovere ab hoc ſydere eſt ſeſe adducere in funeſtam aberrandi neceſſitatem, in ſcopulos allidendi, & triſtis naufragii periculum adeundi. *Ne avertas oculos a fulgore hujus Syderis, ſi non vis obrui procellis.* Frequentes ſunt in hoc mari procellæ, ubique latent ſcopuli, nullus portus, nulla ſtatio ſatis tuta; vis evitare naufragium, *reſpice ſtellam,* Sanctus ait, *voca Mariam.* Plurima tibi imminent mala, te quatiunt adverſa, opprimunt te vitæ infortunia, Mariam invoca; inquit Albertus Magnus. *Si adverſitates tribulationum te jactent, & ſuperantes te quaſi proſternant, invoca Mariam. Pater Croiſet in Aſceticis.*

Plurium Sanctorum Patrum Sententiæ de Nomine Mariæ.

Mariæ Nomen, ajebat Sanctus Antonius Pitavinus, lætitiæ argumentum eſt, & confidentiæ illis, qui cum pietate, ac reverentia invocant illud; ori ſuavius eſt melle, auribus jucundius, quam melos, cordi acceptus quolibet gaudio: *Nomen Virginis Mariæ, mel in ore, melos in aure, jubilus in corde.* S. Anſelmus magis adhuc Sancti hujus Nominis Venerationem extollit: ait enim: *Velocior eſt nonnunquam ſalus memorato nomine Mariæ, quam invocato Nomine JESU,* Eccleſia vix audit

Lib. de Excell. Virg.

audit Mariæ Nomen ; cum in genua procumbit propter reverentiam, qua Sanctum hoc Nomen adorat; neque hoc unquam proferri auditur, quin populorum pietas excitetur. *Idem*.

Poſt Eccleſiæ nativitatê Mariæ nomen cum nomine JESU conjunctû fuit.

Ab ipſis Chriſtianiſmi Incunabulis, ac primis Eccleſiæ temporibus conſueverunt Fideles nunquam ſeparare duo hæc Auguſtiſſima Nomina JESU videlicet, & Mariæ. Alterum ſine altero non proferebatur primo illo Chriſtiani fervoris ſæculo. Religio non conſenuit in Eccleſia: Quemadmodum veri Fideles ad hanc uſque diem fovent erga Filium eamdem venerationem, amorem, reverentiam, eamdem quoque erga Mariam pietatem ſervant, & obſequium. Hoc plerumque conjungit duo hæc auguſta Nomina in corde, & ore Fidelium. Videtur de Maria non ſine aliqua proportione dici poſſe quod S. Paulus dicit de Verbo Incarnato, cujus illa Mater eſt; illam tanto ſuperiorem eſſe beatis Mentibus, quanto inſignius Nomen accepit, eique impoſitum eſt, tamquam ſignum magnitudinis ſuæ: Namque ſuprema eſt hominum, & Angelorum Domina; Domina noſtra per antonomaſiam, ac ſingularem prærogativam; quo pacto omnes Eccleſiæ Patres, populique vocant illam. Nomen hoc ubique retinet eumdem magnitudinis, ac dominationis characterem, quia ſemper ſignificat Dominam noſtram, quemadmodum Filius ejus ſemper Domini noſtri, noſtrique Regis nomine appellatur. *Idem*.

Homilia S. Bernardi de nomine & protectione S. Virginis. Homil. 2. Super miſſus eſt.

S. Bernardus nullam prætermittit occaſionem oſtendendi teneros cordis ſui ſenſus erga Matrem hanc bonitatis, & miſericordiæ alludens ad S. Nomen, quo appellatur, & ad opem quam inde percipiunt, qui navigant, ex ſtella, quæ illorum dirigit curſum, diſertiſſime exprimit auxilium quod nobis ab hac divina Matre expectandum eſt per piam devotionem, quam fovere debemus erga S. Nomen ipſius. *Et Nomen Virginis Maria*. Quam belle Sanctum hoc Nomen convenit Beatiſſimæ Virgini, etenim propter ſignificationem Reginæ, Dominæque, quam ſecum adfert, ſignificat etiam Stellam maris: *Quod interpretatum maris ſtella dicitur*. Maria nonne eſt hæc ſpecioſa, & celeberrima Stella, ex Jacob orta, cujus lumeo univerſum terrarum orbem illuminat, cujus fulgor emicans ed Cælum uſque attollitur, & effundens benignos influxus ſuos ſuper terram penetrat inferos, fovet corpora, & nutriens virtutes vitium exſiccat? Quicumque es, pergit ille, ne ignores, te juxta hujus Sæculi morem tamquam procelloſo mari agitari, ac fluctibus ebripi. *Ne avertas oculos a fulgore hujus Syderis, ſi non vis obrui procellis*. Si ſubmergi non vis, ſi tentationes tamquam vehementes te agitant fluctus; ſi in diſcrimine verſaris allidendi in ſcopulos: attolle oculos erga hoc ſydus, Mariæ Nomen invoca. *Reſpice Stellam, voca Mariam*. Si te iræ ignis, vel maligna te urgent avaritiæ deſideria; ſi ſuperbia excitat procellas in corde tuo, ſi concupiſcentis te in naufragii periculum adducit, *reſpice Mariam*. Si peccatorum tuorum horrore turbaris; ſi conſcientiam tuam numerus illorum, & magnitudo torquet, ſi timor judiciorum Dei ad deſperationem te adducit, & te infirmat: *Cogita Mariam*: Sanctum hoc Nomen ſedabit tumultus tuos, & confidentiam, amoremque tuum excitabit. In periculis omnibus hujus vitæ, in difficilibus negotiis, in caſibus moleſtis, *Mariam cogita, Mariam invoca*. S. Nomen hoc *non recedat ab ore, non recedat a corde*. Memento; donec a Maria oculos non avertes, te errare non poſſe, donec illius protectione gaudebis nihil tibi eſſe timendum, & felici experientia edoctus intelliges illam jure Mariæ Nomine appellari; hoc eſt Matrem miſericordiæ, Maris ſtellam, Dominam, & refugium peccatorum. *Idem*.

Ejuſdem argumenti.

Reple, Maria, reple omnem tui Nominis latitudinem. Te Cælum colat, terra vereatur, infernus reformidet; Regna apud Deum in ea omnia, quæ infra Deum ſunt; ſed potiſſimum regna in corde meo. Eris conſolatio mea in laboribus, fortitudo mea in Infirmitatibus, in rebus dubiis conſilium meum. Ad ſolum Mariæ Nomen omnis excitabitur confidentia mea, totus amor meus exardeſcet. Cur non licet mihi alte in mentibus omnibus hoc S. Nomen inſculpere? Cur nequeo illud in omnium mortalium ore collocare, eoſque adigere, ut illud mecum concelebrent! *Maria*: o Nomen ſub quo nemini deſperandum eſt! *Maria*: o Nomen toties impetitum, ſemper tamen ſalutare animæ meæ. Nomen, quod me tutum facit in timoribus meis, quod in meis me languoribus excitat, quod me in laboribus ſuſtinet. Singulis vitæ meæ diebus illud proferam, & ſemper proferens illud ſacrato JESU Nomini adjiciam. Filius ciebit in me Matris memoriam, & Mater revocabit memoriam Filii. JESUS & MARIA. Hoc os meum millies in morte mea repetet: JESUS & MARIA, hoc cor meum, deficiente lingua, intus iterare non ceſſabit. Ad extremum uſque ſpiritum repetam hoc Nomen JESU, hoc Mariæ Nomen; & ad extremum uſque ſpiritum hæc Nomina erunt mihi Nomina confidentiæ, amoris, benedictionis, & ſalutis. *P. Croiſet in Aſceticis*.

Glorioſum Mariæ Nomen excitat in nobis memoriam Magnalium Virtutum, & meritorum ejus.

Omnia hæc nomina domus, ac terræ quam vacua ſunt. Hi ſunt nobilitatis tituli, non meriti, neque Virtutum. S. Mariæ Nomen nobiliorem adſtruit ideam, & conſolationis pleniſſimam; efficit, ut meminerimus Beatiſſimæ hujus Creaturæ, benedictæ inter omnes Mulieres, quæ unico privilegio gratiarum omnium plenitudinem recepit, quæ purior, ſanctior, integrior, acceptior Deo fuit primo ſuæ Conceptionis momento, quam omnes Angeli, Sanctique ſimul hodie ſint in gloria. Sanctum hoc Nomen prædicat nobis, eam quæ eodem appellatur, eſſe Matrem Dei, Reginam Cæli, & terræ, Mediatricem noſtram apud Deum; nobis dicit illam potentiſſimam eſſe Patronam noſtram, advocatam, ac perfugium noſtrum apud Supremum Judicem, conſolationem noſtram, magnam ſpem, ut illam S. Auguſtinus appellat, Matrem gratiæ, Matrem miſericordiæ, ſuaviſſimam Matrem noſtram, erga quam filialis amor, vera, & religioſa devotio, nota eſt prædeſtinationis. *Idem*.

Devotio, quam omnes Sancti profeſſi ſunt erga Nomen Mariæ; & devotio, quæ illi in mortis articulo habetur.

Cogitate nullos fuiſſe Sanctos, qui ſingularem profeſſi non fuerint devotionem S. Mariæ Nomini, & qui experti non fuerint ſalutares ſuaviſſimæ hujus devotionis effectus. Semper ero felix, dicebat S. Gregorius Nazianzenus, ſi potero habere in ore Mariæ Nomen eo momento, quo animam efflabo. Janua Cæli ſtatim ſine mora patebit mihi, quemadmodum patuit arca columbæ, quæ ſe illi obtulit ore præferens olivæ ramum. Sed ut morientes habeamus in ore hoc Nomen ſalutis, donec vivimus illud geſtare debemus in corde. Hoc ut plurimum extremum illud verbum eſt, quod in mortis lectulo profertur, & extremum quod auditur! Quantæ conſolationis eſt hoc Nomen illis, qui illius guſtaverunt dulcedinem diutioris vitæ ſpatio! JESUS, & MARIA; hæc duo ſacrata ſunt Nomina, quibus commeatus noſter in vitam alteram ſignandus eſt. Cum his Nominibus, quæ Angeli venerantur, & dæmones reformidant, apud Supremum Judicem non gratioſi eſſe non poſſumus. Quanti refert illa nobis dum vivimus familiaria efficere, ut aliquando nobis ſint argumentum lætitiæ, confidentiæ, & conſolationis in hora mortis! Salutis noſtræ inimici, poteſtates tenebrarum infremunt auditis JESU, & MARIÆ Nominibus; neque illa poſſunt audire, quin ſe conjiciant in fugam. Hoc perfecte novit Eccleſia, cum ſuadet Miniſtris ſuis, ut inceſſanter repetant illa in filiorum ſuorum morientium auribus; videlicet in criticis illis, decretoriiſque æternæ ſortis momentis, quibus omnes inferni poteſtates conatus exerunt ſuos, ut terreant, tentent, & ad deſperationem adigant fideles. Mariæ ſervus quam tunc confidit in omnipotenti optimæ hujus Matris Intereeſſione! & quanta cum voluptate profert Nomen, quod procul ejicit terribiles hoſce ſalutis hoſtes! quomodo confirmat conſcientiam hactenus perturbatam! Solum Nomen quod recipit a Nativitate ſua, oſtendit nobis quid ſit, & quid nobis ab illa polliceri debeamus. Maria dicitur, & Myſticum hoc Nomen in variis ſignificationibus ſuis exprimit magnalia ejus, & ſpem noſtram inflammat. Docet nos, illam in Cælo, atque in terra ſupremam poteſtatem eſſe habituram, eamque Reginam eſſe hominum, & Angelorum. Magnificus iſte titulus præter te convenire poteſt nemini, quandoquidem tamquam Dei Mater non vidiſti ſolum Mundum, verum etiam auctorem Mundi ſubditum imperio tuo. Fac, ut ego experiar ſuaves effectus Sancti hujus Nominis tui, quod magis adhuc in corde habere cupio, quam in ore, & quod ſpero mihi crebro in ore futurum, eo quod alte, ac æternum mihi inſculptum erit in corde. *P. Croiſet*

Nomen Mariæ poſt Nomen JESU ſanctiſſimum in Mundo eſt.

Conſideremus, ſi vobis lubet, Mariæ Nomen, unico JESU Nomine excepto, auguſtiſſimum, ſanctiſſimum, ac unum omnium maxime venerabile eſſe ex omnibus Nominibus. Hinc videntur omnes ferme SS. Patres iiſdem uſi verbis, ſive locuturi eſſent de Filii Nomine, ſeu de Nomine Matris ejuſdem. Utrique eoſdem tribuerunt effectus, eaſdem laudes, eaſdemque fere qualitates. Primorum ſæculorum Fideles tanto in honore, ac veneratione utrumque Nomen hoc habuerunt, ut facile judicium fieret, utrumque ex eodem principio operari. Experti noverunt, Mariæ, non ſecus ac JESU Nomen terrorem eſſe inferorum, Cæli lætitiam, mulcere tempeſtates, procellas diſſipare, in adverſis opem afferre, in morbis eſſe medicinam; vallum eſſe objiciendum quibuſcumque cupiditatibus, & habere virtutem acerrimas tentationes propulſandi, & producendi in anima ſuaviſſimam pacem; denique auguſtum hoc Nomen eſſe veluti compendium titulorum, & Magnalium Deiparæ. Hinc factum eſt ab ipſa S. Virginis Nativitate fideles conſueviſſe ſimul conſociare duo auguſta Nomina JESU & MARIÆ; conſtat enim alterum ſine altero proferri nequaquam conſueviſſe primis Eccleſiæ ſæculis, ſeu propter mutuum amorem Matris, & Filii, cujus maxime naturalia Symbola hæc erant Nomina, ſeu propter virtutem horum duorum Nominum, & efficacium ſubſidiorum, quorum erant tutiſſima pignora. Poteſt ne reipſa proferri S. Mariæ Nomen, quin meminerimus hanc eſſe Dei Matrem, quæ apud illum poteſt omnia? Hanc eſſe Matrem hominum, quos unice diligit, quorum refugium eſt, & advocata, & quorum ſalutem ardentiſſime cupit? Verum eſt Mariæ Nomen

nullam afferre conſolationem peccatoribus, qui occalluerunt, & in flagitiis ſuis volunt perſeverare; Sed uberrimus fons eſt ſuavitatis, & conſolationis illi, qui profecto per flagitioſum vitæ genus in Dei ſui odio eſt, ſed ſincera ductus pœnitentia frangere cupit vincula ſua, & ab erroribus in ſalutis ſuæ viam reverti. Quibus ſuavitatis, doloris, pœnitentiæ, confidentiæ ſenſibus non afficitur devote proferens S. Mariæ Nomen? Ad hoc Nomen religio omnis, & fides excitantur in peccatore pœnitentiam agente. Ad duplex hoc Nomen tota pietas inflammatur in anima juſta. Maria, ad hoc Nomen habere me puto advocatam apud Salvatorem meum, Mediatricem apud divinum hunc Protectorem, Patronam omnipotentem apud ſupremum Judicem meum. Maria, ad Nomen hoc omnis Filii effectus pro ſuaviſſima Matre ſua excitatur, tota inflammatur devotio, tota accenditur caritas, tota ſpes augetur. Maria, heu! quam ſuave eſt, quanti ſolatii eſt pronuntiare in morte S. Mariæ Nomen, poſtquam in vita geſtatum fuit inſculptum in corde! *Reple Maria, reple, ut ſupra* pag. 337. *P. Croiſet*.

Eccleſiæ praxis hac in re.

Ipſa hanc conſuetudinem docet Eccleſia. Nullam ex horis ſuis incipit, niſi poſt recitatum Mariæ Nomen. Vult Miniſtros omnes in ſacris muneribus ſuis, immo etiam in divino Sacrificio per reverentiam erga Sanctum hoc Nomen caput inclinare, quoties proferunt illud. Facite ergo, & habete reverentiam eamdem quotieſcumque S. Mariæ Nomen profertis. Hæc ſacra JESU, & Mariæ Nomina infantibus tradenda ſunt, & crebro illis repetenda. *Idem.*

Idem ſequitur argumentum.

Ecce S. Virgo tituli, propter quos primorum fidelium pietas ab ipſis Eccleſiæ primordiis te colere inceperunt, ſolide conſtituta fuit. Tu es Mater Dei; nunquid nimis addi poteſt ad honorem tuum? Tu nobis Salvatorem dediſti; num aliquis apud illum eſt, in quo melius quam in te confidere valeamus? Angelus tibi dixit: te benedictam eſſe inter omnes mulieres; nunquid poteſt metui, ut in laudibus tuis prædicandis aliquis excedat? Quanta afficior conſolatione, ubi animadverto honores, qui tibi adhibentur in Aſia, Africa, Europa, & America, in omnibus terrarum plagis, ubi prædicatum fuit Evangelium, & ubi Filius tuus adoratur! Quam gaudeo, ubi conſidero quot Templa gloriæ tuæ fuerint ædificata! quot dies feſti in honorem tuum inſtituti! Quot S. Societates, Ordines Militares, Religioſæ Communitates conſtitutæ, verum quid fieret, ſi donec Cælum benedico videns te honorari etiam apud gentes barbaras, audire laudum tuarum inimicos? Quid, ſi per noxiam curioſitatem legerem libros dignitati tuæ contumelioſos? quid, ſi per ignaviſſimam aſſentationem tacerem in colloquiis, & ſermonibus eorum, qui ægre juſti ſuſtinent elogia, quæ Eccleſia, Sanctique Patres tibi detulerunt? *Virginum ſolitudo.*

Maria eſt Mater hominum, hic alter eſt titulus cui innititur honor, quem illi debemus.

Maria vera eſt hominum Mater, hic alter eſt fons magnalium illius, atque titulus alter, cui innititur cultus, quem illi præſtamus. Ipſa unum habet Filium, SS. Patres inquiunt, & Mater eſt plurimorum. Habet unum quia Dei Filius unus ille eſt, quem utero concepit; plurimos habet, quia nobis dedit Auctorem gratiæ. 1. Eſt Mater noſtra, S. Ephrem ait, quia vitam reddidit nobis, quam prima parens noſtra nobis abſtulerat. 2. Mater noſtra eſt, quia Mater eſt Filii Dei, qui dignatus eſt nos Fratres ſuos vocare. 3. Eſt Mater noſtra, quia nos ſibi adoptavit Filios in perſona S. Joannis, quem Salvator moriens illi dederat in Filium. Quodnam confidentiæ argumentum pro hominibus univerſis! Si Moyſes tenet Dei brachia jam ſublata, ac parata ad puniendum populum Judæorum. Si Aaron acerram thuris præſeferens illius flexit juſtitiam, qui jamjam de Cælo demiſſurus erat ignem, quo rebellis illa, & ferox natio erat in cinerem redigenda; Si Joſue qui non niſi famulus erat Domini, vidit Solem in medio ſtadio gradum ſiſtere, obediente Deo voci hominis; quid mihi ſperandum non eſt, quandoquidem Maria Mediatrix eſt mea apud ſuum Filium? Quantum debeo tibi Deus meus, eo quod optimam hanc mihi Matrem conceſſeris! Per illam ad nos veniſti, per te ad Patrem tuum contendimus, & per illam venimus ad te. Quid nobis timendum eſt a Patre tuo, ſi loquaris pro nobis, & quid a te nobis expectandum non eſt, ſi pro nobis ad te loquatur Maria? *Solitudo Virginum.*

Maria eſt Advocata noſtra apud Deum.

Maria eſt hominum omnium Advocata; hic tertius fons eſt Magnalium ejus, ac tertius titulus, in quo conſtituta eſt noſtra erga illam devotio. Ipſa apud Filium ſuum eodem fungitur officio, quo Filius apud Patrem, qui ex quo in Cælo eſt, ſemper interpellavit pro nobis. Unus ne fuit unquam Advocatus eloquentior, & Judici ſuo acceptior, quam hæc Mater Miſericordiæ? Hæc cara eſt Judici, apud quem perorat; nam Filius ejus noſter eſt ſupremus Judex. Ipſa generatim pro omnibus loquitur peccatoribus, & ſingillatim pro ſingulis, ſeu quod omnes ſunt pretium Sanguinis Salvatoris, ſeu quod ſi homo non peccaſſet, Verbum incarnatum non fuiſſet, nunquam fuiſſet Maria, vel ſi fuiſſet, Dei Mater non extitiſſet. Præterea omnia poſſidet talenta, ut Judici noſtro perſuadeat, & ab eodem obtineat, quod pro nobis deprecatur.

Pete, Mater mea, quidquid tibi placuerit, dixit olim Salomon Bethſabeæ: Filius enim nihil negare poteſt Matri ſuæ. Cujus vero ponderis erit oratio Matris ita Sanctæ, qualis Maria eſt apud Filium toto Cælo Salomone majorem, atque ſanctiorem? Quid illi negare poteſt, attollenti ad thronum ſuum manus puras, & innocuas, quæ illum geſtaverunt? oſtendenti ſinum, quo illum concepit, ac retegenti ob oculos ejus ubera, quæ eum lactaverunt? Quam vim obtinent in corde illius adeo pretioſa amoris pignora? Felix anima quæ ſpem ſuam in Maria collocavit! Felix, quæ veneratione plena erga filium didicit ab infantia Matris opem expoſcere! *Idem.*

Quam vim habeant Mariæ preces apud Deum.

En Virgo Sanctiſſima ſolidiſſimum confidentiæ noſtræ argumentum. Potentia tua, reipſa neque abſoluta eſt, neque independens, qualis Dei eſt; ſed licet obſequens illa ſit, & ſupplex; tamen eſt admodum efficax. Ubi tuam protectionem poſco, non equidem thronum extollo oppoſitum throno Filii tui, neque tribunal miſericordiæ contra Juſtitiæ tribunal objicio. Sed Judici meo offero Oratricem, ad quam me confugere vult, ut per hanc ad ipſum contendam, Matrem invoco nobis opem ferendo ita paratam, ut S. Bernardus univerſum provocet Mundum, ut inſurgat in ipſum. Si quis poſtquam Nomen illius invocavit, protectionis ejuſdem effecta expertus non eſt; ego confugio ad aſylum, quod omnium ſæculorum experientia me docet, æque juſto, ac peccatori patere. *Solitudo Virginum.*

Verus eſt prædeſtinati character ardenti zelo SS. Virgini famulari.

Quo zelo, quo devotionis affectu, S. Bernardus ait, voluit Deus a nobis SS. Virginem coli, in qua omnium bonorum plenitudinem ingenti veluti quodam excipulo collocavit, unde in omnes ejus famulos pretioſiora manerent chariſmata. *Intuemini quanto devotionis affectu eam a nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria.* Itaque nullus fuit unquam in Eccleſia Sanctus, qui non teneram aluerit devotionem erga Dei Matrem. Diceres pietatem hanc eſſe characterem electorum; adeo communis eſt animabus juſtis; & notatum eſt, ſi qui peccatores fuere, qui ſingularem hanc S. Virgini venerationem ſervarunt, converſionem illorum ſerius, ocyus oſtendiſſe, devotionem erga Dei Matrem nunquam inanem, & fructu vacuam fuiſſe. Eſto ex numero ſervorum ejus, qui fideliſſime illi deſerviunt. Gloriare te eſſe ex numero filiorum illius. Profecto veneratio, confidentia, devotio erga S. Virginem natæ ſunt cum Eccleſia, nullus verus Fidelis, qui filiali non proſequatur amore amabilem hanc Matrem electorum. Dici poteſt, ſicuti hæc devotio erga S. Virginem creſcit cum fide, ita videri, fidem hanc, ex qua Juſtus vivit, nunquam infirmari, niſi devotio erga Dei Matrem fuerit imminuta. A Matre amari non poteſt, qui eſt inimicus Filii. Magnalia, & prærogativæ S. Virginis, ejus poteſtas, & auctoritas eſſe debent noſtræ conſolationis, & confidentiæ argumentum. Quam jucundum, & quam ſuave eſt pro Matre habere Matrem Dei; & ſcire, illam quodammodo maternitate noſtra oblectari. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Fructus, qui percipiuntur ex devotione erga Mariam Virginem.

Quinam fructus ex tenera hac devotione emanant! quot gratiæ, quot auxilia pro Mariæ ſervis in vita, quæ confidentia, quæ conſolatio in hora Mortis! quam ſuave eſt vivere ſub tantæ Patronæ clientela; ſed quæ dulcedo mori, cum per fidelitatem illi præſtitam meriti ſumus illius patrocinium! Nihil aptius nos confirmare poteſt contra adeo juſtum timorem judiciorum Dei, & contra Mortis terrores, quam confidentia in SS. Virgine, quæ innititur bonitati ejus, & perſeveranti illius devotioni. Quid nobis metuendum eſt, ſi S. Virgo intercedit pro nobis? erumpant in me imis e ſedibus inferi: Mariæ præſidium vallum eſt omnibus ſalutis noſtræ inimicis inexpugnabile: myſtica eſt Turris David omni armorum genere munitiſſima; Maria eſt maris Stella, quæ navigantium dirigit curſum; ſæpe illam reſpicere ſatis eſt ad ſyrtes, ſcopuloſque evitandos. Væ illis qui Matrem hanc adeo amabilem nullo habent in diſcrimine! quam miſer eſt, qui nullam fovet pietatem erga Dei Matrem! paucæ ſunt reprobationis notæ minus æquivocæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Poteſtas S. Virginis, quatenus Sanctiſſimæ & perfectiſſimæ creaturæ.

Si poteſtas S. Virginis quatenus Matris Dei tanta eſt, quanta erit quatenus Sanctiſſimæ, ac perfectiſſimæ omnium Matrum? Si poteſtas, & gratia aliorum Sanctorum apud Dominum ex eorum Sanctitate deſumitur, quæ illos acceptos reddit in oculos divinæ hujus Majeſtatis, quæ tandem erit poteſtas illius, quæ illos omnes ſuperat Sanctitate? Si illa eſt ſine menſura, nonne dici poteſt hæc nullis terminis contineri? Quod ſi judicium ferimus ex quibuſdam ſingularibus virtutibus, quæ Dei cor ſibi conciliant, & quibus Salvator ipſe teſtatur nihil eſſe impoſſibile, veluti ex fide, quæ omnipotens eſt oratione, quæ impetrat omnia, confidentia, quæ Sanctam infert violentiam Deo, quid dicam de glorioſa hac Virgine, quæ plus habet fidei, plus ſpei, plus caritatis, quam omnes ſimul Sancti? Denique ſive auctoritas hæc a natura, ſeu a gratia proficiſcatur, a favore, vel merito, natura reddit Matrem hanc omnipotentem apud Filium ſuum, & gratia illam infinite acceptam facit in oculis ejus; meritum, quod efficit, ut ſervus polleat apud Dominum, omnem confert Mariæ poteſtatem apud

Deum

Deum ſuum: quæ omnia ſi ſimul colligitis, inde totidem jura efficitis, quotum ſingula ſeorſim ſumpta in alio quolibet ſatis eſſe non poſſunt, collecta vero in eadem perſona tantam faciunt ponderis acceſſionem petitioni, vel deſiderio illius, ut S. Auguſtinus concludat: *Petitio rationem habet imperii. Croiſet Tomo 2.*

In omni malorum genere nobis confugiendum eſt ad Mariam certi ejuſdem præſidii.

Bonitas, clementia, miſericordia ſunt velut virtutes Divinæ Matris amicæ. Sufficit nos indigere ut illius caritatem excitemus; ſufficit nobis ejus auxilio opus eſſe, ut excitemus zelum ejus. Miſeriæ noſtræ ſufficientes ſunt cauſſæ ut ſimus largitatis ejus participes. Illa noſtris afficitur malis; illa ſinu veluti ſuo omnes filios nos gerit; illa noſtris conſulit neceſſitatibus, ipſas etiam petitiones noſtras prævertit. Maria, S. Bernardus inquit, omnibus hominibus miſericordem aperit Sinum, ut illos excipiat: *Maria omnibus Miſericordiæ ſinum aperit.* Captivus, pergit idem Pater, invenit in illa redemptionem, æger valetudinem, triſtis ſolatium, juſtus gratiam, peccator veniam. Itaque addit, in neceſſitatibus omnibus eſt invocanda. O Maria, S. Bonaventura exclamat, *Peccatorem toti Mundo deſpectum, materno affectu amplecteris, foves*, neque deſeris illum, niſi ante illum Deo reconciliaveris. Hæc univerſalis eſt S. Virginis bonitas, propter quam dixit S. Thomas, quocumque in periculo ſimus, ſalutem ſemper ſperari poſſe per ſavorem, ac protectionem Deiparæ. *In omni periculo potes ſalutem obtinere ab ipſa glorioſa Virgine. In manibus ejus*, Petrus Damiani inquit, *ſunt omnes theſauri Miſericordiarum Domini*: & hanc ob cauſſam Eccleſia Sancta illi quotidie recinit: *Mater Miſericordiæ, Vita dulcedo, Spes noſtra ſalve. Pater Croiſet Tomo 1.*

Beatitudo ſervorum Mariæ in hora mortis.

Nulla urgentior neceſſitas, nullum difficilius momentum, quam mortis. Momento hoc, a quo omnia pendent, Mariæ ſervi validiſſimam apud eam protectionem inveniunt. Cum ex eo temporis articulo ſalus pendeat, hæc Mater Miſericordiæ nunquam eſt liberalior in eos, a quibus in honore habita fuit. Eccleſia cognovit neceſſitatem ſingularis hujus protectionis in morte, ut in precibus ſuis peculiariter mentionem faciendam cenſuerit: *Nunc & in hora mortis noſtræ* quotidie, & pluries quotidie inquit in Angelica Salutatione, & alibi recinit, *Tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe*; adeo illi perſuaſum eſt opem B. Virginis in ſummo illius momenti diſcrimine nobis omnino eſſe neceſſariam. Sed quis rationabilius, ac tutius polliceri ſibi poteſt validam hanc protectionem, quam veri Mariæ famuli? Nunquid momento illo obliviſcetur eorum, qui coluerunt illam, & amaverunt in vita? Quæ conſolatio in extrema infirmitate cogitare, nos vero Mariæ ſervos obire diem? Quid ſperandum non eſt a Supremo Judice cum Matris ejuſdem protectione lætamur? Confidentia jure innixa bonitati S. Virginis in extremo hoc momento omnes illius dolores mulcet, terrores minuit & lenit. Pauci ſunt vere devoti Mariæ Virginis, qui cum ſuavi, ac religioſa tranquillitate non moriantur, quæ eſt ſalutis eorum præſagium. *P. Croiſet in Aſceticis.*

Primus pietatis gradus erga Mariam Virginem eſt audire illam docentem peccatum eſſe perhorreſcendum.

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet Salutem a Domino. Prov. 8. Verba hæc, quæ in ore Mariæ ponit Eccleſia, ſatis oſtendunt quibus gradibus perveniatur ad perfectam devotionem erga SS. Virginem. Primus gradus eſt Mariam audire. Quid autem dicit illa iis, qui recenſeri volunt in albo Servorum ipſius? Statim petit ab illis, ut horreant peccatum. Profecto omnia in Matre JESU dicunt, peccatum illud eſſe, quod præ ceteris horret. Admitteretne in numero ſervorum ſuorum, ac ſua dignaretur amicitia illos, quorum affectiones ab affectionibus illius prorſus abhorrerent? Quis credet Mariam velle ſibi ſervitutem præſtari ab eo, qui peccatum diligit, qui dæmonis mancipium eſt, qui hoſtis eſt JESU CHRISTI Filii ſui? Hoc pacto faveret crimini, & Dei ſui cauſſam proderet. Vis ergo Mariæ famulari, cogita, ut illico de peccati ſtatu egrediaris, ſi in ejus luto forſitan hæres. Opem illa feret conanti; quoniam in id genus circumſtantiis eſt refugium peccatorum: videlicet refugium eſt peccatorum, qui ſincere converti deſiderant. Hac in re illam audire debes, ſi quæris illius eſſe, ac inter famulos ejus recenſeri. *Beatus homo qui audit me! Pater Segneri Tomo 3. Meditationibus.*

Secundus gradus pietatis erga Virginem eſt illi quotidie tributum officiorum noſtrorum perſolvere. Prov. 8.

Alter gradus perveniendi ad veram devotionem erga Mariam, eſt, ſumma diligentia præſtare illi externa quædam officia, quæ noſtram illi adhæſionem teſtentur. *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas.* Inviſetis exempli gratia Templa in illius honorem ædificata; ſocietatem illorum quæretis, qui ſe eidem famulari profitentur; recitabitis preces, quas illi dedicavit Eccleſia; alioquin enim undenam cognoſci poterit vos eſſe vere ſervos SS. Virginis? S. Virginem in corde veſtro colitis & illam amatis: eſto, ſed requiruntur hujus reverentiæ ſigna, & hujus amoris teſtimonia. Jure illa a vobis expectat, & exigit. *Qui vigilat ad fores meas*; immo ex vobis illa ſingulis diebus ea poſcit. *Qui vigilat ad fores meas quotidie.* Cur autem petit illa? Ad veſtram utilitatem; ut quotidie pro vobis a Filio ſuo gratiam aliquam poſſit deprecari. *Idem.*

Perfectio pietatis erga Mariam eſt virtutes ejus imitari.

Tertius gradus, & perfectio pietatis erga Mariam poſita eſt in imitatione virtutum illius, quia ſupremus amoris gradus eſt imitari, & ſimilem fieri amoris objecto. Itaque Eccleſia inducit Mariam dicentem; *beatus homo, qui obſervat* actiones illius ad imitandum illas. Eſtote igitur attenti exemplis ejus. Myſteria, quæ celebrat Eccleſia in honorem illius, ſemper aliquod vobis aptum ſuppeditabit. Videbitis illam humilem corde in Annuntiatione ſua; legi in omnibus ſubditam in Purificatione, ſemperque in Maria deprehendetis virtutem aliquam vobis imitandam. Ita adnitentes, ut eidem voſmet ſimiles præbeatis, voſmet præbebitis digniores amore illius; ab illa peculiares gratias obtinebitis, illam cogetis, ut vos habeat in filiorum numero tamquam dilectum Diſcipulum, cujus Salvator in Cruce voluit Mariam in poſterum eſſe Matrem. Hæc ea beatitudo eſt, quam S. Virgo imitantibus ſe pollicetur, *Beatus homo, qui obſervat, &c. P. Segneri Tomo 2. Meditationum.*

Qui ſincere adhærent Mariæ inveniunt in illa validum præſidium ad gratiam ſervandam, & reparandam.

Qui Beatiſſimæ Virgini ſervit eo modo, quo diximus, invenit illam in neceſſitate, & cum illa invenit vitam. *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Ad quemcumque virtutis gradum Chriſtianus pervenerit, in Dei odium poteſt incidere. Si autem tantum hoc mali famulo Mariæ contigerit, num hæc illum derelinquet? eaque opem ferente, fieri ne poterit, ut non reparet gratiam, quæ eſt animæ vita? *Inveniet vitam.* Quo enim uſque bonitas illius procedit? quo illius poteſtas? Angelus Salutem Mariæ dicens non ait inveniſti gratiam Dei, gratiam quæ nos ſanctificat; ſed *inveniſti gratiam apud Deum.* Verba hæc exprimunt eminentem favoris, & auctoritatis gradum, ad quem Mater JESU elevata eſt; & hæc illa eſt gratia, qua utitur ad obtinendas pœnitentiæ gratias famulis, qui aberraverunt: *Qui me invenerit, inveniet vitam. Idem.*

Pietas ſincera erga S. Virginem magnum eſt auſpicium perſeverantiæ in bono.

Alter Fructus ſinceræ devotionis erga S. Virginem hic eſt, quod illa nos adjuvat, ut in bono perſeveremus. *Qui me invenerit, hauriet ſalutem a Domino.* Profecto unius eſt JESU CHRISTI perſeverantiæ donum largiri, & donum hoc effectus eſt mere gratuitus Miſericordiæ ipſius; ſed petendum eſt, & quis felicius illud petere poterit, quam Maria? Nequit illa per ſe nos ſalvare; ſed per gratiam, quam habet apud Filium ſuum efficere poteſt, ut hauriamus ſalutem noſtram ex fonte divinarum Miſericordiarum. Eccleſia ſatis nos edocet, quid Maria poſſit in hac extrema gratia, quæ ceteras obſignat, cum efficit, ut quotidie opem Deiparæ deprecemur pro extremis vitæ noſtræ momentis. Jure igitur vera erga Mariam pietas operatur ſingulis diebus requiem, & conſolationem ſervorum ſuorum morientium. Undenam ergo tunc ſingulis diebus proficiſcitur gaudium, & ſuavis confidentia, quæ illis affulget, niſi a valida protectione S. Matris ſuæ, & ex felicibus præſagiis, quæ illis ſuggerit ſalutis ipſorum? Quæ felicitas in eo decretorio ſalutis momento habere patronam Matrem Salvatoris ipſius. Hæc beata ſors eſt Servorum Mariæ. *Idem.*

Virgo in albo ſervorum ſuorum eos tantum recenſet, & qui peccatum oderunt, & ſuam fugiunt protectionem illi qui volunt converti.

Nihil æquius, Virgo Sanctiſſima, quam ab illis, qui ſeſe tibi devovere cupiunt, exigere, ut omnino peccato abrenuntient. Non te decet in albo ſervorum tuorum recipere dæmonis mancipia, & inimicos Filii tui. Non ideo tamen omnino rejicis peccatores, tu, quam Eccleſia refugium peccatorum appellat. Es enim; ſed eorum duntaxat, qui converti volunt, & qui confugiunt ad te, ut illis converſionis præbeas adjumenta. Beatus ergo, Virgo Sancta, peccator, qui adhæret tibi non ſine animo abrenuntiandi peccato! Beatus fidelis, qui quotidie perſolvit tibi ſuorum officiorum tributum, & quærit præbere tibi ſuæ fidelitatis ſpecimina! ſed præ omnibus beatus ille, qui ſuam tibi adhæſionem profitetur ſtudio, & imitatione virtutum tuarum. Ad quemcumque virtutis gradum pervenerimus, ſemper labi poſſumus, & gratiæ jacturam pati. Quæ reliqua ſpes eſt in tanta calamitate, quam præſidium tuum promereri per aſſiduitatem officiorum, & per conſtantem in te colenda fidelitatem! Nonne tu impenderes omnem auctoritatem, ac potentiam tuam, ad peccatorem in vias pœnitentiæ revocandum! Sed potiſſimum, Virgo Sancta ad obtinendam perſeverantiæ gratiam, ut ad te ſingulis diebus confugiam, me docet Eccleſia. Unius adorabilis Filii tui eſt illam concedere; ſed illam ne tibi negabit laboranti pro famulo, qui conſtanter ſe tibi famulatum fuiſſe gloriatus fuerit; qui omnia fidelis ſervi munera aſſidue adimpleverit? *P. Croiſet in Aſceticis.*

Aliquo in ſenſu dici poteſt fieri non poſſe, ut qui Mariam colunt, pereant. Jerem. 17.

Omnes, qui te derelinquent, Beatiſſima Virgo, confundentur. Recedentes a te, in terra ſcribentur. Propheta ad Deum de Deo loquitur, ſed nihil melius applicari poteſt B. Virgini, de qua toties SS. Patres ſcripſerunt, ſicut eos qui diligunt eam peramanter, qui illi fideliter ſerviunt, qui perſeveranter eam colunt, interire non poſſe, ita eos qui ab illa recedunt, qui cultum ejus deſerunt, qui in illa non confidunt, neque fovent religioſam hanc pietatem, quæ in omnibus regnat electis, in nullam reditus ſpem interire. *Neceſſe eſt, ut pereant.* Qui digne B. Virgini ſerviret, S. Bonaventura ait, juſtificabitur, atque ſalvabitur. Sed qui negligit cultum illius, in peccatis morietur. Ipſe JESUS CHRISTUS; ipſe Spiritus ſanctus his omnibus Eccleſiæ luminibus hos pietatis, confidentiæ, venerationis, & amoris erga Dei Matrem ſenſus infundit. Spiritus ſanctus auctor extitit Elogiorum, quibus illi Mariam celebrarunt. Hinc locutiones illæ adeo nobiles, ac patheticæ, verba adeo energetica, & ſignificantia; *Tu es ſpes unica peccatorum*, S. Auguſtinus ait. *Veneramur ſalutis auctricem*, S. Hieronymus inquit; obſequio:

S. Bonavent. in Pſalterio.